JOHANNIS CLOPPENBURGII

THEOLOGICA

OPERA OMNIA

Nunc demum conjunctim edita, diligenter recensita, & Indicibus copiosis locupletata.

TOMUS ALTER



AMSTELODAMI,

Excudit GERARDUS BORSTIUS, Bibliopola

Anno clɔ Iɔc LXXXIV.



OPERA

Tomo hoc Altero comprehensa.

DISPUTATIONES XV. DE CANONE THEOLOGIÆ, ET JUDICIO CONTROVERSIARUM SECUNDUM CANONEM.

GANGRÆNA THEOLOGIÆ ANABAPTISTICÆ; Disputationibus XLVIII. olim publicè ventilata in Illustri Gymnasio Gelro-Velavico. Accedit FRIDERICI SPANHEMII SS. Theol. D. & Professoris Leidensis, DIATRIBA HISTORICA de Origine, Progressu & Sectis Anabaptistarum.

DISPUTATIONES VII. AD QUINQUE ARTICULOS REMONSTRANTIUM.

COMPENDIOLUM SOCINIANISMI CONFUTATUM. Præmissa est Præfatio Historica de Origine & Progressu Socinianismi.

VIN-

VINDICIÆ PRO DEITATE SPIRITUS SANCTI; adversus Pneumatomachum Johannem Bidellum, Anglum.

ANTI-SMALCIUS DE DIVINITATE JESU CHRISTI; in duas partes divisus.



DISPU-

EPISTOLA

Ad Clariss. Virum

LUDOVICUM DE DIEU

DE

Die, quo Dominus noster Jesus Christus, & quo Judæi comederint Agnum Paschalem.

ET TRACTATIO

DE

SABBATHO DEUTEROPROTO.

Ac super utraque Amica Collatio Epistolica cum CL. V. LUDOVICO CAPPELLO.

Item

LUD. CAPPELLI ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

M

ERRATA.

PAg. 40. lin. 38. dele *in* & lege *quam rerum* p. 48. l. 31. l. *autem*, p. 61. l. 11. *metaphoricas*, p. 87. l. 36. *ordinariæ*, p. 100. l. 36. *temporis*, p. 140. l. 30. ἀσυγχύτως, p. 142. l. 27. γυναικείας, p. 144. l. 11. *creaturam* p. 167. l. 21. *fide sola*, p. 198. l. 18. ὑπεναντίον p. 205. l. 21. *Euangelii*, p. 215. l. 13. *tertio præcepto*, p. 217. l. 9. *pertinuisse*, p. 226. l. 31. *Nos credimus*, p. 230. l. 27. *peccetur*, p. 235. l. 26. ἀλλοτριοεπίσκοπος p. 274. l. ult. *si fit*, p. 279. l. 10. *supremaque* p. 280. l. 15. *Apostoli*, p. 282. l. 8. *non esse* p. 291. l. 19. *Portæ*, p. 295. l. 24. *obsignatæ*, p. 299. l. 37. *crucifigunt*, p. 315. l. 41. *satiandum*, p. 330. l. 33. *maximo meo*, p. 332. l. 21. *afflictio*, p. 366. l. 8. *resipiscentiam*, p. 376. l. 3. *Voluptates*, p. 379. l. 16 *ab eo*, p. 380. l. 6. *diligenter*, p. 398. l. 14. *ipso*, p. 490. l. 12. *thesaurizare*, p. 415. l. 38. *catachresin*, p. 442. l. 30. supple *lecto toto illo capite, non videmus nec diligenter legenti &c.* p. 448. l. 31. *seu.* l. 39. *per occisionem* p. 473. l. penult. *manifestam*, p. 477. l. 30. *gnarum* l. ult. dele *de*, p. 478. l. 38. leg. *disparatas*, p. 514. l. 1. *fascinavit*, l. 25. *hunc vitam* p. 518. l. 9. נשקו / l. 23. *invocantes* p. 519 l. 24. θεανδρικόν, p. 541. l. 1. *fierent*, p. 562. l. 31. *ipseque*, p. 576. l. 16. *Descensione*, p. 597. l. 25. Cedo, l. 26. *dem*, p. 645. l. 5. *prò beneplacito*, p. 659. l. 26. αὐτόπιστον, p. 661. l. 15. τὴν l. 30. κρυπτά p. 709. l. 14. *vacat*, p. 713. l. 18. *rectam*, p. 736. l. 10. *exstinctum* p. 748. l. 18. *ita non*, p. 755. l. pen. *prostratum*, p. 760. l. 3. *allegoria*, l. 35. *in eis*, p. 766. l. 15. *fuisset* p. 774. l. 34 *dato* p. 785. l. 4. *natam* p. 786. l. 5. *Chiliastas*, p. 787. l. 25. *piorum*, p. 796. l. 32. *in cælis* p. 802. l. 19. *ista quæ* p. 820. l. ult. supp *ut non ultra ipse sit Minister verbi*, p. 838. l. 19. *judicium*, p. 854. l. 30. *depreciationem*, p. 876 l. 23. *nullo schemate*, p. 879. l. 18. *quo*, p. 887. l. 5. leg. *Deus nos conf.* p. 888. l. 3. *Forma*, l. 7. suppl. *ista juvant* l. 9. supple, *in throno ipsius*, *ipse non sedeat ultra cum Patre in throno* p. 893. l. 25. supple, *tanquam ea, quæ Christus faciendi absolutam potestatem; hic vero tanquam &c.* p. 898. l. 25 *assimilatus* p. 902. l. 17. *conciliat*, l. 20. dele *&*, p. 903. l. 7. *credideris* p. 908. l. 7. *qui ad*, p. 914. l. 33. ἐθελοθρησκεία p. 915. l. 12. supp. *invocatur Filius, semper invocatur Pater*, l. 34. lege *aliquid*, p. 918. l. 24. *accipiendam.*

FINIS.

DISPUTATIONES XV.

DE CANONE THEOLOGIÆ

ET

Iudicio Controversiarum secundum Canonem.



Venerandis, Clarissimis, Doctissimisque

VIRIS,

D. IOHANNI MACCOVIO.
D. IOHANNI COCCEIO.
S. S. Theologiæ Doctoribus & Professoribus dignissimis, in Illustri Academia FRANEKERANA.



Iri Fratres ac Symmystæ dilecti, Fasciculum hunc mearum Exercitationum, de Canone Theologiæ & Judicio Controversiarum secundum Canonem, *non potui non vobis inscribere; postquam accidit, divina providentia ita gubernante, ut tibi* Nobilissime D. Maccovi, *ad tempus aliquod* μιμονομένῳ, *cum* Clarissimo D. Coccejo, (*cui cum Spartâ Professionis Linguæ Sanctæ præclarè exornata, jure merito obtigit jam Sparta hæc nobilior unà exornanda*) *ego quoque præter omnem meam exspectationem datus sim Collega, evocatus Illustrium Frisiæ Ordinum Diplomate, & ab utroque vestrum nuper cum officiosa gratulatione & amicitiæ contesseratione salutatus. Debui enim, ad vos brevi migraturus, vobis tesseram amoris, & observan-*

tiæ, quam flagitat & mihi conteſſeratus à vobis amor, & utriuſque veſtrum doctrina & eruditio ſingularis: à qua gratulor mihi, ſine palpo loquor, multa quotidie diſcendi occaſionem. Deum veneratus ut triplicatum hoc ſanctioris amicitiæ filum, nulla arte, nullo aſtu, rumpatur: ſed ut in cathedra una prophetantes ἀνὰ μέρος, *inveniamur* μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες *pro Veritatis quæ ſecundum Pietatem eſt communi depoſito. Ut ſicubi forte in Problematis hujus vel illius determinatione, pro libertate quiſque & judicio noſtro, videamur ab invicem abire, illud pateſiat ad quamvis conſcientiam, nos procul habere omnem contendendi libidinem, ſed conſcios nobis, quod hic prophetamus* ἐκ μέρους, *æmulari chariſmata in bonum, & amicè ſymbolam conferre. Illam mihi mentem, illum affectum eſſe novit* ὁ καρδιογνώστης *Deus. Illum à vobis affectum ut mihi polliceor, ita vobis ſanctè voveo, hæc votiva, quæ vobis ſuſpenſa eſto, tabella.* [illegible] *ſtudiis & laboribus benedicat, ac det nobis quam diutiſſimè quam feliciſſimè ipſi vivere, concordes, &* ἰσοψύχως *in opere Domini. Valete & ſalvete plurimum, ac me amare pergite. Dabam Harderovici v. Kalendas Aprileis Anni Juliani Æræ Christianæ.* MDCXLIV.

Veſtrûm obſervantiſſimus

JOH. CLOPPENBURCH.

DISPUTATIONES XV.


DE CANONE THEOLOGIÆ *ET* Iudicio Controversiarum secundum Canonem.

DISPUTATIO PRIMA.

IN QUA

Controversiæ Theologicæ de Canone Theologiæ.

1640. XX. Februarii.



Ontroversiarum Theologicarum prima & princeps est de *Canone Theologiæ* seu Regula Fidei & Cultus debiti, quæ alio nomine vocatur controversia *de Verbo Dei*, quia ubi quæritur, quidnam illud sit, quod nobis habendum est pro Canone Theologiæ, generatim consensus est in hac Thesi; *Verbum Dei esse Regulam Fidei ex qua de Dogmatibus judicandum est, esse principium commune ab omnibus concessum, unde argumenta ducuntur, denique esse gladium spiritualem, qui in hoc certamine recusari non potest. Bellarm. Præfat. Tom.* 1.

II. Ex isthac πολυωνυμία, seu vario Titulo hujus controversiæ convincitur ἀκυρολογίας Disputatio, quando, ut fit, committitur cum *Scriptura S.* vel *Papa* vel *Ecclesia*, atque sic formatur Status controversiæ, *an Canon Theologiæ sit Scriptura S. an vero Papa, an Ecclesia.* Quandoquidem ridiculum esset, in aliis terminis quærere, *an Verbum Dei sit Scriptura S. an Papa, an Ecclesia.* Atque nihil abest à blasphemia, si ad personam personasve in Ecclesia judicantes, quibus manifestatio fit Verbi Dei, trahatur Metonymia illa, quæ soli Deo seu Spiritui S. conveniens est, ut appelletur Theologiæ Canon & Fidei Regula.

III. De Verbo Dei itaque, quod omnium confessione est Canon Theologiæ, istud est sententiarum divortium, quod Orthodoxi affirmant illud Verbum Dei hodie exstare in sola Scriptura sacra, quam antonomastice *Biblia* appellamus. Contra autem *Enthusiastæ*, & *Libertini*, necnon *Pontificii*, censent quemadmodum olim ita etiamnum hodie esse quoddam Verbum Dei ἄγραφον extra Scripturam, absque quo non possit per solam Scripturam perfecte & sufficienter regulari Theologia Christiana. Quæ sit hic Enthusiastarum & Pontificiorum Discordia Concors, aliàs videbitur.

IV. Antequam Controversiam ordiamur, Præcogniti quinque opus est. I. *Quid sit Theologia*, cujus Canon investigatur. II *Quid sit Canon*. III. *Quid sit generatim Verbum Dei*. IV *Quid sit Scriptura sacra*. V. *Quid vocetur Verbum ἄγραφον non scriptum*. Quæcunque enim est in hac controversia ἑτεροδιδασκαλία seu hæresis, illa fere universa latet in aliqua, circa unum ex quinque istis terminis, æquivocatione: qua profligata incisi erunt errorum nervi. I. De primo Præcognito diffuse egimus in *Protheoria Theologia Christiana*, de qua non gravabimur respondere opponentibus in publica Disputatione. Breviter dicimus hic agi de Theologia & Docente & Utente Supernaturali, destinata Homini constituto in vitæ hujus terrenæ curriculo, quæ in Scholis dicitur *Theologia Viatorum*.

V. II. *Canon* seu *regula* numero singulari vocantur κατ' ἐξοχὴν Principia illa Doctrinalia, ex quorum analogia vel demonstratur Scientiæ certitudo, vel determinatur in prudentiæ praxi τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἴσον Justum & Æquum: ex quibus proinde derivantur tanquam conclusiones ex præmissis alia theoremata & præcepta, quæ in quavis Doctrina numero plurali vocantur *Canones & Regulæ*. Canonis ergo sic dicti ratio formalis consistit in illa αὐθεντίᾳ publica, quæ discentibus præscribit, tanquam omni exceptione major.

VI. Ad illam αὐθεντίαν publicam duo concurrunt requisita. I. Ut Canon sit *certus & infallibilis*. II. Ut Canon sit *publice notus*. Duo hæc in hac controversia urget ipse *Bellarminus*; *Regula*, inquit, *catholica fidei certa notaque esse debet: nam si nota non sit, regula nobis non erit: si certa non sit ne regula quidem erit. De verbo Dei lib.* I. c. 2. Consentit *Charronus Veritate* III. *cap.* 2. qui duobus istis tertium hoc distincte præmittit; *quod Canon debeat esse Authenticus, ut omnes se illi reverenter subjiciant, illique acquiescant & obediant.*

VII. Certitudinem & infallibilitatem *Canonis* flagitat ipsa Metaphora qua nomen translatum est à mensura non privata quavis sed publica & authentica illa ad quam Lege & edicto Magistratus commensuratæ esse debent, & ab illa suam justitiam mutuari, mensuræ quæ tractantur privatorum manibus: juxta illam *Varini* definitionem; κανὼν ἐστι νόμος ἀπαράβατος καὶ μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενος, h. e. *Lex immutabilis & mensura infallibilis, quæ nullo modo admittit ut aliquid ei addatur vel detrahatur.* Consequenter quemadmodum ne Canon quidem esse censetur, si quis sit κανὼν ἀόριστος, qualem *Aristoteles Ethic. lib.* V. *cap.* 10. refert

fuisse

fuisse *ædificationis Lesbiæ plumbeam regulam*, quæ, inquit, non manet sibi similis, sed πρὸς τὸ σχῆμα τοῦ λίθου μεταβάλλεται, h. e. *ad lapidis figuram transformatur*: sic neque in Doctrina aliqua censeri debet Canon seu principium Doctrinale id quod nullam certitudinem conferre potest ulli dogmati particulari eo quod in se sit incertum & variabile; verba sunt *Suarezii Disput. Metaph* XL. *sect*. 3 §. 14.

VIII. Canonis appellationi, tam propriæ quam metaphoricæ, accidit varia Metonymia. Prima est Metonymia causæ efficientis quam licet vocare prosopopœïam, quando Canoni tribuitur nomen *Summi Judicii*; ratio est, quod mediante Canone tanquam Judicii authentica norma & lege, summus Judex habet sibi obnoxios Judices inferiores. Altera est, quando reciprocatione quadam summo Judici tribuitur nomen Canonis, propter auctoritatem illam qua Canon seu mensura publica & authentica à summo Judice & Legislatore sancitur & imperatur non minus inferioribus Judicibus, quam privatis subditis, ut juxta illam omnium judicia quâ publica quâ privata dirigantur, & ubi opus corrigantur & castigentur. Tam autem in Abstracto, auctoritas illa & summum judicium, quam in Concreto summus Judex & Legislator, per hanc metonymiam effecti appellari possunt Canon.

IX. III. Præcognitum tertium est, *quid sit Verbum Dei*. Quod hic significat illam Veritatis & Juris divini revelationem supernaturalem, qua Deus hominem docet Theologiam & Religionem supernaturalem. Intelligitur itaque Verbum seu Sermo Dei extra æquivocationem illam, qua sic nominatur Persona secunda in S. S. Trinitate, Deus Filius. *Joh*. I. I. *Apoc*. XIX. 13. Est enim hujus considerationis ὁ λαληθεὶς λόγος, sermo quem Deus Pater & ipse Filius loquutus est *Hebr*. I I. & II 2. *Joh*. XII. 48. XV. 3. Atque hic relative opposita sunt Sermo Christus, & Sermo Christi. Et determinata magis ac libera ab hac æquivocatione vox Græca alterius Etymi, quæ si ad Sermonem Christum applicetur, phrasis hæresin sapiet, videlicet ῥῆμα Θεοῦ *Rom* X 17 *Eph*. VI. 17. & pluraliter τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ *Joh*. III 34 47. *Apoc* XVII. 17 item τὸ ῥῆμα κυρίου I *Pet*. I 25.

X. Appellatione Verbi Dei asseritur Canoni Theologiæ per primam & immediatam consequentiam, quod sit αὐτόπιστος per se dignus Fide & Fidei obedientia; & ἀψευδὴς mentiri & fallere nescius. Quia enim Deus mentiri non potest nec quenquam decipere, Verbum Dei nihil docere potest quam τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμὴν *Etiam & Amen*, seu fidos & veraces sermones 2 *Cor*. I. 17 18. 19 & *Apoc*. XXI 5. Quare minime piam censemus Latinitatis illam affectationem, qua Vir magni nominis nuper Parabolas Euangelicas, conceptas verbis magni Dei & Servatoris Christi, vocat *Fabulas & Fabellas Christi. de Jure Belli & Pacis lib*. II *cap* 20 § 48 & *cap*. 24. §. 4 Fabula enim & Fabella in communi usu tantum non mendacium significat; & ipse in Parabolis Christi urgere videtur mendacii saltem ἀπεικασμα, putat enim in controversia de Mendacio aliquo licito an illicito

facere

facere *ad conciliationem sententiarum dissidentium*, ut scilicet *Mendacium in largiori acceptione non sit semper in vitio positum: quia ipse Christus*, inquit, *per Fabularum ambages populum alloquitur*. Lib III. cap. I 10.

XI. Appellatione rursum Canonis Theologiæ asseritur Verbo Dei juxta supra positam *Varini* definitionem *Perfectio*, quæ nullo modo admittit ut ei aliquid addatur vel detrahatur. Perfectio autem illa Canonis Theologiæ sita est in sufficienti directione hominis Viatoris in terra peregrinantis à Domino, ad Deum juxta voluntatem ejus cognoscendum & colendum, usque ad terrenæ hujus vitæ terminum. Quapropter non attenditur hic Perfectio Theologiæ Hominum ἰσαγγέλων in cœlis, quam vocant *Theologiam visionis*, ad quam instituta comparatione, Theologia Viatorum censetur cognitio imperfecta instar visionis obscuræ per speculum in ænigmate I *Cor*. XIII. 10. 12. Extra comparationem illam hic tantum spectatur intrinseca perfectio *Theologiæ Viatorum*, quâ τύπος διδαχῆς plene exprimit Theologiam Archetypam, Dei voluntate præfinitam.

XII. IV. Præcognitum quartum est, *quid sit Scriptura sacra*. Scripturæ sacræ appellatione intelligi debet non in abstracto vel scribendi actio, vel characteres scripto exarati, sed in concreto Verbum Dei scriptum, & in tabulas relatum. Atque sic accipimus γραφὴν & γράμματα 2 *Tim*. III. 15. 16. & plurale γραφὰς *Luc*. XXIV. 27. *Act*. XVIII. 24. nequaquam pro literarum cortice aut chartacea librorum mole, sed pro traditione sententiarum istarum de veritate & jure divino, quas Deus voluit mentibus nostris propositas, per Scripturæ instrumentum in oculos occurrens. Scripturæ ergo Formale constat ista Traditione significante verarum sententiarum, Materiale autem est illud Syntagma librorum, qui vulgo βιβλία Libri, & *Biblia sacra* nominari atque inscribi solent.

XIII. Est autem Traditio illa significans, non tantum ipsa Doctrina θεοδίδακτος, sed etiam Doctrinæ illius consignatio & expressio per Scripturam seu verba concepta quæ in Scriptura leguntur. Utraque est θεόπνευστος divinitus inspirata: adeo ut hoc Scripturæ indigitamento asseratur & Res sive sententias, & Verba & voces in Scriptura adhibitas, esse sacris Scriptoribus inditas à Deo, & ductu illius sive immediata directione Spiritus S. consignatas. 2 *Tim*. III. 16. Hinc fit ut Verbum Scriptum etiam absque mentione Scriptionis, simpliciter *Verbum Dei*, *Eloquia Dei*, appelletur *Eph*. VI. 17. *Rom*. III. 2. & Elogium quod generatim hic convenit Dei verbo etiam ante natam Scripturam sacram, in solidum vendicetur Scripturæ Sacræ, & exserto Petri testimonio 2 *Pet*. I 19. 20. 21 & phrasi illa passim obvia, qua dicuntur in Scriptura loquuti Prophetæ *Luc*. XXIV. 25. 27. *Act*. II. 16. & per Prophetas Spiritus S. *Act*. XXVIII. 25.

XIV. Hinc consequens, Auctorem Scripturæ dicendum solum Deum, neque debere nuncupari librorum quos scripserunt *Auctores* homines illos seu Prophetas seu Apostolos seu Euangelistas immediate ad hoc vocatos, & à Spiritu S. Theologiam edoctos, sed dicendos esse tantum Dei auctoris mini-

ris ministros & actuarios. Et merito hic *Castellionem* in Latina Euangeliorum ἑρμηνείᾳ castigat *Beza*. Etiamsi enim quisque illorum scripsit *secundum sapientiam ipsi datam*, ut de Paulo testatur Petrus 2 *Pet.* III. 15. extra ordinem tamen etiam deducti & directi sunt à Spiritu Dei assistente ad Theologiam tradendam ac describendam in communem Ecclesiæ usum. Atque tam ad scribentes quam ad viva voce loquentes, applicari omnino debet illud Christi. *Marc.* XIII. 11. *Non estis vos qui loquimini sed Spiritus S.*

XV. v. Præcognitum quintum est, *quid verbum* ἄγραφον *seu Non scriptum.* Generatim verbum Dei non scriptum est Doctrina extra ordinem divinitus revelata, absque scripto sermonis signo. In hoc verbo non scripto observamus gradus duos, seu momenta duo, quorum alterum altero prius est, & naturæ, & non raro temporis ordine. Primum momentum est interna illa illuminatio qua Deus veritatem mentibus Prophetarum insinuat πολυτρόπως visionum aut somniorum aut sermonis χρηματισμῷ sive oraculo. *Heb.* I. 1. *Num.* XII. 6. 8. In quacunque enim istiusmodi revelatione, illi censentur audire ῥήματα seu Verba Dei. 2 *Cor* XII. 4. Alterum momentum est, immediata illa directio Spiritus S. assistentis, qua illi quod à Deo immediate audierunt proloquuntur ut Dei organa, & Vox Dei loquentis, ad Ecclesiæ ædificationem. *Act.* II. 4. *Matt.* III. 3. *cum Esai.* XL. 3. Sancti quidem sancto obsequio *Marc.* XIII. 11. impii autem, qualis Bileamus, etiam inviti: utrique infallibiliter *Num.* XXII. 18. durante scilicet illa Spiritus S. assistentia, quæ non relinquebat se ἀμάρτυρον.

XVI. In priori illo momento Verbum Dei à Prophetis acceptum necdum Ecclesiæ traditum, privatus tantum Canon est Prophetæ prædicaturi. In posteriori autem momento Verbum idem demum fit Canon publicus & authenticus Ecclesiæ. Quapropter Verbum Dei ἄγραφον quando etiam solum fuit Canon Theologiæ, non attendebatur, quatenus infusum & immanens in cordibus Prophetarum, sed quatenus ex thesauro cordis depromptum, per vivam prædicationem, à Deo immediate directam, & divina cooperatione extra ordinem confirmatam. Atque hinc originem habet *Traditionis* nomen antonomastice attributum verbo non scripto.

XVII. Enimverò Traditionis appellatio in subjecta materia extenditur æquivoce ad illam etiam verbi Dei propagationem, qua post primam prædicationem Propheticam & Apostolicam διάδοχως de manu in manum traditur, sive olim vivis Prophetis & Apostolis, sive ultimis temporibus post Prophetarum & Apostolorum excessum; quod possumus nominare tertium verbi non scripti momentum. Sed Pontificii perperam hic obtrudunt propagationem traditionis Propheticæ, quæ fit Prophetis & Apostolis deficientibus, parem cum propagatione illa, quæ fiebat olim ante Diluvium continuata à Deo Prophetarum successione: nequaquam enim illa huic ἰσότιμος. Atque sic confundunt Humanas Traditiones cum Divinis, in tertio hoc verbi non scripti momento.

XVIII. Ex Præcognitis istis quinque ut recte formetur Status controversiæ, oportet subjectum quæstionis complectatur tria priora. Esto

ergo hoc *Canon Theologiæ Verbum Dei*. Prædicatum autem complectatur duo reliqua, atque hoc esto *Scriptura Sacra, ac Verbum Dei non scriptum*. Quæritur enim, an illud Dei Verbum, quod Theologiæ Canon est, hodie habeamus Ecclesiæ traditum in sola Scriptura S. absque alia Traditione non scripta.

XIX. Hæc controversia in istac Thesi intercedit Orthodoxis & cum *Swenckfeldio & Libertinis*, & cum *Pontificiis*: quamvis in Hypothesi de Verbo Dei non scripto *Pontificii* non habeant consentientes *Swenckfeldium & Libertinos*. Hi enim nequequam agnoscunt ut Verbum Dei ἄγραφον Traditiones illas, sed eo loco habent tantum privatas, quas sibi fingunt, divinas inspirationes. Hoc divortio sententiarum non obstante, inter utrosque consensus est in Thesi saltem illa, qua Verbum Dei collocatur partim in Scriptura S. partim extra illam. Quin in ipsa Hypothesi, non unus est *Pontificiorum* cum *Swenckfeldio & Libertinis* syncretismus; & in convitiis ac scommatis contra Scripturam sacram, & in definitione Verbi non scripti quatenus inspiratur cordibus. De quo gemino Pontificiorum cum *Swenckfeldio & Enthusiastis* syncretismo, agemus, cum bono Deo, Disputatione sequenti.

DISPUTATIO SECUNDA

IN QUA

Papistarum & Enthusiastarum Discordia concors, de Verbo Non Scripto Interno.

1640. VII. Martii.

POst Controversiæ de Canone Theologiæ Præcognita, prima Disputatione exposita, ac formatum Controversiæ statum, flagitat præsens Disputatio, ut antequam tangamus Traditiones non Scriptas (quas pro verbo Dei non scripto obtrudunt Pontificii soli) demonstremus quod dicere cœpimus de *Pontificiorum & Enthusiastarum Discordia Concorde*. Cujus demonstrationis nostræ hæc erunt capita I Utrisque & Pontificiis & Enthusiastis convenire de Verbo non Scripto in quæstione *an sit & quid sit*: videlicet esse Verbum non Scriptum, magisterium Spiritus intus loquentis & docentis sapientiam altiorem quam quæ Scripturis Sacris continetur. II. Consequenter à Pontificiis contra Enthusiastas προφάσει tantum disputari pro Scriptura sacra tanquam certa & stabili regula Fidei. III. Revera inter Pontificios & Enthusiastas hoc tantum esse controversum, *quorum sit* Verbum non Scriptum, seu penes quos inveniatur; an penes Ecclesiam repræsentativam tantum, an penes quosvis etiam Idiotas.

II. Pri-

II. Primum caput, de Magisterio Spiritus intus loquentis & docentis sapientiam altiorem, quam quæ Scripturis Sacris continetur, quoad *Enthusiastas* seu *Libertinos*, *Swencfeldium* aliosque, in confesso est. Censent enim Scripturam sacram esse tantum quasi lac parvulorum, à quo ablactandi sint grandiores & adultiores, qui in cœtum quodammodo Angelorum admissi ab ipso fonte veritatis per se sapientiam hauriant, atque sic Scripturas missas faciant, tanquam sibi non amplius necessarias nec utiles. Atque hic est scilicet commentarius, quo tuentur sequentia in Scripturam S. convitia & scommata, quæ Paradoxorum titulo palliat *Sebastianus Francus in Procemio Paradoxorum* CCLXXX. *Litera Scripturæ Antichristi gladius, occidit Christum: Scriptura sine luce vita & interprete Spiritus, obscura lucerna & occidens litera: Hæreses & sectæ ex litera Scripturæ: Scriptura liber septem signaculis clausus, obsignatumque ænigma: Vagina non gladius Spiritus, Silenus Alcibiadis.*

III. Pontificios quod attinet, *Melchior Canus* & *Petrus à Soto*, quorum uterque pars fuit Concilii Tridentini, hic γυμνῇ κεφαλῇ idem tuentur magisterium sapientiæ altioris, quod Enthusiastæ. *Indignum erat*, inquit Canus, *ut tota Euangelii doctrina quæ lex est Spiritus & vitæ mortuis ubique literis committeretur: nec ulla ex parte committeretur cordibus.* Et mox; *Servorum & rudium est omnia ex præscripto agere; Judæorum ergo scripta hæc Lex &c. At filii perfecti jam viri & in libertatem gratiæ vocati habent legem insculptam in cordibus &c. De locis Theol. lib.* III. *fund.* 4. *Petrus à Soto* similiter; *Illud statuatur ut certissimum, quod hoc scribendi divina verba atque revelationis consilium ob imperfectionem & infirmitatem humanam est excogitatum à Deo, atque infirmioribus & imperfectioribus magis expediens, sanctioribus vero, & purioribus aut minus aut nullo modo necessarium. Defens. Cathol. Fid. contra Confess. Wirteberg. Cap.* XXXVI. Concinit *Costerus* Jesuita. *Quærenda est*, inquit, *alia Scriptura, quam manu sua Christus exaravit, scribens digito Dei in corde Ecclesiæ. Enchir. pag.* 43. Nec aliud videtur voluisse ipse *Bellarminus*, quando affirmat, *non esse Scripturam necessariam, de Verbo Dei lib.* IV. *cap.* 4. item, *Scripturam non esse factam præcipue ut sit Regula Fidei. lib.* IV. *cap.* 12.

IV. Ab ista Magisterii Scripturæ, infra Magisterium Spiritus intus loquentis in cordibus, depreciatione enata quoque Pontificiorum convitia & scommata in Scripturam S. scommatis Enthusiastarum gemina, quę operę precium erit αὐτολεξεὶ adscribere propter querelam istam *Bellarmini*, à qua tractationem controversiæ de Verbo Dei auspicatur. Quod *Martinus Lutherus & Johannes Calvinus, & quotquot sectatores & discipuli eorum sunt, Swencfeldii & Libertinorum errorem Romano Pontifici totique Catholicæ Ecclesiæ impudentissimo mendacio adscribere non vereantur.* C. 1. Libuit *Bellarmino*, ex *Calvini* tantum *Instructione adversus Anabaptistas*, excerpere hæc verba: *nec enim Papistarum more dicimus sacrosanctas Scripturas missas fieri oportere ut auctoritati hominum acquiescamus; hoc enim effugium censemus blasphemiam execrabilem esse.* Debuerat ex *Instructione adversus Libertinos cap.* IX. ex qua descripsit quæ de Libertinorum historia narrat, descripsisse, quæ ibidem *Calvinus*

dixit explicatius, de Papistarum cum Libertinis discordia Concorde: quod *utraque secta commune habeat, ut Scripturam in allegorias transforment, & sapientiam meliorem ac perfectiorem affectent, quam quæ illâ continetur: quod utrique communi consensu hanc Pauli sententiam obtendant, Literam occidere* 2 *Cor.* III. 6. Quod *formam novam introducere volunt, qua Scriptura Nasus, quod vulgo ajunt, cereus fiat, aut instar pilæ sursum deorsumque agitetur &c.*

V. Liberant *Calvini* fidem, & *Bellarmini* impudentiam arguunt sequentia Papistarum in Scripturam S. pudenda convitia.

Posteri (inquit Quintinus Heduus) *grata sane & pereleganti metaphora Scripturam vocarunt ceream, ejusque nasum cereum dixere, quia possit ad libitum quocunque flecti. Tam facile est enim imo facilius est ad res profanas & impias probandas detorquere sacram Scripturam, quam facile ex pedibus ac semipedibus aut penthemimeribus Virgilianis epithalamia seu quidvis aliud in unum congerere.* Hæc adoptat & laudat *Pamelius in Tertull. de Præscript. Adnot.* CCXXXVII.

Vetus est proverbium S. Scripturam cereum habere nasum, quem suo quisque arbitratu possit inflectere: ita ut non modo diversa, verum etiam pugnantia dogmata per eam statui defendique à contentiosis & hæreticis soleant. Nec est quod ambigas. Martinus Cromerus libello de falsa Luther. relig. pag. 48.

Apud rudem populum facile est S. Scripturam (quæ velut Nasus cereus est) in quamvis interpretationem flectere. Jesuitæ Colonienses in Censura Catechi Monhemii. pag. 117.

Ex sola Scriptura super quæstionibus controversis judicium & sententia exspectari non potest, cum de ejus intellectu plerumque controvertatur, & se trahi sinat, ut S. Clemens, ad sententiam plerumque repugnantem. Nec tamen reclamat, sed quasi muta silet & injuriam sustinet patienter. Ruard. Tapper. Orat. Theol. III.

Sunt Scripturæ veluti plumbea quædam Lesbiæ ædificationis regula, quæ ad sensum quem quis ante secum præsumpserit accommodari se facile patiuntur. Alb. Phigius lib. 1. cap. 2.

Scripturæ plurimum frequenter obscuritatis habent & horsum illorsumque velut cereus nasus aliquis trahi se accommodarique in diversam & ad eam quam quis secum ante præsumpsit sententiam, callida cautaque expositione etiam facile eludi permittunt. Idem in Indice argumentorum lib. 1. cap. 4.

Scripturæ quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt, sunt litera mortua scripta atramento in membrana vel charta, quam si quis vel truncare velit vel torquere vel pravis expositionibus corrumpere, nihil sentiat. Sunt instar vaginæ quæ quemlibet gladium admittit non modo chalybeum, sed etiam plumbeum, ligneum, æreum, patiuntur enim se quavis interpretatione trahi. Costerus in Enchir. pag. 44.

VI. De istis & similibus nimis diluta est Apologia Jesuitæ *Gordonii Huntlæi Controvers.* 1 *de Verbo Dei cap.* III. §. 3, *Hæc dici de sola nuda & mortua litera; quæ vero sensu caret imo de ea litera cui addunt hæretici suum perversum sensum. Neminem autem hæc tribuere literæ vivæ, quæ conjunctum habet verum & genuinum sensum, quæ sola,* inquit, *est vere & proprium verbum Dei.* Quia neque orthodoxi ita carent communi sensu ut unquam soli nudæ literæ,

quæ

quæ vero sensu caret, asseruerint Auctoritatem Canonicam, neque Pontificii peccarunt tam crassa ignoratione Elenchi ut putarint Orthodoxos id velle. Ac jugulatur hoc *Huntlæi* effugium, per assertionem *Melchioris Cani* istam, *Scriptum Verbum si vere ac proprie*, inquit, *loqui velimus non est Verbum. De locis Theol. lib* III. *fund* 4. Scriptum Verbum non potest definiri nuda & sola litera quæ vero sensu caret. Interim accipimus lubentes quod *Huntlæo* vis veritatis expressit contra *Canum*, literam vivam quæ conjunctum habet verum & genuinum sensum (quæ est ipsissimum Scriptum Verbum) solam esse vere & proprie Verbum Dei.

VII. Confirmandum porro quod à nobis dictum de affectatione sapientiæ melioris & perfectioris, quam quæ Scriptura S. continetur, Pontificios cum Enthusiastis paria facere. Audivimus *Canum*: audiendus jam *Petrus à Soto in Defensione Catholicæ Fidei contra Confessionem Wirtebergensem cap* XXXVIII. Ubi facit *Verborum Dei quatuor quosdam gradus veluti genera ejus.* I *Verbum æternum immensum & incomprehensibile, de quo Johannes; In principio erat Verbum.* II. *Verbum Dei in cordibus, seu revelationes Prophetarum cordibus à Deo infusæ.* III. *Prædicatio Prophetica & Apostolica.* IV. *Scriptura divina.* Secundum tertium & quartum, gradus facit *totidem Verbi æterni quasi participationes quasdam & velut semina, quæ cum mentes nostræ suscipiunt, atque cogitationes suas & affectus illis subjiciunt, non aliter se habent ad Deum, quam Discipuli ad Magistrum, & quodammodo Deificantur. Et hoc quidem*, inquit, *pro gradu & puritate cujusque.* De puritatis autem illius gradibus sic censet. *Cap.* XXXVI. *Multo purius & integrius Dei cognitionem aut solo Verbo, aut certe interiori tantum revelatione hominibus participari. Et sane*, inquit, *quo divina nobis purgatiora & ut ita dicam ab omni similitudine atque ab omni re corporea magis separata traduntur, signum est purgatioris animi divinarumque rerum capacioris, & illa multo perfectius agnoscuntur.* Iterum *Cap.* XXXVII. *Tanto Verbum Dei dignius à Deo tradi, quanto remotius ab omni Scriptura, imo etiam ab omni vocali verbo; quando scilicet sola divina revelatione sine ulla imagine & phantasmate ab eo infunditur cordibus.* Iterum *Cap.* XXXVIII. quartum & *ultimum gradum merito* post prædicationes Propheticas *tenere* Scripturam divinam, *quia* scilicet *Scripta Voces ipsas significant.*

VIII. Censura nostra in istam Assertionem Enthusiasto-Papisticam hæc est. I. Monstrosum est quod inter Verborum Dei gradus & genera, in ordinem cogitur Verbum Æternum Filius λόγος: qui omnis Verbi Dei quod Canonem Theologiæ constituit auctor est, cui proinde non convenit proprie loquendo nomen Canonis sed tantum per prosopopœiam. Vide *Disp. nostram* I. *Thes* 8. & 9. II. Monstrosa quoque est illa, quam pro tertio gradu Verbi Dei obtrudit, Participatio Æterni Verbi, quæ perficitur, sine ulla imagine & phantasmate, mentium nostrarum quadam Deificatione. Hoc est ipsissimum illud, quod Enthusiastæ urgent, magisterium Dei nos docentis absque Canone ullo, norma, aut Lege seu τύπῳ διδαχῆς: quod expressit *Seb. Francus Paraphr, Theol. Germ. Cap.* XXVIII. hac descriptione Justi & Sancti Exlegis, quod sit *supra omnem legem, virtutem;*

tem, præscriptum, ordinem, observationem evectus, etiam supra omnem creaturam & externa quoque omnia opera, verba, paræneses, Doctores, libros eorum sublimatus, nihil sciat aut agnoscat jam quam quod in ipso, nisi Deum in cordu sui templo & regno Sacerdotem & Regem unicum, omnia præscientem, loquentem, patientem, tacentem, docentem, agentem. III. Abique illa monstrosa mentium Deificatione, sane intellectæ revelationes Prophetarum cordibus à Deo infusæ, sunt quidem Verbum Dei factum ad Prophetas, sed quod necdum est Canon publicus Ecclesiæ, sed privatus tantum Prophetæ prædicaturi. Vide *Disp. I. Thes.* XV & XVI.

IX. IV. Duos illos gradus Verbi reliquos, Prædicationes Propheticas & Scripturam divinam, olim fuisse Theologiæ Canonem nemo negat. Hodie utramque urgere, cum commendatione ascensionis istius à Scriptura, ut quæ tenet locum ultimum, per gradum superiorem Prædicationis Propheticæ, ad gradum tertium revelationis infusæ absque Scriptura aut Verbo, & denique ad Verbum ipsum Æterni Patris, est ponere hoc πρῶτον ψεῦδος, hodie quoque non deesse Homines θεοπνεύστους divinitus inspiratos, qui pari loco sint habendi cum Veteribus Prophetis & Apostolis. V. Depressio & depreciatio ista Scripturæ divinæ in locum & gradum infimum, cum illa Ascensionis illius commendatione, quâ ad gradus altiores contenditur, revera habet hoc mysterium iniquitatis, *Scripturas missas fieri oportere, ut auctoritati hominum acquiescamus*: ut merito *Calvinus* Papistis hic imputet *blasphemiam execrabilem*.

X. Consequitur ergo manifeste alterum caput Demonstrationis propositæ, à Papistis contra *Enthusiastas & Libertinos, Swenckfeldium* aliosque pro Scriptura tanquam certa & stabili regula Fidei, disputari minime serio sed προφάσει tantum. Quod magis evidens erit si animum advertas quomodo & prævaricentur Pontificii in vindicatione loci Paulini 2 *Cor.* III. ab Enthusiastarum detorsione; & argumenta Enthusiastis suppeditent pro altioris Sapientiæ magisterio, quam est in Scripturis.

XI. Enthusiastarum Achilles est male arreptus *locus Pauli* 2 *Cor.* III. ex quo illorum objectionem his verbis proponit *Bellarminus. Lib.* I. *Cap.* 3. *Apostolus, inquiunt, disertis verbis literam à Spiritu distinguit; & illam ad Testamentum Vetus aperte rejicit, quam etiam occidentem vocat, hunc autem Novi Testamenti proprium esse confirmat, & vivificantem nominat. Idoneos inquit* 2 *Cor.* III. *nos fecit ministros Novi Testamenti non literæ sed Spiritus: Litera enim occidit Spiritus autem vivificat. Igitur quemadmodum Vetus Testamentum Judæorum est, & nihil ad homines Christianos pertinet: ita nec Scripturæ divinæ, quæ nihil aliud quam literæ sunt, ad Christianos homines pertinebunt.* Quidquid hic Enthusiastis respondet *Bellarminus*, gratis respondet, donec Anathema dixerit omnibus istis quæ jam audivimus *Papistarum* scommatis in Scripturam S. quæ synonyma sunt huic Enthusiastarum objectioni: nominatim autem *Melchiori Cano*, qui loco à nobis jam indicato Thes. III. cum Enthusiastis conspirat, tantum non αὐτολεξεί; *Judæorum ergo*, inquit, *sit scripta hæc lex &c.* Item *Eckio* & *Caranzæ*, quorum uterque asseruit, *Euangelium non esse*

Scripturam

Scripturam,& in hoc differre legem Veterem à Nova, quod illa constet Scripturis, hæc autem non: *atque hoc confirmari Jer.* XXXI. *& Heb.* VIII. *& 2 Cor.* III. 3.

XII. Observamus autem neque de ipsa loci *2 Cor.* III. 3. sententia convenire *Bellarmino* cum Jesuita *Huntlæo*, Huntlæus enim in Apologia pro Papistarum scommatis contra Scripturam S. parallelum scommatis illis facit locum illum Pauli, adhibita hac glossa, quod ut Papistæ ita Paulus loquatur *de sola Scripturæ litera, quæ mortua est & vero sensu caret.* Bellarminus *Paulum negat per literam occidentem Sacram Scripturam intelligere voluisse; neque per Spiritum vivificantem internam Spiritus alloquutionem*; *Neque*, inquit, *aliud sunt Paulo litera & Spiritus quam Johanni Lex & Gratia. Joh.* I.

XIII. Nostra ἀπόκρισις de loco Pauli & parallelis hæc est: cum *Bellarmino* negamus quidem, in loco Pauli oppositionem esse inter Scripturam S. & internam Spiritus S. alloquutionem, quasi hæc illam perimat in Euangelio. Sed nolimus negare extra illam oppositionem Paulum per literam intellexisse Scripturam: verum observamus non dixisse Paulum literam *mortuam*, sed *occidentem*. Aliena itaque est à verbis & mente Apostoli Litera Scripturæ mortua, & vero sensu carens, quam *Seb. Francus* vocat *Vaginam non gladium Spiritus*, *Costerus* Jesuita *Vaginam quæ quemlibet gladium admittit.* Vagina certe non occidit, sed Verbum Dei gladius Spiritualis. Occidentem ergo literam vocavit Paulus Scriptam in Sacra Scriptura Legem: quæ, quamvis occidat non vivificet, ipsa tamen viva est, neque quod occidat illi imputandum per se, sed per accidens propter peccatum.

XIV. Enthusiastis argumentum istud suppeditant Papistæ, quod ex *Cano* & *P. a Soto* jam audivimus, Verbum Dei tanto dignius à Deo tradi, quanto remotius ab omni Scriptura, atque ea propter indignum fuisse ut tota Euangelii doctrina literis committeretur. Sed ficulneum hoc est; quia cum aliam Theologiam non spectemus in Controversia præsenti quam *Theologiam Viatorum*, omnino Traditio Verbi Dei tanto dignior æstimari & majori in precio haberi debet, non quanto magis analoga est majestati divinæ, sed contra quanto in illa major est συγκατάβασις seu condescensio Dei succurrentis nostræ imbecillitati & fragilitati, qui *per Fidem incedimus non per aspectum 2 Cor.* V. 7.

XV. III. Jam nemini ambiguum esse potest, quin hoc sit unicum caput inter *Pontificios & Enthusiastas* controversum: quod, ut diximus, Pontificii Verbum ἄγραφον *Scripturam in corde* asserant soli Ecclesiæ repræsentativæ, Enthusiastæ vero idem largiantur etiam quibusvis idiotis. Præter *Costerum* in verbis quæ citavimus *Thesi* III. *prodit* hoc *Hosius Episcopus Warmiensis*, *Concilii Tridentini Præses*, *Contra Brentium Lib.* III. *Edit. Antverp.* 1561. *fol.* 126. verbis istis; *Qui non sequitur hac in re Spiritum suum, quod faciunt insipientes Prophetæ, sed Ecclesiæ Spiritum sequitur.* De privato itaque cujusque idiotæ Spiritu, non de Spiritu Ecclesiæ intelligendus *Bellarminus Lib.* I. *Cap.* 2. in verbis istis; *Cum Sacra Scriptura regula credendi certissima tutissimaque sit, sanus profecto non erit qui ea neglecta Spiritus interni sæpe fallacis & semper incerti judicio se commiserit.* Nos suo loco etiam illius, quem Pontificii ja-

ctant

ctant, Spiritus Ecclesiæ interni judicium ſæpe fallax, ſemper incertum eſſe demonſtrabimus: interim accipimus lubentes hoc Scripturæ Sacræ encomium, quod *Bellarmino* expreſſit vis veritatis, illam eſſe *Regulam credendi, certiſſimam tutiſſimamque*: quod ut à zelo pio Scripturæ profectum accipere, vetat *Bellarminus* ipſe, alibi pronuncians tantum non αὐτολεξεὶ pariter αὐτόπιστοι eſſe cum Scriptura *Alcoranum Mahometi. De Verbo Dei. Lib.* I V. *cap.* 4.

XVI. Supereſt ad ſcopum præſentis diſputationis, ut ab illo quem *Pontificiis* imputamus ſyncretiſmo cum *Enthuſiaſtis*, liberemus ac vindicemus (maximè adverſus *Remonſtrantium* calumnias) Orthodoxam ſententiam de Fide qua Scripturis creditur, ex interno Spiritus S. teſtimonio, quæ quid ſit enucleatius dicendum. Ac primo quidem cenſemus, non omnino abſolute eandem eſſe *Fidem* hanc *qua Scripturis creditur* & *Fidem ſalvificam*; quamvis fateamur illam hac ſuperveniente altius radicari, adeoque non alienum eſſe, ut quod de Fide illa qua Scripturis creditur docendum eſt, doceatur, ut fit, in titulo de Fide ſalvifica, quæ eſt Fidei quaſi primum Analogatum.

XVII. Eſt autem nobis Fides qua Scripturis creditur diſtincte loquendo, convictio mentis & conſcientiæ, qua agnoſcitur Scripturæ Sacræ divina auctoritas nos obligans ad obſequium & obedientiam intellectus & voluntatis; de qua Fide Paulus teſtimonium perhibebat Regi Agrippæ, dicens, *credis Rex Agrippa Prophetis? ſcio te credere. Act* XXVI. 27.

XVIII. In Convictione illa conſcientiæ intercedit inter Canonem Scripturarum, & Fidei qua Scripturis creditur Apoteleſma, & Suaſio externa, & Perſuaſio. Suaſio externa ſita eſt vel in diſpenſatione illa Verbi ſcripti, qua Doctores in Eccleſia ex officio ſe commendant *manifeſtatione veritatis ad omnem conſcientiam 2 Cor* IV. 2. vel in ponderatione argumentorum quæ pro Scripturæ auctoritate ipſa ſubminiſtrat ſtudioſo & attento lectori. Perſuaſio interna fit per teſtimonium Spiritus S. teſtificantis cum Spiritu noſtro, & obſignantis veritatem & αὐθεντείαν Scripturarum.

XIX. Ante Perſuaſionem illam internam auditor & lector Verbi ſcripti utitur in Scripturarum examine Judicio diſcretionis, adhibens etiam principia rationis & κοινὰς ἐννοίας, quibus ſtantibus etiamſi ex illis non poſſit demonſtrari veritas myſteriorum quæ Theologiæ Supernaturalis Objectum proprium ſpectant, attamen Scripturarum veritas, illa ſaltem quæ facit ad revelationem ἐξωτερικὴν Objecti communis Theologiæ quod eſt Deus Unus Creator, Gubernator & Judex univerſi, non reliquit ſe ἀμάρτυρον abſque teſtimonio, in conſcientiis etiam Paganorum & Atheorum.

XX. Perſuaſionis autem internæ ἀποτέλεσμα illud, puta Fides qua Scripturis creditur, exiſtit per Spiritus S. illuminationem ſupervenientem in Scripturæ auditæ aut lectæ meditatione. Quam confirmant teſtimonia illa Scripturarum quæ quamvis κατ᾽ ἐξοχὴν & κυρίως, ſeu principaliter & potiſſimum ſpectent ſalvificam Fidem, ad illuminationem tamen πρόσκαιρον illorum

illorum quoque faciunt, qui absque salvifica Fide *gustarunt bonum Dei verbum*: *Heb.* VI. 4 5 6. Docent autem. I. Distincte, & apertionem Scripturarum antecedentem, & subsequentem apertionem mentis, ut Scripturæ intelligantur. *Luc.* XXIV. ℣. 32. 45 *& Act* XVI. 14. II. Internum Dei seu Spiritus testimonium, de Verbo Scripto ipsius Spiritus S. 1 *Joh.* V. 6. 10. *Joh.* III. 33. *cum* 2 *Cor.* I. 22. III. Unctionem per quam sumus θεοδίδακτοι 1 *Joh.* II. 26. 27. *cum Joh.* VI. 45. 1 *Thess.* IV. 9.

XXI. Internum hoc Spiritus S. testimonium generans in nobis Fidem, qua Scripturis credimus, (quamvis possimus quoque vocare *Scripturam in corde*) nihil tamen affine habet cum Enthusiasto-Papistica *Scriptura in corde*, quam Scripturæ ut *literæ mortuæ scriptæ atramento in membrana vel charta* opponunt & anteponunt. Quia nos testimonium internum Spiritus, cum ipsa Scriptura componimus, & unum facimus, spectata Doctrinæ hypothesi, atque censemus nihil esse aliud quam Verbi illius quod atramento in membrana vel charta exaratum est, vivum ἀντίγραφον à Spiritu S. cordi inscriptum: ac consequenter, quia idem est Spiritus eandem veritatem loquens & in Scriptura & in Corde, *nihil loquens à se ipso Joh.* XVI. 13. id est nihil privatim intus docens, quod non publice docet in Canone Scripturæ, hoc criterio explorari debere loquaturne intus in corde verus Dei Spiritus, an Spiritus deceptionis & mendacii.

XXII. Neque ullo pacto cum Enthusiasto-Papistica Scriptura in corde conciliari potest Scripturæ Sacræ à Spiritu S. in corde apographum: propter Hypothesin hanc, quod impossibile est ut privatum internum testimonium in animis singulorum, qui Scripturis credunt, sit Canon seu Regula Fidei & Religionis publica & communis docentium & discentium. Quamvis omnino censeamus cumulari (explorato consensu interni hujus testimonii, cum publico testimonio Scripturæ S.) obligationem ad Fidem & Fidei obedientiam: adeo ut gravius etiam peccetur, si eatur contra Scripturæ & Spiritus intus loquentis consensum, quam si quis nondum intus illuminatus soli externo Scripturæ testimonio non credat. Enimvero hoc pacto non minuitur sed cumulatur Scriptuæ S. Auctoritas Canonica, quæ sequentibus disputationibus afferetur, ac vindicabitur ejusdem αὐτάρκεια, seu Perfectio & Sufficientia, contra variam, quam *Pontificii* fingunt, *Traditionum non Scriptarum* necessitatem, quâ *propter*, quâ *præter* Scripturam.

COROLLARIUM.

A *Juello in Apologia Ecclesiæ Anglicanæ* adscribuntur *Hosio*, Concilii Tridentini Præsidi, verba hæc ex libello ipsius *de Expresso Dei Verbo*; *Nos ipsas Scripturas quarum tot jam non diversas modo, sed etiam contrarias interpretationes afferri videmus, facessere jubebimus, & Deum loquentem potius audiemus, quam ut ad egena ista elementa nos convertamus, & in illis salutem nostram constituamus. Non oportet Legis scripturæ peritum esse, sed à Deo doctum:*

vanus est labor qui Scripturis impenditur, Scriptura enim creatura est, & egenum quoddam elementum.

Hardingus contra *Juellum* pro *Hosio* respondet: *Hosium narrare ea quæ ineptæ hæreseos suæ defendendæ causa disputaret Swenckfeldius*: itaque prosopopœïam esse *Swenckfeldii* in verbis istis, quæ Juellus profert ut verba Hosii; *cum tamen*, inquit, *nec ab Hosio nec ab ullo unquam Catholico sed ab ipso duntaxat Swenckfeldio sint edita.* Mox idem Hardingus affirmat, *Nulli qui Hosii opera unquam viderit venire in mentem posse, ut ejus rei affinem eum esse judicet.*

Agnoscimus *Juelli*, & aliorum quos *Juellus* laudat, παρόραμα: *Hardingo* autem de Hosio responsum esto, supra id quod de aliis Pontificiis jam dictum satis. I. *Hosius* calculo suo confirmat sententiam *à Soto* de Scriptura S. quam vidimus esse ipsissimam Enthusiastarum sententiam. *Non credat*, inquit Hosius, *pius lector impio Brentio sic suam causam proponenti, quasi Petrus à Soto, vir pius, Catholicus & doctus secus aliquid de Majestate Scripturarum senserit, quam sentire virum Catholicum oporteret. Contra Brentium Lib.* III. *Edit. Anno* 1561. *fol* 125. *verso.* II. Adoptat idem *Hosius* Paradoxon illud impium, *Scripturas valere quantum fabulas Æsopi, si destituantur auctoritate Ecclesiæ*, verbis istis; *Et potuit illud tamen pio sensu dici, quem homo pius qui charitatem habet, quæ non cogitat malum, ex iis verbis eliceret. Nam revera, nisi nos Ecclesiæ doceret auctoritas, hanc Scripturam esse Canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet. fol.* 141. III. Cui non Enthusiasticæ impietati affinem esse judicabit, qui in *Hosii* operibus hæc legit de Davide Psalmographo [illegible] *Scripsit Psalmos aliquot, si quid Athanasio credimus, quinque tantum. Quidni scriberet? Ne nunc quidem Regi prohibetur aut Principi, quo minus aut rythmos aut Psalmos aut carmina scribat, quibus Dei laudes celebret. Scribimus indocti doctique poëmata passim.*

DISPUTATIO TERTIA
DE
S. Scripturæ Auctoritate Uniformiter Divina.
1640. XXIII. Martii.

PRogressuri in Controversia de Canone Theologiæ, duo agemus hac Disputatione. I. Quam Scripturæ S. asseruimus Divinitatem, (ut librorum Scripturæ Auctor dicendus sit solus Deus, Scriptores vero dicendi sint tantum Dei ministri & Actuarii *Disp. I. Thes.* XII. XIII XIV.) illam docebimus toti Scripturæ S. inesse uniformiter. II. Asseremus Divinitatis illius ab Auctore Deo consequens, Auctoritatem Canonicam, convenire in solidum & soli Scripturæ S. ut sic constet Scripturæ Auctoritas Uniformiter Divina.

II. Pri-

II. Primum Disputationis caput flagitat *Papistica μεθοδεία τῆς πλάνης*: quando, quod universum Scripturæ S. detrahere pudet, duabus saltem ejus portionibus detrahunt, ut tertiæ tantum portioni per ipsos liceat asserere veram Divinitatem, qua ab Auctore Deo Divina denominatur. *Omnes Epistolæ Apostolorum* (inquit *Bellarminus*) *dicuntur Divina & Apostolica scripta, etiamsi quædam in eis sint præcepta Divina, & quædam propriè Apostolica, ut patet ex illo 1 Cor. VII. Præcipio non ego sed Dominus: & postea, Dico ego, non Dominus.* Hæc διχοτομία seu bimembris in speciem partitio, aliâ *Traditionis Scriptæ* Apostolicæ, pariter ut *non Scriptæ*, subdivisione in *Apostolicam κυρίως* dictam & *Ecclesiasticam* evadit trimembris: ut scilicet non scripta Traditio habeat triplicem hanc differentiam, per quam partim *Divina* est, partim *Apostolica*, partim *Ecclesiastica. Bellarmin. de Verbo Dei. Libr. IV. cap. 2.*

III. Adoptavit hanc Papisticam Scripturæ S. differentiam *Seb. Castellio Dial. II. de Electione. Edit. Goudanæ. p. 813.* Ubi ille postquam se frustra fatigavit in Pauli doctrinâ concilianda cum suis hypothesibus, tandem nodum non solutum desperatè secat his verbis: *Se malle Jeremiæ credere quam Paulo, quia apud Jeremiam loquitur Deus ipse, cum Paulus loquatur ex sua persona. Quantum autem referat, utrum ipse ex sua persona an vero Dei mandato loquatur apparet ex ipsomet qui alicubi sic scribit; Conjugibus præcipio non ego sed Dominus: & paulo post; De Virginibus Domini præceptum non habeo sed consilium do 1 Cor. VII. 10 25. Vides ut nolit eandem suis verbis auctoritatem tribui quam Deo*; hactenus *Castellio*. Concinunt *Remonstrantium* primipili, *Poppius Augustæ portæ pag. 432. 433. Episcopius Disputatione publica de Auctoritate S. Scripturæ. 1612. Thes. XXV.* Idem in *Tractatu* vernacule edito 1639. *de Officio Magistratus pag. 34.* ubi alias facit *Leges* 1. *Quas Christus ipse condidit.* 2. Alias, *quas Christus per Spiritum S. Apostolis condendas indicavit.* 3. Alias denique, *quas condiderunt Apostoli consilio auctoritate & instinctu seu motu proprio.*

IV. Nos contra asserimus Scripturæ S. Divinitatem Uniformem & consequenter Auctoritatem Canonicam uniformiter divinam: quam Divinitatis Uniformitatem, accuratius docebunt sequentes Hypotheses, quarum prima esto. I. In Scriptura S. est Divina, ac consequenter veritatis infallibilis, atque αὐτόπιστος omnis quorumcunque dictorum aut factorum historia. Quamvis nec facta omnia trahi debeant ad imitationem, neque obligent ad Fidei obedientiam dicta omnium illorum qui loquentes introducuntur quamvis verè & piè loquuti.

Corollarium. Sermones amicorum Jobi non sunt pariter αὐτόπιστοι cum libro Jobi, quia etiam quæ in Thesi vera & pia sunt, notantur tamen divina censurâ de falsa hypothesi. *Job.* XLII. 7

V. II. Scriptoribus librorum sacrorum accenseri debent etiam illi sancti Dei homines, qui à Scriptoribus sacris introducuntur non proprio motu, sed ex Spiritus S. instinctu seu afflatu loquentes, puta Stephanus protomartyr, Johannes Baptista, pater Baptistæ Zacharias, Simeon, B. Virgo Maria, item Philippus Enuuchum, & Ananias Paulum docens *Luc.* I.

C 2 *Act.* VII.

Act. VII. VIII. & IX. Neque hic caret impietate quod de Stephano contra expressum illud elogium, quod *plenus esset Spiritu S.* *Act.* VII. 55. *Melchior Canus* non veretur excipere, quasi non aliter *in Stephano* loquutus sit Spiritus S. quam *in Ambrosio:* ut Stephanum excludat à *Privilegio* illo quod agnoscit in *omnibus Scriptoribus sacris*, *quod nullus eorum in docendo errare quin neque memoria labi potuerit. Locorum Theol. Lib.* II. *Cap.* 28.

VI. III. In Scripturam S. nullam infert Divinitatis depreciationem, neque consequenter ullam Auctoritatis difformitatem, dispar Scribentium axioma, sive illi fuerint Apostoli, sive Apostolis inferiores Euangelistæ, aliive sancti Dei homines. Quia quos non invenit pares, facit in hoc negotio pares Divina inspiratio illa qua acti scripserunt. 2 *Pet.* I. 21.

VII. IV. Nullam quoque Difformitatem Auctoritatis facit Differentia illa, quod vel immediate in Scriptura S. loquens Deus audiatur, vel mediate loquens per os *Prophetarum*; aut similiter vel suo ore loquutus Christus, vel in Apostolis loquens Spiritus Christi: quia uniformiter *Scriptura tota est divinitus inspirata*, πᾶσα θεόπνευστος. 2 *Tim.* III. 16.

VIII. V. Neque variat Scripturæ S. Auctoritatem, aut difformem illam facit multiformis divinæ παιδείας τρόπος, quo πολυτρόπως se Scriptura animis insinuat. V. G. sive loquatur in modo Imperativo, sive in modo Optativo, sive ut Legislator, sive ut hortator & monitor, consilium dans in conscientiæ casibus. Quapropter non habent reverenter Scripturam S. qui V. G. in Veteri Testamento nihil videntur accipere pro mandato aut præcepto Legislatoris, quod non conceptis verbis in Lege Mosis extat. V. G. Gnomas & *Sententias* Salomonis *de vitandis consortiis impiorum* Vir magni nominis dicit *Prudentiæ tantum Monita* esse; *non Legis præcepta*, *Lib.* II. *de Jure Belli & Pacis Cap.* XV. §. 9.

IX. VI. Ex Uniformi divinitate, Auctoritas Uniformiter divina *similariter* inest in singulis Scripturæ S. libris & librorum tmematis, quatenus spectat Fidem Historicam, qua quivis lector Scripturæ S. quovis tempore, quovis loco tenetur Scripturæ S. acquiescere & συνευδοκεῖν, ut quæ nusquam non ex Deo loquatur veritatem Divinam.

X. VII. Auctoritas autem Uniformiter divina *dissimilariter* inest in Scriptura S. quatenus spectat Theologiæ ideam, quæ non in solidum inest in singulis vel libris vel librorum tmematis, sed in librorum Canonicorum integro syntagmate. Deinde πολύτροπος seu difformis & varia est, in librorum sacrorum Syntagmate, Theologiæ Legalis & Euangelicæ, atque hujus rursum vel Mosaicæ vel Christianæ, idea. Unde fit ut jam Lex scripta de sacrificiis aliisque ritibus per mortem Christi antiquatis, non tangat Christianorum Religionem: quamvis lecta & audita non caret usu piæ meditationis de Christianâ libertate, atque ea propter reverenter quoque habenda.

XI. His suppositis restat in primo hujus disputationis capite vindicandus male arreptus locus Pauli 1 *Cor.* VII. per genuinam interpretationem verborum istorum *versu* 10. παραγγέλλω οὐκ ἐγὼ ἀλλ' ὁ κύριος & rursum *vers.* 12.

ἐγὼ

ἐγὼ λέγω οὐχ ὁ κύριος. Priora quidem ista hoc significant, in casu priori de divortio inter conjugatos vitando, non opus esse decisione Apostolica, cum super eo extet decisio ipsius Domini Jesu, qui consultus respondet *Matth*. v. 32. xix 9. *Marc*. x. 11. *Luc*. xvi. 18. q. d. Non est quod ego dicam, dominus Jesus dixit.

XII. Verba autem posteriora significant, posteriorem casum, quem non decideràt Dominus Jesus, se jam decidere auctoritate Apostolica per Spiritum Jesu. Exserte enim, ne quis suam γνώμην depreciet aut deprimat infra Verbum Dei aut Christi, dixit γνώμην δίδωμι ὡς ἠλεημένος ὑπὸ κυρίου πιστὸς εἶναι *versu* 25. quæ verba exprimere vocationis Apostolicæ axioma evincit locus parallelus 1 *Tim*. I. 12. ὅτι πιστόν με ἡγήσατο θέμενος εἰς διακονίαν. Observamus obiter utrobique vocem πιστὸς exprimere Hebræam נאמן, qua Mosi & Samueli olim adscripta est præfectura illa, qua Deus utrumque cum fiducià præfecerat populo suo *Num*. xii. 7. *cum Hebr*. iii. 1 *Sam*. iii 20. quam comitabatur ipsorum fidelitas in muneris functione. Accedit quod Apostolus *versu* 40. exserte suam γνώμην vindicat Spiritui sancto.

XIII. Neque in contrarium aliquid efficitur ex verbis illis *versu* 25. *præceptum non habeo sed Consilium do*: quia nequaquam intellexit Paulus Præceptum de scribendo vel non scribendo, sed Præceptum de nubendo vel non nubendo, quod scilicet virgines universaliter obliget ut nubant aut ut innuptæ omnes maneant; affirmat itaque se habere Consilium virginibus salutare, quo se ipsas explorent, ac cognoscant quid secundum Deum singulis fas aut nefas sit. Atque eo pacto γνώμη seu Consilium illud finaliter resolvitur in divinum mandatum, quod posita singulari hypothesi singulas obliget ad alterutrum; quemadmodum expressum est mandatum ut *junior vidua*, quæ continentiæ donum non habet, *nubat*. 1 *Tim*. v. 14.

XIV. Stabilita jam & vindicata Uniformitate Auctoritatis Canonicæ, quam credimus inesse Scripturæ S. superest, ut Auctoritatem illam omnem asseramus & vindicemus Scripturæ soli in solidum; ut neque extra Scripturam Historiæ ulli credamus Fide divina, neque ullis non scriptis Traditionibus mancipemus Fidem aut Fidei odedientiam sub spe Vitæ æternæ. Quod conficiemus in præsenti disputatione, proposita Confirmatione per duas divinorum testimoniorum Classes, confutaturi *Pontificiorum* exceptiones Disputationibus sequentibus.

XV. Classis testimoniorum prior illa est quæ docet Scripturam S. esse Legem Dei juxta quam fit *informatio scientiæ & veritatis Rom*. ii. 17. 18. 20. τύπον διδαχῆς, h. e. *Formulam* seu Normam *doctrinæ*, cui credentes ex corde obediunt. *Rom*. vi. 17. Quæ quidem Lex & Norma vim Directivam habet tam accuratam, ut sit instar seu Viæ seu Regulæ à qua nefas est deflectere sive ad dextram sive ad sinistram *Deut*. v. 32. xxvii. 10. xxviii. 14. *Jos*. i. 7. xxiii. 6. Et quæ divinitus destinata est ad directionem Ecclesiæ, non præsentis tantum, sed & futuræ *Es*. xxx. 8. 2 *Pet*. i. 13. 15. & iii. 1. 2. Adeo ut consolationes & exhortationes quibus olim Deus loquutus est Patribus in Scriptura Veteris Testamenti, Apostolus asserat di-

ctas & scriptas illis qui vivebant Apostolorum temporibus. *Heb.* XII. 5. *&* XIII. 5. Ac affirmet universim, *quæ ante scripta sunt ad nostram doctrinam scripta esse, ut per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus Rom.* XV. 4. Quemadmodum quæ ipse uni Corinthiorum Ecclesiæ scripsit, affirmat se scripsisse *omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in quovis loco.* 1 *Cor.* I. 2. Ac Christus ipse in singulis Epistolis Apocalypticis, quæ uni è septem Ecclesiis Asiaticis inscribuntur, monet à Spiritu dici ταῖς ἐκκλησίαις. *Apoc.* II. 7. 11. 17. 29. *&* III. 6. 13. 22.

XVI. Ad hanc ipsam testimoniorum Classem facit expressum *Perfectionis* elogium. *Lex Domini perfecta convertens animas. Ps.* XIX. 8. Cujus Perfectionis amplior demonstratio se offert, quando Apostolus Timotheo commendat illam Scripturæ S. *sufficientiam*, quod non tantum possit σοφίσαι εἰς σωτηρίαν salvandos, h. e. *sapientes reddere ad salutem per fidem, quæ est in Jesu Christo*, sed *utilis* sit *ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem quæ est in justitia, ut perfectus sit*; τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος *Vir Dei*, h. e. Propheta, Doctor Theologus, איש האלהים, *ad omne opus bonum* ἐξηρτισμένος *perfecte instructus.* 2 *Tim.* III. 15. 16. 17.

XVII. *Perfectionis* hoc & *Sufficientiæ* elogium munit severa prohibitio divina, cum maledictionis & Anathematis denunciatione, qua vetamur Scripturis aliquid addere vel detrahere. *Deut* IV. 2. *&* XII. 32. *Josua* I. 7. *Prov* XXX. 6. *Gal.* I. 8. 9. *& Apoc.* XXII. 18. 19.

XVIII. Altera Classis testimoniorum quibus soli Scripturæ S. in solidum asseritur Auctoritas Canonica, illa est, quæ Scripturam S. commendat ad quamvis conscientiam. I. *Perspicuitate* & Lumine Sapientiæ, necessario ad accuratissimam boni à malo, veri à falso, discretionem in Casibus religiosis. II. *A* Testificationis *certitudine infallibili* I. *Perspicuitatem* docet. I. Metaphorica *Lucernæ & Luminis* appellatio, quæ dicitur quasi facem præferre pedibus & semitis fidelium, eique esse diligenter attendendum, ne in via vitæ instituendæ ex veræ religionis præscripto aberremus ab officio: quemadmodum noctu ne ruamus in præcipitia solemus uti lucerna & lumine unde nobis ostenditur via recta & tuta *Ps* XIX. 9. CXIX. 105. 2 *Pet.* I. 19. II. Deinde eandem Perspicuitatem docet & explicat *Sapientiæ* nomenclatura attributa Scripturæ S. thesauro, qua prædicantur olim Gentibus beatiores Judæi. *Deut.* IV 6. Quod, teste Apostolo, per Sapientiam istam & intelligentiam Scripturæ nossent Dei voluntatem & possent δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα *dijudicare controversa. Rom.* II. 17. 18.

XIX. II. Testificationis *Certitudinem Infallibilem* commendatam habemus hoc elogio, quod sit *Testimonium Domini Fidele* (h. e. cui tuto inniti possit conscientia, absque ullo deceptionis aut seductionis periculo) & quod Sapientiam præstet etiam illis qui פתי/ & פתאים/ appellatione designantur ut *simpliciores*, qui facile possent seduci propter judicii imbecillitatem. *Psal.* XIX. 8. & *Ps.* CXIX. 130. Adeo ut erroris & seductionis in Religione vera causa sit ignoratio Scripturarum. *Matth.* XXII. 29.

XX. Elo-

XX. Elogium illud munitum porro est expresso Dei mandato, quo illi etiam homines, qui in rebus obscurioribus & incertis oraculum quærunt, & qui eo fine solent recurrere ad Pythones, Divinos, & Incantatores, aut ad mortuorum apparitiones, ablegantur ad Legem & ad testimonium Scripturæ; cum interminatione, fore ut extra Scripturam nullam habeant lucem veritatis, nec veram fidem. *Esai.* VIII. 20. *Luc.* XVI. 29.

XXI. Accedit. I. Praxis Veteris Ecclesiæ Judaicæ, dijudicantis ex Mosis mandato controversias exortas juxta Legem Scriptam *Deut.* XVII. II. Exemplum Johannis Baptistæ, suam Legationem confirmantis Scripturæ testimonio *Joh.* I. III. Exemplum Christi ipsius, suam doctrinam & munus suum confirmantis ex Scripturis, cum provocatione ad Scripturarum scrutationem *Luc.* IV. *Marc.* XII. *Joh.* V. IV. Praxis Apostolorum docentium & scribentium, adhibitis passim Scripturæ testimoniis, cum auctoritatis ejusdem commendatione 2 *Pet.* I. 2 *Tim.* III. & protestantium de plene & perfecte à se prædicato Euangelio, quando nihil tamen docuissent extra Scripturam S. *Act.* XX. 27. & XXVI. 22 V. Denique praxis auditorum, qui ipsos Apostolos docentes cum audirent, scrutati sunt Scripturas, ad Doctrinæ auditæ examen: atque hoc nomine divinitus commendantur, ut aliis, qui hic negligentiores Scripturarum erant, εὐγενέστεροι. *Act.* XVII. II.

COROLLARIUM.

AN acciderit Paulo constituto in martyrio & Apologia publica causæ Christi, coram Synedrio Sacerdotum *Act.* XXIII. ista eclipsis gratiæ Spiritus S. ut ipsi aliquid exciderit super quo necesse habuerit culpam agnoscere aut veniam deprecari? Negamus propter promissionem Christi datam Apostolis *Matth.* X. 19. *Marc.* XIII. II. qua etiam vetuit ne sollicite præmeditata loquerentur, quia non ipsi essent loquuturi, sed Spiritus S. Neque est in *versu* 3. & 5. quod cogat vel culpam vel veniæ deprecationem Apostolo tribuere.

DISPUTATIO QUARTA
QUÆ EST DE
Traditionum non scriptarum auctoritate sacrilega, & reverentia in Papatu impia.
1641. I. Aprilis

ASserta Scripturæ S. soli & in solidum Auctoritate uniformiter divina, vindicanda est in præsens assertio Orthodoxa, contra Pontificiarum traditionum Auctoritatem; quam faciunt Scripturarum Auctoritati ut præ se ferunt parem, juxta *Concilii Tridentini* decretum *Sessione IV.* de *pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendis ac venerandis, Propheticis & Apostolicis, scriptis, & sine scripto Traditionibus.* Revera autem mysterio partitionis Scripturarum & Traditionum non scriptarum, in *Divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas*, duas saltem Scripturæ portiones deprimunt infra traditiones divinas non Scriptas, atque illas his subjiciunt: quod iniquitatis mysterium oculis subjiciemus hoc diagrammate.

Gradus Auctoritatis difformes,		Traditiones	
Summus	Divinæ	Non Scriptæ	Scriptæ.
Medius	Apostolicæ	Scriptæ	Non Scriptæ.
Infimus	Ecclesiasticæ	Scriptæ	Non Scriptæ.

II. Prodit hoc mysterium suo indicio *Bellarminus Lib.* IV. *cap.* 7. *Quædam sunt Traditiones*, inquit, *majores quoad obligationem, quam quædam Scripturæ, quædam minores, & quædam æquales &c.* Sed gangrænam facit effrons hæc impietas, in Disputatione pro traditionum non scriptarum præter Scripturas Necessitate, propter ipsas Scripturas. Quia scilicet I. Non possit, absque Authentica Traditione non scripta, certa esse fides de ipsa Scripturæ Auctoritate divina. II. Neque certo constare qui libri sint Canonici qui Apocryphi. III. Neq; haberi vera & certa Scripturarum obscurarum intelligentia. Hæc lubet primo ex ipsis audire & mox ex ipsis confutare.

Etiamsi Scriptura dicat libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certo id credam, nisi credidero Scripturam quæ hoc dicit esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahometi *passim legimus, ipsum Alcoranum de cœlo à Deo missum, & tamen ei non credimus. Itaque hoc dogma tam necessarium, quod aliqua sit Scriptura divina, non potest sufficienter haberi ex sola Scriptura: proinde cum Fides nitatur Verbo Dei, nisi habeamus verbum Dei non scriptum, nulla nobis erit fides.* Et mox; *Præterea Veteres uno ore testantur, non aliunde nos habere Scripturam esse divinam, & qui sint libri sacri, quam ex Traditione non scripta.* Bellarminus de Verbo Dei lib IV. cap. 4.

Pio sensu dici potuit Scripturas valere quantum fabulas Æsopi, si destituantur auctoritate Ecclesiæ. Hosius adversus Brentium lib. III. fol. 148.

Neque

Neque enim in libris ipsis, quibus sacra mysteria conscripta sunt, quicquam inest divinitatis, quae nos, ad credendum quae illis continentur, religione aliqua constringat; sed Ecclesiae (quae codices illos sacros esse docet, & antiquorum Patrum fidem & pietatem commendat) tanta est vis & amplitudo, ut illis nemo sine gravissima impietatis nota possit repugnare. Andradius Defens. fid. Trid. libr. 11. fol. 106. verso & 107.

Nihil vero divinis literis fingi posset futilius, nihil perditis hominibus ad corrumpendum magis patens & expositum, si singulari hac auctoritate Christi jam esset Ecclesia destituta. Idem fol. 193. verso.

Tanti ponderis est ipsa traditio, ut ex ipsa Novi Testamenti scripta omnia auctoritatem acceperint; quam qui non admittunt ab ipsis etiam Canonicis scriptis excidant necesse est. Cum itaque Scripturarum fundamentum sit ipsa Traditio, eo convulso, totam desuper structam molem collabi, quis non facillime credet? Baronius ad Annum C LIII §. 11.

Scriptura in sui receptione & expositione authentica finaliter resolvitur in Auctoritatem, Receptionem, & Approbationem Ecclesiae universalis, praesertim primitivae, quae recepit eam & ejus intellectum immediate à Christo, & revelante Spiritu S. in die Pentecostes, & alias plures. Patet, quia quod Matthaeus scripserit Euangelium & Nicodemus non, solùm habemus ab Auctoritate Ecclesiae, juxta illud Augustini; Euangelio non crederem nisi me Auctoritas Ecclesiae compulisset. Haec enim est ineffabilis regula à Spiritu S. directa, quae in his quae fidei sunt nec fallere potest nec falli. Probationes omitto: & quia hoc est primum principium in fide tenendum, quo non credito non superest arguere contra sit negantem. Gerson in Tractatu de Communione sub utraque, Regula speculativa IX.

Achilles pro Catholicis: Scriptura non est authentica sine auctoritate Ecclesiae: Scriptores enim Canonici sunt membra Ecclesiae. Eckius in Enchiridio.

Scripturae supervenientes Ecclesiae, acceperunt robur ab illa. Probatur quia Scriptores erant membra Ecclesiae, in quibus non poterat esse major auctoritas quam in ipsa Ecclesia. Carranza Controv. 2.

Prior regula & notior & multo latior est Ecclesia quam Scriptura Canonica, & haec per illam debet regulari, & non è contra. Hoc evidenter demonstrat Joh. Eckius in suo Enchiridio. Idem Carranza.

III. In omnium ore est ad Blasphemiae πρόφασιν dictum illud *Augustini*, quòd *Gerson* citat, sed Concordia Discorde: digladiantur enim inter se, quae sit Ecclesia, à qua Scriptura habeat Approbationem Authenticam, siquidem de Approbatione illa loquutus est Augustinus. Alii enim intelligunt *solam Ecclesiam quae fuerit tempore Apostolorum.* Ita sentiunt *Durandus sent. lib. III. dist. 24. quaest. 1.* & post illum *P. de Alliaco in quaest. de Resumpt. I. Gerson*, quem jam audivimus, *Joh. Driedo de Eccles. Scripturis lib. II. fol. 71 Hosius in Confess. Petricoviensi cap. XV.* Ac *Durandi* quidem judicio, *tenens contrarium haereticus est, cujuscunque status aut conditionis existat.*

IV. Contra hoc *Durandi* praejudicium magno serio dimicat *Andradius*, pronuncians sibi *videri valde capitalem & exitiosam Durandi illam orationem, quae verba Augustini de sola pristina Ecclesia interpretatur, quae Apostolorum temporibus*

poribus viguit. Illi enim (inquit Durandus) *fuerunt repleti Spiritu S. & viderunt Christi miracula, & audierunt ejus doctrinam; & ob hoc fuerunt convenientes testes omnium, quæ Christus fecit & docuit, ut per eorum testimonium Scriptura continens dicta & facta Christi approbaretur. Nam ut omittam* (inquit Andradius) *tum Augustini contra Manichæum disputationi hanc Durandi explicationem nullo modo quadrare, tum salvum apud nos pristinæ illius Ecclesiæ pondus & auctoritatem persistere nullo modo posse, si hujus sit dignitas atque existimatio infirma & imbecillis; non advertit sane Durandus Ecclesiæ majestatem approbandique Euangelia jus & potestatem, non quidem ex rerum à Christo gestarum experientia, humanaque testificatione, sed ex Spiritus S. præsentia & afflatibus quos Christi promissionibus firmos stabilesque Ecclesia retinet pendere &c.* Andradius Defens. Fid. Trid. fol. 107.

V. Atqui non advertit *Andradius* (vel noluit ut Lector adverteret) ipsis quæ ille citat *Durandi* verbis, non urgeri, tam rerum à Christo gestarum experientiam, quam *quod repleti fuerint Spiritu S.* Sensit ergo *Durandus* jus & potestatem authentice approbandi Euangelia, vel maxime pendere ex effusione Spiritus S. extraordinaria, quam habuerint viri sancti in pristina Ecclesia, quæ hodie non contingit. *Andradius* contra falso asserit, *horum temporum Ecclesiam retinere illam Spiritus S. præsentiam & afflatus, quos illi olim habuerunt, ac frui iisdem Spiritus S. præsidiis.*

VI. Sed utrisque respondemus, Auctoritatem *Testificationis* authenticæ de Verbo Dei non posse, vere & proprie loquendo, aliis tribui quam illis olim Viris sanctis, qui seu viva voce, seu scripto, Verbum Dei tradiderunt Ecclesiæ acti à Spiritu S. Atque hic potiorem & saniorem esse *Durandi* assertionem; *Tenens contrarium hæreticus est.* Verum luditur in re seria, quando affectatur Synecdoche ista, qua Auctoritas Testificationis Authentica tribuitur toti Ecclesiæ, cui usu tantum communis est, & in qua Spiritus S. illam exserte asserit tantum illis in Ecclesia viris eximiis, tanquam privilegium Personale, quod ἐν παντὶ τῷ λαῷ *non toti populo, sed ipsis* μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ Θεοῦ *Testibus à Deo prædesignatis & delectis Act.* x. 39. 40. 41. vindicandum sit, ut singularis κλῆρος Clerus, Sors τῆς διακονίας ταύτης Ministerii istius, quo functi sunt ut Testes Dei ad populum veraces & Fideles, vocationem suam nulli mortalium sed soli Deo Ecclesiæ magistro acceptum ferentes. *Act.* I. 17. *Gal.* I. 1 *Cor.* VII. 25. & XV. 15. 1 *Tim.* I. 12.

Corollarium. Ex loco *Act.* x. 41. & *Act.* I. 17. nata Clericorum & Laicorum nomina, ad vocationis distinctionem, sano sensu admittimus; ea lege ut Clerici denominentur, non à communis salutis Clero seu sorte *Act.* XXVI. 18. *Coloss.* I. 12. (à quo totum populum sub pastoribus constitutum Petrus τοὺς κλήρους Cleros vocat 1 *Pet.* v. 3.) sed à sortitione ministerii.

VII. Invertunt autem ordinem distributionis donorum & charismatum ac vocationis divinæ, atque Apostolos & Scriptores universim Canonicos ex Clericis Laicos faciunt *Eckius* & *Carranza*; quando hic illos non æstimant supra communem sortem membrorum Ecclesiæ, quos res ipsa loquitur

loquitur habuisse Verbum à Domino acceptum, quod traderent reliquæ Ecclesiæ, cum non posset dici pariter Ecclesia habuisse Verbum à Domino acceptum quod traderet Prophetis & Apostolis 1 *Cor.* XI. 23.

VIII. Neque tamen efficitur Scripturas accepisse robur à Scriptoribus. Robur enim & firmitas Scripturarum est originaliter à Deo, qui illas dictavit. Quare *Eckio* & *Carranzæ* opponimus quod *Petro à Soto* expressit vis veritatis: *Hoc pro certissimo habemus, quod omnis revelatio, quæ à Spiritu S. procedit, subjicit sibi Ecclesiam. Quicquid enim vel verbo vel scripto Deus loquitur, superius est omni humana & Angelica ratione. Scripturam vero sacram ostendimus*, inquit, *à Spiritu S. scriptam esse, non itaque dubitandum est quin illi Ecclesia sit subdita.* Et mox idem contra secus sentientes profitetur se hoc tueri, vel hac sola ratione, *quia Spiritus S revelat & dat Ecclesiæ Scripturam sacram, quare non potest non illi subdita esse: si enim Paulus suæ ipsius prædicationi subditus erat, si ea ipsa quæ per os ejus Spiritus S. loquebatur Ecclesiæ, illum ita obligabant & tenebant subditum, quia erant a Spiritu S. revelata, ut merito ille dixerit; licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizet, præterquam quod euangelizavimus vobis, Anathema sit. Gal* 1. *Quomodo non omnis fidelis & tota Ecclesia subdita est Scripturæ? Quomodo illi jus tribuimus testificandi & interpretandi Scripturam? nisi quia hoc non ut superior Scriptura facit, sed ut subdita.* Et mox; *Non quia Ecclesia vult auctoritatem dat Scripturæ: sed Deus potius hoc agit, dans eam ut revelationem propriam Ecclesiæ: quod illa agnoscens subjicit se revelationi & testificatur nobis se hic agnoscere & certa fide intueri verba & Spiritum Sponsi sui.* Hactenus à Soto *Cap.* XLVII *Defens. Cathol. Confess.* Istis gemina loquitur bilinguis *Andradius*, ut adversus ipsum non opus sit alia responsione, quam hac verbis ipsius concepta; *Multum interesse inter proponentis officium, & edicentis auctoritatem. Nam quamvis Ecclesiæ testimonio, Johannis Euangelium hominis quidem manu sed divino Spiritu conscriptum fuisse accepermus, idque propter Ecclesiæ summam dignitatem verum esse mihi persuadeam: in illis tamen quæ Euangelii sunt Johannis volumine consignata, minime quidem propter Ecclesiæ jam auctoritatem, sed propter divini Spiritus certam stabilemque veritatem acquiesco, quo dictante fuisse conscripta & mortalium generi promulgata Ecclesiæ testimonio didici. Defens Fid. fol.* 192. Idem. *Si rem diligentius expendamus, perspiciemus sane Ecclesiam non sacros modo libros, sed cœlestem quoque doctrinam, qua sustinetur, approbare posse. Neque enim Approbandi vocabulum novam aliquam divinis rebus vim Auctoritatemque tribuere, sed pronunciare ratas atque firmas per se illas esse, significare demonstravimus fol.* 196.

IX. Audiat *Gerson* negantem (id quod ipse obtrudit pro principio quod negare nefas sit) præceptorem suum *Petrum de Alliaco Sent. libr.* 1. *quæst.* 1. Ille postquam sibi objecisset *dictum Augustini, ad arguendum quod auctoritates contentæ in sacro Canone, non per seipsas, sed per aliud habent fidem, sc. per Auctoritatem Ecclesiæ*, optime sibi respondet per hanc propositionem: *Quod per auctoritatem Augustini non habetur, quod ipse crediderit Euangelio per Auctoritatem Ecclesiæ, tanquam per Principium Theologicum, ex quo Euangelium Theologice probetur esse verum: sed solum tanquam ex causa movente ipsum ad fidem Evangelii;*

lii; ac si ipse aut alius dixisset, non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ sanctitas, aut Christi miracula commoverent, in quo dicto licet fidei Euangelii causa aliqua assignetur, non tamen aliquod principium prius, cujus fides causa sit ut Euangelio credatur. Hactenus *P. de Alliaco.*

X. *Bellarmini* impia comparatio Scripturæ S. ad *Alcoranum Mahometi* non melius refellitur, quam ex ipsa *Bellarmini* bilinguis assertione, quam contra Libertinos evincit ex argumentis quæ Scripturæ intrinseca sunt, veritate vaticiniorum, divina Scriptorum conspiratione atque concordia, quin teste ipsa de se Scriptura: *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil notius, nihil certius. De Verbo Dei lib. 1. cap. 2.*

XI. Confutatæ sunt ipsa adversariorum confessione, in explicatione terminorum *Approbationis, Receptionis, Testificationis*, rationes illorum Sophisticæ, quibus contendunt opus esse alio Verbo non scripto, præter ipsas Scripturas, quarum alias fundari non possit Auctoritas certa, & vindicata Scripturarum αὐτοπιστία, per quam major ipsa est & certior omni hominum Testimonio; ut neque Scriptoribus suis quidquam debeat, sed illis ipsa præscribat & imperet fidem. Atque hoc est quod docet Christus dicens. *Ego ab homine testimonium non accipio Joh.* v. 34. item, *Testimonium habeo majus testimonio Johannis vers.* 36. Intellexit autem testimonium Scripturarum, ad quas mox Judæos remittit *vers.* 39. *Illæ sunt quæ testificantur de me.*

XII. Audiendum etiam in præsens secundum illud, quod miscetur, de authentica Catalogi librorum Canonicorum confectione; audiamus *Bellarminum* hoc urgentem, *quod Apostoli & Prophetæ non solum scripserint, sed etiam ore tradiderint & docuerint se scripsisse. Atque ita*, inquit, *ex Verbo Apostolorum non scripto* & *per Ecclesiam nobis tradito nos cognoscere, quod sit verbum Apostolorum scriptum*: & mox, *Brentius igitur in prolegomenis, non inveniens exitum, fatetur hanc unam & solam Traditionem non scriptam esse recipiendam. Et idem docet Kemnitius, tractans secundum genus Traditionum in Examine Concilii Tridentini.* Hactenus *Bellarminus*. Respondemus, nullam à Brentio aut Kemnitio agnosci Traditionem, quæ dici queat Verbum non Scriptum, Theologiæ Canon. Sed hoc illos velle, se illam solam Traditionem censere probam, ut quæ nos Scripturis adstringat, ac vetat nos illis quidquam addere aut detrahere: adeoque quæ minime sit alius juxta Scripturam partialis Canon, aut aliud principium Theologiæ, sed unici certi Canonis Verbi scripti Testis, & Index ac Vindex, contra quælibet dogmata ἄγραφα. Quæ certe Traditio quanquam formaliter Scripta non sit à Scripturæ auctore, eo tamen ipso nomine dicenda est, ἔγγραφος.

XIII. Et revera specialis illa Traditio Canonis seu Catalogi librorum Canonicorum nullum potest constituere Canonem Verbi non scripti: cum à syntagmate librorum Canonicorum non aliter differat, quam Numerus Numerans à Numero Numerato. Atque hic res ipsa loquitur, quemadmodum Numerus Numerans demonstratur à priori, & præscribitur, per numerum numeratum, ita nos stare aut cadere debere in Traditionis illius receptione de numero aut Catalogo librorum Canonicorum, ipsi librorum singulo-

ſingulorum divinitati, ut ipſa habeatur falſa & mendax, ſi in libris enumeratis falſitas aut mendacium deprehendatur; ut deprehenditur mendax Traditio illorum librorum qui inter nos & Pontificios ſunt controverſi. Quare ex hac etiam hypotheſi loquens *Baronius*, ac pronuncians *Traditionem eſſe ſcripturarum fundamentum*, craſſe fallitur & fallit, quia contrarium verum eſt. Quemadmodum enim omnis numerus numeratus fundamentum eſt numeri numerantis, ſic ſcripturarum ſyntagma fundamentum eſt Traditionis numerantis libros ſyntagmatis.

XIV. Catalogi autem librorum Canonicorum confectio, ſeu ſyntagmatis Biblici collectio in ſacrum Codicem, quamvis authentica, non magis fundat ſcripturæ certitudinem divinitatis ſuæ, ut illa accepta ferenda ſit hoc nomine Eccleſiæ, quam Notario acquiritur jus ad hæreditatem herciſcundam, vel hæredibus ad illam adeundam, per Confectionem Inventarii.

XV. De ipſa ſcripturarum *Obſcuritate* Diſquiſitionem ſervamus alteri Diſputationi. Ex hypotheſi qua ſtatuunt non eſſe obſcuritatem invincibilem, ſed Eccleſia faciente officium boni Interpretis perveniri ad veram & certam ſcripturarum obſcurarum Intelligentiam; negamus, verbis ipſius *Roffenſis*, *ſcripturas ex Interpretibus ſuam habere firmitatem, ſed contra magis hos ex illis pendere. Scriptura*, inquit, *quanquam obſcura, nihilominus in ſe certa, licet parum intellecta nobis. Neque enim idem eſt quippiam in ſe certum eſſe, & eſſe nobis intellectum. Nam de ſcriptura quoque certi ſumus quod vera ſit, tametſi non fuerit nobis ſatis intellecta. Confut. Aſſert Luther. fol.* 18. 19. Non poteſt certe cenſeri legitima ſcripturæ interpretatio, quæ non eſt indicatio ſenſus genuini eorum verborum quæ leguntur. Illegitima enim eſt, ſi ſenſus ſit violenter aliunde illatus, non ipſis ſcripturis intrinſecus & αὐτοφυής. *Non eſt gloſſis, ſed textui attribuendum, quum ex conjunctione diverſorum locorum ſcripturæ ſenſus colligitur. Cajetanus de Primatu Rom. Eccl tom. 1. cap. 28.*

XVI. Vertigo autem Diſputationis Papiſticæ hactenus confutatæ manifeſta eſt ex eo, quod ſatagant ipſis ſcripturarum Teſtimoniis confirmare Infallibilitatem Eccleſiæ in dicendo Teſtimonio de veris Traditionibus. Profert illa ex ſcripturis *Bellarminus lib.* IV. *Cap.* 9. agens de *Criteriis ſeu Regulis quibus deveniatur in cognitionem verarum Traditionum non ſcriptarum*, ne pro veris & certis obtrudantur incertæ & falſæ: quæ Criteria cuncta reſolvuntur in unicum hoc πρῶτον ψεῦδος, Teſtimonium Eccleſiæ de Traditionibus Veris infallibile eſſe. Atque hic eſt Circulus vertiginoſus; Eccleſiæ Fides Vera eſt, quamvis præter ſcripturas, quia nititur veris Traditionibus, & Traditiones veræ ſunt, quia nituntur vero Eccleſiæ Teſtimonio. Et alter iſte; ſcriptura divina eſt, quia nititur veræ Eccleſiæ Teſtimonio, Eccleſiæ Teſtimonium verum eſt, quia nititur vero ſcripturæ Teſtimonio.

XVII. Lubet etiam hanc μεθοδείαν τῆς πλάνης ſequenti diagrammate oculis ſubjicere.

1. Certitudo Verbi non scripti.	3. Certitudo scripturæ sacræ
2. Testimonium Ecclesiæ de scriptura sacra	2. Testimonium Ecclesiæ de Verbo non Scripto;
3. Certitudo scripturæ sacræ.	1. Certitudo Verbi non scripti

Juxta istud schema Papistæ Verbum Dei, quâ scriptum quâ Non scriptum, pilæ instar sursum ac deorsum agitant. Et modo pari pietatis affectu & reverentia Ecclesia se subjicit scripturæ & Traditionibus, tanquam Canoni certo & αὐτοπίστῳ, modo rursum pari impietate suspendit utriusque certitudinem à suo testimonio: adeoque sibi subjicit scripturam & Traditiones non scriptas. Sed hac fere hypocrisi, ut quando juxta *Carranzam* scriptura regulanda est per Ecclesiam, ecclesia fingat se regulari per Verbum non scriptum, quod sit scriptura in corde seu in scrinio pectoris. Quando autem expedit alio schemate τὴν θέσιν διαφυλάττειν, Ecclesia fingat se, si non regulari per scripturas, saltem auctoritatem suam acceptam ferre scripturis sacris tanquam αὐτοπίστοις.

XVIII. Gangræna autem Theologiæ Papisticæ hæc est, quod non tantum recessum est à veritate hac quam agnovit *Petrus de Alliaco in* 1. *Sent. quæst.* 1. *Tum solum aliquid Theologice probari, quando ex dictis sacræ scripturæ concluditur. Et principia Theologica esse ipsas sacri Canonis veritates, quoniam ad ipsas fit ultimata resolutio Theologici discursus: & ex iis primo singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur.* Cujus veritatis vi, *Cajetanus* ipsam Papæ finalem determinationem & ultimam Fidei decisionem, fatetur esse *sub sacra scriptura. De Primatu Roman. Eccles. tom* 1. *c.* 13. Verum ne quidem de eo sibi constant, quod videri posset ex *Melchioris Cani* assertione apud illos indubitatum, *Duos illos locos Theologicos Auctoritatem scripturæ sacræ, & Auctoritatem Traditionum Christi & Apostolorum sine scripto, integerrime constituere numerum Principiorum Theologiæ. Loc. Theol. lib.* XII *cap.* 3.

XIX. Desperatissima causæ desperatione, quando (ex hypothesi illa ipsa de principiis duobus, quorum alterum absque altero partialis tantum, conjunctum autem utrumque sit completus Theologiæ Canon) convincuntur, omnem determinationem & decisionem in causa Fidei & Morum, voce Ecclesiæ pronunciatam, debere esse instar conclusionis, quæ ex alterutro Principio pendet & derivatur: adeo ut vox Judicis Ecclesiæ non possit esse alio gradu quam sub scriptura vel Traditione, tanquam norma & Lege, cui Judex adstrictus est & obnoxius: eo prolabuntur per erroris efficaciam, ut Tria faciant Theologiæ Principia, quod pronunciant *Carranza*, vocans *Tres Regulas. Controv.* III *Ruardus Tapperus. Orat. Theol.* III. *Tria principia Theologiæ & Religionis Christianæ.*

XX. *Melchior Canus* quicquid dissimulet, se prodit hic suo indicio quando Ecclesiam, quam, ex hypothesi de numero principiorum binario, non poterat vocare alio nomine quam candelabrum, supra quod posita utraque lucerna luceat, ipsam insuper *lucernam* vocat *super candelabrum positam. Lib.* IV. *c.* 3. Qui lucernas super candelabrum positas cumulat, næ ille tantum non αὐτολεξεὶ cumulat numerum principiorum Theologiæ. Et si ex tribus principii,

cipiis duo, scriptura & traditio non scripta, constituunt completum Canonem, necessario Ecclesia est tertium principium Canone prius & superius.

XXI. Ne quis existimet *Carranzam & Tapperum* crassius & indoctius causam agere, *Cano* a. oscitanter hoc excidisse, sciendum *Stapletonum*, *qui suo sæculo doctissimus est habitus*, tantundem dicere. *Oper. Whitakeri tom. II. pag.* 411. *&* 481 485. Distinguit ille inter *Principia quæ creduntur*, *& principium eorum principiorum quæ creduntur*. Principia quæ creduntur ipsi sunt *Verbum Dei scriptum & Verbum non scriptum Traditionum*. Principium utriusque illius principii ipsi est *Vox Ecclesiæ*. Est enim hæc ejus assertio conceptis verbis; *non sic est Principium scriptura quin prius eo sit vox Ecclesiæ: nam scriptura est NB. unum ex iis quæ creduntur, Vox Ecclesiæ est Regula omnium quæ creduntur.* Item; *Ecclesiæ Vox præter rationem NB. cum cæteris quæ creduntur communem, Regula & Principium est.*

XXII. Huic sacrilegæ usurpationi Ecclesiæ supra Dei Verbum opposuimus vim veritatis erumpentem *Driedoni* & *Andradio*. Qui certitudinem fidei qua scripturis creditur (quam à Verbo Interno Enthusiastico-Papistico discrevimus *Disp.* II *Thesi* 16. *& seq.* & ostendimus non esse diversum à scriptura Theologiæ Canonem) fundari fatentur non in Ecclesiæ testificatione, sed in Spiritus Sancti illuminatione interna, qua discuntur ea quæ in scripturis leguntur & per se lucida sunt, quamvis nobis obscura. *Omnis*, inquit *Driedo*, *vere Christianus ex dono Fidei credens ea quæ Ecclesia credit non humano Spiritui vel Testimonio innititur, sed primæ veritati intus testificanti, & quæ scriptura sacra & Ecclesia proponunt: dicente ipso Johanne, qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Et mox. *Nobis autem jam Christus non per os proprium, sed per Ecclesiam & scripturam sacram proponit, quæ credere debemus. Ipse tamen est qui intus per Spiritum fidei docet, ut quod Ecclesia & scriptura sacra proponit credamus. Driedo de Eccles. scripturis libr* II. *fol.* 68. Similiter fatetur *Andradius*; *credendi actionem & fidem quâ scripturæ credimus & mysteria intelligimus, esse ex interna Spiritus impulsione & cœlesti munere atque afflatu. Defens. Fid. Trid fol.* 194. *&* 195.

COROLLARIUM.

PErperam & absque ulla justa causa, vel propter pauca ἐναντιοφανῆ, discipuli Lutheri, *Hemmingius*, *Ekhardus*, *Balduinus*, aliique, vel septem vel saltem quatuor faciunt libros Apocryphos Novi Testamenti. In *Bibliorum Lutheri* Editione, *Luther.* censura, ut Apocryphi notari videntur quatuor I. Epistola ad Hebræos. II. III. Epistolæ Jacobi & Judæ. IV. Apocalypsis Johannis Vide *Editionem Witeberg. in* 8. 1615. *Hemmingius* in Canone ponit Epistolam ad Hebræos: extra Canonem Epistolas, secundam Petri, secundam & tertiam Johannis, Jacobi & Judæ cum Apocalypsi. *De Method. Lib.* II. *Edit. Lips.* 1578 *pag.* 124. 125. *Eckhardus Whitakero* succenset, quod *Controv.* I. *de sacra scriptura cap.* 16. de Luthero

aut

aut qui Lutherum secuti sunt, respondet; *Ii pro se respondeant. Ista res nihil ad nos pertinet, qui hac in re Lutherum nec sequimur nec defendimus, quique meliore ratione ducimur. Fascic. Contrev. cap. 1. quæst. 4. Balduinus in Refutatione Catechismi Ariani, edita Witebergæ* 1620. hoc quoque censura notat, quod Auctor non distinguat inter libros Canonicos & Apocryphos Novi Testamenti. *pag.* 12. & 13.

DISPUTATIO QUINTA

QUÆ EST I. DE

Nulla Necessitate Traditionum Non Scriptarum, propter Scripturæ Sacræ Obscuritatem.

1642. 27. Januarii

VIndicanda est in præsens Scripturæ Sacræ perspicuitas, & refellenda ista quam *Pontificii* causantur obscuritas, propter quam ad Scripturæ veram & certam intelligentiam, necessariæ sint traditiones Divinę & Apostolicę non scriptę. Cui fini initio status controversiæ explicandus est per quædam Præcognita, quorum hoc primum esto. I. Non est negandum tradi in scripturis mysteria altissima, difficillima, obscurissima, si illorum τὸ διότι curiosè ultra Scripturas investigemus, V. G. de Trinitate, de Incarnatione Christi, de resurrectione mortuorum &c. Attamen affirmamus, in istis quidem & similibus dogmatis quæ necessaria sunt ad perficiendam salutarem fidem perspicuè non minus quam certò in Scripturis declarari τὸ ὅτι.

II. II Non negamus quoque in traditione istorum mysteriorum, quasdam scripturæ particulas esse obscuras: sed affirmamus obscuritatem illam sufficienter illustrari in ipsa Scriptura, collatione instituta cum locis parallelis.

III. III. Non negamus, quin ad perfectiorem Scripturæ intelligentiam, atque ex Scriptura refutationem hæresium, requiratur sensuum in scriptura exercitatio, cum labore & sudore; & cognoscimus summoperè utiles esse discentibus, quin & docentibus, vivos & scriptos commentarios: verum affirmamus illa etiam quæ multo labore ac sudore id est difficile discuntur ex scripturis clarè tandem sciri ac certò.

IV. IV. Haud gravatim concedimus occurrere interim nonnulla in scripturis, verè obscura, quæ à collatione nullam lucem accipere possunt. Verum illa sunt paucissima, & quæ à Theologis etiam summis ignorari possunt, absque ullo fidei detrimento. Bene hic *Driedo de Eccles. Scripturis lib.* 11. *fol.* 70. *Quodsi Apostoli forsitan habuerunt omnium Scripturarum Propheticarum*

earum sensus, ipsi tamen illos in Scripturis nobis non tradiderunt, sed illa curaverunt tradere, quæ ad necessitatem fidei & morum Ecclesiæ spectant: quorum nihil est in uno loco Scripturæ obscure dictum quod non alibi in eadem Scriptura planissime dicatur.

V. v. Denique non negamus etiam accidere Scripturæ obscuritatem propter humanæ ignorantiæ tenebras, in iis quæ spiritualiter dijudicanda sunt: adeoque necessariam esse etiam illis qui in Scripturis exercitatissimi sunt illuminationem Spiritus S. Sed asserimus non inesse illam obscuritatem Scripturis, nec ipsis lucem inferri per illam illuminationem: sed lucidum effici oculum, quo videri & legi debent ea quæ in Scripturis continentur.

VI. His præcognitis verus inter nos & Pontificios status controversiæ de Scripturæ obscuritate formari debet, expressione Dogmatum nonnullorum, quæ inter nos & Pontificios minime sunt controversa, sed quæ utrique habemus pro tam necessariis, ut merito antiquitus damnati sint ut hæretici contra sentientes; *qualis* (inquit *Driedo lib.* IV. *fol.* 314.) *est hæc sententia, Tres Personæ Pater Filius & Spiritus S. sunt unus Deus*; *itemque omnes articuli fidei contra hæreticos editi in Symbolo Niceno, & Symbolo quod inscribitur Athanasii.* Hæc Driedo (oblitus verborum quæ citavimus *Thesi* IV.) *negat clare & evidenter posse inferri ex Scripturis, nisi secundum Patrum interpretationem, & antiquam Ecclesiæ Traditionem. Neque expresse in Scripturis significari, nec adeo evidenter pendere ex illis ut ipsis Scripturis admissis cogatur quispiam non dissentire, quemadmodum ea quæ leguntur in Apostolorum Symbolo, quæ ex necessitate & evidenter ex eisdem Scripturis consequuntur intellectis propriè secundum propriam ipsarum significationem.* In eandem sententiam *M. Crommerus de falsa Lutheri religione fol.* 78. recitat dogmata ista minime controversa apud nos, *Deum esse principii expertem & immortalem: Christum de Mariæ virginis sanguine carnem sumpsisse, ac Deum simul & hominem natum esse: & in una persona duas naturas, duasque voluntates retinuisse*: denique in eodem censu ipsi est, *Christi ipsius Dei & hominis, & Spiritus S. adoratio & invocatio, Unius Dei in tribus Personis una essentia, baptismus infantium &c.* Similiter pronunciat *Carranza Controv.* II *Non esse hæreticos Novatianum, Sabellium, Arium, Macedonium, Photinum, cum reliqua colluvie sociorum suorum, quia Scripturis non credunt, sed quia non credunt Ecclesiæ & illius sententiæ.*

VII. Controvertitur ergo principaliter, de istis & similibus minime inter nos & Pontificios controversis dogmatis; an in Scriptura sacra ea sit obscuritas, ut ex illa secundum genuinum literalem sensum intellecta non possint disertè & perspicuè colligi, si non αὐτολεξεὶ, saltem per manifestam & necessariam consequentiam, absque subsidio alterius Canonis seu Principii doctrinalis, Verbi scilicet non scripti. Audivimus negantes *Driedonem, Crommerum, Carranzam*, quibus accedit *Bellarminus* ista assertione, qua Scripturis per se solis relinquit probationem tantum conjecturalem; *Scripturæ*, inquit, *explicatæ à Concilio firmiter & certo probant, id quod antea non firmiter probabant.* Et mox; *Duo Augustinum ibi adferre conjecturas ex Scripturis*;

pturis; quæ post definitionem Concilii, & exploratam Traditionem non scriptam aliquid valent ad veritatem confirmandam, per se autem non sufficiunt. De Verbo Dei lib. IV. *cap.* 7. Nos contra affirmamus, & *Pontificios*, qui id negant in dogmatis jam nominatis, censemus vel talpis cæciores esse, vel, quod magis credimus, insigniter contra conscientiam propriam prævaricari in causa Dei contra hæreticos.

VIII. Quandoquidem autem veram consequentiæ ex Scripturis necessitatem nullam agnoscimus, quæ non nititur Scripturis intellectis propriè & absolute secundum genuinam ipsarum significationem; quod promiscue *Driedo* de Dogmatis nonnullis inter nos & Pontificios non controversis & controversis negat, de controversis ultro largimur, & pro Scripturæ detorsione & adulteratione habemus, illam necessitatem quandam consequentiæ ex Scripturis, quæ fingitur secundum Traditionem universalis Ecclesiæ; aut secundum interpretationem antiquæ Christianorum scholæ, præter genuinam ipsius Scripturæ significationem.

IX. Militat initio pro assertione orthodoxa confirmatio illa qua soli Scripturæ in solidum asseruimus Auctoritatem Canonicam, ex illis testimoniis quæ Scripturam commendant à Perspicuitate & Lumine Sapientiæ, necessario ad accuratissimam boni à malo & veri à falso discretionem in casibus religiosis *Disp. III. Thesi* XVIII. Ex quibus primo loco vindicanda illa *Ps.* XIX. 9. CXIX. 105. 2 *Petr.* I. 19. quibus Scriptura vocatur Lucerna, quæ præluceat pedibus & semitis fidelium, & quæ obscuro loco lucem inferat, à gemina *Bellarmini* exceptione. Prior est, *non agi de universis Scripturis, sed tantum de Præceptis Dominicis.* Altera est, *Præcepta illa Dominica dici lucida, lucernam & lucem, non quod facile intelligantur, sed quod intellecta cum fuerint mentem illustrent.* Respondemus de priori; bilinguem esse *Bellarminum*, qui modo ait, modo negat: nam ibiden de verbo *Dei lib.* III. *cap.* 2. hæc sunt ejus verba; *David enim nomine legis non intelligit decem illa præcepta solum, sed omnes divinas Scripturas.* Et revera *Psal.* XIX. sermo est de tota doctrina quæ convertit animas, & Petrus loco citato expresse loquitur de libris Propheticis.

X. Ad posteriorem exceptionem, dicimus minime illam nos stringere: quia nihil ad Lucernæ illustrationem activam augendam vel minuendam facit, quod ad illam oculus plus minus caliget, quin cœcutiat ex morbo interno, lippitudine, aut visus privatione: sed hoc tantum requiritur, ut oculus videns ad lucernam facile cavere possit & vitare omnia offendicula, & homo facile possit ὀρθοποδεῖν & rectas facere semitas suas; quapropter neque aliud requiritur ad sufficientem Scripturæ perspicuitatem, quam ut à sanata per gratiam Spiritus S. intus agentem mente intellecta & credita, eam illustret, & facilitet sua luce exercitationem sensuum spiritualium in discretione boni & mali.

XI. *Greg. de Valentia* conatur elabi alio effugio; *Scripturam esse quidem Lucernam per se, semperque splendidissimam ac fulgentissimam, sed tanquam sub modio positam lucere non posse omnibus qui in domo sunt, si unicuique privato ex æquo committatur ingenio proprio atque industria sua scrutanda, non autem communi alicui au-*

cui auctoritati infallibili interpretanda commendetur. Vult ergo, ut posita sit in illa auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, tanquam in candelabro. *Analysi Fidei Cathol. l. v. c. 2.* Respond. I. Si Auctoritas Ecclesiæ Catholicæ se habet ad Scripturam ut lucernam per se semper splendidissimam, tanquam candelabrum in quo posita sit lucerna, quod lubentes largimur, non est Auctoritas eo nomine Magistra fidei infallibilis, quod luce Verbi Dei non scripti illustret Scripturam; sed debet subjici lucernæ Scripturarum tanquam candelabrum per se omni luce destitutum: adeoque si se efferat supra lucernam magisterii infallibilis affectatione, præpostere superimponit candelabrum lucernæ, ad illam occultandam, si non exstinguendam. II. Deinde res ipsa loquitur contra *Greg. de Valentia*, magis ex praxi *Euangelicorum* quam *Pontificiorum* lucere lucernam Scripturæ omnibus qui in domo Dei sunt; quandoquidem asserimus singulos Ecclesiæ domesticos posse & debere ad Scripturæ lucernam accendere lumen fidei suæ, ubi illi negant illud fieri sufficienter posse, sed nec debere, nisi una cum lucerna Scripturæ, quasi in candelabro uno, luceat lucerna altera verbi non scripti. Nolunt enim eo prætextu impie, ut Scripturam lingua vernacula & suis oculis legant qui in domo Dei sunt, aut ut Lucerna Scripturæ ipsa sua luce omnibus luceat, non confusa aut permixta luce verbi non scripti.

XII. Confirmant quoque Euangelici Scripturæ S. Perspicuitatem ex Mosis testimonio, affirmantis, mandata Scripturæ non esse abscondita & remota à plebe *Deut.* XXX. 11. 12. 13. Responsio *Bellarmini* prima est *ex illorum opinione, qui locum intelligunt non de facilitate intelligendi Scripturas, sed de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest Gratiæ auxilium. Quod,* inquit, *est contra omnes Lutheranos, qui docent impossibilia esse Dei mandata.* R. Atqui dato non concesso Pontificiorum postulato, de facilitate implendi mandata Decalogi per Gratiæ auxilium, consequens erit magis facilem esse eorum mandatorum intelligentiam, quæ necessario præit impletioni; quemadmodum in contextu connexa sunt duo ista, *audire, atque opere implere v.* 12. *audire & facere quod præceptum est v.* 13.

XIII. Altera evasio, cui magis fidit *Bellarminus*, ista est; *verba Mosis intelligenda esse de facilitate cognitionis, non quidem Scripturarum sanctarum, sed præceptorum tantum Decalogi: quæ cum sint naturalia facillime intelliguntur. Et Judæi illi,* inquit, *præcipue facile poterant ea scire, qui Mosem explicantem audiverant, & confessi erant se percepisse omnia & promiserant se ea observaturos. Ideo subditur, prope est sermo in corde tuo & in ore tuo, id est, in corde tuo, quia jam intellexisti quid sit agendum, & in ore tuo, quia jam confessus es te intellexisse.* Respondemus, Mosem non præcise loquutum de Præceptis Decalogi sed de cæremoniarum quoque religione, in qua consistebat vetus œconomia fœderis gratiæ; hoc liquet ex *v.* 10. Deinde verba Mosis minime esse restringenda ad illa inter Mosen & Judæorum majores pacta & conventa, liquet ex Apostolo *Rom.* x. qui locum Deuteronomii interpretatur etiam de Euangelio Romanis prædicato, sub nova fœderis gratiæ œconomia. Ea propter merito facilitatem vindicamus toti Scripturæ N. & V. Testamenti.

XIV. Accedit locus 2 *Cor.* IV. 3. 4. *Euangelium non esse tectum nisi iis, quibus Satan oculos excæcavit. Bellarminus* conatur elabi, dicens *Apostolum loqui non de intelligentia Scripturarum, sed de cognitione & fide in Christum, quem Apostoli prædicabant.* Respondemus, Apostolos & Christum ipsum non prædicasse cognitionem & fidem in Christum extra Scripturas *Luc.* XXIV. *Act.* XVIII. 28. XXVI. 22. Quare ipso *Bellarmino* fatente *laudantur Berœenses ad Scripturam examinantes prædicationem Apostolicam. Act.* XVII.

XV. Audienda jam *Pontificiorum* argumenta contra Scripturæ S. perspicuitatem. Primum est illud *Bellarmini lib.* III. *cap.* I. *Scripturam ipsam de sua difficultate atque obscuritate testimonium perhibere Psal.* CXIX. 18. 34. 35. *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam: Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua: Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas. Certe,* inquit, *David noverat totam Scripturam, quæ tunc erat, & noverat phrases linguæ Hebraicæ, nec erat superbus aut infidelis &c.* Respondemus, precationes istas Davidis non arguere Scripturarum obscuritatem, sed mysteriorum altitudinem, & humanæ ignorantiæ tenebras, in iis quæ spiritualiter dijudicanda sunt. 1 *Cor.* II. 15. 16. Quæ tenebræ quia non simul & semel sed de die in diem auferuntur 2 *Cor.* IV. 16. non illico omnia alias perspicue tradita, etiam perspecta sunt aut animadversa vel satis radicata: adeoque nihil mirum si etiam illi qui δυνατοὶ sunt in Scripturis egeant ut ἀκριβέστερον erudiantur, quemadmodum Apollos. *Act.* XVIII. 24. 25. 26. Vel à Deo sibi flagitent, quod Petrus precatur omnibus credentibus, ut Deus velit ipsos perficere, roborare, fundare: sed vel maxime ut habeant una cum intelligentia contextus Scripturæ, ipsarum rerum promissarum cognitionem experimentalem, quæ est Fides radicata.

XVI. Alterum argumentum pro Scripturæ S. obscuritate petit *Bellarminus* ex loco 2 *Petr.* III. 16. *ubi B. Petrus asserit, in Epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu quæ indocti & instabiles depravant: ubi,* inquit, *notandum est Apostolum Petrum non dixisse, esse quædam difficilia indoctis & instabilibus ut hæretici exponunt, sed difficilia absolute.* Præoccupat scilicet *Bellarminus* hac adnotatione responsionem *Kemnicii*, qui in *Examine Concilii Tridentini* hoc urget, *Petrum quidem loqui de Epistolis Pauli, sed quod istis verbis dicit, non referendum esse ad Epistolas, sed ad mysteria de quibus Paulus in Epistolis scribit, quia loquitur in genere neutro,* λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων, ἐν οἷς ἐστι δυσνόητά τινα. Est illa *Kemnicii* prior responsio, alteram mox audiemus: debemus autem illam ex Pontificiis ipsis *Gaignæo* Theologo Parisiensi, qui dictavit, τὸ *in quibus referri non ad Epistolas, quia Græce est* ἐν οἷς, *& Epistolis est fœmininum Græce.*

XVII. Altera *Kemnicii* responsio principalis, quæ non admodum eget priori ista, petita est ex Emphasi verbi στρεβλοῦσι, id est *detorquent,* quod à torturis sumptum est. Quam *Kemnicio* conatur extorquere *Greg. de Valentia Anal. Fidei Cathol. lib.* V. *cap.* 2. hac cavillatione. *D. Petrus ea in Epistolis Pauli dicit esse intellectu difficilia, quorum significationem ait depravari, ut aliud nobis loquantur & significent quam res habet: illa autem non sunt res ipsæ significatæ*

tatæ à Paulo, *sed loci & partes Scriptarum Epistolarum à Paulo. Igitur quæ D. Petrus dicit esse intellectu difficilia non sunt res significatæ*, *sed ipsius scripturæ*, *Paulinæ loci & partes.* Cavillationis ansa est, quod suæ observationi *Kemnicius* ex *Hilario* adjecerit verba illa, *ut illud nobis loquatur Scriptura*, *quod ante lectionem præsumpsimus intelligendum.* Nos malumus simpliciter hoc velle Petrum, facere illos indoctos & instabiles vim verbis Scripturæ, ut in simplici & satis aperta verborum significatione non acquiescant, quia non ferunt lucem veritatis in quam propter mysteriorum altitudinem non possunt ἀτενίσαι 2 *Cor.* III. 7. 13. quo nomine iidem dicuntur ἄθεσμοι *nefarii.* Atque hoc pacto locus Petri magis facit pro Scripturarum & Epistolarum Pauli perspicuitate, quam contra: docens scilicet ita tractari illas propter mysteria δυσνόητα, ut nefarie ab aperta satis sententia in sensum minime genuinum verba torqueantur. Ne autem quis blasphemet cum *Ruardo Tapper*, Scripturam ut nasum cereum non reclamare, sed quasi mutam silere & injuriam sustinere, denunciat Petrus illis qui sic Scripturas torquent ipsos id facere ad suum ipsorum exitium.

DISPUTATIO SEXTA
QUÆ EST II. DE
Nulla Necessitate Traditionum non Scriptarum propter Scripturæ Sacræ Obscuritatem.
1642. XVII. Februarii.

TErtium testimonium quod opponitur perspicuitati S. Scripturæ, est illud 2 *Petr.* I. 20. *Nullam Prophetiam Scripturæ esse* ἰδίας ἐπιλύσεως Quod hoc schemate urget *Gregorius de Valentia Anal. Fid. Cathol. l.* V. *c.* 6. *Omnis*, inquit, *Prophetia Scripturæ &c. Non dicit, hæc aut illa tantum*, *sed absolute ac sine ulla exceptione*, *omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Hæc igitur vis atque sententia hujus Apostolicæ monitionis est*, *neminem privato suo labore*, *atque proprio studio*, *quacunque demum ratione*, *atque adeo etiam ne ex ipsa quidem Scriptura doctrinam Scripturæ certo atque infallibiliter in controversis quæstionibus intelligere posse*; *sed opus esse ut discat ex aliqua auctoritate item divina*, *per quam spiritus S. qui Scripturæ auctor est*, *sit etiam certissimus Scripturæ interpres*, *quemadmodum*, *ut ipse Apostolus subjungit*, *non auctoritate humana sed divina loquuti in Scripturis sunt sancti Dei homines.* Atque cum hac cautela vult *Gregorius* Petrum voluisse intelligi *id*, *quod dixerat Scripturam esse lucernam*, *ne quis hoc ita intelligeret*, *quasi illuminaret ea etiam secundum propriam alicujus interpretationem*, *valeretque proinde ipsa sola ad terminandas fidei quæstiones*, *sine communi & certa alia regula.* Idem vult *Bellarminus*, ubi supra, ac probare satagit exemplis *Discipulorum Christi*, *seu Christi Lucæ ulti-*

cæ ultimo discipulis interpretantis Scripturas: item *Eunuchi qui Act.* VIII. *negat se posse intelligere Scripturam nisi aliquis ostenderit ipsi.*

II. Respondemus ex præcognitis Disputatione superiori positis, omnino utilissimos esse ad Scripturæ intelligentiam & vivos & scriptos commentarios, etiam sanctis piis & humilibus: sed negamus ex verbis Petri probari posse eam Scripturarum obscuritatem, quæ flagitet aliam communem & certam regulam Fidei præter ipsas Scripturas.

III. Primò quidem non necesse habemus admittere versionem illam vulgatam, *propria interpretatione non fit*. Nolumus quidem solicitare lectionem receptam & pro ἐπιλύσεως legere ἐπηλύσεως. Tamen non alienum est quod *Calvinus* ἰδίαν ἐπίλυσιν accipit pro *privato impulsu vel instinctu*, quo Apostolus neget scriptam Prophetiam Scripturæ, ut nullus sit sermo de Scripturæ interpretatione: reperitur enim ἐπίλυσις ita expositum apud *Suidam*, ut significet ἔφοδον, h. e. incursum, impetum. Quanquam *Henr. Stephanus* censet in *Suida* pro ἐπίλυσις legendum ἐπήλυσις. Quidquid sit de *H. Stephani* conjectura, quandoquidem *Suidas* etiam τὸ ἐπιλυμένου exponit συγχωρουμένου, atque ex hac analogia ἐπίλυσις saltem est συγχώρησις, *Concessio*, *Permissio*, quidni per Synecdochen speciei accipiamus & exponamus ἐπίλυσις pro quavis voluntatis determinatione, tam effectiva quam permissiva? quomodo vocabulum *Resolutio* quod exprimit Græcum ἐπίλυσις, Latinobarbarè familiare est Gallis, Italis, Anglis, Belgis, illo significato.

IV. Enimvero esto, significet ἐπίλυσις *interpretationem* vel *explicationem*, negamus tamen Petrum intelligi voluisse privatum laborem ac studium eorum qui ex mandato Christi scrutantur Scripturas, quasi nolit Deus hic privato labori benedicere. Sed vocavit ac vetavit illam interpretationem propriam, quæ fit ex ingenio & cerebro proprio, non collatis & consultis aliis locis, neque animadversa scripturarum analogia.

V. De privata autem interpretatione scripturæ sic censemus; quanquam ubi Ecclesia instituta est, & constituta est, & constitutum ministerium publicum, ibi impiè negliguntur aut contemnuntur subsidia publica vivorum commentariorum, non est tamen illud universaliter verum, privata lectione aut meditatione omnino perveniri non posse ad illam scripturarum intelligentiam, quæ ad salutem sufficiens est, quando vivi vel scripti commentarii haberi non possunt. Quia (juxta ea quæ diximus *Disp. præcedenti Thesi XI.* de lucerna candelabro imposita) candelabrum se lucernæ subjiciens utile quidem ministerium præstat omnibus qui in domo sunt, in se tamen Lucerna non fit magis lucida candelabro imposita, quam manu gestata. Quid quod promissiones divinæ de reliquiis salvandis *Rom.* IX. 27. 28 29 & de præsentia Christi in medio duorum aut trium qui coacti erunt in nomine ejus, & de exauditione petitionis in qua vel duo consenserint *Matth.* XVIII. *v.* 19. 20. fidem faciunt, etiam publicè remoto candelabro juxta illud *Apoc.* II. 5 privatim tamen ad lucernam verbi Dei lampadas accendi posse, & reapse accendi auxilio gratiæ.

VI. Au-

VI. Audiamus porrò rationem *Pontificiorum* unam atque alteram ex Scriptura ipsa, pro Necessitate Traditionum non scriptarum propter Scripturæ S. Obscuritatem. Sic itaque *Bellarminus de Verbo Dei Libr.* IV. *Cap.* 8. *Accedat postremo dignitas mysteriorum multorum, quæ silentium requirunt, nec decet, ut in Scripturis quæ toti mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda mysteria Missæ non licet admittere ullos non Baptisatos, quomodo licebit eis eadem scripta tradere? Hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur Parabolas, quas populo loquutus erat Luc.* VIII. *& Apostolus ait* 1 *Cor.* II. *Sapientiam loquimur inter perfectos. Et passim veteres cum de Sacramento Eucharistiæ loquuntur dicere solent; Norunt fideles, norunt initiati.* Similiter *Lib.* III. *Cap.* I. Quod *necessario fatendum est Scripturas esse obscurissimas: siquidem tradunt summa Mysteria.* Inter Mysteria illic quoque meminit Sacramentorum.

VII. Sorex suo se prodit indicio. Vera ergo *αἰτία* quare pro Traditionibus non Scriptis dimicent *Pontificii*, minime est illa, ut ad Verbi Scripti lucernam obscuriorem accedat lucerna altera Verbi non scripti; quæ obscuritatem Scripturæ in tradendis summis & tremendis mysteriis discutiat atque illustret, atque sic efficiat, ut Scripturæ lucerna auctiori lumine luceat omnibus qui in domo sunt. Etenim cui bono quæratur remedium illi Obscuritati? si dignitas mysteriorum ista est, quod *silentium requirant, nec toti mundo loquenda aut explicanda sint.* At quis non videat veram *αἰτίαν* illam esse contradictionis Pontificiæ contra Scripturæ perspicuitatem, quod mysteria in Scripturis explicata, sed minime ex ipsorum mente, velint credi fide implicita h. e. superstitione cœca, absque intelligentiæ luce: ita ut non possit ad omnes emanare veræ interpretationis Traditio, sed inter perfectos detineri in silentio. Si enim urgetur Necessitas Traditionum non scriptarum, propter scripturæ sacræ obscuritatem, debebant hoc satagere, ut Mysteria omnia in scriptura obscurius tradita, fierent Traditionum non scriptarum subsidio explicatiora & faciliora intellectu toti mundo: non ut in iis scripturæ lucerna, ex hypothesi obscurior, sub illo silentii modio occultaretur & porrò exstingueretur.

VIII. Quidquid sit, ex ipsa illa *Bellarmini* hypothesi, si quidem nulla est major scripturæ Obscuritas, quam *in mysteriis quæ non decet ut toti mundo explicentur, sed quæ silentium requirunt*: non est illa quidem Obscuritas ex ulla scripturæ intrinseca imperfectione aut insufficientia lucis necessariæ ad salutem, propter quam flagitari debeat juxta lucernam scripturæ lucerna altera Interpretationis authenticæ.

IX. De altiori Sapientia illa, quam *inter solos perfectos* loqui oporteat, altera est Quæstio, tractanda sequenti Disputatione. Superest quod *Bellarminus* subnectit; *quod sint in Scripturis plurima quæ prima fronte videntur contraria, sint verba & orationes ambiguæ, sint orationes imperfectæ, sint orationes præposteræ, sint phrases propriæ Hebræorum, sint orationes figuratæ plurimæ, Tropi, Metaphoræ, Allegoriæ, Hyperbata, Ironiæ, & alia id genus sine ullo numero.* Respondemus; tantum abest ut semper phrases propriæ Hebræorum, & orationes figuratæ obscuritatem pariant, ut sæpe significantius exprimant

primant sententiam, & familiarius insinuent discentibus, per quandam Dei ad nos συγκατάβασιν. *Job.* III. 12.

X. Deinde res ipsa loquitur, si qua oboritur in scriptura obscuritas ex phrasibus Grammaticis, aut tropis & figuris Rhetoricis, illam non flagitare alium Canonem seu principium Theologicum, sed tantum judicium Logicum, Grammaticum, Rhetoricum. Adeoque rationes istæ cunctæ non arguunt ullam singularem obscuritatem in scripturis sacris, quæ non communiter reperiatur & in singulorum Patrum scriptis & commentariis & in Patrum consensu, item in rescriptis Pontificum, Conciliorum Canonibus & Decretis, & in corpore Juris Canonici.

XI. Ac speciatim non est quod Pontificii scripturis sacris exprobrent ἐναντιοφανῆ quæ prima fronte videntur contraria, cum scommatis istis quæ audivimus *Disput. II. de Naso Cereo*, de *Ædificationis Lesbiæ plumbea regula*. Cum non stet intra ἐναντιοφανῆ, Patrum & Conciliorum ac Decretorum juris Canonici concordia discors, sed occurrant plurima frontibus adversis pugnantia, quæ si conciliatio tentetur glossa corrumpit textum: nec conciliantur alia *æquitate*, quam quæ *Aristoteli* dicitur *Ædificationis Lesbiæ plumbea regula*, quam profitentur *Censores Universitatis Duacensis in Judicio de libro Bertrami Presbyteri*, quod extat in *Indice Expurgatorio ad literam B. Cum*, inquiunt, *in Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores, extenuemus, excogitato commento persæpe negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponuntur in disputationibus aut conflictionibus cum adversarius.* Ista quidem *æquitas* in scripturarum tractatione parum abforet à Sacrilegio: atque illic sub expurgationis prætextu evadit plagiaria.

XII. Ad responsionem datam *Thesi X.* regerit *Greg. de Valentia*, *non Grammaticæ tantum sed rerum imprimis Doctore opus est ad Scripturam intelligendam.* Respondemus porro; res illæ quarum Doctore opus est ad scripturam intelligendam, non possunt non esse res scripturæ verbis significatæ. Non potest consequenter rerum ille Doctor docere alio Canone quam ipso illo, quem Grammaticè tractat Doctor Grammaticus. Neque cognitio rerum Theologicarum hic prior est Verborum scripturæ significatione, sed ab illa in sui productione pendet, tanquam à causa exemplari organica. Eapropter ipsa quidem rerum cognitio postquam ingenerata est, quasi per lucis reflexionem, facit intelligentiam scripturarum auctiorem & intensiorem. Attamen manet circumscripta Verborum significatione legitima, ut extra eam vagari non possit. Adeoque præpostere invertitur rerum ordo, quando ea lege postulatur Doctor rerum, ut ante non credatur Doctori Grammatico de verborum in significatione, quarum rerum Doctori credideris ex alio Verbo quam cujus significatio quæritur. Certe isthoc pacto non hoc agitur ut res primo innotescat ex Verborum significatione, sed ut ex rebus aliunde præcognitis postliminio innotescat Verborum significatio.

XIII. Ea est vis veritatis de nulla scripturæ in necessariis obscuritate per se, sed tantum per accidens propter infirmitatem & vitium in hominis intellectu, ut habeamus confitentem adversarium *Gregor. de Valentia. Fatemur*,

Fatemur, inquit, *igitur ante omnia, & concedimus adversariis, hominum vel infirmitate, vel etiam vitio accidere, ut Scriptura non intelligatur. Analys. fid. Cath. lib.* v. *cap* 2. Idem: *quod enim dicunt Sectarii id hominum culpa ac perversitate, non Scripturæ vitio accidere, nos etiam fatemur. Cap* 4.

XIV. At videndum quomodo idem de *Valentia* satagat κατὰ τὸ βίαιον in nos contorquere confessionem istam, & inde tanquam fidiculis exprimere necessitatem alterius Verbi non scripti. *Cap.* 2. *Sed*, inquit, *vicissim ab ipsis postulamus, ut quia tolli hac in vita nequit illa infirmitas & difficillimè vitari hoc vitium ab hominibus potest, nobiscum etiam agnoscant & fateantur Scripturam solam quæ vix à paucis rectè intelligi potest, non esse communem illam fidelium omnium regulam & magistram, à quâ in quæstionibus fidei doceri posse infallibiter omnes oportet. Quæ enim Fidei regula communis hominibus ipsis est proposita, eam prorsus oportet ex parte imprimis ipsorum hominum esse cognitu facilem atque adeo perspicuam. Siquidem tota eorum ad usum accommodata esse debet. At Scripturam, ex parte saltem conditionis hominum, obscuram & difficilem esse certum est, ut sint etiam impudentes sectarii si negent.* Resp. I. Quandoquidem negant in hac vita illam infirmitatem tolli posse, eodem argumento, quo necessitatem Verbi non scripti urget, ejusdem usum in hac vita perimit. II. Negamus ad Regulæ perfectionem absolutè requiri illum actualem Regulæ fructum, ut qui per illam regulari debet, se actu illi subjiciat: sufficit alterutrum, ut obtineatur vel subjectio illa debita, vel inobedientiæ & aberrationis elenchus. 2 *Cor.* x. 5. 6. III. Difficilis ille scripturæ usus, quamdiu intellectus vitio & infirmitate laborat, non magis arguit necessitatem alterius verbi non scripti, quam oculorum maxime lippientium vitium & infirmitas, propter quam nequeas in Solem ἀτενίσαι, alium Solem flagitat. IV. Difficultas illa qua Regula non patitur se accommodari ad infirmitatem aut vitium quod illi rei inest quæ per illam regulanda est, nullam arguit Regulæ imperfectionem.

XV. Hic autem se prodit in *Pontificiorum* disputatione Spiritus vertiginis & contradictionis. Modo enim eo nomine Scripturam injuriâ depreciant; *quod sit cerea, ejusque nasus cereus, qui nimis facile se accommodat utentium præjudiciis tanquam Lesbiæ ædificationis plumbea regula.* Modo urgent alterius regulæ & Canonis necessitatem, quod Scriptura non habeat illam plumbeæ regulæ ἐπιείκειαν. Quod tantum non verbis totidem disputat *Charronus Veritate* III. *Cap.* 2. *Scripturæ Collegam dari debere, & Collegas duos esse Scripturam & Ecclesiam, ut ubi Scriptura ἀκίνητος immota est, semperque est & manet quod fuit ab initio, tanquam Lex, Ecclesia præstet Legislatoris ἐπιείκειαν, eo quod possit se ipsam de novo semper magis exprimere & explicare.*

XVI. Ad hæc. V. Quandoquidem in disputatione hac per variam metaphoram æquipollent, *Canon* seu Regula fidei & morum, & *Via* qua incedendum est per fidem ad Vitam æternam *Act.* XIX. 9. *Gal.* VI 16. *Phil.* III. 16. dicemus, æquipollenter isti quam audivimus argumentationi *Greg. de Valentia*, opus esse ut alia sit communis via qua fidelibus eundum est, quam *arcta* illa *via* qua nos ire jubet Christus, quia, ipso Christo teste, illa adeo

non est accommodata ad conditionem humanæ infirmitatis & vitii, propter coarctationem istam, ut *pauci sint qui illam inveniant* *Matth.* VII. 13, 14. adeoque *Justus vix salvetur.* 1 *Pet.* IV. 18.

PROBLEMATA.

CElebris Jesuita *Petrus Cottonus* (referente *Jac. Aug. Thuano*, ex Indice quærendorum prolixo manu ejus propria & lingua Latina exarato *ad annum* 1604. *libro Hist.* CXXXII. *pag. Edit. Roverianæ* 1636.) ex Energumena Hadriana, sive à Spiritu maligno, inter plura alia sciscitatus est.

Quid se vellet Deus scire, circa viam ut abstineat à peccatis?
Quis evidentissimus Scripturæ locus ad probandum Purgatorium?
Qui sint VII. Spiritus ante Thronum Dei?
Quid utilissimum ad conversionem omnium hæreticorum?
Si quid se scire velit Deus de tempore quo Calvini hæresis extinguetur?
Circa Genevæ plagiarium quid se scire velit Deus per ipsum Spiritum?

[Geneva plagiaria, liber est P. Cottoni scriptus contra versionem Bibliorum Genevensem utramque, qua utuntur Ecclesiæ Gallicanæ.]

Quæritur An juxta Concilii Tridentini decretum pari affectu ac reverentia susceperit ac veneratus sit Propheticas & Apostolicas scriptas & sine Scripto Traditiones. An utrasque ut Obscuras & non Sufficientes in necessariis ad salutem dogmatis, missas fecerit; quærens à Principe mendacii & tenebrarum novam lucernam seu Principium veritatis Theologicæ? Disquiri permittimus ex *Esai.* VIII. 19. 20. & 1 *Tim.* IV. 1.

II. Sitne sufficiens cautela ista in Papatu, in Exorcismo ad Energumenos affectato, (contra curiositatem Sacerdotis vel Exorcistæ, qua peccavit *Cottonus*) quæ exstat in Manuali seu Processionario Fratrum Regulam Primitivam Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli profitentium, qui Excalceati nuncupantur; edito *Madriti* 1591. *Cap.* XI. §. 4. *fol.* 59. *verso* & 60. *Sacerdos vel Exorcista &c. Præterea cavere debet, ne sit levis, & curiosus investigator; non enim licet interrogare nisi de iis tantum quæ ad oppressi liberationem quoquo modo pertinent. Poterit vero ex parte Christi interrogare Dæmonem, ipsum arctando ut dicat; utrum sint multi vel pauci? Quod sit nomen ejus & sociorum? Qua de causa sunt ingressi? Qua hora? Per quam personam sint expellendi? Per quem Sanctum? Qui sint sui inimici in cœlo,* & *qui in inferno? Quibus verbis magis crucientur? Si sint aliquo pacto seu maleficio ibidem alligati? Quomodo illud maleficium dissolvi ac destrui possit? Quis sit in illo corpore Princeps illorum? Denique si talis persona sit vere vexata? Et similia.* Negamus.

DISPU-

DISPUTATIO SEPTIMA
QUÆ EST I. DE
Scripturæ Sacræ Sufficientia, & Traditionum non Scriptarum nullitate.
1642. III. Martii.

FUIt πρόφασις Disputationis Papisticæ pro Neceſſitate Traditionum nonScriptarum gemina, propter ScripturæS. I. Incertitudinem. II. Obſcuritatam. Sequitur αἰτία ſeu cauſa vera, propter quam urgent Traditiones non ſcriptas; ut ſcil. ipſis fas ſit in fide & praxi, quod eſt præter, quin contra formam Scripturarum, ac conſequenter quod nefas eſt, ſi nos oporteat ſolis Scripturis contentos eſſe. Nihil hic diſſimulat *Jodocus Ravenſteyn Profeſſor Lovan. Conſut. Confeſſ. Antverp fol.* 12 NON *enim*, inquit, HIS CONTENTI SUMUS, *quorum Apoſtolus aut Euangelium mentionem fecit; ſed, & ante & poſt, alia quædam dicimus velut magnum robur ad myſterium habentia, ex doctrina ſcripta non prodita aſſumta.* Expreſſit Latine, quæ leguntur Græcè in Editione Operum *Baſilii Magni Libro de Spiritu* S. *Cap.* XXVII. Quæ eſſe mala fide *Baſilio* infarta fidem faciunt ſequentia ex ipſo *Baſilio* excerpta. *Edit. Baſil.* Latina 1566. Græca 1551. *Manifeſta eſt elapſio à fide & ſuperbiæ crimen, aut reprobare quid ex his quæ ſcripta ſunt, aut ſuperinducere quid ex non ſcriptis.* Lat. pag. 461. Gr. 394. Idem *in Aſceticis* ſeu *Moralium ſummis. Quod oportet omne verbum aut rem confirmare teſtimonio Sacræ Scripturæ, ad certitudinem quidem ac perfectionem bonorum, ad confuſionem vero malorum.* Summa XXVI. Cap. I. Lat. pag. 478. Gr. 409. Idem *in Aſceticis; Omne quod extra divinitus inſpiratam Scripturam, non ex fide eſt, peccatum eſt.* Summa VIII. Cap. 22. Lat. 512. Gr. 437.

II. Idem *Raveſteyn* non veritus eſt ſuis verbis dicere *fol.* 12. *Verbo ſcripto addendam eſſe Catholicam & Eccleſiaſticam Traditionem.* Et *fol.* 13. *Regulam & amuſſim veritatis circa Religionis dogmata non tam ſcriptum verbum, quam Traditionem à majoribus acceptam eſſe.* Eſt illo impudentior *Carranza*, cui ſi credimus, *Eccleſia viſa eſt aliquando facere contra ſcripturas & aliquando præter ſcripturas;* (loquitur de Eccleſia Apoſtolica) *ergo*, inquit, *ipſa eſt regula eorum quæ traduntur in ſcripturis.* Et mox: *Ergo credimus Eccleſiæ contra formam ſcripturarum.* Rurſum: *Eccleſia determinavit multa, quæ non habentur in ſcripturis expreſſe.* Et mox: *Item in Eccleſia ſunt & alia, quæ nec expreſſe nec obſcure habentur in ſcripturis &c. Controv.* II. Non multo verecundius *M. Canus lib* II. *cap.* 18. *Sunt qui reſpondeant Eccleſiæ auctoritatem tantam eſſe, ut quædam etiam de ſcripturis ſacris immutarit &c. Hoc autem reſponſum hanc quidem habet viam, quæ deducit ad convenientiam conſervationemque Eccleſiaſticæ auctoritatis, quam ſi ſequemur nunquam aberrabimus: ſequemurque & id quod certum ac tutum eſt, & id quod*

id quod ad fidelium consolationem accommodatum, & id quod vehemens forte &c. Idem *Lib.* III. *c.* 3. *Fund.* 3. *Tertium Fundamentum, Multa pertinere ad Christianorum doctrinam ac fidem, quæ nec aperte nec obscure in sacris literis continentur.* Idem *Lib.* XII. *cap.* 7. *Sexta præceptio; Quodcunque dogma Fidei vel Ecclesia habuerit, vel Concilium auctoritate Pontificis roboratum, vel etiam summus ipse Pontifex fidelibus præscripserit, vel certe sancti omnes concordissime constantissimeque tenuerint, ita nobis illud pro Catholica veritate habendum est, ut contrariam sententiam hæreticam sentiamus, quamvis nec aperte nec obscure in Scriptura sacra contineatur &c.*

III. Plerique tamen Pontificii hic prætextibus agunt, ac nolunt videri quidquam credere aut facere velle contra formam Scripturarum, adeoque expresse & explicite hoc tantum asserunt; *Non omnia in Scripturis haberi explicite vel expresse, quæ ad salutem necessaria sunt*, atque ea propter opus esse præter Scripturam S. altero Verbo non scripto. Quod prima fronte coincidit cum prætensa necessitate Traditionum non scriptarum propter Scripturæ S. Obscuritatem. Sed plus habet assertio ista in recessu; quod produnt auctores terminorum explicatione; V. G. quando dicunt *Tacite aliquid in Scripturis sacris inveniri*, id *Driedo* explicat in hunc modum; *quod non sic immediate ex Scripturis sacris secundum Traditionem Ecclesiæ intellectis ex necessitate consequitur: sed vel indicatur magis quam explicatur, vel quia invenitur per universam custoditum Ecclesiam, ortum esse creditur ab Apostolis, quorum doctrinas Scriptura sacra in omnibus commendat. de Eccles. Script. fol.* 315. Et mox *fol.* 316. *In scripturis ergo sacris quicquid est utile in religione Christiana commendatur, & quidquid noxium damnatur, sive tacite sive expresse: quia illic traduntur consilia & præcepta de audienda Ecclesia Apostolica, & de præpositis audiendis.* Istis gemina habet *Crommerus de falsa Luther. relig. L.* II *fol.* 82. Ergo non censent illi quidem propter solam Scripturæ S. obscuritatem, sed propter illam quoque imperfectionem necessarias esse Traditiones non Scriptas, quod non sit in Scriptura S. plenus & sufficiens τύπος διδαχῆς, seu doctrinæ norma omnium & singulorum dogmatum necessariorum, à quo pendet illorum hypotyposis Ecclesiastica. Sed volunt quædam dogmata esse ita ἄγραφα ut per nullam Scripturæ interpretationem discantur, sed tantum Verbo non scripto confirmentur: *quamvis* (ut loquitur *Andradius*) *nullis possint sacrarum literarum sententiis confirmari, vel testimoniis demonstrari. Def. Fid. Trid. fol.* 154. 159 *Tanti enim* (inquit Idem *fol.* 88.) *faciunt Ecclesiæ Majestatem ut quæ illius fulta sunt judicio & auctoritate, sine ullis Scripturæ S. testimoniis tanquam Spiritus* S. *voces observent & venerentur.*

IV. Audiendum autem quænam sint dogmata illa quæ apud illos sunt in hoc censu, quæ quidem Pontificii contra nostram fidem volunt esse necessaria ad salutem, ut contrariam sentire sit hæresis, quamvis ex Scripturis demonstrari non possint. *Sunt autem hujuscemodi* (inquit *Driedo*) *Veneratio & Invocatio Sanctorum martyrum, solenne jejunium, à Carnibus & cæteris cibis abstinentia, Suffragia vivorum pro defunctis, Voluntaria vota in castitate Deoque dicata virginitate, Purgatorius ignis post mortem, Sacramenta Confirmationis,*

tionis, Confessionis, Sacri ordinis, Unctionis, Corpus Christi sub specie panis & vini, Missæ sacrificium, cæteraque officia Ecclesiastica, Sacerdotum Cœlibatus. Lib. IV. *fol.* 283. Accipimus ut confessionem vi veritatis expressam, quod ibidem *Driedo*; *Si in his contemnamus Traditionem, non erit nobis ullum scutum, quo doctrinam fidei quæ nunc est defendere valeamus.* Miscet perperam alia nonnulla dogmata quæ solidè ex Scripturis demonstrantur. Vere porrò *Jod. Ravestein* libro supra citato *fol.* 13. 14. *Nihil traditum in Scriptura Apostolica, de Crucis signaculo, Eucharistia ostensa ad adorandum, Chrismatis usu, Exorcismo & Exsufflatione, Abrenunciatione Diaboli in Baptismo.* Vere *Canus*; *Nec aperte nec obscure in Sacris literis contineri, Sanctorum Martyrum auxilium precibus implorandum, Imagines venerandas esse, in sacrificio Eucharistiæ simulcum corpore sanguinem esse Sacerdotibus conficiendum. Lib.* III. *cap.* 3. *fund.* 3. Nos hæc quidem jam nominata dogmata ἄγραφα fatemur, sed eo nomine rejicimus tanquam vel superstitiosa vel idololatrica ad Verbum Dei additamenta.

V. Confundunt hic alia quædam ἄγραφα, in quibus necessitatem quidem ad salutem quam urgent nullam agnoscimus, de quibus tamen & nos veneramur Traditionis antiquitatem. Tale dogma ἄγραφον, quod passim obtendunt, est *opinio de Mariæ post natum Jesum Virginitate perpetua.* Sed non constant sibi Pontificii: nam juxta *Indicem Bibliorum Joh. Harlemii in litera M. Mariæ perpetua Virginitas significatur* XIV. *Scripturæ locis.* Quod si statuatur, quo schemate urgetur in istius dogmatis gratiam Verbum non Scriptum? An ad interpretationem Scripturæ, quod illa hac parte Obscura sit? Atqui superiori disputatione evicimus, sic non opus esse Verbo ἄγραφα sed Scripturarum collatione. Deinde hoc dogma Scripturis additum, pari ἰσοτιμίᾳ, atque adeo, ex ipsorum Pontificiorum hypothesibus, non lucem infert sed aliquam obscuritatis speciem, etsi tanta non sit, quin à Doctore Grammatico tolli possit, si id flagitaret necessitas. Enimvero nos cum Pontificiis aliis censemus esse ἄγραφον omnino, atque hoc ex hypothesi largimur: siquidem (quod pernegamus) id præter Scripturas necessario credendum esset, opus fore alio verbo non scripto.

VI. Reliquæ sunt inter Dogmata ἄγραφα Constitutiones Ecclesiasticæ, quæ in circumstantiis cultus, divinitus instituti, & qui ex Scriptura supponitur, aliquid sanciunt. Atqui res ipsa loquitur Circumstantias illas, utpote sitas in rebus per se Adiaphoris, non esse paris necessitatis cum ipso cultu religioso, adeoque peccari si quis vel superstitiose illa dogmatiset, vel propter illa impiè detrahat alicui dogmati scripto. Utroque nomine merito explodimus, ut maximam partem superstitiosas & impias, Cæremoniarum Pontificiarum quisquilias, quas in suis illi Ritualibus & Cæremonialibus libris venditant Titulo Traditionum Ecclesiasticarum, nihilo meliores Judaicis illis Traditionibus, quæ Verbo Dei scripto damnatæ sunt & proscriptæ. *Esai.* XXIX. 13. *Matth.* XV. 9 *Gal.* IV. 9. 10. 11. *Col.* II. 20. 21 22. 23. 1 *Tim.* 1. 4. 5. 6. 7. 1 *Petr.* 1. 18. Habemus hæc confitentem hyperaspistem *Cassandri Defens. libel. de Officio pii viri pag.* 152. *Non inficiatur auctor* (Cassander) *homines aliquando imperitos & superstitiosos Ecclesiastica constitutione*

stitutione ad Tyrannidem & oppressionem & laqueum conscientiarum esse abusos. Illis hic dictum esto illud *Adriani VI. Pontif. Quotlibet. Quæst* III. *Meminerint illius Androculi; Legibus ipsis Lege opus est quæ eas corrigat, quemadmodum & marini pisces salso mari educati adhuc sale egent, quo sapidi fiant aut à corruptione præserventur. Quod maxime verum est de Legibus & statutis humanis, quas utique necesse est ad normam divinæ Legis corrigere: ne tandem locum in nobis obtineat, quod Pharisæis improperavit Christus, Populus hic labiis me honorat cor autem eorum longe est à me; sine causa colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum, subaudi, non ad meam doctrinam vel legem correctas & moderatas Matth.* XV. *Etiam nisi sit correctæ fuerint & moderatæ, nihil humanarum Traditionum Lex esse poterit, neque certe Lex dici meretur.*

VII. Sic ergo formato & exposito Controversiæ statu, negamus admittendas ullas quocunque Titulo Traditiones non Scriptas, quæ non habent sui juris & veritatis ex Verbo Dei Scripto demonstrationem; easque nomine Verbi non Scripti Verbo Dei Scripto superadditas damnari credimus & proscribi oraculis & Anathemate divino. *Deut.* IV. 2. & XII. 32. *Gal.* I. 8. 9. *Apoc.* XXII. 18. 19. Necessitatis autem πρόφασιν, Scripturæ scilicet non sufficientem Perfectionem, refellunt loca *Joh.* XX. 30. 31. 2 *Tim.* III. 15. 16. 17. Quæ oracula breviter vindicanda à Pontificiorum Evasionibus.

VIII. *Deut.* IV. 2. XII. 32. excipit *Bellarminus. I. Non agi de Verbo scripto sed Tradito viva voce. II. Veram expositionem ejus loci esse, non quod Deus vult dicere, non servabitis aliud quam id quod vobis præcipio: sed in hoc quod præcipio nihil mutabitis addendo, vel minuendo, sed integre facietis ut jubeo & non aliter. Alioqui,* inquit, *peccassent Prophetæ & Apostoli, qui tam multa postea addiderunt.* Coincidunt fere illa quæ idem respondet ad locum *Apoc.* XXII. 18. 19. *Johannem ibi prohibere corruptionem libri illius, non autem ne alii libri scribantur, aut alia dogmata tradantur: alioqui ipse secum pugnasset, qui juxta Kemnicium scripsit Euangelium post Apocalypsin.* Ad locum *Gal.* I. 8. 9. similiter regerit: *Apostolus ipse multa alia postea docuit, & post hanc Epistolam scripsit Johannes Apocalypsin & Euangelium suum.* Resp. I. Erat saltem cum Moses Deuteronomium scriberet scriptum reliquum Mosis Pentateuchum. Si ergo mens *Bellarmini* est, *Mosen non loqui de solo Verbo scripto sed de omni verbo sive scripto sive tradito,* (quod verbis illis *Bellarminus* mox respondet de Apostolo *Gal.* I.) dicimus, quemadmodum Apostoli nihil prædicabant quod non aut continebatur Verbo Dei ante scripto *Act.* XXVI. 22. aut porro ipsi scripturi erant, sic Moses de nullo Verbo aut Legis non scriptæ doctrina Cabalistica loquitur, quam non ex ore Dei acceptam aut scripserat jam ante, aut in Deuteronomio porro scripturus erat. Conferatur *Exod.* XXIV. 7. *cum Deut.* XXXI. 24. II. Negavit Deus humano arbitrio & potestati ordinariæ in Ecclesia facultatem adjiciendi ad Scripturas Canonicas; sed usque ad Apostolorum excessum sibi reservavit libertatem illam, auctiorem faciendi Canonem scriptum. Peccassent itaque Prophetæ & Apostoli si ad Canonem olim Pentateucho Mosis plene constitutum ac propositum, adjecissent quidquam privato arbitrio: non peccarunt autem Deo immediate &

extra

extra ordinem ipsos ad scribendum deducente aut dirigente, & per illos adjiciente ad Mosaicam Scripturam Scripturam ampliorem; per quam Canon Mosaicus esset [illegible] ut initio scriptus, sic clarius expositus & suis circumstantiis auctior, ac tandem ultimo auctario ex Euangelicis & Apostolicis scriptis completus. III. Oraculis ergo & anathematis istis propter omnem ἐθελοθρησκείαν, prohibetur non tantum corruptio libri singularis; sed una edicitur toti Ecclesiæ, ne quis authenticæ Scripturæ traditæ vel tradendæ ab illis à Deo [illegible] designatis testibus, vel viva voce vel scripto adjiciat dogmata apocrypha.

IX. Tertia *Bellarmini* Evasio principalior est ad locum *Gal.* I. 8. 9. *Quod per illud (Præter) Apostolus intelligat Contra, & proinde non prohibeat nova dogmata & præcepta, modo non sint contraria & aliena.* Id probat ex alio loco, ubi Apostolus sic utitur voce præter: *Nam Rom. ultimo, Observate, inquit, eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam accepistis faciunt. In utroque autem loco eadem est vox Græca* παρὰ. Respondemus, vox Græca παρὰ media est & generalior, significans & *juxta* & *contra*, seu tam Appositionem quam Oppositionem. Quamvis itaque admitteremus ut παρὰ hic esset *contra* sicut *Rom.* XVI. 17. quatenus quod adjicitur ad Scripturas est contra generalem Scripturarum obsignationem, seu mandatum generale, ne quid adjiciatur: nihil tamen cogit ita accipere, quasi nihil vetetur, modo non sit contra dogmata singularia quibus adjicitur. Conferatur illud *Rom.* I. 25. παρὰ τὸν κτίσαντα, *Præter Creatorem* exponendum; quia alias eximerentur numero Idololatrarum, qui cum Deo Creaturas colunt religiose. Quid quod Etymologia qua Latinum *Par* est ex παρὰ q. d. *juxta*, *pariter*, evincit pugnare cum voce παρὰ ab Apostolo adhibita in hoc argumento *Parem pietatis affectum* qui mandato *Concilii Tridentini* exhibetur *tam non scriptis quam Scriptis Traditionibus.* Concludimus ergo feriri Anathemate utrosque, tam qui pari pietatis affectu suscipiunt & Non scriptas & Scriptas Traditiones, quam qui Scripturas missas faciunt; & quod *Carranza* non erubescit profiteri, *Ecclesiæ credunt contra formam Scripturarum,*

X. Ad locum *Joh* XX. 30. 31. excipit *Bellarminus* I. *Inepte quæ de solis miraculis dicuntur transferri ad omnia dogmata fidei, & morum præcepta.* II. *Johannem non loqui nisi de rebus à se scriptis, quæ si sufficerent superfluæ forent omnes aliæ Scripturæ; quia dicit, in libro hoc.* III. *Præter dicta & facta Christi, etiamsi illa scripta sint sufficienter, multa sunt alia necessaria; alioqui omnes historiæ & documenta Test. V. & ipsa Acta Apost. & Epist. Petri, Pauli, Johannis, Jacobi, & Judæ supervacanea essent.* IV. *In Euangelio continentur sufficienter omnia non quidem in particulari, sed in universali, quia Euangelium monet, ut de rebus dubiis Ecclesiam consulamus.* Resp. I Non potest de solis miraculis intelligi Johannes, seorsim à dogmatis fidei & morum; quia seorsim miracula non sufficiunt ut credamus & credendo vitam habeamus, neque seorsim scripta sunt, sed tradita una cum doctrina, ut signa doctrinam subsequentia. *Marc.* XVI. 20. II. Impie superfluum vocatur in Scripturarum syntagmate, quod ultra præcisam sufficientiam à pluribus etiam abundanter scribitur.

bitur. III. Sufficientia non vindicatur uni Johannis Euangelio, sed pe Synecdochen toti librorum syntagmati. Ut Johannes ultimo scribens ostendere voluerit, ad finem usque mundi nullos alios libros Canonicos esse exspectandos, ac suo hoc libro Canonem Scripturarum fore completum: neque ad obtinendam vitam æternam necessarium fore aliud Canonis auctarium aut supplementum.

CORNELIUS JANSSENIUS Episcopus Gandavensis Commentario in Concordiam Euangelicam, ad *Joh.* XX. 30. 31. pagina operis ultima. *Scripserat Johannes post alios tres Euangelistas: & ea fere scripsit quæ alii prætermiserant.* Et mox; *Scripserunt autem & maxime ex multis Euangelistæ, quæ ad Religionem ac fidem & mores utiliora erant magisque necessaria, quibus qui non credit neque pluribus fidem habiturus esset: qui vero credit, alia ei non sunt necessaria. Proinde & nos* HIS CONTENTI *diligenter his quæ ab ipsis scripta sunt attendamus, gratias agentes Deo, qui per hæc quatuor istorum ad nos cognitionem derivari fecit.*

DISPUTATIO OCTAVA
QUÆ EST II. DE
Scripturæ Sacræ Sufficientia, & Traditionum Non Scriptarum nullitate.
1643. X. Martii.

AD locum 2 *Tim.* III. 15. 16. 17. *Bellarminus* excipit. I. *Quod Scriptura sufficienter instruat & perficiat hominem Dei, quia multa expresse continet, & quæ non continet ostendit unde sint petenda.* II. Ne hanc quidem sufficientiam Scripturæ eo loco tribui, *quia Omnis Scriptura non totum corpus scripturarum, sed etiam singulos libros significat, quibus singulis illa sufficientia non convenit. Et scopus Pauli est loqui de parte Scripturæ Testamento Veteri.* III. *Utilis est non significare Sufficiens est, sed prodest ac juvat.* IV. *Colligi ex aliis locis Scripturam solam non sufficere: ut ex illo* 1 *Cor.* XI. *Cætera cum venero disponam, &* 2 *Thess.* II. *Tenete Traditiones, sive per sermonem sive per Epistolam, & ex hoc ipso loco; quia laudes has tribuit cuilibet Operi Canonico, non autem sufficit quodlibet opus Canonicum, quia tunc alia essent superflua.* Resp. I. Contradictionem implicat Sufficienter instrui & perfici hominem Dei ex Scripturis, & Scripturas ostendere, quædam aliunde petenda esse quæ in ipsis non contineantur. Negat certe se sufficientem magistram, si fatetur præter se alia Magistra opus esse. Meræ sunt præstigiæ, quando asseritur, Dogmata particularia sufficienter Euangelio contineri, in universali; quæ juxta Verbum non scriptum credenda obtruduntur, sine ulla demonstratione ex aliquo Scripturæ testimonio. Debebant saltem juxta illam assertionem

exstare in Scripturis argumenta & medii termini, ex quibus per præmissas syllogisticè flueret conclusio aliqua dogmatica, quemadmodum sub universali particulare ita inest, ut inde elici possit Logico artificio. II. Vix quidquam dici potuit clarius, pro sufficientia magisterii Scripturarum, quam quod *versu* 15. dicitur, δυνάμενα σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, *quæ te possunt sapientem reddere ad salutem per Fidem in Jesum Christum.* Quod elogium, esto, tributum sit eo loco nominatim libris Veteris Testamenti: ergo magis convenit Canoni librorum sacrorum postquam ultimo auctuario suo completus est.

II. III. Esto, *Utilis est*, per se non significet *sufficiens est*, attamen ex eo demonstratur sufficientia, quod enumeratione facta usuum omnium necessariorum, ad omnes usus Scriptura utilis esse pronunciatur. Dentur ergo alii usus necessarii præter Doctrinam, Redargutionem, Correctionem, Institutionem quæ est in Justitia, Sapientiam ad salutem per Fidem in Jesum Christum, perfectam instructionem viri Dei ad omne opus bonum. IV. Nimis autem desultorie *Bellarminus* id elogium vult attributum esse, modo parti isti quæ olim totum Canonem constituebat quæ *Vetus Testamentum* vocatur, modo ejus *singulis libris seorsim.* V Et nimis futile est quod ex voce *Omnis* πᾶσα id conatur exprimere, cum satis sæpe utraque aliud significare non possit quam ὅλη *tota Matth.* VIII. 32. 34 *Eph.* IV. 16. *Act.* II. 27. & occurrant hæc apud *Vulgatum* Latinum interpretem passim, testibus Concordantiis; *Omnis plebs, Omnis domus, Omnis civitas, Omnis Ecclesia, Omne Concilium, Omne prætorium.* Quidni ergo *Omnis Scriptura* sit Totum Scripturæ corpus? in qua tota sufficienter insit tota Regula Fidei & morum. Loca 1 *Cor* XI *&* 2 *Thess* II. aliaque ex quibus *Pontificii* conantur exprimere contrarium, alia Disputatione cum bono Deo vindicabuntur.

III. Ad loca quibus diximus *Disput. VII. Thesi* VI. Verbo Dei damnatas & proscriptas esse Traditiones non scriptas *Esai.* XXIX. *Matth.* XV. *Gal.* IV. *Col.* II. 1 *Tim.* I. 1 *Petr.* I. excipit *Bellarminus*, *Christum & Apostolos non reprehendere Traditiones, quas acceperant Judæi à Mose & Prophetis, quarum una erat de ipsis libris Canonicis qui essent veri & qui non essent: sed Traditiones quas acceperant à quibusdam recentioribus, quarum aliquæ perniciosæ erant & contra Scripturas.* De una illa Traditione qui libri Canonici sint veri qui falsi, diximus *Disp. IV. Thes.* XII. XIII. XIV. Hoc loco disquirere licet, qua fronte Traditionem illam ex hypothesi divinam à Mose & Prophetis acceptam, à Christo & Apostolis servatam, Pontificii suæ Ecclesiæ constitutione loco moveant, adjectione ad Hebræorum Canonem V. T. *integrorum librorum, & partium, prout in veteri vulgata Latina editione habentur*, subjicientes Anathemati omnes qui illos pro sacris & Canonicis non susceperint. *Concil. Trid. Sess* IV.

IV. Deinde flagitamus criteria, ex hypothesi summe necessaria, per quæ discerni queant *Traditiones præter Scripturam necessariæ & utiles*, ab utrisque iis malæ notæ Traditionibus, & illæ rursus ab invicem: scilicet quænam

nam censeri debeant *inanes præter Scripturas*? quænam *perniciosæ & contra Scripturas*? Etenim ne quidem Hypothesis seu postulatum illud Pontificiorum, quod non possit Ecclesia cudere Traditiones *contra* Scripturas, hoc præstabit, ut non cudat Ecclesia Traditiones inanes *præter* Scripturas.

V. Quid quod universim desideramus criteria, per quæ certi queamus esse de Traditionum non scriptarum Veritate, ne pro veris obtrudantur falsæ. Dictat quidem *Bellarminus Criteria quinque numero libr.* IV. *cap.* 9. sed quarum Nullitates mox docebimus. *I. Quando universa Ecclesia aliquid, tanquam Fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in divinis literis. II. Quando universa Ecclesia aliquid servat quod nemo constituere potest nisi Deus, quod tamen nusquam invenitur scriptum. III. Id quod in Ecclesia universa & omnibus retro temporibus observatum est. IV. Cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent aliquid ex Apostolorum Traditione descendere, sive in Concilio generali congregati, sive scribentes seorsim in libris, vel saltem aliquot Patres magni nominis expresse id asserunt, & cæteri non contradicunt, cum tamen ejus rei meminerint. V. Quod pro Traditione Apostolica habetur in illis Ecclesiis in quibus est integra & continuata successio ab Apostolis.* Breviter *vel solius Romanæ Ecclesiæ testimonium.* Quinque hæ regulæ *Bellarmini* nituntur eadem illa ratione universæ, quam ipse speciatim advocat ad primam & secundam: *quia Ecclesia non potest errare in credendo, sed nec in operando, præsertim in ritu & in cultu divino.* Atqui hęc est I. Nullitas istarum regularum prima & princeps, quod incertum probant per æque incertum: atque ab ipsa Fide & praxi Ecclesiæ mutuantur Regulæ Fidei & praxios certitudinem. Vide *Disp. IV. Thes.* XVI. XVII.

VI. II. Altera quatuor primorum Criteriorum Nullitas est, quod omnino in usum deduci non possunt. I. Defectu authenticæ historiæ Ecclesiasticæ post Apostolorum Acta. II. Quia non est unde vel probabiliter constet de Catholico Doctorum omnium post Apostolos, nedum universæ Ecclesiæ consensu. Non per decreta & Canones universalis Concilii: neque ex Patrum scriptis, quia non omnes scripserunt, & multorum scripta perierunt, neque ad nos pervenerunt, & fatetur *Bellarminus*, etiam *vix inveniri universalem consensum in singulis dogmatis, si debeant omnes penitus Patres qui scripserunt, expresse aliquid dicere.* III. Tertia autem est in quatuor istis Nullitas, quod etiamsi hactenus possent deduci in usum, ut habeatur Doctorum omnium seu Ecclesiæ representativæ consensus, si Apostoli secernantur, non propterea quia consensus est, erit consensus in veritate: neque, si opiniones docentium non amplectantur discipuli, effici potest consensus Ecclesiæ Universalis. IV. Quarta nullitas est, quod desperationem de eruendo consensu Patrum arguit quarti criterii ultimum illud tmema, *vel si saltem aliquot Patres magni nominis &c.* Si Canonem partialem Fidei & cultus fundamus in magno docentium nomine, quod nihil aliud est quam humanum axioma, nonnunquam ortum ex præpostera personarum admiratione *Jud.* 16. peccamus contra præceptum *Jacobi cap.* II. I.

VII. V. Nullitas quinta peculiaris quinti criterii est, quod laboret gemina falsa hypothesi. I. In Ecclesia Romana & quidem sola esse Successionem

nem ab Apostolis integram & continuatam. II. Successioni personali connexam esse necessario successionem veræ doctrinæ. VI Nullitas sexta universalis est, quod cuncta hæc Criteria tangunt Traditiones divinas & Apostolicas, neglecta Classe tertia Traditionum Ecclesiasticarum, quas veras à falsis discerni necessarium omnino est: quandoquidem juxta Bellarminum necesse est illas cum aliqua saltem portione Verbi scripti suscipere pari pietatis affectu & reverentia. Vide *Disp. IV. Thesi* I.

VIII. VII. Esto autem nobis hæc peculiaris *Traditionum Ecclesiasticarum Nullitas* in Theologiæ Canone, quod illarum nullum afferatur Criterium, quo veræ à falsis discernantur, & quod non tantum in ista Criteriorum methodo hic plane negligantur, sednon semel ab ipsis Pontificiis jugulentur, quando laborant de stabiliendis Traditionibus non scriptis Divinis & Apostolicis. *Ideo credimus quidquid credimus quia Deus id per Apostolos & Prophetas revelavit. Bellarm. lib.* III. *c.* 10. Idem *ex Eph.* II. concludit; *Igitur illa omnia quæ Ecclesia fide tenet tradita sunt ab Apostolis aut Prophetis, aut scripto aut verbo.* Idem ad eundem locum; *Quia non novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet quæ tradiderunt illi qui ministri fuerunt sermonis. De Rom. Pontif. lib.* I. *cap.* II. Bellarmino præiverat *Canus* his verbis: *Nec con ilia, nec Sedis Apostolicæ Pontifex, nec sancti Scripturarum interpretes novas fidelibus revelationes edunt: sed quas ab Apostolis accepit Ecclesia, aut posteris integras & illibatas tradunt, aut illas exprimunt & interpretantur: aut consequentia & connexa colligunt, adversa & repugnantia manifestant.* Manifeste à *Bellarmino & Cano* ista assertione jugulantur hactenus Traditiones istæ omnes quæ non sunt Divinæ & Apostolicæ, sed (ut *Canus* loquitur *lib.* III. *cap. ult.*) *quæ à posteris Ecclesiæ præfectis prodierunt*, ut saltem non sint numerandæ in Principiis Theologiæ veris & germanis, adeoque non sint dicendæ Verbum Deï, neque Regula & Canon Fidei & morum.

IX. In loco autem Apostoli *Eph.* II. ubi dicitur Ecclesia *ædificata supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, nihil est quod probet testimonium Ecclesiæ de Traditione divina aut Apostolica sine scripto infallibile esse. Quia, dato non concesso per Fundamentum Prophetarum & Apostolorum significari tam sine scripto quam scriptam Traditionem: tamen consequens esset ex ipso loco, non pendere ab Ecclesiæ testimonio verarum Traditionum certitudinem quæ hic quæritur, quia Ecclesia ipsa & consequenter ejus veritas ex hypothesi superstruitur Traditionis Propheticæ & Apostolicæ Veritati ut fundamento, non contra.

X. Deinde locus ille Apostoli etiam intellectus de Traditione Apostolorum & Prophetarum non scripta, alia insuper ratione magis officit causæ Traditionum Pontificiarum, quam illam promovet. Quia agnoscimus lubentes, olim ante constitutum initio, vel completum postliminio Canonem Scripturæ qualiter eum nunc habemus, Ecclesiam fundatam esse non minus Traditione non scripta seu Prophetarum & Apostolorum viva prædicatione, quam Verbo scripto. Veruntamen in ea quæ nunc est Ecclesia affirmamus cessare, una cum cessatione reliquorum miraculorum, Spiritum

tum illum extraordinarium, quo acti olim loquebantur sancti Dei homines; quandoquidem non jaciuntur jam ut olim fundamenta Ecclesiæ, sed Ecclesia jam porro superædificatur fundamentis olim jactis. Non flagitat autem ista subsequens Ecclesiæ ædificatio illam πολυμερῆ καὶ πολύτροπον Verbi Dei œconomiam & dispensationem, qua Deo visum est uti in prima Ecclesiæ fundatione; non magis quam extraordinarios sermonis ministros Prophetas Apostolos & Euangelistas, aut extraordinaria miracula. Atque hæc est, in ea quæ nunc est Ecclesia I. Nullitas Traditionis non scriptæ divinæ & Apostolicæ.

XI. II. Altera nullitas in ea quæ nunc est Ecclesia ista est, quod cessante prima illa extraordinaria œconomia divina cessarunt media illa, quibus, absque periculo *oblivionis*, *negligentiæ*, *imperitiæ*, *& perversitatis*, Traditiones sine scripto potuerint conservari & propagari. Quod evidens est inductione *quatuor causarum adjuvantium præter divinam providentiam*, quas *Bellarminus* hoc nomine commendat *libr.* IV. *cap.* 12. quod *per illas potuerint conservari à Christo usque ad nos per annos M. D. pariter atque olim conservatæ fuerunt Traditiones ab Adamo usque ad Mosem per duo annorum millia.*

XII. I. *Scriptura in monumentis Veterum, & in libris Ecclesiasticis.* Atqui ex hypothesibus Pontificiorum non potest stari illi scripturæ humanæ, nisi post magnam & revera ἀδύνατον conquisitionem *omnium scriptorum & Patrum, qui sunt in orbe, non horum modo, sed & eorum, qui per continuas successiones ab Apostolis ad nos usque fidem propagaverunt*: ex *consensu* enim ejusmodi *Catholico* volunt, ut eruatur latens in corde Ecclesiæ Scriptura, quam *Costerus in Enchiridio pag.* 43 commendat supra *Scripturam in membranis* Apostolicam.

XIII. II. *Usus continuus; quidni enim potuerit conservari usu continuo Traditio non scripta? quo etiam absque scripta Grammatica conservantur linguæ vulgares.* R. Non conservantur linguæ vulgares absque omni permixtione & confusione cum linguis peregrinis, quin intrinseca idiomatis commutatione, juxta illud; *Verba valent usu sicut nummi.* Et

Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Quod ipse *Bellarminus* testatur *lib.* II. *cap.* 15. atque tam hyperbolicè urget, ut hoc argumento satagat extorquere è manibus Translationes Scripturæ, sive earum lectionem Ecclesiasticam in lingua vulgari. *Si*, inquit, *oporteret lingua vulgari sacras Scripturas publice legere, oporteret etiam singulis ætatibus mutare translationes: nam linguæ vulgares singulis sæculis magna ex parte mutantur, ut Horatius in Arte poëtica, & experientia ipsa docet.*

XIV. III. *Monumenta quædam externa, quæ ad longissimum tempus durant, Templa, Altaria, Sacri fontes, Cruces, Imagines & similia lapidea monimenta.* R. Omnia illa sculptilia monimenta *vanitas* sunt & *Opus seductionum Jer.* X. 14. & *Doctor mendacii. Hab.* II. 18.

XV. IV. *Hæreses, quatenus earum occasione singulis ætatibus exstiterant homines docti, qui ut hæreticis resisterent, diligenter investigarunt doctrinam Ecclesiæ &*

siæ & Traditiones antiquas, & magna diligentia eas posteris commendarunt. R. Atqui ista est hæresium antiperistasis, quæ per se minime est causa conservans veras Traditiones, sed corrumpens; per accidens autem excitans causam conservantem, positam primo loco, qua hæreses profligantur, videlicet Scripturas polemicas. Non est ergo hæc causa quarta adjuvans, sed eos tantum acuens causam conservantem, ex hypothesi primam.

XVI. Frustra autem est *Bellarminus*; quando istas quatuor facit causas adjuvantes providentiæ divinæ subordinatas, per quam scilicet impossibile fuerit Traditiones sine scripto non conservari. Hoc enim est modum præscribere divinæ providentiæ, absque ulla præeunte voluntatis divinæ revelatione, & petere principium. Quis ambigat quin per providentiam Dei potuerint à Christo usque ad nos propagari sine scripto Traditiones, quemadmodum propagatæ & conservatæ fuere ab Adamo ad Mosem? Sed merito jure indignum censemus augusta & gloriosa illa Novi fœderis œconomia, si divinam aliquam conservationem Traditionum, quæ ex hypothesi sunt Verbum Dei, tribuamus humanis istis caussis adjuvantibus, quæ scilicet ordinaria tantum Dei providentia gubernantur; destituatur autem divina inspiratione, ubi constat ab Adamo ad Mosem Traditiones sine scripto conservatas non ordinaria gubernatione Providentiæ divinæ, sed iteratis in dies inspirationibus Prophetarum extraordinariis, quos Deus indesinenter mittebat atque excitabat immediatè.

XVII. III. Tertia Nullitas est, quod nihil ad salutem necessarium olim sine scripto tradiderint Christus & Apostoli, quod non tandem in Scripturis consignatum sit. Quod hic sufficiet confirmasse porro verbis *Melch. Cani lib.* III. *cap.* 7. ubi de Christi & Apostolorum Traditionibus sic pronunciat; *Nec Traditiones hujusmodi divinarum Scripturarum sunt additamenta, sed complementa sunt potius, & earum quasi commentaria.* Et mox; *At non sunt istæ, ut diximus Scripturæ additiones, sed interpretationes.* Idem *libr.* II. *cap.* 16. *Si in subitis concionibus Spiritus sanctus Apostolorum linguas attemperabat, quid in scriptis? quæ futura erant æterna.* Postremis istis verbis, velit nolit, necesse est hoc largiatur, nihil divinitus per Spiritum S. destinatum & consecratum fuisse æternæ memoriæ, præter scriptos Apostolorum libros; ac de concionibus Apostolorum, quippe subitis & transitoriis, nihil permanens fuisse præter id, quod scriptis æternis mandarunt acti à Spiritu S.

DISPUTATIO NONA

QUÆ EST DE

Dispensatione contra Scripturas Anti-Christiana.

1643. 11. Martii.

OStensa est à nobis *Disputatione III. & IV* effrons illa Papistarum impietas, latens in mysterio *partitionis Traditionum Scriptarum & non scriptarum, in Divinas Apostolicas & Ecclesiasticas*: qua Scripturas aliquas detrudunt & deprimunt in infimum gradum auctoritatis, ut neque Apostolicæ dici mereantur, sed tantum Ecclesiasticæ quamvis ab Apostolis ipsis scriptæ sint. Ad mysterii illius crypsin *Bell. l. III. c. 7.* obscurius de istis loquitur, Apostolos scriptores *Prælatorum* appellatione includens: quando confuse de utrisque tam scriptis quam non scriptis Traditionibus Ecclesiasticis loquens, illas dicit esse *consuetudines quasdam antiquas vel à populis inchoatas, quæ paulatim tacito consensu populorum vim Legis obtinuerunt*: & mox seorsim nominat *Decreta & Constitutiones Ecclesiæ scriptas*; quæ quidem non possunt intelligi ab aliis scriptæ, quam qui scriptores sunt Traditionum Divinarum & Apostolicarum.

II. Prodit autem causam, ab quam seorsim à Divinis & Apostolicis Traditionibus, has infimæ auctoritatis Traditiones seu decreta & constitutiones Ecclesiasticas fingant in Scripturis Apostolorum, *Andradius Defens. Fid. Trid. fol. 166. Unde*, inquit, *etiam liquet minime eos errasse, qui dicunt Romanos Pontifices posse nonnunquam in legibus dispensare à Paulo, primisque quatuor Conciliis, ad Ecclesiam exornandam, moresque componendos, pro temporum necessitate edictis: qualis est illa, quæ interdicit ut Digamos creari ne liceat Episcopos. Nam cum non fuerint Christi voce rogatæ, sed N. B. hominum prudentia & auctoritate latæ, priori jam libro demonstravimus, illius ditioni subesse, qui rerum summa potitur, & universæ Ecclesiæ gubernacula tractat.* Mox subjungit alia Legum ejusmodi exempla, *Legem de orando aperto capite haud diu a posteris conservatam*: atque hinc concludit, *licuisse hæc & quam plurima alia Apostolorum decreta refigere.*

III. Conspirat cum *Andradio Melchior Canus libr. III. cap. 18.* faciens duas Classes præceptorum Apostolicorum: *Præcepta rursum Apostolorum*, inquit, *quæ in sacris literis scripta sunt, quædam à Christo ipsi acceperunt Gentibus evulganda, juxta illud, Baptisate omnes Gentes, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Altera vero non fuerunt quidem à Christo Apostolis injuncta, sed ipsi post Christum in cœlos assumptum ea populis tradiderunt. Quæ tamen Christi Deique præcepta dicuntur, non ob eam modo causam, quod per acceptam à Deo potestatem lata sunt: verum etiam quia Dei Spiritu peculiariter suggerente edita fuere; Visum est, inquiunt, Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere.* Et mox: *Inter hæc autem Scripturæ mandata non leve discrimen est, quod*

prima

prima illa à Domino Apostolis tradita, ut propria sunt Legis novæ præcepta, ita ea Ecclesia nec remittere ulli potest, sicut ne Legem naturæ quidem. Ac posteriora mandata NB. *proprie quidem humana & Ecclesiastica fuere, quæ videlicet Apostolis Ecclesiam gubernantibus edita sunt, non aliter atque alia fuere postea à præfectis Ecclesiæ subsequentibus: Dispari tamen auctoritate; nam Apostolorum nemo in præceptis suis errare poterat, sed ab Spiritu S. peculiarissimè eorum quisque dirigebatur in ferendis Ecclesiæ legibus, posteriores vero Antistites hanc peculiarem Spiritus S. præsentiam non habent, nisi cum in nomine Christi & Ecclesiæ congregantur, quod utique fit in Conciliis generalibus &c. His autem præceptis licet Apostolica fuerint, & in sacris literis etiam scripta, Summus Pontifex subditos suos liberare vel ex parte vel omnino potest. Qua etiam ratione (ut alia non esset) Lex illa Apostolica de abstinendo à sanguine & suffocato, per Ecclesiæ potestatem abrogari potuit.* Et mox; *Pauli præceptum, de non ordinando Episcopo qui Bigamus fuerit secundi generis est, id est* NB. *humanum & Ecclesiasticum, cujus proinde vinculum Ecclesia solvere suo jure potest: sed id tamen nisi semel aut iterum, ex gravi etiam urgente causa, non fecit. Nec id nisi summo Pontifici permissum in Ecclesia est: nam Episcopis contra Apostolum dispensare cum Bigamis non licet &c.* Sic habes Christiane Lector (utimur ad Censuram piis auribus sufficientem, eo quod sine omni pudore *Carranza* pronunciat *Controv* 11.) non solum non inferiorem, non solum parem, sed quodammodo superiorem & notiorem Ecclesiæ auctoritatem auctoritate Scripturarum. Usus erat *Carranza* paulo ante hac argumentatione. *Quarto*, inquit, *Ecclesia visa est aliquando facere contra Scripturas, aliquando præter Scripturas: Ergo ipsa est regula eorum quæ traduntur in Scripturis.* Et mox; *Ergo credimus Ecclesiæ contra formam Scripturarum.*

IV. Ne scilicet Anti-Christiana audiat praxis Dispensationis, seu Legislationis verius, contra formam Scripturarum, juxta jam memoratam partitionem, si *Canum* & *Andradium* audiamus, sunt quædam ipsorum Apostolorum præcepta, in sacris etiam literis scripta, (quantumvis ex peculiarissima Spiritus S. directione Apostoli errare non potuerint, in iis condendis) quæ tamen proprie censeri debent humana & Ecclesiastica, quæ alia auctoritate Ecclesiastica licuerit refigere eorumque vinculo Ecclesiam solvere Quod quando facit Pontifex summus, piè scilicet dispensat contra Apostolos in iis quæ suæ ditioni subsunt; ac censetur mutare tantum Leges, non Christi voce rogatas, sed hominum prudentia & auctoritate latas At hæc pudenda esse σιγῆς ἄξια, (præter adsertam à nobis *Disp. III.* Scripturarum uniformiter divinam auctoritatem) loquitur praxis ipsa; V. G. *Copula Sacerdotalis nec Legali, nec Euangelica, vel Apostolica auctoritate prohibetur, Ecclesiastica tamen Lege penitus interdicitur*; verba sunt *Decreti Gratiani Parte* II. *Causa* 26. *quæst.* 2 *Can Sors non est.* Item in *Concilio Constantiensi Sess.* XIII & in *Concilio Tridentino Sess.* V. *cap.* 4. contra institutionem & exemplum ipsius Christi, sancitur sub pœna excommunicationis, & trino Anathemate munitur novitia *consuetudo communicandi populo Sacramentum, sub una non sub utraque specie panis & vini.* Et *Bellarminus de Rom. Pontifice lib.* I. *cap.* 13. explicans potestatem clavium, asserit Pontifici *Di-*

spensationem

pensationem in Lege, in Votis, Juramentis, & similibus obligationibus, quæ nullo schemate ad Ecclesiasticas constitutiones referri possunt, sed absolutè juris divini sunt.

V. Interim *Bellarminus de Pontif. Rom. lib* IV. *cap.* 5 ne hoc nomine Papa audiat Anti-Christus, protestatione hac utitur; *Docemus nos uno ore Christi doctrinam & cultus non posse mutari.* Contra objicitur à multis Theologis, nominatim *Amesio Bellarm. Enervati de Anti-Christo cap* V. ex ipso *Bellarmino* excerptum illud, *Ut si Papa præciperet vitia vel prohiberet virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare*: ac existimatur non posse apertius dici, esse in Potestate Papæ mutare doctrinam Christi. Nos, pace virorum bonorum, arbitramur illo quidem excerpto non liquere id quod exprobratur. Quamvis enim illic *Bellarminus* disputet ex hypothesi Anti-Christiana, de Papæ in conscientias imperio irrefragabili, cui qui se eximat peccet contra conscientiam; tamen ex falsa illa hypothesi urget ejusmodi infallibilitatem Papæ, ut non possit vitia præcipere & virtutes prohibere: scilicet quia alias Ecclesia, quæ debet stare imperio Papæ, teneretur credere etiam Papæ præcipienti vitia, & prohibenti virtutes, vitia esse bona & virtutes malas; quod absurdum jam metuendum, scilicet, non est, per Papæ in judicio infallibilitatem. Mentem *Bellarmini* illic loquentis expressit in *Colloquio Ratisbon. Sess.* IX. contra *Hunnium* disputans *Tannerus*, hoc pacto: *Si ministerium Verbi est absolute fallibile & nihilominus habet publicam Auctoritatem, tum sequitur, quod tota Ecclesia vi talis ministerii divinitus instituti possit quandoque penitus ad interitum redigi, nec solum in errorem labi sed trahi quoque.*

VI. Enimvero quanquam isthic loci non dicat *Bellarminus*, esse in potestate Papæ mutare doctrinam Christi, sed videri velit illam tanquam absurdam abominari; est tamen ubi id *Bellarminus* revera asserit non tantum *lib.* III. *de Anti-Christo cap.* 14. disputans, *Papam posse dispensare in præceptis positivis Apostolorum: non tamen hoc esse contra Apostolum sed juxta Apostolum, quia Apostolica potestas, qua Apostolus pro tempore aliquid in Ecclesia statuit, futura erat in successoribus, qua possent illi ipsi eadem moderari vel mutare prout Ecclesiæ expediret.* Sed apertius idem asserit libello *de Excusatione Barclaii c.* XXXI. hac Prosopopœia Dialogistica: [Populus] *Christus, cum claves regni cœlestis Petro tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum.* [Pontifex] *Nescis quid loquaris, siquidem in bono sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.* (En mox σῳον φάρμακον] *Verum est tamen, Claves Petri ad id non se extendere, ut possit summus Pontifex declarare non esse peccatum, quod est peccatum, aut esse peccatum quod peccatum non est: id enim esset docere malum bonum, & bonum malum quod longissime abest, & semper abfuit, & aberit à doctrina illius, qui Ecclesiæ præest, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Hactenus Bellarminus.

VII. Ergo, si *Bellarminum* audimus, bonus ille sensus, quo Christus dedit potestatem Petro faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum, non patitur quidem ut Pontifex declaret peccatum esse non

non peccatum, in sensu composito: sed non repugnat ut idem declaret in sensu diviso, id est, supposita mutatione doctrinæ & præcepti per potestatem Papæ datam, qua jam non est peccatum quod modo erat peccatum. Cautum est scilicet Ecclesiæ datis Petro clavibus, ne Papæ lingua, præcurrens mentem & voluntatem mutandi doctrinam virtutum & vitiorum, mentiatur. Non mentitur autem nec fallitur aut fallit Pontifex, si usus potestatis Apostolicæ exercitio, ad veteris præcepti antiquationem, pronunciet jam peccatum esse, quod olim Apostoli pronunciarunt non esse peccatum, vel contra. Atque hæc est bella illa Judicis visibilis Ecclesiastici infallibilitas: quod scilicet Pontifex dicto factum nunquam prævertat in doctrinæ Apostolicæ de peccato ἀθετήσει & antiquatione, de facto autem sit ipse *exlex* ὁ ἄνομος. 2 *Thess.* 11. 8.

VIII. Retecto hactenus isthoc ἀνόμου *exlege* Anti-Christo, superest ut vindicemus illa Scripturæ testimonia, quæ huic impietati prætexuntur, quando nominati jam *Carranza*, *Canus*, & *Andradius*, in ejus societatem conantur trahere Veterem Ecclesiam Apostolicam, quasi ipsa jam olim refixerit Leges, & decreta Apostolorum scripta. *I. Carranza*; *In Scripturis traditur exercendus Baptismus sub hac forma, Ego te abluo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. &c. tamen Apostoli baptisabant in nomine Jesu Christi.* Ipse *Carranza* nodum solvit. *Quod magis credo*, inquit, *simul baptisarunt in nomine Patris & Filii & Spiritus S. ut nunquam omiserint verba Christi in usu hujus Sacramenti.* Cohibet quidem *Carranza* assensum suum: sed interim credendum aliis propinat quod libet. Si jam quod libet licet hic credere, fenestra aperta est isti impietati, ut dispensari possit non tantum contra Apostolos, sed (Apostolorum exemplo, scil.) contra Christum ipsum. Nam formula Baptismi de quo sermo est, traditio fuit ab ipso Christo accepta, quæ proinde censeri debet (ex *Bellarmini* methodo ipsa) Traditio divina in primo & summo auctoritatis gradu. *Canus* paulo secus urget, non, ut *Carranza*, Abrogationem istius Traditionis divinæ per consuetudinem ab Apostolis introductam, sed consuetudinis istius Apostolicæ Abrogationem, qua scilicet posterior Ecclesia in usum revocavit Traditionem divinam: numerat enim usum Apostolicum de Baptismo in nomine Jesu inter consuetudines temporarias. Sed illum quoque nodum solvit ipse, ut mox audiemus.

IX II. *Carranza*; *In Scripturis mandatur cavendum à Suffocato & Sanguine: & tamen per Ecclesiam abrogatum est illud mandatum.* *Canus* timidius. *Lex illa Apostolica*, inquit, *de abstinendo à sanguine & suffocato, per Ecclesiæ potestatem abrogari potuit: scilicet ea etiam ratione (ut alia non esset) quod propriè esset mandatum hominum.* Resp. Impietate non caret, quod Legem Apostolicam *Canus* dicit proprie fuisse mandatum humanum. Hoc loco *Carranzæ* respondemus, *aliam fuisse abrogationis rationem*, quam per Ecclesiæ potestatem, eamque *Canus* ipse agnoscit *doctam & veram*, his verbis: *Scripturæ præcepta quædam temporaria erant, id est ad tempus, ex loci, temporis, personarum, aliarumve rerum & causarum ratione servanda. Atque hujusmodi ipsa ex se in præfinito tempore antiquabantur, nulla etiam Ecclesiæ interveniente auctoritate. Quod*

 enim

enim pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet cessare pariter. ..... *Ejus generis*, inquit, *fuit Sabbatismus, & reliqua omnia, quæ proprie ad Legem veterem pertinebant. Talis etiam Lex illa fuit de immolatis, sanguine & suffocato Act.* XV. *Talis quoque usus Apostolicus de Baptismo in nomine Jesu.*

X. In isthac *Cani* responsione posterius illud de usu Apostolico Baptismi in nomine Jesu impertinens est, quia nolit ipse *Canus*, usum illum qualis supponitur, quo scilicet Apostoli neglexerint formulam Baptismi à Christo præscriptam, dicere Præceptum Scripturæ temporarium; citra impietatem autem vocare non poterit Consuetudinem temporariam, pro necessitate temporis observatam præter & contra Traditionem divinam Christi. Hoc unum bene habet, quod ex hypothesi agnoscit; si vel Apostolorum auctoritate usurpata fuit consuetudo Anti-Christiana, illam ex se antiquatam fuisse, nulla etiam interveniente nova auctoritate Ecclesiæ quæ par fuerit Apostolicæ; non minus quam ex se antiquatæ fuere Legis Veteris cæremoniæ mortuæ.

XI. Enimvero si vera & docta est, ut est revera, ratio abrogationis istius mandati Apostolici, qua vetabatur esus suffocati & sanguinis, quod illud proprie pertinuerit ad Legem Veterem: perimitur ratio altera, quod tanquam constitutio seu mandatum proprie humanum & Ecclesiasticum, alia humana & Ecclesiastica constitutione aut consuetudine sit abrogatum. Respondendum ergo I. Non fuisse mandatum illud Novum novè editum Apostolica auctoritate, sed antiquum: ad cujus observationem mansit Veteris legis obligatio, usque ad illam temporis oportunitatem, qua illi esset valedicendum. Quod ne temere & intempestive fieret, antequam satis datum esset Judæorum infirmitati, Apostolica Synodus decreto suo intercessit. II. Post autem, cessante illo Interim, tempore oportuniori, antiquum illud mandatum, una cum reliquis mandatis cæremonialibus Veteris Legis, ex se antiquatum fuit, non Ecclesiastica auctoritate, sed Scripturæ Novi Testamenti edictis, ex quibus discenda erat decreti Apostolici διάνοια: dicente Christo, *non quod ingreditur os polluit hominem Matth.* XV. II. & Paulo Apostolo, *non est regnum Dei esca & potus Rom.* XIV. 17. & *quidquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam, Domini enim est terra & plenitudo ejus* I *Cor.* X. 25. *Ne quis vos damnet ob cibum &c. Coloss.* II. 16.

XII. III. *Carranza*; *Traditione Ecclesiastica observatio Sabbati mutata est in Dominicam.* Resp. I. Bene jam monuit *Canus*, Sabbatismum proprie ad Legem Veterem pertinere, quæ ipsa ex se in præfinito tempore antiquanda fuit, nulla etiam interveniente Ecclesiæ auctoritate. II. Sabbatismi Judaïci abrogatio expressa etiam est in Scriptura. *Coloss* II. 16. III. Diei Dominicæ usum similiter expressum habemus in Scripturis, nam *Primus hebdomadis dies* traditur consecratus & cœtibus Ecclesiasticis & publicæ Eleëmosynarum collectæ I *Cor.* XVI. 2. & sanctificatus congregatione Ecclesiæ ad Dei verbum audiendum, & ad communionem Eucharistiæ *Act.* XX. 7. Quin etiam nomen *Diei Dominicæ*, quo hodie utimur, à Johanne expressum. *Apoc.* I. 10.

XIII. IV.

XIII. IV. *Canus urget Legem Pauli de non ordinandis Bigamis Episcopis abrogatam*, Pontificis scilicet contra Paulum dispensatione. R. Si Cano largiamur factum, incumbet illi probatio, qua doceat non esse impium factum nec characterem Anti-Christi. Enimvero si rem penitius introspicias, est isthæc impia sententia, sed cui non subest impium factum. Nam quod illi putant demum licere, Pontifice dispensante contra Paulum, videlicet ut ordinetur Episcopus, qui celebravit secundas nuptias priore uxore mortua, hoc absolute licet, nec unquam Pauli præcepto fuit prohibitum. Præter mentem Pauli est loci I *Tim.* III. 2. interpretatio ista, qui unius tantum uxoris vir *fuit*: genuina autem est ista in præsenti tempore, qui actu unius uxoris vir *est*.

DISPUTATIO DECIMA

QUÆ EST ALTERA DE

Dispensatione contra Scripturas Anti-Christiana.

1644. XX. Januarii.

ANdradius pro dispensatione contra Scripturas tanquam licita urget, *Legem quæ de orando capite aperto à Paulo data est* I *Cor.* II. 4. *haud diu a posteris observatam.* R. Siquidem tantum de orandi ritu loqui voluit *Andradius*; forte hoc tanget Judæos in Judæa versantes, vel Ægyptios, aut Arabes, qui alio gestu & habitu in civili consuetudine cultum & reverentiam erga superiores testantur. At non tangit saltem Occidentales Europæos Christianos, qui pene omnes Deum orant, eique supplicant aperto capite & genu flexo, adeoque τὸ ῥητὸν Legis istius Pauli de orando aperto capite observant etiamnum.

II. Si spectat *Andradius* prophetandi ritum, quem Apostolus eadem Lege complexus est, ne iste quidem omnino exolevit. Ac sunt inter Europæos Christianos tam Pontificios quam Reformatos, qui τὸ ῥητὸν hujus Canonis sequuntur eique mordicus adhærent, videlicet qui conciones habent aperto capite. Alii autem etiamsi τὸ ῥητὸν non sequuntur, negant tamen se recedere à reverentia istius Canonis, sed sequi τὴν διάνοιαν quam censent hanc esse, quod deceat eos qui Verbum Dei audiendum proponunt ad obedientiam fidei, ut eo gestu & habitu loquantur, quo in civili consuetudine uti solent illi qui cum auctoritate alios alloquuntur. Atque hoc existimant liquere ex *versu* 10. I *Cor.* II. ubi Paulus velamen capitis habere vocat ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, per ἐξουσίαν scilicet intelligens symbolum quo mulier testatur se sub viro esse ὑπεξούσιον sub potestate constitutam.

III. Et revera si mutata consuetudine & moribus civilibus nefas esset servata τῆ διανοίᾳ negligere τὸ ῥητὸν Scripturarum; ubi proponuntur præcepta

moralia cum applicatione decori civilis juxta consuetudinem aut mores gentium, donec scilicet interveniat Ecclesiæ auctoritas quæ illud jubeat negligere; vel erit V. G. in usum revocanda ubivis Gentium inter Europæos Christianos *Pedum lotio*, exemplo sectæ cujusdam *Anabaptisticæ*, quæ ab illo ritu denominationem accepit; vel dicendum erit Præceptum illud Christi *vos debetis alii aliorum Pedes lavare Joh* XIII. 14. abrogatum per Ecclesiasticam contra Scripturas Dispensationem. Atque hoc exemplum si in mentem venisset *Andradio*, quando Apostolorum Ecclesiasticas leges subjicit ditioni Pontificis Romani, non opus habuisset eo confugere; quod hoc Pontifici liceat, eo nomine, *quod non fuerint Christi voce rogatæ, sed hominum prudentia & auctoritate latæ.* Nam hæc Lex de pedum lotione quamvis Christi voce rogata tamen non obligat jam Christianos κατὰ τὸ ῥητόν.

IV. Enimvero *Dispensatio* illa (quam Pontifici asserit *Bellarminus in Lege, in votis, & in juramentis & similibus obligationibus,* titulo *potestatis clavium*) sicut exemplo omni Ecclesiæ Apostolicæ destituitur; (quod hactenus evicimus vindicatis iis Scripturæ locis quæ isti impietati prætexuntur) ita porro Anti-Christiana esse convincitur ipsorum Pontificiorum, qui magis ingenuè loquuti sunt, confessione, qui hic audiendi. *Cajetanus* equidem *in Summula de peccatis* Dispensationem ipsam peccatis accenset: *Dispensatio*, inquit, *non debet esse levis, & absque causa rationabili &c.* Et mox asserit, *Peccatum mortale esse dispensationem in voto seu juramento, quia ex jure divino obligant.* Nec est, inquit, *tutus in conscientia quoad Deum qui dispensatur in istis, sine rationabili causa, etiam à Papa, motu proprio, & certa scientia, & plenitudine potestatis: quia Papa non habet potestatem in destructionem sed in ædificationem corporis Christi.* Consentiunt cum *Cajetano*, *Sylvester Prierias, in summa*, item *Jacobus de Graffiis Decis. aur. libr.* 11. *cap.* 30. §. 42. Ingenua quoque est confessio *Ruardi Tapperi Orat. Theol.* x. *Agnoscimus psi*, inquit, *& ingenue confitemur, gemimus & deploramus, in corpore Ecclesiæ à planta pedis usque verticem capitis, non esse sanitatem, & corrupta esse omnia præsertim in statu Ecclesiastico, omnesque sua quæ sunt quærere, & studere avaritiæ; atque per dispensationes super beneficiorum pluralitate, & super aliis plurimis*, NB. *super quibus nec ipse Christus dispensare posset &c. omnia esse venalia: sub prætextu tamen, nescio cujus causæ rationabilis, quæ ex more nullo facto examine prætexitur, & bullis inseritur semper, multamque propterea in capitibus Ecclesiæ damnabilem esse Hypocrisin.* Et mox: *sunt tam notoria hæc vitia, ut multum cæcutiat, qui ea non videt, & insanus sit qui vel excusare conatur.*

V. Enimvero vindicanda sunt Scripturæ testimonia illa, ex quibus Pontificii conantur exsculpere, *Judicium Romani Pontificis Infallibile, etiam in Dispensatione contra Scripturas.* Sunt illa potissimum duo *Matth.* XVI. & XVIII. quorum in priori sermo est *de clavibus regni cœlorum*, in altero *de summo & ultimo Ecclesiastico judicio.* Utrumque urget *Bellarminus libr.* III. *cap.* 5. *Matth.* XVI. *Tibi dabo claves regni cœlorum &c. Per istas*, inquit, *Claves, non solum intelligitur potestas solvendi à peccatis, sed etiam ab omnibus aliis vinculis & impedimentis, quæ nisi tolluntur non potest intrari in regnum cœlorum.* Vult itaque

per au-

per auctoritatem visibilem in Ecclesia nodos omnes, seu legum dispensando, seu peccatorum & pœnarum relaxando, seu dogmatum & controversiarum explicando solvi posse.

VI. Explicat se ipse *Bellarminus* fusius, *de Rom. Pontif. libr.* 1. *cap.* 13. *Solvere dicitur, qui remittit peccata, qui liberat à pœna; qui dispensat in lege, in votis, juramentis, & similibus obligationibus. Cum ergo dicitur Petro generaliter, quidquid solveris &c. datur ei potestas praecipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi: proinde sit Judex & Princeps omnium qui sunt in Ecclesia.* Respondemus. Quis sit sensus literalis promissionis Christi docet ipse *Bellarminus de Pontif. Rom. lib.* 1. *cap.* 12. *Expressit*, inquit, *Dominus clavium actiones per solvere & ligare, non per claudere & aperire, ut intelligeremus esse omnes istas metaphoricis loquutiones, & tum demum cœlum hominibus aperiri cum homines solvuntur peccatis, quæ ingressum in cœlum prohibent.* Si tum demum cœlum aperitur cum homines solvuntur à peccatis, non pertinet ad sensum promissionis Christi germanum & genuinum, ista generalior extensio ad omnium nodorum solutionem.

VII. Deinde nulla est omnino in testimonio illo promissio Infallibilitatis, quæ vindicari possit cuicunque potestatis illius exercitio, quæ in clavium nomine fundatur, præter sensum literalem: cum non sit ex vi promissionis Christi Infallibilis potestas judiciaria Ecclesiæ visibilis, in illo sui exercitio de quo sermo est in litera. Est enim omnis Ecclesiastica absolutio à peccatis *Judicium in quæstione facti, in qualibus judiciis non est absurdum Pontificem posse errare*, ipsa *Bellarmini* confessione *de Rom. Pontif. libr.* IV. *cap.* 5.

VIII. Alterum testimonium est *Matth.* XVIII *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Est autem*, inquit *Bellarminus, hoc loco observandum, hic quidem Dominum loqui de injuriis quas unus ab aliquo patitur, sed à majori intelligendum etiam esse de injuriis, quæ fiunt in totam Ecclesiam & Deum, qualis est hæresis.* Et mox; *Si is qui Ecclesiam id est pastores non audit, debet esse ut Ethnicus & Publicanus sequitur pastorum esse ultimum judicium.* R. Missis illis quæ sano sensu facile largiemur, ubi in sequentibus formandus erit status controversiæ de Necessitate Judicis Ecclesiastici in his terris visibilis, & de judicio secundum homines postremo & ultimo, dicemus nihil Pontificios ex hoc loco ullis fidiculis posse exprimere, pro judicii (quod Scripturis adeo non sit adstrictum, ut etiam dispenset contra ipsas Scripturas) infallibilitate. Quandoquidem ut procedat argumentum per consequentiam à minori ad majus, seu ut *Bellarminus* loquitur *à majori*, ante omnia vindicanda est Infallibilitas judiciis de quibus αὐτολεξεὶ sermo est. Atqui sermo est, ipso *Bellarmino* fatente, *de peculiaribus illis judiciis injuriarum quas unus ab aliquo patitur.* Nolunt autem Pontificii Infallibilitatem quam urgent extendi ad particularia judicia injuriarum: sed tantum ad alia illa, de quibus αὐτολεξεὶ sermo non est.

IX. Deinde nec judicium illud quod illo testimonio significatur, est judicium Ecclesiæ Universalis seu Catholicæ œcumenicum: sed pertinet

primo ad ſingulas Eccleſias vel Eccleſiarum cœtus aut Synodos, penes quas eſt *poteſtas excommunicandi*. Ad poteſtatis autem excommunicandi exercitium non requiritur infallibitas, teſte *Bellarmino de Conciliis l b.* II. *cap.* 10. ubi ille loquens *de Conciliis Provincialibus vel Diœceſanis*, *&* *de Inquiſitoribus*, *etſi*, inquit, *hoc judicium non ſit infallibile tamen ſufficit ad excommunicandum*.

X. Breviter ergo; Si in neutro teſtimonio ſenſus literalis verborum accipi poteſt de aliquo infallibili Eccleſiæ viſibilis judicio, perperam iſtorum teſtimoniorum πρόφασει, aſſeritur Eccleſiæ judicium infallibile, non tantum, quando *ſecundum Scripturas pronunciat*, ſed etiam quando *contra Scripturas diſpenſat*, *in Lege*, *in votis*, *in juramentis*.

XI. Damnamus autem merito Diſpenſationes illas, ut non fallibiles tantum, ſed penitus fallaces & Anti-Chriſtianas. Quia iſtas à ſe procul habuit Chriſtus in terris verſans verus Summus Pontifex Eccleſiæ, proteſtatus verbis iſtis; *Ne exiſtimate me veniſſe ut diſſolvam legem aut Prophetas, non veni ut diſſolvam ſed ut impleam*. *Matth.* v. 17 Et contra omnem in lege diſpenſationem, præſcripſit mox *verſu* 19. *Quiſquis igitur ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis*, *&* *ita docuerit homines*, *minimus vocabitur in regno cœlorum*.

XII. Reliquum eſt ut vindicemus (ad *Bellarmini* pro Diſpenſatione contra Scripturas aſſertionem notatam *Diſputatione* IX. *Theſi* VI.) teſtimonium ex I *Tim.* III. 15. quod verbis iſtis inſinuat: *Docere malum bonum*, *&* *bonum malum*, *id longiſſime abeſt*, *&* *ſemper abfuit*, *&* *aberit*, *à doctrina illius qui Eccleſiæ præeſt*, *quæ eſt columna* *&* *firmamentum veritatis*. Eſt ille omnium Papiſtarum Achilles pro infallibilitate judicis Eccleſiaſtici in his terris. Ut, ſi hic *Bellarminum* audimus, *Papa etiam diſpenſans in præceptis poſitivis Apoſtolorum*, *&* *faciens de peccato non peccatum* *&* *de non peccato peccatum*, *tamen non doceat malum bonum* *&* *bonum malum eſſe*. Et quemadmodum pro illa diſpenſatione contra Scripturas Anti-Chriſtiana, loco illic indicato, ſic alibi, diſputans de Criteriis verarum Traditionum non ſcriptarum, teſtimonio eodem abutitur *Bellarminus*, ut probet *Eccleſiam univerſam errare non poſſe*. *de Verbo Dei lib.* IV. *cap.* 9. Item *de Eccleſia lib.* III. *cap.* 14.

XIV. Sunt qui reſpondent, verba illa, quæ communiter leguntur in fine *verſus* 15. στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, rectius per aliam interpunctionem verſuum ita legenda eſſe, ut faciant initium *verſus ſequentis* 16. Ut Apoſtolus non dixerit Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis, ſed illud pietatis myſterium, quod pronunciat ſine controverſia magnum eſſe, idem eſſe *columnam* *&* *firmamentum veritatis*. Certe illa prout recepta eſt ſingulorum thematum inciſio & interciſio authentica non eſt, quamvis non temere vellicanda.

XIV. Verum non eſt neceſſum ad reſponſionem illam confugere. Manente vulgata interpunctione, nihil efficitur, pro exlegis judicii ſive Papæ ſive Eccleſiæ infallibilitate. Etenim I. Sermo eſt non de Eccleſia univerſa, ſed de particulari Eccleſia Epheſina, in qua verſandum erat Timotheo: quam Epheſinam Eccleſiam errare & falli potuiſſe teſtata eſt ſequentium temporum experientia. II. Poſſet autem ſic Encomium illud Epheſinæ

ſinæ Eccleſiæ accipi, ut dicatur Columna fundata & exſtructa à Veritate qui eſt ipſe Chriſtus *Joh.* XIV. 6. juxta illud; *Sapientia ædificavit ſibi domum excidit columnas ſeptem. Proverb.* IX. I. Quod oportune applicari potuit ad ſeptem Eccleſias Aſiaticas in Apocalypſi: maximè cum ſeptem iſtarum Eccleſiarum Aſiaticarum prima memoretur Eccleſia Epheſina *Apoc.* I. II. & II. I.

XV. III. Verum ſimpliciſſime reſpondetur, dici Eccleſiam quamvis particularem, ſecundùm Scripturæ analogiam, *Columnam & Firmamentum Veritatis*, per Metaphoram ſumptam à Columnis ejuſmodi, ad quas Magiſtratuum aut principum edicta in tabulis appendi ſolent, & proponi omnibus cognoſcenda. Encomium ergo illud Eccleſiæ tribui non propter aliquam fundationem veritatis talem, quâ illa ſuum axioma & certitudinem ac ſtabilitatem accipiat ab Eccleſia; ſed propter officium quod ab Eccleſia impendi debet propagationi veritatis. Gemina illi metaphoræ à Candelabro ſumpta, quod baſis & firmamentum eſt ſuppoſitum Lucernæ, cui tamen non miniſtret lucem ullam. Sic fuere *ſeptem aurea candelabra ſeptem Eccleſiæ Aſiaticæ Apoc.* I. 20. & ἀναλόγως quævis vera Eccleſia viſibilis, quantiſper ſubjecta manet lucernæ Scripturarum. Vide *Diſp. de Canone V. Theſi* XI.

COROLLARIA.

AN omnes, tam Laici quam Clerici dicti, debeant & poſſint utiliter legere Scripturam S. *Aff.*

II. An Scriptura S. ſit principaliter tantum authentica in lingua originali Hebræa V. T. & Græca N. T. *Aff.*

III. An idiotæ in Tranſlationibus vernaculis habeant ſufficienter Verbum Dei Canonicum, ad Communem fidem & Salutem. *Aff.*

IV. An verſio Græca V. T. quæ cenſetur eſſe LXX. ſit authentica & an hodie incorrupta. *Neg.*

V. An verſio Latina vulgata quæ dicitur Hieronymi in Veteri & N. T. ſit authentica, & an incorrupta. *Neg.*

VI. An Bibliorum V. T. Codices Hebraici ſint corrupti aut mendoſi. *Neg.*

VII. An variæ lectiones codicum, quà Hebræorum quà Græcorum, detrimentum aliquod creent veritati & integritati Scripturarum quæ ad Canonem Theologiæ neceſſaria eſt. *Neg.*

DISPU-

DISPUTATIO UNDECIMA

QUÆ EST DE

Judicio Controversiarum secundum Canonem.

1644. XXVII. Januarii.

CONnexa est & implexa controversiæ Cardinali *de Canone Theologiæ* seu regula Fidei & Morum, quam hactenus tractavimus, controversia *de Judice Controversiarum Fidei & Religionis, & Judicio secundum Canonem seu regulam & normam Verbi Dei.* Quæritur enim, *an sit in his terris Judex aliquis Ecclesiasticus infallibilis? & quis sit?* Ut autem rite formetur status controversiæ, cognoscendæ sunt initio hypotheses aliquæ, quas censemus non facere Elenchum; quamvis Pontificii, nominatim *Gregorius de Valentia*, illas sibi magno conatu probandas sumant, tanquam controversas. Sunt autem istæ apud *Gregorium de Valentia Analysi Fid. Cathol. lib.* III. *&* IV. I. *Dubitandum non est quin aliqua exstet Auctoritas ad judicandum de Fidei controversiis, infallibilis: per quam in omni determinata quæstione cognoscere fideles omnes commode possint, quæ sit Christi verissima sententia & doctrina.* II. *Auctoritas illa quæ extat ad judicandum de fidei controversiis omnibus infallibilis, non est tantum divina, neque tantum humana, sed humana divinitus inspirata.*

II. Non facere elenchum has hypotheses ipse cogitur fateri *Lib.* IV. *cap.* 2. *Quia neque nos volumus Deum per se ipsum singulos docere rectam fidem, sine ullo prorsus humano ministerio, vel sine omni medio, sed per Scripturam sacram quæ ipsa continetur humana auctoritate divinitus inspirata.* Certe hypotheses istæ non determinant quæstionem, ut magis intelligi debeat *de auctoritate personali judicis* secundum Canonem judicantis, quam *de ipso Judicii Canone.* Erat hic determinatè loquendum de Persona Judicis, qui secundum Canonem Jus dicat. Hic enim supposita auctoritate Canonis divinitus inspirata, quæritur de auctoritate docentium in Ecclesia; *Debeatne penes, si non singulos, saltem in aliqua eorum Cathedra publica visibili, esse aliqua Auctoritas Fidei magistra, prætoria & infallibilis, qua stare aut cadere necesse sit in judicio controversiarum Fidei & religionis.*

III. Nos negamus ista prætoria & infallibili auctoritate judicis aut magistri visibilis in Ecclesia opus esse. Ac credimus sufficienter divinitus prospectum esse constitutioni & directioni ac gubernationi Ecclesiæ, per Auctoritatem & potestatem ministerialem, quæ Spiritui S. Judici summo & magistro invisibili ut ὑποδιδάσκαλος inservit, per *patefactionem veritatis ad omnem conscientiam hominum in conspectu Dei* 2 *Cor.* IV. 2. sequens Scripturam S. tanquam verissimam certissimam & infallibilem omnis judicii normam, cui ipsa subjicitur.

IV. Pon-

IV. *Pontificiorum* antithesis hæc est, quam statuunt *Colloquutores Ratisbonenses Sess. IX. Oportere eandem rationem esse in Ecclesia quæ est in Republica bene ordinata: ideoque pariter in Ecclesia ut in Republica politica requiri præter Scripturam S. aliquem judicem visibilem, qui præstet tria hæc, quæ scilicet per se præstare Scriptura non potest. Scilicet, qui I. Audiat utriusque partis argumenta, quando exoritur controversia II. Qui sententiam ferat explicando sensum legis. III Qui compellat transgressores ad obediendum* Respondemus ad argumentationis quæ ista Antithesi continetur propositionem majorem, per inficiationem; non esse exigendas rationes Ecclesiæ bene ordinatæ, ad ordinationem Reipublicæ politicæ, ut scilicet sit utrobique par exercitium visibile auctoritatis. Est enim Ecclesia regnum Christi invisibile spirituale *Joh.* XVIII. in quo res geritur *armis spiritualibus* 2 *Cor.* X. 3. 4. 5. 6. Neque est alius Magister aut Doctor Ecclesiæ constitutus, qui Fidem imperare possit conscientiis aut obedientiam fidei, præter Christum, & Spiritum ejus. *Matth.* XXIII. 8. 9. 10. 2 *Cor.* I. 24. & IV. 5. 6. 7.

V. Deinde dato non concesso, quod ad formam judiciorum Politicorum debeant exerceri Ecclesiastica judicia, cum auctoritate prætoria: tamen negamus consequentiam illam *à potestate prætoria judicis, ad judicii infallibilitatem*, de qua hic instituta est disputatio. Non enim magis sequetur fore ut judex Ecclesiasticus sit infallibilis, quam ex auctoritate prætoria consequens est, judices politicos semper judicare secundum veritatem.

VI. Argumentationem, quam videre potuerunt hactenus invalidam esse, *Colloquutores* jam dicti muniunt isthoc Achille: deductione nimirum illa ad absurdum, quam attigimus *Disput. IX. Thes.* V. super qua se explicat *Tannerus*, cum verba ejus *Hunnius* accepisset in illam sententiam, quam extra deductionem ad absurdum præ se ferunt. *Fit mihi*, inquit, *injuria &c. Non enim dixi quod in Ecclesia etiam summo Pontifici erranti debeat mos geri: sed dixi hoc tamen sequi, quod si in dubio Magistratus ille potest errare, & nihilominus habet publicam auctoritatem, populum quoque induci posse in errorem, quia in dubio populus debet stare sententia sui Magistratus in omni politia.* Respondemus, omne robur hujus deductionis prætensæ ad absurdum situm esse in ista petitione principii, quod absolute standum sit judicio Ecclesiæ absque judicii examine ad Scripturæ legem & normam, cæca quadam obedientia. Atqui cæca ejusmodi obedientia non est obedientia fidei, nec λογικὴ λατρεία seu *cultus rationalis*. Fidei enim obedientia exerceri non potest absque δοκιμασία *Rom.* XII. 1. & XVI. 25 26. & 1 *Cor.* X. 15.

VII. Enimvero tametsi, etiam nostra assertione, partes litigantes *in controversiis quæ sunt facti*, circa charitatem & mutua inter fideles officia stare debeant absolute Ecclesiæ decisioni; quamvis non videant sibi exacte jus redditum: tamen res ipsa loquitur (neque contradicunt Pontificii) *judicium Ecclesiæ falli posse & fallere*. Nec eo pacto ulla postulatur cæca obedientia, (etiam ubi nullum est periculum de salute animæ) quæ necessario in errorem trahat illum qui injuste causa cadit: sed exigitur tamen intensa illa charitas, & reverentia, qua etiam sciens videns condones de tuo

 jure,

jure, seu fratri litiganti injuste, seu Ecclesiæ erranti in judicio, quantum flagitat publica tranquillitas & occasio fratrem lucrandi.

VIII. Multo ergo minus postulari debet cæca obedientia *in judicio de controversia juris, in Fide aut Moribus*. Si enim illa hic postulatur, tum revera periculum illud metuendum est à ministerio judicis fallibilis, ut Ecclesia tota in errorem trahatur, & ad interitum redigatur. Interim causa nulla est cur periculum illud metuatur per debitam obedientiam, ex ordine divinitus instituto. Quia omnibus exposita est & præ manibus norma judicii Ecclesiastici publica infallibilis: præter aut contra quam nulla exigi debet fidei obedientia, & si exigitur debet negari. Periculum ergo illud quod metuitur, non à nobis, sed à Pontificiis ipsis creatur, per imperii istius in conscientias usurpationem.

IX. Breviter; sunt inter nos & Pontificios extra controversiam, præter duas hypotheses *Gr. de Valentia Thesi I.* indicatas, etiam duo ista. I. *Debere esse in Ecclesia visibili judices vivos & visibiles, qui controversiarum τὰ καθ' ἕκαστα cognoscant & fungantur officio interpretum Legis divinæ Tit*. I. 9. 10. II. *Non tantum privatas injurias, sed controversias quoque de dogmatis fidei & morum, referendas esse ad Ecclesiam examinandas & judicandas; ut habeatur Ecclesiæ judicium, exemplo fidelium Antiochenorum Act*. XV. III. Damus quoque tertium illud; *esse necessario ad terminandas lites & controversias aliquod in Ecclesia judicium, secundum homines postremum & ultimum, à quo appellari non possit ad alium judicem, ipsum etiam hominem*. Sed controvertitur *Judicii infallibilitas*. Quam frustra exsculpere satagentem *Bellarminum* ex locis *Matth*. XVI. & XVIII. audivimus Disputatione proxime antecedente. Et quæ sit istius assertionis Pontificiæ, *de summo visibili judice controversiarum infallibili*, impietas, abunde jam liquet ex *Disputationibus IV. IX & X.*

X. Hic jam expugnandum nobis præsidium illud commune fere Pontificiorum omnium, situm in isthoc Ecclesiæ privilegio, quod potissimum urgent ex testimonio *Matth*. XVI 18. ubi de Ecclesia dictum est a Domino, *Portæ inferni non prævalebunt adversus eam*. ex quo inferunt, *quod ex promissione divina non possit tota penitus ad interitum redigi, adeoque nec universa errare errorem exitialem. Bellarm. lib*. IV. *cap* 9. Fatemur autem etiam nos, *hoc Ecclesiæ promissum esse verbis Christi, fore ut nunquam erret errorem exitialem, quo tota penitus ad interitum redigatur*. Sed etiam inter ipsos Pontificios manifestum est divortium sententiarum, de Ecclesia cui vendicandum sit privilegium illud à Christo promissum. Atque hæc est *origo Controversiæ de Ecclesia*. In qua quæstio principalis est, *de distinctione inter Ecclesiam visibilem & invisibilem*, sitne illa hic admittenda & præmittenda Ecclesiæ definitioni. An vero absque hac distinctione univocum sit Nomen & definitio Ecclesiæ, quod Pontificii affirmant. Nos contra censemus, non admissa nec præmissa illa distinctione, nomen & definitionem Ecclesiæ esse æquivoca.

XI. Non proponit bona fide statum controversiæ *Bellarminus*, quando asserit, *nos duas Ecclesias fingere: Unam veram, quæ non sit visibilis nisi oculis fidei: alteram externam, quæ nomine tantum est Ecclesia: illam constare ex solis*

justis prædestinatis: in hac bonos & malos inveniri. Bell de Eccl. lib. III. *cap.* 2. Nec meliori fide idem ibidem facit divortium sententiarum, inter I. *Wiclevi & Hussi sententiam.* II. *Confessionem Augustanam.* III. *Calvinum.* Quibus tribus optime hic convenit, quamvis forte aliqua varietate verborum se explicent. *Hussus* in Libro *de unitate Ecclesiæ* manifeste se explicat, se Prædestinatos non ante accensere Ecclesiæ, quam sunt justi & sancti: nam statim ab initio vocat *Ecclesiam ovium, Ecclesiam sanctorum, Ecclesiam justorum, & ex sententia Augustini* concludit, *quod unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas N. B. à primo justo inclusivè usque ad ultimum futurum salvandum inclusivè, & claudit omnes salvandos.* Dixerat ante, *quod duo justi congregati in nomine Christi sunt cum Christo capite particularis sancta Ecclesia, similiter tres, quatuor, & sic ulterius usque ad numerum omnium prædestinatorum inclusive: atque sic particularem Ecclesiam quamvis partem esse ad universalem.* Manifestum ergo est *Hussum* non fingere duas Ecclesias, sed agnoscere unam Ecclesiam universalem aggregatam ex particularibus justis viatoribus, qui in particularibus Ecclesiis convocantur & congregantur, ac sunt in Ecclesia & re & nomine, in qua alii sunt nomine tantum. Vide *Hussum cap.* I. II. III. Convenit ergo ipsi in eo cum *Melanchthone, Peccatores non pertinere ad Ecclesiam nisi nomine:* & cum *Calvino* in hac sententia, *Ecclesiam constare ex solis justis prædestinatis.*

XII. De communi ergo illorum trium sententia, est una & eadem Ecclesia, quam credimus *invisibilem esse: primo* quoad essentiam internam, quæ consideratur in unione spirituali & mystica cum Christo capite: *deinde* tantisper quoque invisibilem fore, quoad totam sui collectionem ἐπὶ τὸ αὐτὸ, donec Christus die ultimi judicii discreverit oves ab hœdis. Quam eandem credimus *fieri visibilem,* aliquibus sui partibus visibiliter congregatis per prædicationem verbi, quoad modum existendi externum & partialem collectionem ἐπὶ τὸ αὐτὸ, qua mali etiam & reprobi admiscentur justis prædestinatis.

XIII. Jam ergo verus status controversiæ liquet iste, *an Ecclesiæ, quæ visibilis est, seu partiali visibili ejus congregationi facta sit à Christo promissio illa, quod portæ inferni non prævalebunt adversus eam?* An verò facta sit Ecclesiæ quatenus est invisibile & mysticum corpus Christi, cujus vera membra sunt soli Justi Prædestinati & Salvandi? Pontificii communiter affirmant prius, nos posterius. Et facit pro nobis apertissime ex Pontificiis ipsis *Joh. Ferus in Matthæum cap.* XVI. *edit. Antverp.* 1570. *fol.* 285. 286. 287. *Cum dicit, Portæ inferni non prævalebunt, omnem potestatem Satanæ significat.* Et mox; *Portæ inferni nihil aliud sunt, quam omnes Diaboli machinæ, munitiones, artes, robur; qualia sunt mundi potentia, sapientia, divitiæ, minæ; vel etiam peccatum, mors, damnatio. Hæc, inquam, inferorum potestas est, quæ nihil prævalere potest contra Ecclesiam.* Et mox; *Non loquitur de Ecclesia, sicut communiter accipitur Ecclesia, pro his qui Christiani dicuntur, sive boni sint sive mali &c. sed loquitur de Ecclesia secundùm spiritum, quæ solos* NB. *electos complectitur. Demum non hoc vult, quod fideles in externis tentationibus semper superiores futuri sint,*

cum plerumque contrarium videamus evenire: sed loquitur de pugna spirituali, quæ singulorum est, cum peccato & morte. Hactenus *Ferus.*

XIV. Non potest everti hæc expositio, stante hypothesi jam posita, quâ distinguitur inter *Ecclesiam invisibilem, quæ solos electos complectitur,* & *visibilem Ecclesiam, in qua electis admisti sunt reprobi.* Quam hypothesin, quamvis *Bellarminus* velit eversam, quando *hæreticam sententiam* nominat istam, *Ecclesiam esse sanctorum congregationem qui vere credunt & obediunt Deo, sive constare ex solis istis justis,* & censura notat *Phil. Melanchthonem, quod non dicat Ecclesiam constare ex malis & bonis, sed dicat malos admisceri Ecclesiæ Bell. de Eccles. lib.* III. *cap.* 2. Tamen confirmat eandem præter *Ferum* etiam *Melchior Canus. lib.* IV. *cap.* 2. *Certe,* inquit, *nervosius qui Ecclesiam finiunt, illi non dubitant eam fidelium tantum numero conflari:* & mox docet, *Ecclesiam dupliciter posse dici, & quidem primum, eam quam fidelium omnium ab initio mundi usque in finem congregatio conficit, quomodo D. Thomas de Ecclesia loquitur* III. *p. quæst.* 8. *Art.* 3. *&c.* Quin ipse *Bellarminus* hypothesi illi fundamentum substernit *de Eccl lib.* III *cap.* 9. *Omnia privilegia,* inquit, *quæ sunt à Deo concessa Ecclesiæ universæ, propter solos sanctos concessa esse* (*ex mente Augustini*) *id est in utilitatem & commodum eorum, qui salutem æternam consequuntur.* Et mox; *Sunt quædam* (*Ecclesiæ*) *membra mortua & arida, quæ solum adhærent reliquis externa conjunctione. de Eccles. lib.* III. *cap.* 10. Fatetur idem, *verissime dici posse Ecclesiam fidelium, id est eorum qui veram fidem in corde habent, unam esse. Ecclesia enim præcipue,* inquit, *& ex intentione fideles tantum colligit, cum autem* NB. *admiscentur aliqui ficti, & qui vere non credunt, id accidit præter intentionem Ecclesiæ. Si enim eos nosse posset, nunquam admitteret, aut casu admissos continuo excluderet.*

XV. Stat ergo hypothesis, & ex illa hypothesi responsio de privilegio quod istis verbis expressum est *Matth.* XVI. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* concessum quidem illud esse Ecclesiæ universæ, sed non propter mortua illa & arida ejus membra, quæ solum adhærent reliquis externa conjunctione, iisque admiscentur præter intentionem Ecclesiæ: verum propter illos tantum, qui interna unione cum capite Christo constituunt invisibile mysticum corpus Christi. At hinc porro consequens est privilegium illud non constare solùm, nec semper, externo & visibili triumpho in his terris, quo nonnunquam gaudet Ecclesia in certaminibus adversus persequutores aut hæreticos, quando illi arcentur à Cathedra Ecclesiæ, ne illam vel invadant vel pessundent.

XVI. Quid ergo? Citra hoc accessorium, situm est principaliter Privilegium promissum Ecclesiæ in eo, quod singulis fidelibus τελείως sperandum est & certo expectandum, fore ut ipsi semper, in quibuscunque certaminibus, etiam publicis, vel maxime grassante persequutione & vastante Cathedras, vel grassantibus hæresibus, & hæreticorum factione occupante Cathedras, tamen reportent τὸ τέλος τῆς πίστεως ipsorum, *salutem animarum,* vigilante pro ipsis divina Providentia ne vincantur à seductione. *Matth.* XXIV. 24. 1 *Petr.* 1. 9. 13.

XVII. Hoc

XVII. Hoc pacto Christus revera præstat Ecclesiæ, ut universa non erret errorem exitialem: etiamsi enim errarent in hæreses exitiales abrepti omnes illi, quos Ecclesia si nosse posset nunquam admitteret, aut casu admissos continuo excluderet, non accidet tamen exitium illud neque exitialis error illis, quâ Doctoribus, quâ discipulis, quos Ecclesia præcipue & ex intentione tantum colligit, qui veram fidem habent in corde. Quod etiam agnovit *P. de Alliaco in Quæstione de Resumpta*, adoptans aliquorum responsiones, quæ nituntur illa Hypothesi; *fieri posse ut tota multitudo Clericorum contra fidem erret, & ut omnes clerici hæreticentur, aut nulli remaneant.* De quo casu sic arbitratur; *licet*, inquit, *temerarium esset asserere talem casum de facto aliquando evenire, tamen esset etiam temerarium hujus casus potestatem negare. &c.*

XVIII. Privilegium ergo quale à Christo Ecclesiæ promissum sit *Matt.* XVI. 18. jam constat. Ac liquet in ista quam audivimus Christi promissione ne γρῦ quidem esse, quod faciat pro illa privilegii ampliatione, qua (scilicet ad abundantiorem cautelam, ne Ecclesia erret errorem exitialem) promissionem de non errando habeant, præter illos qui viva sunt Ecclesiæ membra, illi qui Judices sedent in Cathedra Ecclesiæ, sive ipsi boni sint sive mali. Quod dum Pontificii satagunt confirmare, ludunt nova æquivocatione in voce Ecclesiæ, quæ quando nominatur *Ecclesia universa militans in terris*, vel complectitur una cum Docentibus Discipulos, vel accipitur seorsim pro universitate Docentium, quæ vocatur *Ecclesia repræsentativa*, in qua auctoritas residet judicii publici Vide *Bellarm. de Eccl. milit. lib.* III. *cap.* 3 & *Canum lib.* IV. *cap* 4. & *lib.* V. *cap. ult.*

XIX. In postrema ista acceptione (ad quam illi perperam rapiunt, quod commune esse debebat docentibus & discentibus) rursus subest alia æquivocatio. Quando enim ipsis lubet, nomine Universalis Ecclesiæ repræsentativæ intelligunt *horum temporum tantum Ecclesiam*, & quidem *vel solam Romanam*, quæ revera particularis tantum est Curia Romani Pontificis, sed usurpat nomen universalis regiminis Hierarchici in rectores aliarum particularium Ecclesiarum per universum terrarum orbem; vel etiam *quamlibet Diœcesin* dicunt *Catholicam*, *quæ cum Romana Ecclesia communionem habet Bellarm. de notis Ecclesiæ libr.* IV. *cap.* 7.

XX. Quando autem paulo sanius loquuntur, intelligunt nomine Universalis Ecclesiæ *Ecclesiam, quæ succedit à tempore Petri usque ad hæc tempora, & sic comprehendit Petrum & alios Apostolos ac Euangelistas, & sanctos omnes à quibus in Ecclesia susceptum est Euangelium, & publicata doctrina Christi.* Posteriori hac acceptione Universalis Ecclesiæ *P. Alliaco in Quæstione de Resumpta* explicat dictum illnd πολυθρύλλητον *Augustini* de auctoritate Ecclesiæ qua motus crediderat Euangelio. Et siquidem verba *Bellarmini* non habent illam significationem, ubi agens de Criteriis verarum Traditionnm, asserit *Ecclesiam universam non posse errare*, *de Verbo Dei lib.* IV. *cap.* 9. certe nihil dicit & ludit in æquivocatione jam indicata.

XXI. Fatemur nos quidem ultro, quando sub Ecclesia universali comprehenditur Petrus aliique Apostoli ac Euangelistæ, ut Ecclesia Catholica repræsentativa amplectatur analogice omnium temporum, omnium locorum, & nationum Judices Ecclesiasticos, quemadmodum fatente *Bellarmino* loco jam citato de Notis Ecclesiæ, *Ecclesia verè Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera.* Fatemur, inquam, non posse errare illam universam Ecclesiam repræsentativam in judicio Controversiarum de Fide & Moribus. Sed eo ipso efficaciter concludimus, non posse illud privilegium tribui posteriorum temporum & locorum Ecclesiis, seorsim à Prophetis Apostolis & Euangelistis. Atque ex his jam præcognitis de Judicio controversiarum secundum Canonem in Ecclesiæ visibili cathedra, incisi sunt nervi Disputationis Pontificiæ, *de infallibilitate Cathedræ Petri*, quam fingunt post Petri excessum; quæ illa est Helena, in cujus gratiam disputant etiam pro *Infallibilitate Cathedræ Veteris Mosaicæ*, ut illi à fortiori omne istud infallibilitatis privilegium vindicent.

XXII. Quæ autem reliqua est nobis disputatio de Cathedra judicii Ecclesiastici visibilis, in Ecclesia quidem Novi Testamenti post excessum Apostoli Petri, est *de Non Ente*, saltem *de Individuo vago*, quia inspirationem infallibilem quam asserunt, quibus personis Cathedræ sessoribus asserant, Papistæ certant & adhuc sub judice lis est. Alii enim infallibile illud θεόπνευστον judicium partiuntur inter Concilium & Papam, alii illud asserunt Concilio seu Presbyteris & Episcopis in Concilio congregatis, ut Papam etiam Concilio subjiciant, alii Papæ uni videntur illud asserere supra Concilium; & sunt istæ *in Papatu Controversiæ indecisæ* I. *An Concilium sine Pontifice vel ante confirmationem Pontificis errare possit in judicio de controversiis fidei & morum.* II. *An Pontifex fieri possit ipse hæreticus.* Nos ad prius problema respondemus post Synodum Hierosolymitanam ab Apostolis celebratam, ab Apostolorum excessu, qui primi fuere sessores Cathedræ visibilis in Ecclesia N. T. nullum fuisse Concilium celebratum, ac nullum sedisse usquam, vel Apostolorum reliquorum, vel Petri in Cathedra successorem Episcopum, cum priviligio infallibilitatis in judicio. Ad posterius autem dicimus, contra experientiam luctari Papistas illos & contra propriam conscientiam, qui id negant de *Liberio* & *Marcellino*, quorum *illum Arianæ pravitati subscripsisse, hunc idolis sacrificasse* constat: ut ingenua magis sit illorum confessio, qui cum *Joh. Gerson*, volunt *id perraratum quidem esse, tamen fieri ut summus Pontifex labatur in hæresin*: qui id pronunciavit *Sermone facto coram Alexandro Papa*, & utroque illo exemplo confirmavit.

XXIII. Rursum determinatio ipsa illorum, qui cum *Gersone* pronunciant infallibile judicium penes Concilium generale esse, fallit inani quadam distinctione illa, *quod in materiis fidei terminandis error non cadit in generali Concilio, ex speciali assistentia Spiritus S. & Christi regentis Ecclesiam, nec permittentis errare, in his ad quæ humana investigatio pervenire non potest. secus in his quæ vel facti sunt, vel humana ratione terminari possunt.* Ilico enim ipse

Gerson

Gerson Thesin suam vocans ad hypothesin Schismatis inter duos Anti-Papas, ut utrumque subjiciat Concilio, tanquam judici infallibili, ista subnectit: *Nunc autem schisma præsens, quanquam in his quæ facti sunt plurimum hæreat, ejus nihilominus terminatio tam perplexa cernitur, tamque difficilis, ut supra hominum vires ingenia inventiones & consilia videatur Ubi vero deest humanum, potest & debet absque temeritate divinum auxilium etiam miraculosum exspectari.* Qua exceptione asseritur Concilio generali judicaturo de schismate, *opitulationis divinæ assistentia specialis*, non tantum in judicio *de materiis fidei*, quod distinctio præ se fert: sed etiam *de iis quæ facti sunt*, per quandam scilicet æquivalentiam, si eorum terminatio nimis perplexa sit & difficilis.

XXIV. Atqui data illa æquivalentia, ut tam flagitet judicium infallibile Ecclesiæ in concilio congregatæ, terminatio illa schismatis, (per definitionem an alteruter, & uter sit verus Papa, vicarius scilicet Ecclesiæ sponsus) quam determinatio controversiæ de Fide: mirari licet, sui oblitum *Gersonem*, qui eodem *Sermone de Circumcisione Consideratione III. de Pace* dixerat ista. *Ea quæ dissensionem afferunt in præsenti schismate sunt talia quæ in facto maxime consistunt, in quibus errare sine periculo salutis potest non solum iste vel ille, sed etiam in talibus Ecclesia fallere dicitur & falli, sicut dum NB. multo tempore fœminam pro Papa coluit.*

XXV. Audiant obiter Papistæ *Cancellarium Parisiensem testem veritatis de Johanna Papissa*, cui nos tutius fidem habemus, quam contradicentibus hodie Jesuitis. Ad præsens autem institutum accipimus, quod ex illa experientia affirmat *Gerson*, in quæstione facti illa, sedeatne in Cathedra Romanæ Ecclesiæ Vir Dei, verus Petri successor, an *sexum mentita virilem fœmina*, (adeoque an habeat ex hypothesi Ecclesia verum in terris visibile Caput, an ementitum) fallere & falli posse Ecclesiam. Verum miramur, quomodo hæc quæstio (de vero an ementito & sexum virilem mentito *Ecclesiæ capite & sponso vicario* sedente in Cathedra) non per eandem illam æquivalentiam accenseatur controversiis de Fide, quoad necessitatem determinationis per opitulationem divinæ assistentiæ specialem: quam audivimus illum supponere circa terminationem schismatis perplexam & difficilem.

DISPU-

DISPUTATIO DUODECIMA

Quæ est de

Judicio Controversiarum in Veteri Cathedra Mosis.

1644. III Februarii.

OPeræ precium est excutere in præsens Papistarum disputationem pro Veteris Cathedræ Mosaïcæ Infallibilitate in judicio controversiarum, cujus Infallibilitatis tradux fingitur in Chimærica Cathedra Petri. Pugnant autem pro illa partim ex Novi, partim ex Veteris Testamenti Scripturis. Ex novo quidem Testamento obtendunt Christi ipsius testimonium *Matth. cap.* XXIII. 2. 3. *Super Cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis servate & facite, secundum opera eorum nolite facere. Docere voluit Christus*, inquit *Bellarminus, non obstante mala vita Prælatorum sequendam esse eorum doctrinam. Quod Dominus de Cathedra Mosis dicit, Intelligitur à fortiori de Cathedra Petri. De Verbo Dei lib.* III *cap.* 5.

II. Respondemus. I. Cathedram Mosis rectissime dici posse (quod respondet *Doctiss. Camero*) Cathedram in qua explicatur Moses metonymicè acceptus, id est doctrina Mosis. Jam, hac acceptione supposita, *sedere in Cathedra Mosis* non significat successionem personalem, qua Scribæ & Pharisæi successerunt Mosi sessione sua, sed lectionem & interpretationem ac traditionem legis & Doctrinæ Mosaicæ ex Mose ipso ad mentem Mosis, de qua lectione Mosis vide *Act.* XV. 21. & 2 *Cor.* III. 15. II. Quamvis Cathedram Mosis intelligamus in qua primus sederit Moses, ut Magister & Doctor, Rabbinorum sequentium prædecessor, denominatione tamen illa à Mose significatur Mosem ipsum audiendum esse ex ore Scribarum & Pharisæorum, ac facienda omnia, quæcunque illi ex Mose, seu à Mose accepta, tradiderint & edixerint. Adeoque non asseruerit Christus Scribis & Pharisæis, post Mosem occupantibus Cathedram, Auctoritatem Mosaïcæ parem, infallibilem, sed indicarit potius ex Mose petendam regulam & Canonem doctrinæ ipsorum, cui si conformia dixerint audiendi sint, si contradixerint, ab iis cavendum sit; quemadmodum exserte Christus jusserat discipulos suos *cavere à fermento*, id est doctrina, *Pharisæorum*. *Matth.* XVI. 12.

III. Habemus hic confitentes Papistarum primipilos. *Hadrianus VI. Pontifex Quotlib.* VI. *fol.* 128 laudat verborum Christi hanc glossam, qua ad regulam Mosis adstringitur Pharisæorum Doctrina, *quæcunque juxta Cathedram docuerint. Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis in Concordiæ suæ caput* CXX. in verbis Christi notat illationem illam, *omnia ergo*, &c *Ergo, hoc est, quia super Cathedram id est in Cathedra Mosis sedent, ideo servate quæ dixerint vobis: ut significetur, non esse illis obediendum, si quid male præcipiant aut doceant: nam si eis est obediendum, quoniam in Cathedra sedent Mosis, non est*

ergo

ergo obediendum, quando contra eam Cathedram *aliquid vel docent vel præcipiunt.* *Maldonatus* proponit ad hunc locum illud ἐναντιοφανὲς, *quomodo jubeat Christus omnia quæ Scribæ & Pharisæi docuerint facere, cum eorum sæpe doctrinam reprehendat, & Cap.* XVI. 12 *jusserit discipulos suos cavere à fermento id est doctrina Pharisæorum, & hoc ipso capite, versu* 16. *&* 17. *falsam eorum doctrinam coarguat &c, Quis dubitat,* inquit, *illa ipsa falsa quæ docebant, in Cathedra ipsa, si in Cathedra sedebant, aut in Synagoga & Schola Mosis docuisse.* Tandem concludit in hanc sententiam: *Cum jubet servare ac facere quæ Scribæ & Pharisæi in Cathedra Mosis sedentes dicunt, non de ipsorum sed de Legis ac Mosis doctrina loquitur: perinde enim est ac si dicat, omnia quæ Lex & Moses vobis dixerint, Scribis & Pharisæis recitantibus, servate ac facite: secundum autem opera eorum nolite facere, ut Hilarius & Hieronymus videntur intellexisse.* Hactenus *Maldonatus.*

IV. Reliqua sunt testimonia ex Veteri Testamento apud *Bellarm. de Verbo Dei lib.* III. 4. I. Primum est *Ex.* XVIII. *Ubi legitur Moses, ante constitutos minores Magistratus, sedisse tanquam princeps & caput illius Ecclesiæ, & illis etiam constitutis tamen sibi reservasse dubia circa religionem. nimirum ut intelligeremus unum esse debere commune tribunal, à quo omnes petant divinæ Legis interpretationem, & cui omnes simpliciter acquiescant.* Respondent nonnulli Mosem fuisse Principem politicum, non Pontificem aut Sacerdotem, cum Aaron esset Pontifex summus; qua responsione hoc volunt. Tribunal illud commune cui omnes simpliciter acquiescere debuerint, civile & politicum fuisse non Ecclesiasticum: itaque non facere auctoritatem illam Mosis ad præsentem quæstionem, ubi quæritur auctoritas summa infallibilis judicis Ecclesiastici.

V. Excipit Bellarminus, *Mosem omnino fuisse Pontificem, & quidem summum, Aarone majorem. Quod Moses,* inquit, *fuerit Sacerdos testatur David, cum ait Psal.* XCVIII. *Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Respondent Orthodoxi ad locum *Psalmi* XCVIII de voce *Cohen*, id quod *Vatablus* adnotavit in Psalterio minori forma excuso à *Rob. Steph.* 1556. *Sed* כהנים / *non tantum Sacerdotes significat, sed etiam Levitas quoslibet, deinde primarios homines, qui præsunt populo: ideo hic Sacerdotes pro Ecclesiæ proceribus accipi potest.* Quod idem docet *Pagninus in Lexico* his verbis. *& Nomen Toar* כהן / *Sacerdos, Dux, Princeps. 2 Sam.* XX. 26. *Et etiam Hira Jairitha erat* כהן / *Servitor (ac consiliarius) ipsi David. Sacerdos: Targum* רב / *Princeps aut Magnus. Rab. David in Commentariis & in libro Radicum, Magnus atque Consiliarius. Et non potest exponi Sacerdos, inquit R. David: quia Sacerdos non erat ipsius duntaxat David, sed universi Israel.* &c: mox 2 *Sam.* VIII. 18. *& filii David* כהנים. *Principes erant & sic habes* I. *Paral.* XVIII. 17. *Et filii David Principes ad manum Regis* הראשונים ליד המלך &c

VI. Nostra ἐνστασις hæc est: frustra esse *Bellarminum*, si neget Mosem fuisse Principem Politicum; quia Scriptura ipsa pronunciat Mosem in populo illo fuisse Regem *Deut.* XXXIII. 5. Atque omnino fallitur & fallit *Bellarminus* si respexit locum *Exod.* IV. 15 16. ubi Moses constituitur Deus Aaronis, & Aaron os Mosis, quando asserit Mosem fuisse Pontificem summum Aa-

rone majorem. Quia illo loco non inauguratur Aaron Sacerdotio, ſub Moſe, tanquam ſummo Pontifice; ſed Moſi tanquam deſignato Regi datur Aaron futurus Orator in extraordinaria legatione divina ad Pharaonem.

VII. Largimur tamen nos *Bellarmino* non inviti ex *Pſ.* XCVIII. Moſem etiam Sacerdotem fuiſſe; quin aliquando Aaronem ſub Moſe conſtitutum fuiſſe etiam in Sacerdotio. Ut quamvis proba ſit illa obſervatio de voce *Cohen* (quia etiam filiis Davidis tribuitur in Tribu Juda, de qua teſte Paulo nullus Altari præſto fuit *Hebr.* VII. 13.) non tamen neceſſe ſit in perſona Moſis ad illam ſignificationem confugere, quam quidem flagitant ſequentia tempora, quando aliquis ex alia quam Levitica tribu dicitur Cohen: ſed quæ intempeſtiva fuit ante τάξιν Aaron, ſeu ordinem illum per Moſem ipſum inſtituendum, quo Aaron (ſeorſim à Moſe populi Iſraëlitici Rege) titulo *Cohen*, præficeretur eidem populo in iis quæ apud Deum agenda eſſent: quemadmodum ante ordinem illum conſtitutum, & electam tribum unam quæ ſeorſim à negotiis regni curaret negotia Jehovæ, quicunque vocabantur in populo aliquo nomine iſto כהנים, abſque aliquo periculo credantur fuiſſe, exemplo Melchiſedeci, & Duces ſeu Reges, & Sacerdotes. Quidni enim idem ſentiamus de Moſe? qui & Levita erat, & manifeſte, antequam tribus Levi ſecerneretur ad ſacerdotium in Aarone, cum veteri ritu ſacrificarent primogeniti, legitur cum Aarone fuiſſe ἐργοδιώκτης ſacrificii Paſchalis. Quæ præfectura ſacerdotalis non ante ceſſit uni Aaroni, quam ille per ſacram unctionem inauguratus eſt ordinarius ſummus Sacerdos, collatumque filiis ipſius jus ſuccedendi *Exod* XL. & *Levit.* VIII. menſe primo die ineuntis anni ſecundi à migrata Ægypto. Tantiſper ergo ſaltem negandum non eſt tribunal illud, pro quo Moſes ſedit ſummus Judex controverſiarum, etiam Eccleſiaſticum fuiſſe.

VIII. Enimvero ne quidem poſt inauguratum ſummo Sacerdotio Aaronem, deſiit Moſes eſſe controverſiarum etiam de Religione judex in populo Dei, utpote Reipublicæ utriuſque Politicæ & Eccleſiaſticæ fundator, ac legiſlator & magnus Propheta. Sed nihil inde efficitur, nec procedit argumentum à perſonali Moſis privilegio, ad privilegium Cathedræ in qua poſt mortem ſonaret doctrina Moſis: fore ſcilicet in Cathedra illa omnibus perpetuo temporibus commune & perpetuum ejuſmodi viſibile tribunal Eccleſiæ, à quo petere licuerit exorta aliqua controverſia vivum infallibile oraculum veritatis.

IX. II. Secundum ex Veteri Teſtamento teſtimonium habetur *Deuter.* XVII. 8 ---- 12. *ubi Lex generalis fertur, qua remittuntur dubitantes ad judicem vivum ſummum Sacerdotem.* R. 1. Remittuntur dubitantes ad ſummum Sacerdotem hac lege ut judicio ſtandum ſit cum approbatione judicii ſi docuerint juxta legem. Suppeditat hanc reſponſionem Vulgatus Latinus interpres, qui ſic habet; *& facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus & docuerint te juxta legem ejus.* Et utitur hac reſponſione P. de *Alliaco in Quæſtione de Reſumpta. Dicitur quod illa Auctoritas intelligenda eſt in illis judiciis Sacerdotum Leviticorum, in quibus non errabant contra legem, ſed ſi*

contigiſſet

contigisset eos errare, sicut possibile fuit, tunc ab eorum judicio & sententia fuisset declinandum.

X. *Bellarminus* conatur enervare hanc responsionem hac evasione, *illud, & docuerint te, &c. non esse nisi in editione Vulgata quam Lutherani non recipiunt.* Sed non elabitur: quia licet omnino *Lutheranis* Pontificios confutare ex editione, quæ Pontificiis est authentica. Deinde, minime decet *Bellarminum* evasio ista, quandoquidem oportebat ipsum meminisse, quod statim in initio magni operis controversiarum *de Verbo Dei Lib. 1. cap. 2.* usus esset iisdem verbis ex testimonio isto, contra *Libertinos*, ut nobiscum probaret, *Mosem aperte docuisse controversias in populo ex Lege Domini dijudicandas, atque remisisse dubitantes ad Scripturas.* Prævaricatur ergo hic in causa Scripturarum contra *Libertinos*, quando responsionem istam premit hoc absurdo: *quod tunc fuissent homines magis dubii & perplexi quam antea, nec opus fuisset ire ad Sacerdotem, si ipsi potuissent ex Lege Domini per se judicare causam suam:* ipse enim authoritate hujus testimonii, quod contra *Libertinos* primum in acie collocat, demonstrabat, *Sacram Scripturam esse regulam credendi certissimam tutissimamque.*

XI. Quod porro contra disputat ab altero absurdo, *imo tunc non Sacerdos fuisset judex sed ipsi, quippe qui de sententia Sacerdotis judicaturi erant*, futile est, nec alia responsione indiget, quam istac ipsius *Bellarmini libr. 1. de Pontif. Rom. cap. 6* qua respondet ad locum *Ambrosii in Epist.* XXXII *Qui agens de judicio fidei, ille populus, inquit, judicat: item, Auxentius, inquit, vestrum refugit examen. Quod vero,* inquit *Bellarminus, ad Ambrosium attinet, loquitur eo loco S. Ambrosius de judicio privato, quo quisque statuit quid sequendum sit, non de publico judicio, quod autoritatem habet cæteros obligandi. Id quod ex verbis ejusdem Ambrosii perspici potest, sic enim ait ibidem: veniant plane si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisque judex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, & eligat quod sequatur.*

XII. II. Responsio altera est, manifestum esse in hoc testimonio sermonem de jure vitæ & necis, ac de politicis judiciis in controversiis facti, de quibus judiciis habemus confitentem *Bellarminum*; *Non esse absurdum Pontificem errare in præceptis & judiciis particularibus, neque est erroneum dicere Pontificem in aliis legibus quæ non versantur in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis aut malis, posse errare; nimirum superfluam legem condendo, vel minus discretam &c.* Quare largimur quidem judicia illa in loco tabernaculi, vivo Mose, habuisse infallibilitatem ex præsenti oraculo. Verum deficiente isto infallibili oraculo, non potuit esse judicium infallibile: quamvis in rebus civilibus aut criminalibus illi standum aut cadendum fuit. Quemadmodum judicio omnis Magistratus, qui habet summum jus vitæ aut necis, standum & cadendum est, quamvis sit injustissimum, sicut Christo standum & cadendum fuit judicio Pilati.

XIII. Excipit *Bellarminus*, quod *occasio hujus Legis fuit, propter eos qui serviebant Diis alienis, ut patet ex initio capitis. Servire autem Diis alienis contra Religionem est.* Resp. Ex eodem initio capitis patet, etiamsi occasio fuerit

 defectio

defectio à religione vera ad cultum idololatricum: tamen quæstionem dari judicibus non de jure, sed de facto *verʃ.* 4. in quo quia falli poterant à testibus falsis & mendacibus, ne hoc nimis proclive sit, cavetur divinitus ne quis occidatur, uno dicente testimonium, *verʃ.* 6. Præsupponitur ergo jus evidentissimum, sed factum sæpe dubium, ac probandum testibus, in quo proinde datur appellatio à judice inferiori ad superiorem, ne exequutio judicii præcipitetur: tamen ne quidem à superiori judice judicatur infallibiliter.

XIV. III. Tertium ex Veteri Testamento argumentum priori affine, ac partim quoque nixum testimonio superiori *Deuter.* XVII. nectit *Bellarminus* pro infallibili judicio summi Pontificis. *de Rom. Pontif. lib* IV. *cap* 3. *Quia Veteri Testamento, quod fuit figura Novi Exod.* XXVIII. *jubet Dominus in Rationali Pontificis summi poni Doctrinam & Veritatem, Hebraice Urim & Tummim, secundum L X X.* δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν. *Cur autem scriberetur in pectore summi Sacerdotis Doctrina & Veritas, explicatur Deuter.* XVII. *Et signo ergo & verbo Dominus promisit in pectore summi Sacerdotis habitaturam doctrinam & veritatem, & proinde eum non erraturum cum populum docuerit &c.* Respondemus, nequaquam *Deuter.* XVII. Dominum verbo promisisse id quod vult *Bellarminus*, jam demonstravimus. Ex signo absque verbo nihil effici potest, præsertim ex ejusmodi signo, de quo, ut ipse *Bellarminus* observat, *nondum convenit inter Hebræos, nec etiam Christianos, quid fuerit.*

XV. Quam parum ipse *Bellarminus* fidat huic argumento, ipse prodit, quando *Augustini conjecturam tanquam probabiliorem* amplectens, ut illam tueatur, se opponit omnibus Doctoribus Grammaticis, tanquam *Judæis & Judaisantibus*: atque ipse pro radice אור *Lux*, obtrudit *radicem* ירה *docuit*; *pro* תמם / *perfecit* אמן / *Credidit*, contra omnem analogiam Hebraïcam. Quidquid autem fuerint Urim & Tummim, responsum quidem per Urim & Tummim semper erat sine errore, sed non semper præsto erat, per doctrinam & veritatem habitantem in pectore sacerdotis. adeo ut quandoque, frustra sacerdoti adhibito pectorali, tacendum esset, si fallere & falli nollet, quemadmodum accidit Saule sciscitante. 1 *Sam.* XXVIII. 6.

XVI. Erat ergo in illo Urim & Tummim extraordinarius χρηματισμὸς, pertinens ad œconomiam πολυμερῆ καὶ πολύτροπον Verbi Dei in populo Veteri, sicut somnia & visiones Propheticæ, quibus apud Samuelem accensetur: quæ œconomia quamvis longo tempore haberet etiam hunc χρηματισμὸν & reliquos, non tamen præstabat inhabitantem in pectoribus vel sacerdotis vel Prophetarum veritatem, ita ut periculum nullum esset, ne illi mentirentur oracula. Deinde nominatim χρηματισμὸς de quo agimus defecit, ut porro consuli nunquam potuerit juxta legem *Num.* XXVII. 21. post primi Templi desolationem *Esr.* II. 63. *& Nehem.* II. 65.

XVII. Quod autem caput est, quamdiu duravit ille χρηματισμὸς per Urim & Tummim in pectorali sacerdotis, Sacerdos summus Leviticus in eo non gessit typum Papæ, qui scilicet in N. T. habiturus esset *Jura omnia in scrinio sui pectoris*, quod de Papa Anti-Christianè prædicant Papistæ *VI. Decretal.*

cretal. lib. I. *Tit.* 2. *Andradius Def. Fid. Trid. fol.* 165. Sed gessit typum veri summi sacerdotis Christi, in quo uno placuit Patri *ut omnis plenitudo habitaret. Col.* I 19

XVIII. IV. Supersunt apud *Bellarminum de Verbo Dei l* III. *c.* 4. testimonia sequentia. *Eccl.* XII. II. *Verba sapientum sunt sicut clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno, his amplius fili mi ne requiras.* Hinc contendit, *non fuisse ulterius inquirendum, sed acquiescendum penitus, quando sententia data fuit à summo Pastore, adjuncto præsertim consilio sapientum.* R. Sufficit si ad hunc locum respondeamus verbis *Hieronymi. Facit hic locus adversus eos, qui alium Legis veteris alium Euangelii existimant Deum, quod unus Pastor Concilium prudentium instruxerit: Prudentes autem sunt tam Prophetæ quam Apostoli.* Pro *Hieronymo* facit locus *Joh.* x. 16. ubi Christus Dominus vocatur unus Pastor. Hujus unius Pastoris Domini nostri sententiæ acquiescendum, nec ulterius inquirendum esse plena manu largimur. Nullis autem fidiculis hinc aliquis expresserit Infallibilitatem judicis visibilis sedentis in Cathedra Mosis, ubi sermo est de Scriptoribus sacris, & Domino Christo, qui spiritu suo illos afflavit.

XIX. V. Conjungit porro *Bellarminus* duo ista testimonia *Aggæi* II. II. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum, interroga Sacerdotes Legem* & *Malach.* II. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Ex quibus verbis,* inquit, *intelligere est, non esse privatorum hominum judicare de sententia Legis Domini, sed sacerdotis, qui cum sit Angelus, id est nuncius Dei, ad eum pertinet ex officio explicare sententiam Dei.* Respondemus I. In loco Aggæi non esse sermonem de instituendo communi tribunali, nec præceptum universale, quo ad illud tribunal omnes remittantur. Sed instituitur Prophetæ jussu Dialogus cum Sacerdotibus, super casu aliquo pollutionis cæremonialis, in quo, absque operosa disquisitione, obvia cuivis responsio in promptu erat: quam responsionem per Anagogem Propheta convertit ad scopum propositum, de populi pollutionibus spiritualibus, ob quas Deo erant abominabiles.

XX. II In loco Malachiæ non fit Sacerdotibus promissio ulla Infallibilitatis, sed in memoriam revocatur officium, cum expostulatione de prævaricatione in officio, inde ab initio capitis & verbis etiam illis quæ immediate subnectuntur *versu* 8. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege &c.* Facit ergo locus ad probandum, posse Sacerdotes falli & fallere & prævaricari in officii functione.

XXI. Ultimo loco subjicit Bellarminus testimonium ex 2 *Paral* XIX. *ubi Rex Josaphat distinguit officium Pontificis ab officio Regis, & soli Pontifici tribuit judicium de dubiis legis* R. Locus ille 2 *Paral.* XIX. probat tantum distinctionem officii Pontificis ab officio Regis, quam nos minime negamus: lubenter enim soli Pontifici V. T. asserimus præeminentiam illam in judicio de dubiis legis, ut de illis ex officio pronunciet. Sed probanda erat, quod minime fit, judicii infallibilitas. Absque illa infallibilitate esse potest, quod tamen auctoritatem habet cæteros obligandi, per patefactionem

factionem veritatis ad conscientiam: ad quam necessaria est conspiratio judicii publici ex officio, & judicii privati, quo sive Reges sive subditi Laïci, quisque statuunt, quid sibi sequendum, & quid sua qua pollent auctoritate muniendum sit. Quod privatum judicium supra audivimus admittentem ipsum Bellarminum. *Thesi* 11.

XXII. Enimvero in tota hac disputatione qua prætractè illud tueri satagunt Papistæ, fuisse infallibile judicium quod a Pontifice V. T. pronunciabatur ex Cathedra, contra experientiam luctantur. Quod contra illos tribus exemplis demonstrant Colloquutores Ratisbonenses Euangelici. *Colloq. Ratisb. Sess.* 2. Probant enim, *in doctrina & religione errasse* I *Aaronem cum erexit vitulum aureum* Exod XXXII. 2. *Uriam quando removit aram Domini, & in ejus locum aliam constituit ad typum Altaris Damasceni* 2 Reg. XVI. 3 *Cajapham quando Christum condemnavit.*

XXIII. Colloquutores Pontificii de Aarone respondent. I *Aaron non tanquam Judex, non tanquam summus Sacerdos, nec ex Cathedra decrevit: cum ex toto illius capitis contextu pateat Aaronem insolentia tumultuantis populi compulsum id solummodo permisisse.* II. *Et esto, quod etiam ipsemet Aaron ab insolente populo coactus vitulum adorasset, minime tamen sequetur eum definivisse* III *Et quidquid exterius fecerit, interim tamen á fide non defecit, & ideo non probatur illum eam idololatriam actu perpetrasse.* IV. *Etiamsi Aaron mente in idololatriam incidisset tamen non propterea summus Pontificatus defecisset, quia Moses fuit superior. Etiamsi ergo peccasset Aaron, non sequeretur tamen ut Pontificem peccasse.* Resp. Verum duas priores evasiones non patitur contextus, in quo exserte hæc affirmantur de Aarone. *Fecit vitulum conflatilem vers.* 4. *ædificavit altare coram eo, & clamavit Aaron, & dixit, cras solennitas Domini est. vers.* 5. Et oportunum hic est, nec à vero alienum, quod Latinus interpres *Vulgatus* transtulit verba ויקרא אהרן/ neglecto Aaronis nomine, *& præconis voce clamavit.* Et quod idem versu tertio pro Hebraica veritate quæ sic habet, et *abruperunt omnis populus inaures aureas &c.* hæc posuit, *fecitque populus quæ jusserat.* Ut secundum *Pontificios* authenticè hoc constet, quamvis Aaron peccarit populi tumultuantis insolentia compulsus; situm tamen fuisse peccatum ejus in exercitio illius potestatis, qua publice jubere mandare & edicere poterat, & revera jussit mandavit & edixit publice idoli fabricam, & idololatriæ solennitatem, atque sic non permisit tantum populi peccatum, sed juvit ac promovit.

XXIV. Ad secundam evasionem speciatim dicimus, illum qui in Cathedra sedet longe efficacius docere cultum idololatricum, si populo in idololatriam ruenti ipse se adjungat, ac illi præeat facto ipso, una cum populo idolum adorans, quam si populo minime idololatræ dictet sola definitione dogmatica Idolum esse adorandum. Deinde evasio ista, coactum adorasse, minime tamen definivisse, nulla est, si hypothesin suam tueri velit *Bellarminus*, quæ exstat *de Verbo Dei lib.* IV. *cap.* 9. *Ecclesia universa non solum non potest errare in credendo, sed nec in operando, ac præsertim in ritu & cultu divino.*

XXV. Ter-

XXV. Tertia quoque evasio nulla est, si standum est illi Ecclesiæ definitioni, juxta quam *non requiritur ulla interna virtus, sed tantum externa professio fidei & Sacramentorum communio, quæ sensu ipso percipitur*; quod urget *Bellarminus de Ecclesia militante lib.* III. *cap.* 2. Si enim absque interna virtute aliquis de Ecclesia est, tantum externa fidei professione & Sacramentorum communione quæ sensu ipso percipitur, non requiritur certe ad defectionem à vera Ecclesia quidquam aliud, quam derelictio externæ professionis & communionis Sacramentorum quæ sensu percipitur; & sensibilis ac palpabilis defectio est ab Ecclesia, si ad derelictionem illam accedit contraria operatio in ritu & cultu divino, quæ sensu percipitur.

XXVI. De quarta evasione sic censemus: quamvis jam ante largiti simus hypothesin istam, donec Aaron summo Sacerdotio ordinario inunctus & inauguratus fuit, Mosem etiam in Sacerdotali præfectura Aarone superiorem fuisse, adeo ut Aaron ante initia Levitici sacerdotii fuerit Sacerdos sub Mose, tamen dicimus in μοσχοποιΐα illa, ab Aarone hortatu populi occupatam fuisse Mosis Cathedram, tanquam si jam vacaret, Mose nunquam reversuro: dicebant enim *versu* 1. *Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Aaron itaque ut Pontifex peccavit.

DISPUTATIO DECIMATERTIA

QUÆ EST ALTERA DE

Iudicio Controversiarum in Cathedra Mosis.

1644. XVII Februarii.

DE Uria Sacerdote respondent *Colloquutores Ratisbonenses Pontificii* fere eadem, quæ de Aarone. I. *Illum non definivisse cultum idololatricum tenendum & ab omnibus observandum esse; sed potius in facto quam in Doctrina errasse* II *Quod si ipse Urias vero idololatra factus est, non tantum exterius, sed etiam mente, dicimus illum excidisse ab illa Pontificia potestate, eo modo quo nunc Catholici Doctores docent, Pontifices nostros, si in hæresin incidant, ipso facto desinere esse Pontifices* Hactenus illi. Respondemus nos; sedens in cathedra Urias in Templo Dei posuit scandalum populo Dei, ut vel cultu sacrificiorum abstinendum, vel in operando sacris, peccandum esset. Non potuit ergo se efficacius præbere ductorem & ducem seductionis ad idololatriam. Locum ergo hic habent, quæ dicta fuerunt à nobis de Aarone.

II. Deinde hic meminisse oportet, quod audivimus supra *Disput.* VIII. *Thesi* XIV *Bellarminum* commendantem etiam *Altaria, inter monumenta illa externa, quæ ad longissimum tempus durant, quibus divina providentia etiam hodie utatur, ut caussis adjuvantibus, ad conservandam & propagandam Traditionem*

verbi-

verbi Dei sine scripto. Ex illa hypothesi consequens est, Uriam remoto Altari Dei & alio substituto, veræ Traditionis veri cultus Dei conservandæ & propagandæ monumento externo sublato, substituisse monumentum conservandæ & propagandæ Traditioni adulterinæ cultus adulterini

III. Quando autem ex hypothesi dicunt Uriam ecidisse à Pontificia potestate, eo modo quo Pontifices si in Hæresin incidant, ipso facto desunt esse Pontifices nihil dicunt nisi dicis causa Quidquid enim sentiant aliqui Doctores, illi qui hodie inter Pontificios prædominantur cum *Bellarmino* faciunt, qui pronunciat *opinionem illorum, qui sentiunt Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hæreticum & docere hæresin, si absque generali Concilio definiat & de facto aliquando accidisse, etiamsi ab Ecclesia tolerentur qui illam sententiam sequuntur, tamen videri omnino erroneam & hæresi proximam, Bellarminus de Rom. Pontif. libr.* I V. *cap.* 2. Asserit itaque idem, *probabilem saltem esse opinionem Alberti Phigii, Pontificem non posse ullo modo esse hæreticum, nec docere publice hæresin.*

IV. Quid quod ludunt Pontificii in phrasi ista, *ipso facto*, qua abutuntur sic, ut si quem ex hypothesi dixerint ipso facto desinere esse Pontificem, nihil ultra intelligunt, quam *posse eum ab Ecclesia judicari & puniri,* quæ est periphrasis *Bellarmini de Rom. Pontif. lib* I I. *cap.* 30. Atqui si ipso facto plus est quam ipso jure, Pontifex de jure desinet esse Pontifex quando ab Ecclesia judicari & puniri jure potest: ipso autem facto non desinit esse Pontifex, donec Ecclesia ipsum actu judicet & puniat. Procedit ergo argumentum nostrum de Uriæ defectione ad cultum idololatricum, quoniam non desiit ipso facto esse Pontifex: sed impune populum seduxit, non judicatus nec punitus ab Ecclesia, neque coactus Cathedram alteri cedere, cum jure sic puniri potuisset debuisset. 2 *Reg.* X V I.

V. III. De Caïpha argumentum quod urgent Colloquutores Euangelici sic olim proposuit *Canus lib.* I V. c. I. *Pontifices & Pharisæi collegerunt Concilium, cujus sententia impia fuit ut Johannis XI. Capite legitur, non ergo semper Synodi sacerdotalis judicium probandum est: sicut enim Principes Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum Matth* X X V I. *& omnes principes Sacerdotum & Seniores populi adversus Jesum concilium inierunt Matth* X X V I I. *ita & Episcopi ac Pontifices nostri contrariam Jesu Christo sententiam ferre possunt.*

VI. Quid ad hæc *Canus libr.* I V. *cap. ult. Sacerdotum veterum acta quidem,* inquit, *Christo adversa fuerunt: at sententia hominum alioqui pessimorum, non solum verissima, sed Reip. etiam utilissima fuit. Quin divinum oraculum fuisse, Johannes Euangelista testatur. Cum enim post longam variamque Concilii deliberationem Caïphas qui ut summus Pontifex Concilio præsidebat, sententiam illam cui omnes ferme consenserunt dixisset, expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, mox Euangelista subjecit: Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit &c.* Respondemus *Cano*; sententiam illam Propheticam verborum Caïphæ, (quæ ut Spiritus Sancti sententia postliminio demum post mortem & resurrectionem Christi per Johannem patefacta est Ecclesiæ Christianæ) negamus ullo schemate dici posse sen-

se sententiam Caïphæ & aliorum pessimorum hominum, eamque non solum verissimam, sed Reip. utilissimam. Caïphæ & omnium qui ipsi consenserunt sententia non fuit alia, quam illa quam ipse intellexit, ex se impia & consultori Caïphæ & Concilio totique illi populo, quem ille à Romanis servatum volebat, contrario eventu ἀπωλείᾳ, excidio quod Templo & urbi supervenit perniciosissima.

VII. Quod autem Mors Christi utilissima fuerit reliquiis salvandis populi Judaici & gentibus, id plane fuit per accidens, preter sententiam Caïphæ & pessimorum hominum que in Concilio prævaluit, sic ut in illam omnes ferme consenserint, dissenserunt enim soli Nicodemus & Josephus. Agnovit hoc *Toletus in Ioh. XI. Annot.* 17 *Attende Caïphæ sententiam in eo quem ipse conceperat sensu, iniquam fuisse & falsam quidem, quia innocentem nec licet nec expedit occidere pro temporali Reipublicæ salute; rursus quia expediens & utilis ista occisio non fuit juxta eorum sensum, nam temporalem populi conservationem intendebat, cui occisio Christi fuit potius contraria, cum propter eam vastati sint & eversi. Iniquam, quia contra justitiam est innocentem occidere, peccavitque gravissime Caïphas cum omnibus consentientibus, talemque sententiam probantibus. De qua prædictum est Psal.* XL. *Verbum iniquum constituerunt adversum me &c.* Bene etiam *Ianssenius in Concordiam Cap.* CCIII. *Hinc discendum quomodo Deus mala in bonum convertat, impiisque hominum voluntatibus dictis & factis bene utatur. Scelestus enim hic Pontifex his verbis ad iniquam innocentis occisionem commovere voluit, ac significare, melius esse ut unus ille moriatur, quam propter ipsum omnis populus perdatur à Romanis &c.*

VIII. Concludimus ergo, arcanam quidem verborum inspirationem, quibus Caïphas usus est in dicenda sententia, à Spiritu S. intercessisse sed non effecisse, ut diceret ille sententiam verissimam & utilissimam: si enim talis fuisset dicta sententia, peccasset Josephus Arimathæensis non consentiens in sententiam Caïphæ, qui eo nomine laudem meruit *viri boni & justi Luc.* XXIII. 50 51. Dicimus enim ex vero, Spiritum S. ne quidem istis verbis per os Caïphæ ex Cathedra illa voluisse docere aliquam veram & utilem sententiam: sed demum postliminio, (post patratum parricidium, ex impia conspiratione fere omnium in sententiam Caïphæ, & post Christum à mortuis suscitatum) voluit Apostolos Caïphæ verbis uti ad docendum salutis nostræ mysterium, nempe ut ne Caïphas sua perniciosissimæ sententiæ dictione pertrahens reliquos Senatus Assessores in societatem sceleris, videatur prævaluisse supra Dei consilium, sed intelligatur hoc tantum fecisse, quod & consilium Dei prius definiverat faciendum, quin hoc tantum dixisse, quod, ut tunc serviebat exprimendis cogitationibus ipsius malis, sic postliminio serviret exprimendis Dei cogitationibus, quas ipse fræna laxans ipsorum impietati fovebat in bonum, ad conservationem Ecclesię per mortem Filii sui.

IX. Confugiunt *Colloquutores Ratisbonenses Papistæ* ad alterius responsionis sacram anchoram, *nihil facere ad rem quod Caïphas errarit, cum habuerit superiorem Iudicem nempe Christum summum Sacerdotem, cui nihil potuit derogari.*

Affirmant itaque, *quod potestas summa Judiciaria non fuerit tunc penes Sacerdotem Aaronicum, sed penes Christum, illo utique superiorem: atque adeo hoc exemplo Caiphæ nullo modo demonstrari posse, quod summus Sacerdos etiam Aaronicus, retenta summa Judiciaria sua potestate in terris, in definitionibus fidei errarit.* Respondemus, ipsis *Colloquutoribus* fatentibus, *Potestas Cathedræ Mosaicæ non fuit penitus abrogata usque ad mortem Christi.* Fuit ergo Caiphas saltem ad mortem Christi legitimus Judex summus ordinarius. Controversia est autem hic de Cathedra ordinarii Judicii Ecclesiastici, in qua certum est Christum nusquam sedisse, sedisse autem tunc Caipham Anti-Christum, qui ex Cathedra illa Christum condemnavit; qua condemnatione Christi ex Cathedra Mosaica impleta fuit prædictio Prophetica, qua prænunciatum fuerat Christum *lapidem angularem* Ecclesiæ *reprobandum ab ædificantibus Psal.* CXVIII. 22 Appellantur Judices illi qui Christum in suo concilio condemnarunt ÆDIFICANTES ab illa quam habuerunt judiciaria potestate, cujus judiciariæ potestatis abusus, & prævaricatio in ejus exercitio, illa appellatione illis exprobratur: quod non fieret, si antequam Christum condemnarunt illa potestate & Cathedra jam exciderant.

X. *Bellarminus* similiter ut *Colloquutores* isti hic confugit ad responsionem istam; *Pontifices & Concilia Judæorum non potuisse errare, antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse, imo fuisse prædictum erraturos Judæos & Christum negaturos Esai.* VI. *Dan.* IX. *& alibi. Bell. lib.* II. *de Conciliis Cap.* 8. *Idem de Eccles. milit. lib.* III. *Cap.* 17. *Sacerdotes & Pontifices non habuisse privilegium non errandi in docendo populo, nisi usque ad tempora Christi. Christo autem*, inquit, *præsente, parum oberat illorum error. Imo hoc videtur prædictum per Hieremiam Cap.* XVIII. *cum ait, peribit lex à Sacerdote, verbum à Propheta, consilium à sapiente &c.* Resp. Atqui quod affirmant Christo præsente & docente parum obfuisse illorum errorem, pugnat cum experientia, quæ testatur, totum populum à sacerdotibus seductum clamasse ad Pilatum, *crucifige eum. Marc.* XV.

XI. Hanc experientiam dilute nimis diluit *Bellarminus*, cum respondet, populum illum qui clamavit *Crucifige*, non fuisse omnes Judæos, sed aliquos tantum & forte minorem partem. Constat enim capita illa quasi ter mille, qui die Pentecostes baptizati sunt, qui numerus mox excrevit ad capita virorum quasi quinquies mille *Act.* II. & IV. compellatos fuisse & convictos de trucidato Christo & liberato Barnaba: ut non aliæ fuerint primitiæ Christianæ Ecclesiæ, quam illorum numerus ingens qui clamaverant crucifige, absque quibus numerus illorum qui manserunt in professione fidei in Christum, collectorum ex dispersione ἐπὶ τὸ αὐτὸ, jam numerabatur quasi capitum *centum viginti Act.* I. 15. jam ut maximus *fratrum supra quingentos.* 1. *Cor.* XV. 6. Qui ipsi tantum non omnes, aliis illis clamantibus crucifige, saltem scandalizati fuerunt, ita ut hac occasione Pontificiorum Doctores disputent, *in die passionis Domini, fidem mansisse in sola B. Virgine*; ut ibidem *Bellarminus* tangit ex *Iohanne de Turre cremata*, qui *hanc censet esse fidem universalis Ecclesiæ, scilicet propter ritum universalem*, *quo*

quo una tantum candela accensa conservatur intriduo ante Pascha, in officio nocturno.

XII. Argumentum illud levissimum de candela ridemus. Interim universalis illa dispersio illorum qui manebant in Fide, sed scandalizati saltem, & aliorum gravissimus lapsus in abnegationem publicam Christi, ejusque occisionem, tam sunt atrocia effecta erroris & seductionis Sacerdotum & Pontificum, ut non citra impietatem dictum sit illud, *parum oberat illorum error*. Ad reliquam autem *Bellarmini* exceptionem jam responsum est, non ante mortem Christi abrogatam fuisse Cathedram Mosis, illorumque qui in illa sedebant jurisdictionem Ecclesiasticam. Censemus autem, isti Cathedræ & Sacerdotio summo Aaronico abrogari cœptam cœlitus dignitatem illam, qua sedebant ut Sacerdotes Dei judicantes secundum legem Dei, postquam publico illo Ecclesiastico judicio Christus esset injuste judicatus mortis supplicio dignus, atque sic insigni piaculo errasset in doctrinæ fundamento, & prævaricatus esset totius populi seductione Sacerdos cum Concilio in Cathedra sedens. Juris quidem divini contra illam patefactio fuit in articulo mortis Christi per scissum miraculose Velum Templi. Illius autem juris divini solennis denunciatio & promulgatio facta est, quando prædicari cœpit Christi veri summi Sacerdotis ingressus in cœleste sanctuarium & sessio ad dexteram Patris in die Pentecostes.

XIII. Hujus loci est disquisitio ad illud, quod in eodem *Colloquio Ratisbonensi Sess.* III. tractatur; ubi postulandum sibi censuerunt Euangelici, quod Colloquutores Papistę *secundum quid concedunt*, *Paulum etiam in Concilio Hierosolymitano Act.* XXIII. *agnoscere adhuc durantem auctoritatem & potestatem Ananiæ summi Pontificis*. Nos, salvo aliorum judicio, existimamus nihil esse in contextu quod cogat illud postulare, aut concedere. Non verba illa, *Tu sedes me judicaturus secundum Legem, versu* 3, nihil enim hinc efficitur, præter auctoritatis & potestatis judiciariæ usurpationem. Non cogit quoque Apologia illa *vers.* 5. οὐκ ᾔδειν ἀδελφοὶ ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς. *scriptum est enim, Principi populi tui non maledices.* Quid enim vetat, ut verba illa, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς, dicamus esse propositionem secundi adjecti, & sententiam esse aliqua ironia temperatam: qua tamen magno serio loquatur Apostolus absque ulla simulatione palinodię aut culpæ deprecationis prætextu ignorantiæ, quæ minimè decebat Paulum constitutum in martyrio causæ Christi veri Sacerdotis summi, propter promissionem Christi datam Apostolis *Matt.* x. 19. *Marc.* XIII. 11 quâ etiam vetuit ne sollicite prędmeditata loquerentur, quia non ipsi essent loquuturi, sed Spiritus S.

XIV. Absque injuria, jure meritissimo audiit à Paulo Ananias sedens in Cathedra ex qua jam damnatus erat Christus, *paries dealbatus*, erant enim ex illo tempore quo prædicabatur verus summus Sacerdos Christus, Sacerdotes Judaici sedentes in Cathedra parietes dealbati, non ob solam cordis ipsorum, sed vel maxime ob sacerdotalis functionis hypocrisin & larvam veritate cassam. Et conveniens verbis Pauli sententia hæc est, non noveram ullum

 veram ullum

ullum supereſſe Pontificem maximum, ſi quis revera ſupereſt, peccavi fateor contra id quod ſcriptum eſt, Principi populi tui non maledices. Remoto autem ſchemate ironiæ dixiſſet Apoſtolus; nihil peccavi in illam legem Dei, nullum enim agnoſco jam ultra in terris conſtitutum, quem fas ſit vocare τὸν ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ *verſ.* 4. Optimus enim fui interpres Paulus *Capite* VIII. *ad Hebræos* docens, non jam in terris ſed in cœlis nos habere τὸν ἀρχιερέα τοῦτον.

XV. IV. Tribus iſtis exemplis Aaronis, Uriæ, & Caiphæ, addimus nos experientiam ex hiſtoria Jephtæ *Jud.* XI. 14. Supponimus ex ſententia *Ambroſii*, *Auguſtini*, *&* *Hieronymi*, cum P. *Martyre* & *D. Paræo*, & *D. Lud. Capello*, Jephtam exſequutum eſſe votum ſuum quod voverat de mactanda filia in holocauſtum. Judicamus autem peccaſſe cæco zelo voti ſolenniter concepti: non potuiſſe tamen exſequi nec exſequutum eſſe Votum illud, quin ipſius peccato communicaverint Sacerdotes, adeoque ipſe ſummus Pontifex, quibus ſiſti debuit devotum caput, ex Lege *Num.* XVIII. 14. quos cenſemus erraſſe male expoſita Lege de Anathemate iſta *Levit.* XXVII 28. 29. *Omne Anathema quod devotum fuerit ex humanis perſonis non redimetur, ſed omnino morte afficietur.* In cujus legis interpretatione errantibus Sacerdotibus in judicio, cæco ſtupore, poſt ipſos etiam totus populus videtur iſti peccato τῆς ἀνθρωποθυσίας communicaſſe.

COROLLARIA.

I. AN Simplicitas Dei ex Scripturis demonſtrabilis ſit? Affirm.

II. An Nomen Iehovah in Scriptura uſquam propriè vel impropriè Creaturis tribuatur? Neg.

III. An Nomen Deus, in Hebræa aut Græca lingua, in Deo vero ſignificet Eſſentiam & Naturam, an poteſtatem Judicis & dignitatem tantum? A. prius. N. poſterius.

IV. An Deus ſit ſecundum Eſſentiæ abſolutam infinitatem Immenſus? A.

V. An Filius Dei ſit Autotheos? A.

VI. An Spiritus S. Adoratus ſit in veteri & Novo T. Aff.

VII. An ab Adoratione ſolidum ſit argumentum pro Deitate Filii & Spiritus S. Aff.

DISPU-

DISPUTATIO DECIMA QUARTA

QUÆ EST DE

Iudicio Controversiarum in Commentitia Cathedra Petri. 1644. XXIX. Februarii.

PRæcedens concertatio de *Cathedra Mosis* ejusque sessoribus usque ad fundationem Ecclesiæ N. T. fuit necessaria: quia hoc satagunt *Papistæ*, ut quam illi Veteri Cathedræ asseruerint Infallibilitatem in publico Controversiarum judicio, eandem à fortiori asserant Cathedræ publicæ ejusque sessoribus in Ecclesia N. T. usque ad finem mundi. Vocant hanc *Cathedram Petri:* qua appellatione suam in sequenti concertatione hypothesin præoccupant, *de Petri Apostoli primatu* & eminentia supra reliquos Apostolos. A qua hypothesi quam feliciter procedat ipsis tota disputatio *de Pontifice Romano Ecclesiæ Capite*, in præsens disquirimus ab hypothesi ista exorsi, cum examine hujus Problematis, *quæ promissio facta sit Apostolo Petro. Matt. Capit.* XVI.

II. Extra controversiam est, Cathedram judicii Ecclesiastici in N. T. primos insedisse Apostolos, qui omnes superstructi, in ædificio Ecclesiæ, fuere supra Christum, qui solus simpliciter appellatur *lapis angularis*, πέτρα ἀκρογωνιαῖος. & κεφαλὴ γωνίας, *caput anguli Psal.* CXVIII. &. I *Petr.* II. 7. & *fundamentum domus* I. *Cor.* III. tanquam totam molem ædificii Ecclesię universaliter fulciens. Tamen propter immediatam à Christo vocationem ad fundandam super ipsum reliquam Ecclesiam, ipsi censentur *Duodecim lapides fundamentales*: ut liquet, collatis inter se locis *Ephes.* II. 20. & *Apoc* XXI. 14. 19. Atque hoc titulo merito habentur ut Infallibiles Ecclesiæ Doctores & controversiarum Judices, Ecclesiæ à Christo dati, ad ejus fundationem in veritate.

III. Controvertitur vero, (ut maneamus in ista allegoria) an duodecim illos lapides fundamentales Christus supra se tanquam Petram ædificaverit primos, situ & dispositione pari & collaterali; an vero undecim reliquos super unum Petrum ædificaverit, tanquam mediam Petram & lapidem angularem vicarium, inter illos & Christum. Seu, extra allegoriam loquendo, an duodecim illi Apostoli fuerint, pari auctoritate Apostolica & potestate, Doctores universæ Ecclesiæ & Judices controversiarum infallibiles, independenter ab invicem; an vero cum subjectione reliquorum undecim sub uno Petro, qua ipsum agnoverint Caput & principem suum, vicarium Christi, adeoque totius Ecclesiæ unicum summum pastorem universalem? Nos affirmamus prius, *Pontificii* posterius.

IV. Thesin nostram confirmat uniformis omnium vocatio extraordinaria immediata à Christo ad Apostolatum. Quod argumentum ipsis adversariis exorquet hanc confessionem; *fuisse omnes duodecim Apostolos, auctoritate*

tate & potestate Apostolica inter se pares. *Cajetanus* hoc fatetur *in tractatu de Auctoritate Papæ & Conciliorum Capite* III. *Bellarminus* quoque fatetur summam potestatem Ecclesiasticam non solum datam esse Petro, sed etiam Apostolis. *De Rom. Pontif. Lib.* 1. *cap.* 9 & *cap.* 12. *Fatemur enim*, inquit, *Apostolos fuisse pares in Apostolica potestate, & habuisse in populos Christianos eandem omnino auctoritatem.* Capite 11. explicatius hoc tradit; *Tribus modis Apostolos omnes fuisse Ecclesiæ fundamenta, uno modo, quia ipsi primi Ecclesias ubique fundarunt, nec enim Petrus convertit ad fidem totum orbem terrarum &c. Atque hoc modo ex æquo sunt Apostoli fundamenta, id quod significatum credimus Apoc.* XXI. *Altero modo*, inquit, *dicuntur fundamenta Ecclesiæ Apostoli & Prophetæ, ratione doctrinæ à Deo revelatæ &c. Nec in his duobus major est Petrus cæteris, sed ut Hieronymus ait, in omnes æque Ecclesiæ fortitudo solidatur. Tertio modo*, inquit, *dicuntur fundamenta omnes Apostoli ratione gubernationis: omnes enim fuerunt Capita, rectores & pastores Ecclesiæ universæ*

V. Quid ergo reliquum est in quo fundetur ille *Primatus Petri*? quo ipse magis sit *Petra*, seu *fundamentum* & *unicus Pastor*, & *Caput Ecclesiæ universæ*, quam reliqui Apostoli? Si *Bellarminum* audimus, *Illi habuerunt summam atque amplissimam potestatem ut Apostoli seu legati, Petrus autem ut Pastor ordinarius. Deinde ita habuerunt plenitudinem potestatis, ut tamen Petrus esset caput eorum, & ab illo penderent, non è contrario.* At non convenit hic in solidum *Bellarmino* cum *Cajetano*, à quo tamen partem assertionis suæ mutuatus est.

VI. *Cajetanus* enim in *Tractatu de Auctoritate Papæ & Conciliorum Cap* III, *quinque* ponit *differentias* inter potestatem Petri & aliorum Apostolorum, quas, scilicet, *si subtiliter contemplati fuerimus*, censet fore ut videamus *posse verificari hæc duo simul; quod*, inquit, *omnes fuerunt pares in auctoritate gubernandi Ecclesiam, atque à Iesu Christo eam immediate habuerunt, & quod Petrus solus fuit institutus Pastor universalis Ecclesiæ, & major auctoritate super alios Apostolos, ita quod ab ipso capite in totum Ecclesiæ corpus potestas derivata est.* Quinque illarum differentiarum, *quinta & ultima* à Cajetano collocatur *in ipsa essentia potestatis, quoniam communis auctoritas Apostolis data ex vi Apostolatus fuit velut potentia executiva: Auctoritas vero soli Petro data est præceptiva. Dedit enim*, inquit, *Salvator omnibus Apostolis, ut communiter exsequi possent in eis ad quos mitterentur omnia, quæ poterat exsequi Petrus, puta instituere Ecclesias & Episcopos, docere, excommunicare &c. Petro autem absolute dedit potestatem omnium.*

VII. Asserit *Cajetanus* uni Petro illam plenitudinem potestatis quam *Bellarminus* videtur largiri etiam reliquis undecim. At non convenit cum plenitudine potestatis limitatio ipsa *Bellarmini, quod sic habuerint illam, ut tamen Petrus esset caput eorum & ab illo ipsi penderent, non è contrario. Sunt enim* ἀσύςατα habere eandem plenitudinem potestatis quam Petrus, & habere potestatem dependentem à Petro. Item, esse cum Petro Capita & pastores Ecclesiæ universæ, & subesse Petro ut Capiti & unico Pastori Ecclesiæ universæ.

VIII. Stante autem illa *Bellarmini* confessione, quod Apostoli ex æquo fuerunt

fuerunt fundamenta Ecclesiæ. 1. Ratione fundationis Ecclesiæ. 2. Ratione doctrinæ à Deo revelatæ. 3. Ut Capita, Rectores & Pastores Ecclesiæ universæ. Velit nolit ipse, omnis quæstio finaliter resolvitur in *privilegium successionis* quod scilicet habuerit unus Petrus præ reliquis Apostolis: ut uni Petro mortuo, non item reliquis mortuis, fuerit destinatus successor, qui foret Caput Rector & Pastor Ecclesiæ universæ.

IX. Ex ista hypothesi hoc exsurgit Paradoxon; quod nullus fuit usus neque actus exercitus privilegii illius Petri, quo potestas ab ipso ut uno visibili capite in totum Ecclesiæ corpus derivaretur, hoc enim ut fieret Apostolis omnibus, & tandem ipsi Petro, ex vivis excedendum erat. In Apostolos quidem alios non dabatur usus illius privilegii, propter *præventionem* illam, quam *Cajetanus* agnoscit, ubi laborat in constituenda *prima differentia potestatis Petri & aliorum Apostolorum*; quia dicit sitam esse, *in modo dandi & accipiendi, quod Petro data est ordinarie, aliis autem ex speciali gratia.* Audiamus explicationem; specialis illa gratia *Cajetano* est *Via præventionis gratuitæ, qua alii Apostoli acceperunt à Christo immediate potestatem illam, quam per viam ordinariam à Petro erant accepturi.* Hinc explicanda est phrasis illa, Petro data est ordinarie, hac periphrasi, data est Petro potestas cum hoc privilegio, ut Apostoli illam ab ipso fuerint accepturi, nisi præventi fuissent gratia speciali immediatæ vocationis. Quid jam hoc aliud est, quam, privilegio Petri, quo ab ipso vivente accipi potuisset potestas Apostolica, positus fuit obex Privilegio vocationis immediatæ aliorum Apostolorum juxta Petrum.

X. Si ergo, quod flagitat *Cajetanus*, subtiliter contemplati fuerimus, crasse errat *Cajetanus*, differentiam constituens in *Modo accipiendi*, ubi ipse statuit *præventionem* istam qua perimitur difformitas omnis in Modo accipiendi. Et indocte asserit, non sine palpabili contradictione, Petro potestatem *datam esse ordinarie*, quia scilicet potestatem quam ipse extra ordinem acceperat, ipse *aliis daturus erat per viam ordinariam.*

XI. Enimvero ad *quintam Cajetani differentiam, de Potentia Præceptiva Petro, Exequutiva autem aliis Apostolis data*, quam *Bellarminus* innuit, faciens *discrimen inter Petrum & reliquos Apostolos, tanquam inter Pastorem ordinarium & Apostolos, seu Legatos*, observamus utrumque *Cajetanum* & *Bellarminum*, & hunc tantum non *αὐτολεξεὶ* Petrum facere ita eximium, ut eximendus sit numero Apostolorum, titulo *Pastoris ordinarii*: quamvis indocte, ut jam monuimus, titulo illo intelligant privilegium ordianariæ successionis in ipsius Pastorali Cathedra. Hanc autem successionem *Cajetanus* facit *quartam differentiam potestatis*, atque sic explicat; *quod aliis Apostolis data sit in personis propriis, & non pro eorum successoribus: Petrus autem tanquam ordinarius pastor illam habuerit, sibi datam in persona propria, non solum pro se ipso, sed omnibus successoribus suis.* Hoc illud est quod dicebamus modo, omnem quæstionem finaliter resolvi in Privilegium successionis: quod demonstrabunt Papistæ ad Calendas Græcas.

XII. De isthoc autem Non-Ente placet ut judicium fiat ex *Veteri Testamento*,

mento, ad quod ut *figuram Novi* hic provocat *Bellarminus de Rom. Pontif. lib.* IV. *Cap.* 3. in argumento *de Urim & Tummim*. Figura Veteris Testamenti, quam hic attendi oporteret, est in Mose & Aarone, quorum ille habuit, ex hypothesi, summum Sacerdotium extraordinariè hic autem ordinariè cum privilegio successionis. Atqui *Colloquutores Ratisbonenses Papistæ* non male censent, *magis penes Mosem fuisse infallibilitatem summi judicii, quam penes Aaronem: ac Mosem habuisse sub se Aaronem inferiorem potestate*. Quandoquidem ergo, ex hypothesi, Aaron non Moses gessit figuram & typum Petri in privilegio ordinariæ successionis, Moses autem figuravit reliquos Apostolos, qui successores post se non erant relicturi: consequens erit, si ex figura procedat argumentum, summæ potestatis judiciariæ infallibilis privilegium supra Petrum habuisse reliquos Apostolos, ut illam habuit Moses supra Aaronem.

XIII. Quantumvis hoc pacto perplexam & intricatam thesin istam, communiter tamen omnes confirmare satagunt principaliter *Promissione* illa Christi, quæ exstat *Matthæi Capite* XVI. qua volunt promissum Petro primatum supra Collegas. Post quam promissionem, deinde urgent ejusdem *Primatus institutionem*, ex altero testimonio, *Johannis Capite* XXI. Denique adiiciunt *varias Petri prærogativas, quæ totidem sint illius primatus Petri indicia & argumenta*. In his totus est *Bellarminus lib.* I. *de Summo Pontifice, inde à capite* 10. *ad finem*. Nos variis istis prærogativis nervos incidemus, per vindicationem testimonii utriusque jam indicati, destructa utraque, & Promissione primatus, & Institutione ejusdem prætensa.

XIV. Promissionem Primatus hoc pacto urget *Bellarminus*. *Matt* XVI. 18. *sic legitur, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Quorum verborum sensus est, ut intelligamus sub duabus metaphoris promissum Petro totius Ecclesiæ primatum. Prior metaphora est fundamenti & ædificii, posterior est clavium. Ad priorem metaphoram* duo asserit *Bellarminus*. I. *Petrum esse illam Petram super quam fundatur Ecclesia*. II. *Esse fundamentum significare esse gubernatorem totius Ecclesiæ*. Nos de posteriori quidem assertione non censemus litigandum, ad hunc locum Matthæi. Agnoscimus enim lubentes, Petram illam super quam promittit Christus se ędificaturum Ecclesiam, constitui à Christo ejusmodi excellens fundamentum Ecclesiæ, ut significetur esse gubernator totius Ecclesię, omnibus Apostolis eminentior & superior. Quare actum agit *Bellarminus* in Thesi explicans, *quid sit super Petram ædificari Ecclesiam, Capite* II. Omnis autem controversiæ cardo versatur in priori Assertione, quam, ut *Bellarminus* ait *esse communem Catholicorum sententiam*, ita nos censemus esse contrariam Catholicæ fidei & Anti-Christianam.

XV. Operæ pretium erit examinare argumenta quibus *Bellarminus* pugnat pro assertione priore, *Petrum esse illam Petram super quam fundatur Ecclesia*. Quando *Capite* 17. *Bellarminus* tractat *primam S. Petri prærogativam, sitam in mutatione nominis*, sic loquitur; *Syriace Cephas significat Petram, Græce autem*

ce autem significat caput, ut lib. XVI.II. *contra Parmenonem annotavit Optatus.* Concinit *Baronius ad Annum Christi* XXXI. *No.* 27. *Porrò sunt*, inquit, *ex nostris Scriptoribus complures, & primus omnium Optatus Milevitanus, qui nomen Cephas non à Syra lingua, sed à Græca, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, caput interpretantur, nec quidem reprehendendi* Et mox; *Divina quadam dispensatione factum videtur, ut una eademque voce duabus linguis Petri principatus exprimeretur.* Ante *Bellarminum* & *Baronium* ex *Optato* illud mutuatus erat *Vigilius Papa Romanus in Epistola* quæ extat apud *Baronium ad Annum Christi* DXXXVII. *Quoniam*, inquit, *licet omnium Apostolorum par esset electio, tamen Petro concessum est ut cæteris præemineret, unde & Cephas vocatur, quia Caput est & principium omnium Apostolorum.* A *Vigilio* hoc mutuatus est *Pseudo-Anacletus in Decreto Gratiani Dist.* XXII. *Canone Sacro sancta. Et licet*, inquit, *omnes essent Apostoli*, Petro *tamen à Domino concessum est, (& ipsi inter se voluerunt idipsum) ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas id est Caput & principium teneret Apostolatus.*

XVI. Pudenda est aut imperitia aut mala fides, qua videmus Papas duos, & totidem Cardinales, adoptare imperitam hallucinationem *Optati*, qui Afer erat Hebraici & Syriaci sermonis prorsus ignarus, & Græcæ quoque linguæ omnino rudis, ut res ipsa loquitur, quando à κεφαλῆ deducitur κηφᾶς. Quam hallucinationem adoptare certe indignum est *Bellarmino* scriptore Hebrææ Grammatices, prætracte autem tueri velle esset B. Johanni objicere imperitiam, vel mendacium, cujus expressa verba sunt ὃ ἑρμηνεύεται πέτρος. Doctius Papis istis & Cardinalibus Concionator Moguntinus *Joh. Ferus in Joh.* I 43. *Tu vocaberis Cephas hoc est* Petrus. *Ridiculum est quod quidam hic volunt Cephas idem esse quod Caput; cum Johannes ipse dicat Cephas Syriace idem significare quod Græcis πέτρος. Decepti autem fuerunt similitudine dictionum, quod idem putaverunt esse Cephas & κεφαλὴ, cum hoc Græcum sit, illud Syriacum teste Hieronymo. Cephas igitur nihil aliud hoc loco significat, quam saxum aut* Petram.

XVII. Magis serio, quamvis non magis solide, argumentatur *Bellarminus Lib.* I. *de summo* Pontifice *cap.* 10. ubi ex ipso contextu urget Græcam significationem vocis πέτρος, & Syriacam vocis כאפא / & pronomen sequens HANC. I. *Cephas*, inquit, *Petram significat, ut Hieronymus docet in Cap.* II. *ad Galat. & res certissima est, nam ubicunque in textu Hebræo est* כלע *id est petra, in Syriaco est Cepha. Quin etiam* כפא *Hebraice saxum seu rupem significat: ubi enim Jer.* IV. *legimus, ascenderunt rupes, in Hebræo est,* עלו כפים. *Apud Græcos tam πέτρος quam πέτρα significat lapidem.* II. *Illud pronomen* HANC, *cum dicitur, & super hanc* Petrum, *demonstrat aliquam* Petram, *de qua paulo ante Dominus sit loquutus: proxime autem Dominus* Petrum *vocaverat* Petram. *Dixit ergo Dominus tu es Cepha: vel Latine, tu es* Petra, *& super hanc* Petram *&c. Ex quo sequitur illud* HANC *non posse referri, nisi ad* Petrum, *qui eo loco vocatus est* Petra.

XVIII. Vis argumenti in eo sita est, quod Syra vox eadem est, sine generis mutatione, quæ πέτρον & πέτραν significet: & apud Græcos tam πέτρος quam πέτρα significat lapidem. At contra, quærit hic ipse *Bellarminus*,

nus, cur ergo Latinus interpres non vertit; Tu es Petrus, & super hunc Petrum? Respondet autem, *quod Græcum codicem sit sequutus, non enim vertit ex Syriaco, sed ex Græco.* Iterum quærit; *cur Græcus non vertit* σὺ εἶ πέτρα. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ? Respondet; *visum est interpreti commodius homini nomen masculinum quam fœmininum tribuere. Deinde vero ad explicandam metaphoram secundo loco non voluit dicere* ἐπὶ τῷ πέτρῳ *quod fuisset ambiguum, sed* ἐπὶ τῇ πέτρᾳ *quod nihil aliud quam saxum significat.*

XIX. Respondemus nos, quicquid sit de Græco interprete verborum Christi, sive is sit Matthæus ipse, sive alius Matthæi interpres, saltem fatente Bellarmino, *de Verbo Dei, libr.* III *cap.* 7 *Græca editio Testamenti Novi universa Apostolos & Euangelistas auctores habet.* Est ergo à Spiritu S varietas illa πέτρα καὶ πέτρας, qui non voluit scribi verba Christi absque varietate illa, qua distinguitur nomen & denominatum, Petrus & Petra, à qua Petrus τὴν ἐπωνυμίαν habet.

XX. Præpostera est hic & in Deum Scripturæ auctorem injuria querela, in quam erumpit *Petrus de Bello Parisiensis Theologus, in Authentica probatione sacrosancti sacrificii Missæ, citante Chamiero de Oecumenico Pontifice Lib.* II. *cap.* 2 *Scimus quod interpres Matthæi Syri Græcus & Latinus non est hoc loco optime de hac nostræ fidei parte promeritus. Si enim dixisset,* σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρῳ, (caret mendo hæc lectio, de quo subdubitavit *Chamierus* inter exscribendum, quod mox planum fiet) *Et tu es Petra, & super hanc Petram, res fuisset multo clarior: nunc autem cum priori loco* πέτρον *Petram posuerit, videntur propter mutatam vocem res etiam permutatæ: cum Christus, qui Syriace procul dubio loquebatur, dixerit* ואנת הו כאפא ועל הדא כאפא / *id est tu es Petra* (πέτρος *Attice*) *& super hanc Petram. Quod si nostro placuisset interpreti, multum detraxisset obscuritatis.* Resp. Omnis πρόφασις assertionis Papisticæ revera est in obscuritate, quam hic sublatam in Græco contextu & in Latina versione dolent, ac mallent servatam, affectato Atticismo, quo πέτρος terminatione masculina admittit articulum fœmininum: qui articulus fœmininus si exstaret in Græco, putant in Latino utrobique mutandum fuisse Petrus in Petra. Nos ergo jure merito respondemus, jam multum obscuritatis detractum esse, per generis fœminini & masculini distinctam terminationem, quam non admittit lingua Syriaca. Quanquam nec in Syriaca lingua suo remedio caret obscuritas illa, quam per se pareret vox μονόπτωτος: quia in Syriaco sermone, propter articulum quem hic dictat ipse ille Parisiensis Theologus, est masculinum Cepha in priori tmemate, fœmininum autem in posteriori tmemate.

XXI. Ad solidam jam responsionem, præmittimus istas observationes Criticas ex *Jac. Capello*, qui *de Sedis Romanæ potestate lib.* I. *cap.* I. notat *ternis vocibus Hebræis* צור סלע / אבן *respondere totidem voces Græcos* λίθος, πέτρος, πέτρα, *quæ Latine significant* Lapidem, *Saxum, Rupem, vocem autem Syrorum* כאפא / *aliquando quidem* πέτραν *significare ut Matth* XVI. 18. & XXVII. 51. 60 *Rom.* IX. 33. & I *Cor.* X. 4. *alioqui semper occurrere quoties Græcus contextus habet* λίθος; λίθος *autem etiamsi posset nonnunquam occurrere pro Rupe, tamen*

men significare proprie vel minutiorem lapidem, vel in genere lapidem. Πέτρα *autem aliquando quidem saxum significat, quin apud LXX. usurpatur pro lapide Job.* XXII. 24 *& Exod.* IV 24. *& apud Theocritum Idullio* 12. λευδὶν ἔσαν ἰχνῶν πέτρη τόμα. *Proprie tamen* πέτρα *Rupem significat apud* LXX. *nonagies circiter, in N.T. quater & decies, apud Homerum passim, apud Diodorum decies, apud Arrianum duodecies &c.* Πέτρος *fœminino quidem genere sumitur pro Rupe, Epigramm. Græcorum libr.* III. *ʃʃ* 22. *Epigr.* 30 *&* 53. (Edit. Ascensianæ fol 152. & 164) *& lib.* I *ʃʃ* 71. *Epig.* 4. (ejusdem Edit fol. 64.) *At* πέτρος *masculino genere incertum est, an usquam occurrat pro Rupe: proprie autem sumitur pro Saxo, apud Homerum, Xenophontem, Theocritum, Auctorem batrachomyomachias, Agathiam, Sophoclem & apud* LXX. 2. *Maccab.* I. 7. *& cap.* IV 41. Hæc Capellus; ex quibus unicum saltem illud evidentem habet demonstrationem generis fœminini, ἡ δὲ πιμελῆ πέτρος ἐγὼ &c. *lib.* III. *ʃʃ.* 22. *Epigr.* 51. *fol.* 164.

XXII. Ad rem ipsam dicimus, flagitare promissionem de stabilitate ædificii Ecclesiæ super petram ædificandæ, ut vox πέτρα Petra Rupem significet, quæ significatio voci πέτρος videtur insolens, & in genere masculino inconveniens. Quod genus masculinum priori loco subaudiendum foret, etiamsi posteriori loco scriptum esset, ut vult ille Parisiensis Theologus, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῷ πέτρῳ; ut evidens est in Syriaco, ex mutato articulo. Quidquid autem sit, sive quacunque voce, πέτρος aut πέτρα, fingamus utendum fuisse ad significandum Rupem, quæ totam molem ædificii Ecclesiæ sustineat; Rupes illa statui nemo potest absque impietate præter unum Christum. Quod pro nobis loquitur *Ferus in Matth.* XVI. 18. *Cum Christus dicit super Petram ædificabo Ecclesiam meam, nihil aliud vult, quam se Ecclesiam ædificaturum super firmum immobileque fundamentum, contra quod nihil possint omnes adversariorum insultus. Ex hoc claret quod Christus Ecclesiam suam non super Petrum tanquam primarium fundamentum (nam superædificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Jesu Christo) aut quemcunque alium hominem ædificavit. Nullus enim homo tam firmus & constans qui non possit moveri, id quod etiam in Petro manifeste videmus. Alia igitur Petra inquirenda est.*

XXIII. *Bellarminus* strenue negat, *aliam Petram intelligi posse, quam Petrum ipsum propter pronomen* HANC. Respondemus pronomen illud HANC non esse necessario relativum ejus quod proxime præcedit, est enim demonstrativum. Et potuit Christus illud usurpasse cum insigni orationis venustate, se ipsum inter loquendum demonstrans; eo modo quo corpus suum demonstravit loquens ad Judæos *Joh.* II. 19. *Solvite Templum hoc.* Exempla sunt etiam apud profanos auctores indicata, à *Casaubono Exerc.* XV. *ʃʃ.* 22. *pag.* 385. *Edit. Londin.* Addit *Jac. Capellus Job.* XIX. 26. *Ubi post pellem meam istud* (Os, vel corpus) *contritum fuerit.* Et I *Cor.* XV. 53. *Oportet hoc* (corpus) *corruptibile induere immortalitatem &c.*

XXIV. Enimvero etiamsi pronomen HANC relative sumatur, nihil tamen vetat referre ad Christum: idque dupliciter, vel referendo ad vocem inclusam in illa voce Petrus, q. d. Tu es Petrus ita dictus

M 2 à me

à me Petra, super qua &c. Quæ ratio interpretandi exemplis minime caret. *Iliad.* ὦ σαώσας κ' ἄστυ καὶ αὐτούς, *servavit civitatem, & ipsos*, nempe cives. *Athenæus libr.* XIV. πανήγυρις γίνεται πολυήμερος, ὡς ἐν μιᾷ nempe ἡμέρᾳ. Vel ad Christum spectat pronomen HANC, referendo ad *versum* 16. in quo Petrus confitetur Jesum esse Christum illum Filium Dei viventis q. d. Super Christum illum Filium Dei viventis tanquam Petram ædificabo Ecclesiam meam. Neque id durum videri debet, quod paulo remotius sit hoc antecedens; quia non caret exemplis. *Hebr.* IX. 4. pronomen ἐν ᾗ *in qua referendum* est, non sicut mox, *versu* 5. ad κιβωτὸς *Arca*, sed ad remotius σκηνή, quod ex *versu* 3 arcessendum, quod colligitur ex 1 *Reg* VIII 9. & 2 *Chron.* IV. 10. Item 2 *Thess* II. 9 proximum antecedens est Christus, attamen impius fuerit qui pronomen relativum Cujus non retulerit ad remotius ὁ ἄνομος. Addimus nos *Hebr.* XI. 7. relativum δι' ἧς *per quam*: quod scimus quidem Interpretes referre ad proximum κιβωτὸς *Arca*, censemus tamen æque convenienter, & forte convenientius, referri posse ad remotius πίστις *Fidem*, quia sequitur, quod cum eodem relativo connectendum est, quia per Arcam factum dici non potest, *& ejus quæ ex fide est justitiæ factus est hæres*: & parallelum videtur illud *Per quam* (Fidem) *etiam mundum condemnavit*, cum sententia *versuum* 33. 34. 35. *Qui per fidem debellarunt regna &c.*

XXV. Sed urget *Bellarminus* ἐπονομασίαν istam, qua Apostolus à Petra Petrus est cognominatus. *Si referretur ad Christum* (*pronomen* HANC) *quorsum*, inquit, *dictum fuisset, ego dico tibi, quia tu es Petrus: plane frustra, nisi id quod sequitur ad Petrum referatur.* Respondeat iterum pro nobis *Ferus in Joh.* I. *Petrus cognominatus fuit, primo propter soliditatem fidei, secundo, quia Christo, qui vera illa Petra & fundamentum Ecclesiæ est, constantissime & immediate adhæsit. Ideo Christus ait, ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua Nec mirum quod Simon ille ob eam causam Petrus dicitur, cum ob eandem causam pii omnes dicantur lapides vivi* I *Pet* II. Plura vide ibidem, in eandem sententiam. Breviter, elogium quod nomine continetur, commune est omnibus fidelibus: atque in re symbolo nominis expressa, nulla est Petri præ reliquis Christianis, in communi salute, nedum supra alios Apostolos in auctoritate aut potestate prærogativa, ut liquet 1 *Petr.* II. v. 4. 5. & 1 *Petr.* v. 1. Sed hoc unum est quo singulariter gaudere potuit Petrus, quod nomine isto Petri magis quam nominibus aliorum Apostolorum expressa fuit tanquam symbolo typico communis Christianorum Christo adhærentium salus.

COROLLARIA.

I. M*Ala fide* Hugo Grotius in Voto pro pace pag. 100. *scripsit ista*; Locus 2 Tim. III. 16. alium sensum habet, quam putat D. Rivetus: non enim hoc dicit Paulus, omnis Scriptura est θεόπνευστος &c. *Nec fidem ejus liberat* Vulgatus *Latinus interpres, qui convertit*, Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum &c. *nedum Interpres*

Syrus.

Syrus. *Uterque enim ex Græco fonte castigandus, in quo interjectum* καὶ *Et non patitur aliam quam hanc interpretationem; Omnis Scriptura est* θεόπνευστος *divinitus inspirata, & utilis &c.*

II. Hierarchiæ Angelorum cœlestium constans ordo, cum certa officiorum & graduum distinctione ex Scriptura demonstrari aut definiri omnino nequit.

III. Similiter frustra sunt, qui ex Scriptura demonstrare satagunt, dari singulis hominibus usque ad horam mortis Angelos bonos custodes.

IV. Non dantur, sine damnata in Scripturis Idololatria, singulis Communitatibus, Nationibus, Provinciis, & Civitatibus, singuli Angeli, quos in Papatu vocant Tutelaria Numina.

V. Paradoxa & Anti-Christiana est assertio Johannis Gerson, in Tractatu de Potestate Ecclesiastica, *edito tempore Concilii Constantiensis*; absque mendacio vel adulatione Papa nequissimus potest appellari sanctissimus, potest adorari cultu duliæ usque ad oscula pedum. *Scilicet si is qui Papam ejusmodi adorat, apud se dicat, quod* Imperator Pontifici cuidam caput ipsius conculcanti dixit, NON TIBI SED PETRO.

DISPUTATIO DECIMA QUINTA

QUÆ EST ALTERA DE

Iudicio Controversiarum in Commentitia Cathedra Petri. 1644 XXVIII. Martii.

DE Altera jam metaphora Clavium ad locum *Matth.* XVI. 19. dicendum restat. Est autem quæstio bimembris. *I. Quid sub metaphora Clavium promittatur. II. Cui illud aut quibus promittatur.* De priori membro jam ante refutavimus *Bellarminum*, qui sub Clavium metaphora vult promissam judicii in Ecclesia ultimi potestatem, eamque infallibilem, absque qua scilicet actum sit de Ecclesiæ salute.

II. Reliquum est alterum quæsitum, quod tractat *Bellarminus de Rom. Pontif. libr.* I. *cap.* 12 Statum autem quæstionis proponit in titulo capitis, non optima fide, his verbis, *quis sit ille cui dicitur, Tibi dabo claves Matth.* XVI. Nemo enim nostrum negat Christum Petro loquutum: sed mox apertius ipse Thesin nostram quam agnoscimus & censemus veram esse, exponit, illam oppugnaturus; *Nihil verbis illis, Tibi dabo claves, peculiare Petro Filio Jonæ promissum esse, sed quidquid hic dicitur ad totam Ecclesiam pertinere, cujus Ecclesiæ Petrus eo tempore personam gerebat.*

III. Utitur autem *Bellarminus* ἀπαγωγῇ, quando vult ut pro tuenda Thesi nostra hic ingrediamur disputationem illam, *an claves datæ sint primo ipsi Ecclesiæ, & per Ecclesiam Pastoribus communicentur, & an ob eam causam Ecclesia habeat jus vocationis.* Sufficit si dicamus Petrum respectu promissionis istius, *Dabo tibi Claves*, personam gessisse Ecclesiæ repræsentativæ, cui

dantur claves etiam in reliquæ Ecclesiæ repræsentatæ utilitatem.

IV. Sed neque necesse habemus thesin nostram explicare illis terminis quibus illis explicatam vult *Bellarminus*: quasi *Petrus personam gesserit Ecclesiæ Parabolice, ad eum modum quo solent interdum Legati Principum urbium claves accipere, cum interim sibi nihil proprie acquirant, sed tantum Principis sui personam repræsentent*. Lubenter agnoscimus Petrum gessisse personam Ecclesiæ repræsentativæ, id est omnium Rectorum & Pastorum Ecclesiæ, Historice, ut unum ex Rectoribus & Pastoribus, qui ipse quoque vere in persona sua à Christo accepit, quod communiter omnibus datum fuit, quemadmodum in persona sua edidit suo quoque nomine confessionem communis fidei. Neque revera opus est alia refutatione Primatus Petri, (quatenus quidem illam Papistæ satagunt fundare in Promissione ista) quam quod Petrus non alia ratione audivit, *Tibi dabo Claves*, quam qua dixit, *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Dixit autem suo & Collegarum nomine: audivit ergo pariter suo & Collegarum nomine.

V. Hic respondet *Bellarminus*, *Petrum respondisse nomine omnium, non ut Præconem aliquem, sed ut Principem & caput, atque os Apostolorum. Ipse enim*, inquit, *solus respondet, cum ignorarent cæteri, quid potissimum responderent. Sed Petri confessionem silentio suo approbarunt, & eo modo per os Petri omnes responderunt, Quemadmodum igitur Petrus solus respondit, & ei cæteri assenserunt, ita Christus soli Petro claves promisit, sed tamen post eum etiam cæteris communicandas*. R. Futilis est σκιομαχία, quod *Bellarminus* fingit nos dicere, Petrum respondisse nomine omnium, *ut Præconem aliquem*. Bene habet quod ipse affirmat Petrum *tanquam Os Apostolorum* respondisse nomine omnium. Sed rursum nimis futile est, quod fingit Petrum solum respondisse, *cum ignorarent cæteri, quid potissimum responderent*. Necesse est inconsideratam & temerariam esse Oris responsionem, ubi illi, quorum est Os, ignorant quid respondeant.

VI. Sed nec meminit *Bellarminus* quod ante dixit *Capite* x. his verbis; *Jam enim multi crediderant eum esse Filium Dei vivi, ut prisci Prophetæ, B. Virgo, Simeon, Zacharias, Joh. Baptista, Apostoli & Discipuli cæteri*. Qua verissima assertione ipse jugulat quicquid hic contra disputat, cum porro sic differit; *Si nomine omnium*, inquit, *Petrus respondisset, vel id fecisset quod cæteri hanc illi provinciam demandassent, vel quod sciret quid illi responsuri essent. Neutrum autem est verum: non primum, quia ex revelatione Patris hoc didicit, non ex consultatione humana &c. Non secundum; quia soli ipsi facta est revelatio.* Modo ait modo negat *Bellarminus*, Petrum respondisse nomine omnium, tanquam Os ipsorum. Rursus modo ait modo negat, solum Petrum scivisse Christum esse Filium Dei vivi. Quandoquidem cogitur ipse fateri, Apostolos jam ante credidisse Jesum esse Filium Dei vivi, corruit quod hic affirmat, soli Petro factam esse revelationem. Nam teste Christo, quotquot vere crediderunt hoc didicerunt ex patris revelatione. *Joh.* VI. 44. 45. 65. Quod denique contendit Petrum nescivisse quid reliqui Apostoli responsuri essent, atque exspectandum ipsi fuisse, ut hanc illi provinciam demandarent: id refellitur ex eo, quod

eo, quod jam ante idem eandem confessionem edidisset cæterorum nomine *Joh*. VI. 69. *Et nos credidimus & cognovimus te esse Christum Filium Dei viventis.*

VII. Atque hinc quoque respondemus ad frivolam *Bellarmini* exceptionem istam, *Si scisset mentem aliorum, aliquo modo hoc indicasset, quomodo fecit Joh*. VI. 69. Non fuisse opus in veteri confessione iterum uti illo indicio expresso consensus, maxime cum hic non inquireretur, in numerum illorum qui permanerent in professione fidei, sed tantum in ipsam fidei veritatem, unde factum ut non magis dixerit ego credo, quam nos credimus, sed simpliciter Tu es Christus, ubi potuisset dixisse ut Martha *Joh* XI. 27. *Ego credo te esse Christum illum.* Enimvero quamvis eo pacto locutus esset in singulari, non tamen indicasset, se solum vel magis cæteris Apostolis hoc credere, quam Martha indicabat se solam credere, vel magis sorore Maria.

VIII. Æque frivola est altera ista exceptio, qua persuasum vult, *Petrum hic consulto abstinuisse plurali numero, ideo confessionem ejus Christum hic simpliciter approbasse, quia non fecit mentionem aliorum, quoniam Christus ante minus probavit quod Petrus pro omnibus diceret Joh.* VI. *Et nos credidimus. Ac monuit id non esse verum de omnibus: nam Judas non credebat.* Etenim Christus verbis illis, *vos duodecim elegi, & unus ex vobis est Diabolus*, monuit quidem unius ex duodecim Fidem esse πρόσκαιρον: attamen ne ipsius quidem nomine editam confessionem minus probavit, saltem undecim cæterorum nomine gratam & acceptam esse testatus est, prædictione apostosiæ unius inter ipsos illos stimulans ad perseverantiam.

IX. Ad rem: quod *Bellarminus* asserit *Petrum respondisse hic, ut Principem & Caput Apostolorum*, ex ipso quoque *Bellarmino* refellimus, verbis illis quæ exstant hoc ipso *Capite* 12. quibus existimavit se Thesin nostram refellere & suam confirmare. *Deinde*, inquit, *non erat eo tempore Petrus Ecclesiæ legatus aut vicarius. Quis enim ejusmodi provinciam illi imposuerat? non igitur suspicari possumus nomine illum Ecclesiæ, & non potius suo claves accepisse.* Breviter vult Petrum fuisse personam, qui Ecclesiam tunc repræsentare non potuit. Quin aliquo tempore post apud *Mathæum Capite* XVIII. de Apostolis omnibus idem pronunciat *Bellarminus*, hoc eodem *Capite* 12. *Quo tempore hæc Dominus loquebatur, privati homines erant, nec ullam habebant Ecclesiasticam potestatem.* De Petro autem nominatim statuit, *occasionem fuisse seu causam meritoriam illam præclaram Petri confessionem, cur ipsi potius quam aliis claves promitterentur.* Si hæc vera sunt Petrum cum reliquis Apostolis, tempore illo quo Christus dixit, dabo tibi claves, & multo post, fuisse personas privatas, non potuit Petrus loqui in confessione illa antecedente illam Christi promissionem, ut Princeps & Caput Apostolorum. Rursus, si verum est, Confessionem illam fuisse occasionem seu causam meritoriam, cur ipse Christus sub clavium metaphora promitteret principatum Ecclesiasticum, non potuit in illa ipsa confessione loqui ut Princeps.

X. Hactenus videre est nihil solidi in Pontificiorum disputatione, qua pugnant

pugnant pro *Promissione principatus* supra reliquos Apostolos Petro facta, cujus privilegio ipsi magis quam reliquis Apostolis succederent judices controversiarum infallibiles, ex verbis Promissionis Christi *Matth* XVI 18. 19. Nihilo felicius asserit *Bellarminus*, *institutum à Christo Primatum Petri, atque ipsi exhibitum & collatum Joh.* XXI. *verbis istis, Simon Johannis pasce oves meas.* Pugnat ille hujus loci πρώτως, *de Verbo* Dei *lib.* III *c.* 5 & *de Pontif. Rom. lib.* I. *cap* 14 15. & 16. Utrobique urget, *Petro commissum esse verbis illis singulare officium*: quod quidem officium priori loco videtur præcipue adstringere ad doctrinam, affirmans, *illud* PASCE *intelligi præcipue de doctrina, sic enim pascuntur oves rationales Jer.* III *Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Singulariter ergo Petro commissum fuisse ut doceret omnes Christianos. Id autem non tantum intelligendum de concionibus & commentariis, sed maxime de constitutionibus ac decretis, quid ab omnibus sit credendum.* Verum posteriori loco *Cap* 15. eousque extendit metaphoram, ut ex voce illa *Pasce* eliciat *non tantum curam illam, qua pabulum scientiæ & doctrinæ procuratur ac providetur, tanquam à præposito & gubernatore aliorum pastorum, qui pabulum illud quacunque ratione ministrant, seu Dapiferi officium, sed insuper Rectoris officium, quia scilicet actus Pastoralis est etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare, & Pastores ovium non solum pabulum illis præbent, verum etiam regunt, & baculo cogunt, ut pareant.* Post hanc autem de Officio hypothesin, distincte satagit demonstrare tria hæc. *I. Soli Petro dictum esse Pasce oves meas. II. Verbo illo pasce traditam esse summam Ecclesiasticam potestatem. III. Illis vocibus Oves meas universam Christi Ecclesiam esse designatam.*

XI. Primum istud postulatum, *soli Petro dictum esse Pasce oves meas*, ambiguum est: nam vel significat sermonem Christi tunc temporis directum fuisse singulariter ad Petrum, quod haud gravatim concedimus, ut non necesse fuerit id *septem argumentis* quasi extorquere. Vel sensus est, noluisse Christum cæteris Apostolis dictum, quod uni Petro dixit: ut non possit mandatum Christi hic à Petro ad cæteros trahi, tali aliqua formula applicationis, quali utebatur Christus *Marc.* XIII. 39. *Quæ vobis dico omnibus dico, vigilate.* Hoc sensu supposito, ad rem tantum facit *Sextum Bellarmini argumentum, ex verbis illis; hic autem quid? & ex responsione Domini, quid ad te? tu me sequere. Nunquam enim*, inquit, *Petrus interrogasset, quid Johannes acturus esset, si intellexisset dictum omnibus, Pasce oves meas, neque Dominus dixisset, quid ad te? tu me sequere: sed dixisset, idem faciet quod tu.*

XII. Respondemus ad argumentationem istam, occasionem interrogationis Petri non fuisse in illis verbis Christi *Pasce oves meas*, sed in sequentibus istis quibus significaverat Christus qua morte Petrus glorificaturus esset Deum, *vers.* 19. Ad quæ cum Petrus ista subjecit, *hic autem quid?* non interrogavit quod officium & quæ potestas Johanni destinata esset, aut quid ille ex potestate illa acturus esset. Fuisset illa quæstio impertinens. Sed genuina paraphrasis interrogationis ista est, quam habet *Toletus. Hic autem quid? id scio jam qua morte ego te sim glorificaturus: scire vellem*

lem qua etiam morte Johannes dilectus tuus vitæ hujus tempus concludet, quemque exitum habebit. Atque proba est ejusdem *Toleti Annotatio* ista; *Hanc interrogationem Petri, Hic autem quid? Cyrillus lib.* XII. *cap.* 66. *& Chrysostomus homil.* LXXVII. *exponunt, ut vitæ exitum significet; ac si diceret, quis vitæ exitus hunc exspectat. Et est legitima expositio: sequentia enim verba eum comprobant sensum, nam ex responsione discipuli existimarunt non moriturum, quod non facerent, nisi interrogationem de morte intelligerent simul cum Petro ipso.* Ex eodem *Toleto* hæc genuina est paraphrasis responsionis Christi, *Quid ad te? ad ea quæ tibi dixi nihil id facit: sive enim manet sive non, qualiscunque ejus exitus futurus sit, hæc quæ tibi dixi fient, non mutabuntur: tu ergo sequere me, & quæ tua sunt considera, & quæ injunxi adverte: exitus enim illius ad te non pertinet.*

XIII. Secundum postulatum est, *verbo illo Pasce traditam esse Summam Ecclesiasticam potestatem.* Atque hic urget *Bellarminus* usum Verbi & in Hebræo & in Græco codice Bibliorum. *Psalmo* II *legimus*, inquit, *reges eos in virga ferrea, in Hebræo* תרועם / *id est pasces eos Et sane qui pascuntur in virga ferrea, verissimam potestatem esse in Pastore suo negare non possunt. Et Esa.* XLIV. 28. *qui dico Cyro* רועי / *id est, Pastor meus es tu: quo loco tamen non ministerium præbendi cibum, sed amplissimum regnum Cyro prædicit. In commentario in hunc Psalmum* Bellarminus urget Græcum ποιμανεῖς. LXX. *interpretes*, inquit, *hic transtulerunt* ποιμανεῖς, *id est, Pasces, quomodo etiam reddidit Græce S. Johannes in Apocalypsi Cap.* II. 27. *&* XIX. 15. Græcæ vocis istius usum porro in hac disputatione ita urget; *Scripsit enim* Johannes, ποίμαινε, *id est, Pasce regendo & præsidendo Et Homerus*, inquit, *lib.* II. *Iliad. frequenter vocat Regem Agamemnonem* ποιμένα λαῶν *Et Matt.* II. 6. *Matthæus radicem* משל / *quoque, quæ significat Dominari, ex Mich.* V. 2. *transtulit per* ποιμαίνω *pasco.* Hinc & ex loco *Apoc.* XIX 15. arguit ποιμαίνω non significare *Pascere* quocunque modo, sed *regere ac præesse.*

XIV. Respondemus 1. De voce Hebræa תרועם / tametsi radix רעה / & *Pascere* & *Frangere* significet, atque hinc factum sit ut LXX. hic transtulerint ποιμανεῖς, atque hæc vox servata in Apocalypsi, ut media, quæ utrumque pro re nata potest exprimere, & benignum regimen piorum, & severam punitionem impiorum: tamen frustra est *Bellarminus*, quando verba illa, *reges in virga ferrea*, non vult referri ad solam punitionem impiorum, quia scilicet vox media *non notat solum impiorum punitionem, sed regimen justissimum & potentissimum.* Nam regimen justissimum & potentissimum non potest hic non adstrictum esse ad punitionem impiorum absque misericordia, quia adhibetur, non pedum, sed virga ferrea: & explicatur vox media per vocem alteram in contextu, quæ non potest esse media, sed communi interpretum consensu transfertur *Confringes.* Atque hic ridendum se præbet *Bellarminus* suo commentario, quo contendit, *ne quidem illis verbis, tanquam vas figuli confringes, notari solam impiorum punitionem, sed etiam misericordiam, quâ scilicet, misericorditer confringendo in eis infidelitatem & peccata, format ex vasis contumeliæ vasa honoris.* Arguit evasio ista, causam desperatam. Ad locum autem *Esai* XLIV. 28. dicimus Cyro dictum רועי / id est,

Pastor

Pastor meus es tu, non ob regni amplitudinem, ſed eo maxime nomine, quod futurus eſſet benignus Eccleſiæ Dei nutricius, in ejus reductione ex captivitate Babylonica.

XV. II. De voce Græca ποιμαίνω, non diffitemur per metaphoram dici illos ποιμαίνειν, qui regunt & dominantur cum imperio. Enimvero obſervamus metaphoræ uſum eſſe, ut moneantur Reges & Principes ne imperio & dominatione abutantur ad populi oppreſſionem, ſed ut ipſis ſit ſuprema Lex ſalus populi. Ea propter ſic merito cenſemus; quando metaphora illa adhibetur ad regimen ſpirituale Eccleſiæ, præpoſterum eſſe & inſanum ex Paſcendi mandato urgere aliquod faſtigium Dominationis & regiminis Monarchici: quia Paſtorum titulo ipſi Principes Reges & Monarchæ revocantur à faſtigio ſuæ Dominationis, ad humilem συγκατάβασιν. Revera ergo Dominus verbis illis, *Paſce oves meas*, Petro interdixit tali dominatione & imperio, quale *Pontificii* inde conantur exprimere. Quod Petrus ipſe confirmat, opponens in praxi regiminis Eccleſiæ τὸ ποιμαίνειν *Paſcere* τῷ κατακυριεύειν *Dominari*, illud commendans, hoc prohibens. 1 *Pet*. v. 2. 3.

XVI. III. Ad rem ipſam porro reſpondemus, verbo illo, PASCE, Chriſtus non tradidit Petro ſingularem Principatum Eccleſiaſticum, nec inſtituit Monarchicum Eccleſiæ regimen, ſed commendavit Petro curam animarum paſcendarum, pabulo ſpirituali doctrinæ & ſcientiæ; & quidem abſque ulla emphaſi primatus Petri, quo illum aliis prætulerit, ſed cum provocatione tantum ad piam æmulationem in dilectione Chriſti, quo faciunt illa antecedentia, *diligis me plus his*? v. 15. Quid? quod ſemel tantum Chriſtus dixit ποίμαινε v. 16. bis autem βόσκε v. 15 & 17. quæ ſaltem vox nullam habet regiminis ſignificationem, nec eo transfertur.

XVII. Enimvero illa cura animarum, quæ commendatur à Chriſto, à Paulo illa ipſa voce ποιμαίνω commendatur Presbyteris Eccleſiæ Epheſinæ, quos ait à Spiritu S. conſtitutos Epiſcopos ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ. *Act*. xx. 28. Quin Petrus ipſe, cujus primatus & principatus cuditur ex verbi illius emphaſi, illo ipſo verbo utitur ad Presbyteros conſtitutos inter advenas diſperſos per Pontum, Galatiam, & Cappadociam, commendans illis curam animarum, ποιμάνατε *Paſcite Dei gregem qui penes vos eſt*. 1. *Pet*. v. 1. 2. Quare concludimus mandatum Chriſti illis verbis conceptum Paſce oves, ſingulariter quidem ter Petro nuncupatum fuiſſe occaſione illa, quod ipſe Chriſtum ter abnegaſſet; ſed in re fuiſſe mandatum commune, ſpectans non tantum ad Petri ſucceſſores Cathedrales, ſed ad omnes etiam Presbyteros Petro συγχρόνους coætaneos.

XVIII. Tertium poſtulatum reſtat, tanquam ſacra quædam anchora, ad quam confugit *Bellarminus*, vindicaturus ſcilicet etiam loca illa *Act*. xx. & 1. *Pet* v. *Petrus*, inquit, *hortatur compresbyteros ut paſcant gregem, non univerſalem ſed particularem. Ait enim paſcite gregem qui in vobis eſt. Quemadmodum & Paulus, cum hortatur Aſianos Epiſcopos, ut attendant ſibi & univerſo gregi, ſtatim adjungit; In quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, id eſt non univerſo ſimpliciter, ſed tantum univerſo illi gregi, qui vobis commendatus eſt. Illus autem verbis*

Joh. XXI.

Joh. XXI. *Oves meas, universa Ecclesia significata est. Bellarm. de Pontif. Rom. cap* 14. *& cap.* 16. Respondemus; esse illud quidem aliquo sensu verum quod *Bellarminus* asserit, non fuisse Presbyteros illos Asianos, & per Pontum Galatiam & Cappadociam, Episcopos Universæ Ecclesiæ, adeoque non debuisse regere & pascere universam Ecclesiam: Petrum autem habuisse vocationem pascendi & regendi Ecclesiam universam. Tamen minime voluisse Christum, illam auctoritatis eminentiam supra Presbyteros illos, expressam verbis illis *Oves meas.*

XIX. Deinde negamus Petrum eminentiam illam, quam habuit supra Presbyteros illos, pariter habuisse supra reliquos Apostolos, scilicet *ut verbis illis Oves meas includi debeant ipsi cum reliqua Ecclesia universa.* Posterius illud hic est principale κρινόμενον absque quo prius non esset adeo magni momenti. Contradicit strenue *Bellarminus. Nobis autem,* inquit, *exploratum certumque est, omnes omnino Christianos, etiam Apostolos ipsos, Petro tanquam oviculas commendari, cum ei dicitur Pasce oves meas.* Ad cujus assertionis probationem fingit mysterium in variatione illa apellationis *Agnorum & Ovium,* & quia ipsi magis videtur μυστηριώδες, quod vulgatus Latinus interpres bis habet Pasce Agnos meos, & semel Pasce Oves meas, quam quod in Græco semel tantum legitur ἀρνία, bis πρόβατα, somniat corruptionem Græci contextus. *Corruptus,* inquit, *videtur locus vitio librariorum, qui secundo loco scripserunt* πρόβατα, *cum scribere debuissent* προβάτια, *id est oviculas seu agnos; facile autem fuit excidere Jota.* Et mox; *Si per Oviculas intelligamus Agnos, dicemus agnos bis repititos esse, ad significandum duos populos Judaicum & Gentilem, Oves autem semel nominatas, significare Apostolos & Episcopos, qui sunt veluti matres agnorum. Si vero per Oviculas intelligamus oves parvas, majores perfectis ovibus, dicendum erit Petro committi agnos, oviculas, & oves, id est incipientes, proficientes & perfectos, ita ut nulli sint in Ecclesia quantumvis spirituales eruditi & sancti, qui Petro non subsint &c.* Revera unum subest mysterium, idque tam in trina interrogatione qua Christus exhortationi suæ viam aperit, quam in trina exhortatione ad Pascendum, quod dicemus verbis Bellarmini. *Ex Cyrillo & Augustino & aliis in hunc locum discimus Petrum ter interrogatum an diligeret plus cæteris, quia ter negaverat. De Pontif. Rom. lib.* 1. *cap.* 13. Reliqua mysteria quæ ex *Bellarmino* discamus, quæ ille cudere satagit ex synonymis seu polyonymis, chimæræ sunt.

XX. Restat altera probatio, quæ nihilo solidior, *ex pronomine illo* MEAS. *Cum absque ulla restrictione addatur ad nomen Oves pronomen* MEAS, *manifeste significatur eas omnes Oves Petro commendari, ad quas extenditur pronomen* MEAS, *certum autem est illud* MEAS, *extendi ad omnes simpliciter. Breviter pronomen illud* MEAS, *æquipollet signo universali. de Pontif. Rom. lib.* 1. *cap.* 16. Respondemus; nova Logica opus fore ad stabiliendum Canonem illum; *Pronomen Meas, æquipollet signo universali.* Certe non semel pronomen Meas adhibetur, ubi de gregibus ovium particularibus sermo est *Ezech.* XXXIV. adeoque non magis hoc pronomen æquipollet signo universali, quam ipsum nomen Oves. Fatemur quidem esse, ubi propositio indefinita cum

hoc pronomine Meas æquipollet propositioni universali, puta cum Dominus aït, *Cognosco oves meas, & oves meæ vocem meam audiunt, & ego pono animam meam pro ovibus meis.* Sed hoc frustra exprimeretur ex æquipollentia pronominis meas, cum signo universali, si non esset in re indubitata veritas illius hypothesios, quod Christus sit unus omnium Pastor.

XXI. Ut autem omnes universim suas oves (qui ad summi Pastoris unum ovile aggregantur juxta illud *Joh.* x. *Erit unum ovile, & Pastor unus*) dicatur Christus Petro commisisse, nihil cogit, ne quidem istud ex Johanne testimonium, quo *Bellarminus* hic etiam abutitur. Se enim ipsum, non Petrum intelligit Christus, unum unius ovilis Pastorem. Et eo loco Christus Ecclesiam, quam unversam sui unius respectu vocat ovile unum, dispescit in caulas alias atque alias, & alius atque alius caulæ respectu vocat alias oves. *Alias etiam oves*, inquit, *habeo, quæ non sunt ex hoc ovili sive ex hac caula.*

XXII. Enimvero non negamus sano sensu Christum etiam commisisse Petro universum gregem suum pascendum, sed quemadmodum illum commisit indivisim etiam reliquis Apostolis; ut absit hic primatus & principatus Petri supra reliquos. Fatetur enim jam ante *Bellarminus*, *Omnes duodecim Apostolos fuisse rectores & Pastores Ecclesiæ universæ, ejusque fundamenta.* Et rursus idem fatetur, in ipsa qua elabi conatur evasione: *Et si Apostolos omnes Dominus ad prædicandum & ad pascendum gregem suum miserit, tamen hoc ipso quod eorum curam Petro commisit, quod illi agebant, Petrus per illos agebat, à quo illi tanquam à capite & imperatore suo pendebant.* Imperatoriam illam Petri potestatem in reliquos Apostolos, quam dictat non docet, nullis unquam fidiculis ex verbis Christi expresserit *Bellarminus.* Quod autem vere ex verbis Christi, Pasce oves meas, efficitur, hoc illud est unicum, quod Petum miserit ad pascendum gregem suum, quod Petro pares facit reliquos Apostolos; de quibus *Bellarmino* confessionem illam expressit vis veritatis, *Dominum misisse omnes Apostolos ad pascendum gregem suum.*

XXIII. Quod diximus Dominum universum gregem suum pascendum commisisse indivisim una cum Petro Apostolis omnibus, illud intelligendum est potissimum, de doctrinæ Apostolicæ pabulo, quo ad finem mundi pascitur & pascetur universum Christi ovile. Quod autem præter Doctrinam & Leges regiminis ab Apostolis traditas, spectat vivum laborem ipsorum in Ecclesiæ fundatione, certe nec Petrus nec Apostolorum quisquam rexit & pavit omnes & singulas, ne quidem sui tempori, Oves Christi, sed partiti sunt inter se operas. Interim universum gregem indivisim una cum Petro Apostoli omnes censentur rexisse & pavisse, quia ita operas partiti sunt, ut tamen non esset ἀλλοτριεπίσκοπος, qui occasione oblata visitaret & pasceret Ecclesiam in qua alius Apostolus officio fungebatur. Quia nulli erant particulari Ecclesiæ alligati ut Pastores ordinarii: nec erat eorum quisquam ab aliqua Ecclesia exclusus. Quamvis sancta quoque φιλοτιμία Paulus profiteatur se ab aliorum messe falcem abstinuisse, ut ne super aliorum fundamentum ædificaret, *Euangelium prædicans ubi non nominatus esset Christus.*

XXIV. Conclu-

XXIV. Concludimus Disputationes XV. de Canone Theologiæ hac Assertionum nostrarum ἀνακεφαλαιώσει.

I. Canonem Theologiæ certum & infallibilem, quem Verbum Dei vocamus, nullum hodie esse extra Scripturam Sacram, Hebræam Veteris, & Græcam Novi Testamenti.

II. Nullum esse Verbum internum non Scriptum, quod sine blasphemia in Verbum Dei scriptum pro Canone Theologiæ jactent, vel Enthusiastæ & Libertini, vel Papistæ.

III. Auctoritatem Scripturæ S. universæ esse Uniformiter Divinam.

IV. Traditionum non scriptarum Auctoritatem Sacrilegam, & Reverentiam in Papatu impiam esse.

V. Nullam esse Necessitatem Traditionum Non Scriptarum, propter Scripturæ S. Obscuritatem.

VI. Per Scripturæ S. Sufficientiam, nullum esse in Canone Theologiæ locum Traditionibus Pontificiorum non scriptis.

VII. Anti-Christianam esse, quæ in Papatu obtinet, Dispensationem contra Scripturas.

VIII. Nullum esse, præter Spiritum S. in Scripturis loquentem, judicem controversiarum in visibili Cathedra infallibilem.

IX. Nullum fuisse in Veteri Cathedra Mosis sedentium & succedentium Pontificum privilegium judicii infallibilis.

X. Denique, esse merum Non ens, (illam in qua finguntur sedere ut successores Petri Papæ Romani, vel soli, vel cum Concilio universali, judices Controversiarum de Fide & Moribus infallibiles) Cathedram Petri.

F I N I S.



GANGRÆNA
THEOLOGIÆ
ANABAPTISTICAE,

Disputationibus XLVIII. olim publicè ventilata in Illust. Gymnasio Gelro-Velavico.

Accedit

FRIDERICI SPANHEMII

SS Th. D. & Profess. Leidensis

DIATRIBA HISTORICA

DE

Origine, Progressu, & Sectis

ANABAPTISTARUM.



Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimisque

IV-VIRIS,

D. D. CURATORIBUS

Illustris Academiæ Franekeranæ.

D. RENICO à BURMANIA

D. HOBBIO ab AYLVA

Ordinum Frisiæ Ex-Delegatis

D. LIVIO à SCHELTINGA J. U. D.

Ordinum Frisiæ à Secretis

D. JOHANNI NYS J. U D.

Supremæ Curiæ Frisiorum Assessori.



Uandoquidem, Viri Nobilissim, Amplissimi, Consultissimique, *vestris auspiciis ab Illustribus & Potentibus Frisiæ Ordinibus vocatus ad Academiæ (quæ vobis curæ est) Cathedram Theologicam, Deum vocationis Dominum veneratus cum timore & tremore, me Providentia ipsius commisi, sequuturus quo ipse me extrudit; prima mihi hinc migraturo cogitatio fuit, quam possem animi vobis devoti & grati*

grati tesseram [illegible] apud vos deponere; qui me prævenistis nuper, insignis amoris & benevolentiæ demonstratione, ac coram vobis [illegible] di-gnistis. Atque hoc consilio vobis dicandam censui hoc Disputationum, quod exhibet in Synopsi Elenchum Theologiæ Anabaptisticæ: indicem nimirum Gangrænæ, cum sanorum sermonum Antidoto. Annus labitur decimus nonus, ex quo vernacule à me instituta fuit scriptio ista; quæ Gangrænam istam palam fieri flagitabat hypocrisis Confessionis edita Amstelredami A. MDCXXIV. à Secta Anabaptistica, quam Flandricam vocant, antesignanis. Quam illi opposuerant exprobrata cunctis, in varias sectas scissis Anabaptistis, linguarum confusioni, in edenda fidei Confessione. Ediderat siquidem variorum erotematum forma Anabaptistarum Babel Clar. Hermannus Faukelius, Synodi Nationalis Dordrechtanæ Assessor ὁ μακαρίτης, de Ecclesiis nominatim Zelandicis optime meritus: qui hanc mihi lampada tradidit. Scopo itaque paululum diverso, ex hypothesi istius, quam simulant illi, cunctorum Anabaptistarum discordia concordis, hoc egi, ut detecto fallaci Syncretismo, qui fere mera verborum æquivocatione imponit simplicioribus, qua magis in Doctoribus suis attendant exteriorem pietatis μόρφωσιν, quam sanorum sermonum ὑποτύπωσιν, ut, inquam, discerent simpliciores qua zelum Dei habent anima, nosse profunditates Satanæ & efficaciam erroris, ac nuncium mittere Syncretismo cum istis, in quorum Theologia superest μηδὲν ὑγιὲς, ac quibuscum frustra speres aliquem in fundamento religionis consensum orthodoxum. Hanc operam olim à me laboratam civibus meis, cum in urbe patria Amstelredami Verbi Dei ministerio fungerer, ut Latinam facerem in communes Theologiæ studiosorum usus, qui flagitabant Enchiridion Theologiæ universæ contra Anabaptistas Elencticæ, hortatus fuit Clarissimus nunc in Academia Ultrajectina Professor, Collega meus olim ἰσόψυχος in Ecclesiæ Heusdanæ Pastoratu: cui morem gessi isthoc schemate, ut sine tædio adstrictæ interpretationis lucubrationes Amstelredamenses paulo diffusiores libere recognitas despascerem in istas XLVIII. Disputationes; quibus se jam prope triennium in palæstra Theologica hic exercuerunt ordinariè juvenes viri S. S. Theologiæ studio in hoc illustri Gymnasio initiati. Opportune jam mihi videor hoc vobis exhibere specimen conatuum meorum, quibus prodesse studeo discentibus, quibus ille est studiorum scopus, ut ipsi quoque evadant διδακτικοὶ & δυνατοὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν qui & docere possint & contradicentes convincere: cum (jam inde à temporibus illis τῆς διασπορᾶς Anabaptistarum, post motus Monasterienses) Frisiam insederint atque etiamnum insideant Anabaptistarum agmina, quæ etsi, abjectis

armis

armis corporalibus, Rempublicam non turbent, non patiuntur tamen absque certaminibus quotidianis ædificari Ecclesias puriores Reformatas. Ut in illis esse, & in palæstra isthac Anti-Anabaptistica exercere juventutem, pars sit futura non minima laboris mihi mandati & villicationis, cujus vobis post Deum mihi reddenda erit ratio. Nec alia mihi quærenda sit, qua me vestro amori & favori commendem, insinuatio, Viri Nobilissimi & Amplissimi, *quam ut possim hoc specimine vobis probare fidem saltem & diligentiam, qua me impendi & impendam, cum bono Deo, discentium studiis in Professione & defensione Veritatis quæ secundum Pietatem est. Deum Optimum Maximum supplex precor, ut Vos pios Docentium & discentium Mæcenates, quam diutissimè, quam fœlicissimè sospitet: ac piæ vestræ Curæ, quâ vigilatis pro salute & incolumitate nobilis Seminarii Reipublicæ & Ecclesiæ, quod fovent Illustres ac Potentes Frisiæ Ordines, rependat cumulatissimè benedictiones hujus & futuræ vitæ. Dabam Harderovici* VII. *Kalendas Aprilis, Anno Iuliano Æræ Christianæ* MDCXLIV.

Vestræ Nobil. Amplitudinis
observantissimus

JOHANNES CLOPPENBURCH.

GISBERTUS VOETIUS *in Bibliotheca Studiosi Theologiæ, edita Anno* MDCXLIV. *lib. secundo, de Apparatu ad controversias Anabaptisticas*, pag. 554. Hoc anno Johannes Cloppenburch Professor Theol. Harderovicenus, nunc Franequeranus, scriptum suum Belgicum veste latina & Scholastica induit, quod studiosis nostris commendo.

GANGRÆNA THEOLOGIÆ ANABAPTISTICÆ.

DISPUTATIO PRIMA,

DE

Dei Nominibus & Natura Unica.



GAngrænam fecit hæresis etiam illorum *Anabaptistarum*, qui post motus Monasterienses An. M D XXXV. exstinctos, saniores visi sunt, aut minus noxii, inter quos eminuit *Menno Simonis*, à quo communi denominatione hodie dicuntur *Mennonitæ*, Mennisten. Ut in hodierna ipsorum Theologia sit μηδὲν ὑγιὲς nihil sani, quod maxime imputandum efficaciæ erroris in articulo de Incarnatione Christi.

II. De Incarnatione Christi controversia inter *Mennonem S.* & *Johannem à Lasco*; & *Micronium* disputata, circa annum M D X L V. ut ex *Defensione Joh. à Lasco* constat, tangebat tantum *Originem carnis Christi*.

III. Salva erat Fides Orthodoxa de Unitate Essentiæ Dei & Trinitate Personarum, quam contra Arianum *Adamum Pastoris*, in *Colloquio Lubecensi* vernaculè excuso habemus à *Mennone S.* defensam. Et ponebat *Joh. à Lasco* extra controversiam quæstionem illam, *an Christus Dominus sit Dei Patris* ὁμοούσιος *Filius.*

IV. At diu salvam esse non permisit pertinacia *Anabaptistarum*, qui quidvis potius sibi censuerunt movendum, quam ut cogitarent de palinodia, ac faterentur veram carnis Christi originem ex carne Virginis Mariæ.

V. Hodie enim insigniores *Anabaptistæ*, maxime illi qui dicuntur *Sectæ Flandricæ*, quibus refertum est Belgium, isti Orthodoxæ & Catholicæ Fidei de Unitate Essentiæ divinæ & Trinitate Personarum nuncium miserunt, ut, quando uno ore nobiscum loqui videntur, ludant tantum æquivocationibus ad decipiendos idiotas comparatis.

VI. Negant initio, Verum Deum qui nobis adorandus est Deum in Scripturis nominari Nominibus significantibus Essentiam ejus æternam & increatam, adeoque ipsi propriis: sed tantum notari nominibus Dei Dominium Dei, significatione communi, qua etiam Moses & Præfecti Israëlis dicti sunt Dei.

 VII. Refellitur

VII. Refellitur hoc πρῶτον ψεῦδος (quod ex idiotarum affectata ignorantia, qua linguas originales Scripturæ S. negligunt, ortum videtur) ex nomine Tetragrammato יהוה / Jehovah, quod negari non potest ab Essentia suam habere Etymologiam, atque illa nominis notatione soli æterno & increato Deo proprium esse: atque in versionibus librorum & locorum V. T. Nomen κύριος, *Dominus*, frequenter respondere huic vero nomini proprio veri Dei.

VIII. Errant graviter, qui hoc, quod fateri coguntur *verum nomen proprium veri Dei*, existimant in Scriptura etiam creaturis communicari; quod negamus ex ullo Scripturæ loco evinci posse factum, neque figurata acceptione, neque per catachresin aut ironiam, à Scriptura loquente. Neque hoc concedendum propter nominis illius contestationem divinam *Es*. XLII. 8. & XLVIII, 2. 11.

IX. Enimvero dato non concesso esse in Scripturis loca, ubi unus memoretur Angelus creatus, Dei personam nomenque Dei proprium sustinens: non infringitur tamen quod hic urgemus quando saltem Vero Deo tribuitur hoc nomen יהוה / esse hoc notatione non Dominii sed essentiæ verum nomen proprium.

X. Quamvis autem singulariter sua etymologia, & notatione Essentiæ, nomen illud יהוה / sit verum nomen proprium veri Dei, de reliquis tamen Veri Dei Nominibus in Scriptura S. hoc quoque affirmamus, sive absolute Deo propria censeantur sua Etymologia, sive communia, & nonnunquam communicata creaturis, nusquam tamen ita absolute & definitive in singulari de natura aliqua aut persona creata prædicari, quin ipso schemate dictionis manifesta sit ironia aut catachresis.

XI. Illustramus assertionem hanc distinctione Nominum Dei, ab Indigitamentis illis, quæ Attributorum Sapientiæ, Bonitatis & Justitiæ Dei quadam imagine analogica Creaturis sunt communia: ut quamvis κατ' ἐξοχὴν Deo vero propria vindicentur, dicaturque ipse solus Sapiens, Bonus &c. tamen etiam absolutè & definitive prædicentur de creaturis, nulla nominis divini profanatione aut catachresi. Non potest similiter absolutè & definitive de aliqua singulari creatura dici, ipse est Deus, quemadmodum fas est dicere, ipse est Sapiens, Bonus, Justus. *Ezech*. XXVIII. 2. 9.

XII. Hinc manifestum est, Nomina vero Deo in Scripturis attributa, quibus salutatur Deus à creaturis adorandus, V. G. in acclamatione iterata 1. *Reg*. XVIII. 32. יהוה הוא האלהים / *Jehovah ipse est Deus*, significare directe Essentiam & Naturam divinam, qua ipse ab omnibus λεγομένοις Θεοῖς dictis Diis, etiam Magistratibus & Angelis, quibus ipse dixit *Dii estis*, distinguitur ut solus φύσει Θεὸς *Natura Deus*. *Gal*. IV, 8. *cum* 1 *Cor*. VIII. 4. 5.

XIII. Neque jam, per distinctionem Nominum Dei ab Indigitamentis, locus est evasioni isti, *Naturam Dei non esse ipsam Dei essentiam*, *sed Sapientiam Bonitatem & Justitiam Dei*; quod satagunt confirmare ex 2. *Pet*. 1. 4. ubi dicuntur fore θείας κοινωνοὶ φύσεως, *Divinæ naturæ consortes*. Nihil

quidquam

quidquam efficitur ex hoc loco contra nostram assertionem quomodocunque illum torqueant: quia nunquam erimus aut dicemur *Natura* Dii φύσει Θεοὶ, etiam quando erit consummata naturæ nostræ sanctificatio.

XIV. Non est autem ad verborum Petri vindicationem, contra *Enthusiastarum* monstrosam Apotheosin seu Deïficationem naturæ creatæ, necessum, ut hoc *Anabaptistis* largiamur in hac concertatione, ut θεία φύσις significet hic non ipsam essentiam Dei, sed attributa Sapientiæ, Bonitatis & Justitiæ. Scimus favere isti exceptioni commentarios orthodoxorum. Verum censemus rectius nos posse interpretari θείαν φύσιν *Divinam naturam*, Deum ipsum, qui sua natura Deus est, illa loquutione qua Hominem Jacobus vocat φύσιν ἀνθρωπίνην, *Naturam humanam* *Jac.* III. 7. Dici autem optime possunt pii absque suæ naturæ Deïficatione, Divinæ naturæ id est Dei ipsius κοινωνοὶ, quia cum ipso habent κοινωνίαν. 1 *Joh.* 1. 3. Confer phrasin 1 *Cor.* X. 20.

XV. Præcognita & adserta Nominum Dei in Scripturis prædicatione de Vero Deo, significatione non communi Dominii, aut attributorum communicabilium quadam analogia, sed propria notione naturæ & essentiæ divinæ; corruit Hypothesis Anti-Trinitaria Anabaptistarum Doctoris *J. Outermanni*, Unius Dei appellatione non notari unam divinam Veri Dei viventis Vitam & Essentiam æternam, sed contineri posse Essentias plures, sua vita singulari discretas, modo intelligantur in Cathedra una, & Regno uno uniti, una individua gubernatione & dominatione.

XVI. Æquivocationem illam Anabaptisticam, qua si dixeris Patrem Filium & Spiritum S. esse tres Personas, at Deum unum, possis tamen cum *Arianis* sentire, Patrem solum habere Vitam & Essentiam æternam & increatam, quod non obscure urgent ex *Joh.* XVII. 3. *Ephes.* 1. 17. *Matth* XXVII. 45. *&* *Joh.* XX. 17. *Confessionis appositæ H. Faukelio* MDCXXIV. *Auctores pag.* 48. Æquivocationem, inquam, illam non patitur locus illustris *Deut.* VI. 5. in quo & subjectum & prædicatum enunciationis facit verum nomen proprium veri Dei, quod Essentiam æternam notat. *Audi Israël Jehovah Elohim noster, est Jehovah unus.* Nullo schemate potest esse unus Jehovah extra unam æternam essentiam.

XVII. Ad locum *Joh.* XVII. 3. in quo volunt singulariter Patrem appellari *solum verum Deum*, respondemus, contrarium verum esse, & ipsis Christi verbis doceri, & Patrem & quem ille misit Jesum Christum esse unum illum verum Deum.

XVIII. Loca reliqua non subjiciunt Deitatem Filii Deitati Patris, sed tantum naturam humanam assumptam.

XIX. Linguarum inter *Anabaptistas* confusionem & desperatam Babel merito nominaveris, quod hic cum *Mennone* discordiam concordem jactent, quæ sola verborum ambiguitate conciliata expediri queat. *Confess. pag.* 57. Ubi à *J. Outterman* scriptum exstat; *confiteri Deum* ὁμοούσιον *seu unius essentiæ, esse Nomen extra & contra Verbum Dei. X. Art. art.* III. § 93. Scripsit ergo seu dictavit extra & contra verbum Dei *Menno S.* sequentia hæc, quæ ex vernaculo

culo Colloquio Lubecensi exscribimus Latinè ad verbum translata.

XX. *Quamvis dicamus, Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus S. tamen non sunt tres Omnipotentes, sed unus omnipotens, & æternus, individuus Deus. Non enim est unus absque alio. Iterum, inquam, quamvis illi sint tres Substantiæ seu Personæ, sunt tamen Virtute, Operatione, Voluntate, & in Omnibus, una æterna, individua, Omnipotens Essentia, Natura, Gloria, Spiritus & Deus unus.*

XXI. Unitatem æternæ Essentiæ à *Mennone* cum Personarum Trinitate orthodoxè contra *Adamum Pastoris* assertam, demonstrant verba 1 *Joh.* v. 7. *Hi tres Unum sunt.* Et nominatim Filium esse Patri Homoousium, verba Christi *Joh.* x. 27. *Ego & Pater unum sumus.* Et hic ludibrium debet Anabaptistarum Doctor *J. Outtermannus*, quando profitetur, *se hic contemnere Artis Grammaticæ analogiam.*

DISPUTATIO SECUNDA
DE
Mysterio S. S. Trinitatis.

ILlis Scripturæ locis 1 *Joh.* v. 7. & *Joh.* x. 30. ipso dictionis schemate Grammatico, *ἕν εἰσιν, ἕν ἐσμεν, Unum sumus, Unum sunt*, demonstratur singularis in Deitate Essentiæ Unitas, quamvis communis tribus Personis: sed priori loco solida altera demonstratio subest, ex Testificatione ipsa cœlesti, quæ extra unicam æternam & increatam essentiam non potest esse, à testificatione quavis alia independenter, authentica & infallibilis. Ex quo consequitur per Testificationis identitatem, Testium trium, in divinæ Omniscientiæ & Veracitatis attributis, adeoque (propter absolutam Dei simplicitatem) in ipsa Deitatis Essentia, Unitas.

II. Enimvero, ubi testes tres negare tutum non est, ne tamen Personas tres fateri cogantur, aversantur *Mennonitæ* in Mysterio S. S. Trinitatis vocem *Persona*, quasi *confictam* temere & *ambiguam*. *Confess. opposit. Faukelio pag.* 53. Quamvis ignorare non possint illâ usum *Mennonem S. in Colloq. Lubec.* & in *Confessione*, quam inscribit *claram & ἀναντίῤῥητον*, quæ exstat *Summarii part.* 2. *Quod Christus Jesus sit unica & individua Persona.*

III. Si adhibitâ voce *Persona*, edi potest *Confessio clara* & quæ contradictionem non patitur, de Christo Jesu, cur insimulatur ambiguitatis vox illa, Patri Jesu Christi attributa, vel Spiritui sancto?

IV. Nec conficta censeri potest, etiam *Ciceroni & Quintiliano* usurpata, non de hominis tantum conditione & qualitate, sed de humano individuo, *Ciceroni Ep. ad Fam. Lib.* III. *Ep.* 5. & de *Invent. lib.* I. § 48. *Quintiliano Instit. Orat. Libr.* III. *c.* 8. *Libr.* IV. *c.* I. *Libr.* IX. *c.* 2. Quod notamus propter falsam & temerariam *Vallæ* censuram in *Boëthium Elegant. Lib.* VI. *Cap.* 35.

V. Analogica similitudine substantiæ humanæ primæ & individuæ, nec temerè, nec à *Boëthio* primum, sed ante illum à *Tertulliano* Latinorum

Patrum

Patrum antiquissimo adhibita est, ad distinctius significandum, illud quod in hoc mysterio Græci Patres dictum volebant, maxime voce *ὑπόστασις* *Hypostasis*: quam non latius à prædicta notione Essentiæ communis, ut incommunicabilem, distincte exprimebat Latina vox *Substantia*; quando olim dixerunt Patres Latini sensu orthodoxo, *Una essentia, tres Substantiæ*.

VI. Jam vox *Hypostasis* (quam Latine *Personam* interpretatus est *Tertullianus contra Praxeam*, Cap. 11. 12. 13. 14. & illum sequuti Patres alii, ut nulla esset in voce ambiguitas) ab ipso Apostolo exstat usurpata in hoc mysterio, ubi Filium vocat *χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως Hypostasios Dei* (Patris) Heb. 1. 3. Quare non magis *ἄγραφος* seu præter Scripturam conficta dici debet vox *Persona*, seu Latina, seu ad usum linguæ vernaculæ cujuscunque traducta, ad necessariam vocis Græcæ interpretationem, quam quævis vox alia vernacula, quæ ipsum Dei nomen ex originali lingua transfert.

VII. Sed morositatis *Memonitarum* circa vocem Personæ mysterium est, quod Christum non unanimiter agnoscunt, credunt Personam divinam aliam à Patre esse, ante nativitatem ex Maria virgine, ab æterno genitam.

VIII. Latet ille anguis in herba, quando videri volunt vel maxime asserere æternam Filii à Patre generationem, ejusque modum arcanum inscrutabilem & ineffabilem. *Confess. apposit. Frankel pag.* 60. 61. Istius enim Confessionis socii, inter quos agmen ducit *Jac. Ostervai Responsi. ad* XVII. *Artic. pag.* 19. §. 37. & 12. §. 120. crassissimis produnt hoc *ad* *rei* affectatam ad *ἰσοδυναμίαν τῆς παρ αὐτῶν* æquivocationem.

IX. Quid ergo æternæ Filii à Patre generationis nomine hæretico sensu intelligant, dicendum ex *J. O. Art.* V. §. 22. VIII. §. 52. Ille non semel dictat *Christum propterea à Prophetis Deum nominatum, & esse Æternum Dei Filium, quod pro nobis prævisus fuerit ante mundi initium; ut Petrus inquit* 1 Pet. 1. 20. Quod quando ipsis visum est dissimulare, qui tamen non dissentiunt, negant *Christum hoc nomine esse unigenitum Dei filium, quod ad hoc electus sit*, ludentes in voce *electus*; quam nolunt esse Synonymam voci *præordinatus*, aut *prævisus*, quamvis illam adhibeant, ut quod ajunt negare credantur, quando intempestivum videtur quod sentiunt enunciare.

X. Præordinatio certe illa seu Prædestinatio qua Filius Dei est *προεγνωσμένος* seu *præordinatus ante jacta mundi fundamenta* 1 Pet. 1. 20. perperam pro æterna filii generatione, vel obtruditur, vel cum illa confunditur. Est enim Præordinationis illius (ut à libero Dei decreto profectæ, in secundo quasi momento æternitatis) Objectum præexistens in primo momento, Persona Filii genita: & Subjectum est voluntaria Filii fidejussio & fidejussionis in tempore subsequutura exsequutio. Atque ea propter Præordinatio omnino aliud quid est ab ipsa æterna Filii generatione, eaque posterius.

XI. Accedit ex ipso Petri loco, quod præordinationis terminus præfinitus definitur non Filiatione ipsa gloriosa in forma Dei (quod debuerat fieri ex hypothesi) sed ignominiosa ad mortem exinanitione in forma servi, quasi Agni devoti mactatione.

P XII. Luxa-

XII. Luxatâ istis æquivocationibus confessione de æterna Filii Dei generatione, ut sibi hoc nomine liberum sit intelligere æternam præordinationem Filii hominis: confundunt monstrosè veram ab æterno existentem essentiam veri Dei, cum Essentia Carnis Christi nondum existentis, quando asserunt *Filium Dei ab æterno fuisse in forma Dei*, & (quasi contra *Arium* orthodoxè sentiant) *Christum esse cum Patre & Spiritu S. Creatorem omnium, non creaturam*: ita enim loquuntur ῥῆμα, quamvis [illegible] C. C. & J. O.

XIII. Prodit enim suo se indicio J. O. affirmans *Christum etiam secundum carnem, & secundum essentiam humanam non esse Creaturam Art.* v 11. § 41. & v III. § 30. 37. 40. Quæ est ἀλόγιστος & ἀφιλόσοφος h. e. pugnans cum Theologiæ & Philosophiæ principiis hæresis Enthusiastica *Swenckfeldii*. Et rursum, quando repudiat & ut absurdam Orthodoxis exprobrat hypothesin, de vita Deitatis Christi antiquitatis infinitè imparis ad ætatem vitæ carnis Christi, [illegible]. *Art.* 1 x. § 14. & 1 x. § 33.

XIV. Gangrænam facit hæc ἀλλόκοτος assertio æternæ Filii essentiæ sine existentia, ut idem J. O. quamvis æternam essentiam & Deitatem Filii, tamen nec immutabilem nec immortalem, sed *tantum incorruptibilem* confiteatur, & ex loco *Actor.* 11. 1. 35. & locum *Jacob.* 1. 17. non patiatur ad Filium accommodari, sed *de Patris solius essentia immutabili* interpretetur *J. O. Art.* v. § 51. 62. & v111. 7. § 43. 48.

XV. Neque quantumvis vernaculè de Filio enunciet Filium ab æterno fuisse in forma Dei, eene Godt geiijck/ pronunciat fuisse Deo *æqualem*, sed ludens in vocis vernaculæ ambiguitate, *similem* tantum dicit, detorsione manifesta loci *Philip.* 11. 6. ubi ἴσα Θεῷ significat necessario æqualitatem Filii cum Deo Patre, & consequenter *in forma Dei* non est in idea mentis divinæ à decreto præfinita, juxta quam ad imaginem Dei Christus homo factus est, sed in unica Dei essentia immutabili.

XVI. Ex loci ergo istius verbis, quæ æquivocationem istam non ferunt, ut similis tantum Patri intelligatur Filius, sed necessario flagitant ut credatur Filius in Essentia Deitatis patri coæternus & coæqualis, & consequenter pariter immutabilis ut Pater, concludimus ferire Doctorem *Anabaptistam* J. O. hoc ipsius præjudicium, quod Anathematis vice vibrat in Confessionem Orthodoxam de alia persona Filii à Persona Patris, sed Essentia æterna & immutabili unica. *Siquidem Servatorem profiteamur Servum talem, quem non docet nos Scriptura; proclive est, ut sit abnegatus Dominus, qui nos redemit. X. Art. Art.* v. § 46.

XVII. De Deitate Filii reliquam Gangrænam servamus ad sequentem suo loco titulum de Incarnatione: hujus loci porro sunt hæreticæ hypotheses *Mennonitarum* degenerum, de Essentia Spiritus S. & Persona. Fatentur enim *jam quidem esse illum alium à Patre*, sed premunt responsionem suam ad quæstionem, *an fuerit ab æterno distinctus à Patre & alius à patre*; quod Orthodoxi affirmant, confitentes alium atque alium Patrem & Spiritum S.

sed

sed non aliud atque aliud Ens. *J. O. Resp. ad* L VII. *Art. pag.* 19. §. 36. & 12. § 26.

XVIII. De cætero, æquivocationibus ludunt in Confessione, nec edunt quid sentiendum sit, de donorum Spiritus S. diversitate ab ipso Spiritu S. ex qua demonstratur esse Persona vera. *Conf. opposit. Faukelio pag.* 68. 69. Neque siquidem jam Persona est, an Persona fuerit ab æterno, & an Æterna sit ejus Processio à Patre & Filio. Tantum confitentur, *quatenus à Patre in nomine Filii procedit sive mittitur, alium esse à Patre & Filio. Joh.* xv. 16. & xiv. 16. *ibidem.* Qua Confessione confundunt Processionem arcanam, cum Missionis Spiritus S. opere ad extra.

XIX. Sic videmus luxatam apud *Mennonitas* Fidem Orthodoxam de S. S. Trinitate. Ubi autem illa salva non est, vel sacrilegè non colitur & & adoratur religiose cum Patre Filius & Spiritus S. vel idololatricè juxta Creatorem colitur & adoratur creatura, Christus merus homo qui non est natura Deus. *Rom.* I. 25. *Gal.* IV. 8.

DISPUTATIO TERTIA
DE
Dei Immensitate.

NOn est negligenda nec levis momenti etiam hæc Gangræna Theologiæ *Anabaptisticæ*, qua cum *Socino & Vorstio* jam olim negant Essentiæ divinæ immediatam Omnipræsentiam, adeoque veræ Immensitatis Dei attributum, qua nulli loco commensurabilis est Essentia veri Dei.

II. Negavit illam prolixe in X. *Articulorum Libro* & impugnavit *Art.* II. *Anno* 1611. *J. O.* quando eodem anno & *breviori & pleniori Apologica Exegesi* hæresin illam à nobis ex libro *de Deo Excerpto XVI.* notatam frustra & mala fide dissimulabat *Conr. Vorstius.* A quo haustum censemus in *Confessione* Anabaptistarum *opposita Faukelio* schema dictionis istud, Deum divina sua potentia *aliquo modo* habitare in cœlis. Utebatur ille evasione ista distinctionis, inter *rem ipsam* & *modum rei specialem.* Rem ipsam, h. e. *Deum vere immensum atque omnipræsentem esse, eoque cœlum & terram implere, simpliciter & generatim*, *ex verbo Dei*, scilicet credebat, *Modum autem specialem inter arcana Dei* numerabat. *Apolog. Exeg. pag.* 84.

III. Rem ipsam simpliciter & generatim ex verbo Dei credendam salvam esse frustra contendebat, quum scripsisset, *Scripturam videri asserere, Deum essentia sua tantum in cœlo esse*: item, *non sequi, Deum illic essentia sua immediate præsentem esse, ubicunque operatur, quia per causas medias, sive physicas sive hyperphysicas, puta Angelos, operari potest, ut Rex aliquis per suos ministros &c. in Libro de Deo à pag.* 230. *& seqq. usque ad* 243. Est scilicet (si

Vorstio concinentes *Anabaptistas* audimus) aliquis etiam *præsentiæ modus mediatus*, ubi per vicarios Angelos præsens est Deus. *Specialis* autem *modus* est ille nobis incomprehensibilis, *immediatus*, in cœlis.

IV. Enimvero absque immediata Essentiæ Dei præsentia, nullus est, nec generalis nec specialis, veri nominis præsentiæ modus. Qui enim fingitur præsentiæ modus mediatus, rem ipsam destruit: est autem revera Essentiæ Dei absentia, cum absentiæ compensatione, est enim compensationis absentiæ modus aliquis ille, quo per vicariam ministrorum suorum præsentiam Rex aliquis habet suæ absentiæ in locis, in quibus frustra cuperet simul & semel præsens esse, solatium.

V. Negamus autem specialem modum Præsentiæ Dei recte dici immediatam essentiæ Dei præsentiam: hæc enim est res ipsa generatim ex Verbo Dei credenda. Quæ si in cœlis vere creditur, similiter in terris credenda est, *ut centum & necessarium fidei articulus*: qui nisi credatur, corruit Fides veræ Deitatis Christi versantis in terris. Essentiæ enim, seu naturæ divinæ non immediate præsenti in terris, adeoque, velis nolis, ex hypothesi absenti, nulla potuit intercedere cum natura humana absente Unio hypostatica. Est enim illa intima ejusmodi unitio, quam fingere absque intima præsentia Chimæricum est. Quomodo Chimærica censemus quæ *de modo Unionis duarum in Christo naturarum per arcanum quendam* absentis *Deitatis* τῦ λόγυ *in humanitatem* absentem *influxum*, ex Scholasticorum lacunis haurire maluit *Vorstius Apolog. Exeg.* Cap. [illegible] quam cum Scholasticis idem sentire de vero modo Omnipræsentiæ Dei.

VI. Nos quidem hic rem [illegible] adstringendum censemus cum solis Scholasticorum definitionibus: nihil tamen videmus reprehendendum in illa quidem hypothesi, quam ille carpendam censuit *Apol. Exeg. pag.* 77. *Dei essentiam* [illegible] *definiri* [illegible] *possit, quippe quæ non modo cœlum & terram immediate, sed & tantum spatii* [illegible] *occuper, quantum* [illegible] *centies aut millies, sed infinities milleni mundi (si per impossibilem hypothesin forte darentur) occupare possent.*

VII. Omnino enim vel nulla est absoluta Dei Infinitas ne quidem per veram Æternitatem, vel cum Æternitate credenda est Immensitas: ratio enim nulla est quare credamus magis locum quam tempus Essentiæ divinæ commensurari posse, ut magis ipsius Dei respectu definitum dici possit Essentiæ ubi, quam ejusdem duratio.

VIII. Si autem creditur absoluta Infinitas, quæ credenda est Scripturæ auctoritate, per quam ut exstitit ante omne Tempus, sic ante omnem locum aut ubi, ut in tempore, sic in spatio imaginario creabili: quidni credamus, non Immensam esse Dei essentiam per Omnipræsentiam, quæ ponit definitum aliquod universum, sed Omnipræsentem per Immensitatem essentiæ independentem ab omni creato Loco & ubi? Auctoritates Scripturæ habemus quibus munita est vera Dei per Immensitatem Essentiæ Omnipræsentia. *Jerem.* XXIII. 24. 1 *Reg.* VIII. 27. 2 *Chron.* II. 6. & VI. 18. *Job.* XI. 8. *Psal.* CXXXIX. 7. 8. 9 10. *Esai.* LXVI. 1. 2.

IX. Ner-

IX. Nervos autem dogmatis *Socini*, *Vorstii*, & *Jac. Outermanni* incidimus per sequentes Hypotheses veras, quibus ad Scripturæ ἐναντιοφανῆ, quæ objiciuntur, respondemus. Ex Dei in Cœlo habitationis modo speciali non demonstratur, Deum Essentia sua tantum in cœlo præsentem esse. Alioqui demonstrabitur similiter ex Dei in Templo habitationis modo speciali *Matth.* XXIII. 21. Deum Essentia sua tantum in Templo præsentem fuisse.

X. Adoratio Dei cum *cordis & manuum in cœlos elevatione Thr.* III. 41. & Formula Precationis illa, *Pater noster qui es in cœlis*, non docent Deum à nobis adorari, cum illa loci distantia absentem, qua distat à terra cœlum: hoc enim repugnat testimonio isti *Act.* XVII. 27. 28. *Non enim longe abest ab unoquoque nostrum; in ipso vivimus, movemur & sumus.*

XI. Quid ergo? Testamur nos desiderare & quærere nobis in cœlo paratam cohabitationem cum Deo *Heb.* XI. 16. *cum Matth.* XXV. 34. & benedictiones illic nobis destinatas, seu *hæreditatem*, non extra cœlum fruendam. *Eph.* I. 3. I *Pet.* I. 4. Et singulariter, post Christi in cœlum ascensionem, nos è cœlo exspectare secundum Christi adventum. *Phil* III. 20.

XII, Ascensus & descensus è cœlo *Proverb.* XXX. 4. *Exod.* XIX. 18. *Nehem.* IX. 13. non notat Essentiæ Dei facultatem Locomotivam, aut ejus migrationem è cœlo in montem Sinai; sed manifestationem virtutis divinæ extra ordinem operantis in cœlo vel in terra.

XIII. Sin, ex hypothesi, descensu locali datur migratio essentiæ Dei in terram, datur quoque intercisio Visionis illius qua *facies Patris* ab Angelis *in cœlo videtur* τὸ διὰ παντὸς *semper Matth.* XVIII. 10.

XIV. Rursus Dei essentia, ex hypothesi, migrante per ascensum localem in cœlum, verificatur oratio illa, quæ Atheismi charactere notatur, *Ezech.* VIII. 12. & IX. 9. *Dereliquit Dominus terram.* Quia est hoc antecedens istius consequentis ibidem expressum, *Dominus non videt nos.*

XV. Quod *Deus* dicitur alicubi *non fuisse* V. G. (quod ex I *Reg.* XIX. 11. 12 13. urget J. O.) *in Vento*, *in Terræ motu*, *in Igne*, quem persentiscebat Elias, id nullam notat Essentiæ Dei absentiam: neque absentia illa ex visione ejusmodi Prophetæ oblata magis concludi potest, quam ex visione oblata *Esai.* VI. 1. verè Deo tribui possunt aut debent vestes fimbriatæ.

XVI. Verum ad locum I *Reg.* XIX. 11. 12 13. pressius respondemus, quamvis id Interpretes negligant, non esse in Hebraica veritate adjectum Verbum substantivum, sed tantum scriptum לא יהוה / *non Jehovah*; ac consequenter nihil cogere, ut fiat enunciatio secundi adjecti, per quam absolutè dicatur *Jehova non fuisse in Vento*, *in Terræ motu*, *in Igne.* Æque proclive est facere enuntiationem tertii adjecti, per ellipsin verbi מדבר hoc pacto, Deus in vento, in Terræ motu, in igne, *non fuit loquens.* Quemadmodum potior videri potest *Hebr.* XII. 25. verborum τὸν ἀπ᾽ οὐρανῶν interpretatio, juxta versionem utramque *Gallicam Genevensium*, *qui è cœlis loquitur*, quam juxta aliorum versiones illa, *qui è cœlis est.*

XVII. Quod hic miſcetur de locis ſpurcis, quaſi τὸ οὖρος aut ὁ κόπρος non ſinant nos de Dei eſſentia ubique præſente ſanctis eſſe cogitationibus, ſi quem hoc movet, cogitet ille, non eſſe hic magnopere de reſponſione laborandum, cum nullus ſit contactus quo Deo ſe affricet corpus purum vel impurum. *Spiritus enim eſt Deus Joh.* IV. 24. Deinde cogitet, ſi propter iſta jam dicta vacillat Eſſentiæ Dei omnipræſentia, annon una ruat novimeſtris Chriſti θεανθρώπου geſtatio in utero, & partus, à quo Purificatione Legali opus erat: denique an ſancte cogitare liceat de unione Deitatis Perſonali, ſine locali à corpore Chriſti non glorificato diſtantia. Atque hoc Anti-Trinitarium virus exiſtimamus latere ſub ſpurca hac objectione.

XVIII. Nodum autem hunc, ſicut etiam alterum de Dei præſentiâ, in ſpeciem abſurda, in igne inferni, ſolvit Eſſentia Dei Spiritualis nec viſibilis nec palpabilis, de qua Diſputatione ſequenti.

DISPUTATIO QUARTA.

DE

Dei Inviſibilitate.

CHriſtus, Deum deſcribens nomine *Spiritus Joh.* IV. 24. πνεῦμα ὁ Θεὸς, *Deus eſt Spiritus*, docet eſſentiam Dei ἀσώματον incorpoream & immaterialem; quæ extra controverſiam caret craſſâ illa compoſitione ex partibus integrantibus, quæ eſt naturæ corporeæ imperfectio, quod habeat partem, ſua quantitate menſurabilem & loco circumſcriptam.

II. Infinita Spiritus Infiniti Simplicitas à Dei eſſentia removet non tantum palpabilem illam partium integrantium, ſed quamcunque vel ſubtiliorem partium eſſentialium compoſitionem: quin & ſubtiliſſimam illam, quæ ſita eſt, vel in concretione ſubjecti & accidentis, vel in coalitione naturæ univerſalis, quovis tempore poſſibilis, cum natura particulari, ad actum eſſentiæ ſpecificum, & exiſtentiam in tempore individuam.

III. Breviter quidquid ſupponit vel poſſibilem Deitatis ſeu Naturæ & eſſentiæ Dei multiplicationem, hoc perimit Scriptura generatim (ſuppoſita Dei infinitate & unitate) Spiritus appellatione: ſpeciatim autem, & Immenſitatis attributo, &, de quo jam dicendum, Inviſibilitatis.

IV. Inviſibilitas Dei docetur teſtimoniis illis Scripturæ quæ teſtantur *Dei inviſibilia & Deum inviſibilem. Rom.* I. 20. *Exod.* XXXIII. 20. & 23. *Joh.* I. 18 *Col.* I. 15. I. *Tim.* I. 17. & VI. 16. I. *Joh.* IV. 12. Per quæ teſtimonia damnatur omnis veri Dei vel imaginatio *Anthropomorphitica*, vel effigiatio adumbrans ſubſtantiam Dei oculis corporeis viſibilem. *Rom.* I, 23. *Eſai.* XL. 18. 19. 20. & XLIV. 9. 20.

V. Enimvero per Synecdochen removetur non tantum unus ille ſenſus oculorum, ſed omnes etiam reliqui ſenſus animales externi, nec non interni,

terni, quorum nulli proportionabilis est Dei essentia, quippe solo intellectu, ab omnibus phantasmatis abstracto, cognoscibilis.

VI. Amplius hoc insinuant eadem testimonia illa, omnem vel maxime perfectam Dei essentiæ & attributorum cognitionem quæ in creaturam cadit, minime esse commensuratam infinitæ Dei perfectioni, neque comparabilem illi cognitioni infinitæ, qua solus Deus se ipsum cognoscit.

VII. *Mennonitæ* hic singulariter de Patre accipi volunt testimonia *Job* xv. 34. 1. *Tim.* vi. 16. & similia, non autem de Filio & Spiritu S. Ac pronunciat J.O. pudendo magis errore, quam est *Anthropomorphitarum* error, *Deo placuisse Johanni videndam exhibere Essentiam Spiritus S. in forma Columbæ, non tamen illam semper esse similem Columbæ. X. Art. Art.* III. §. 80. 81.

VIII. De Filii essentia quid idem monstri alat, dicendum in loco de Incarnatione. Vel nullam certe credit Divinam Filii essentiam, vel in Carnis Christi forma visibilem, quippe Christo mortuo mortuam.

IX. Merentur hæc censuram illam Apostolicam, quam strinxit contra Gentilium Idololatriam *Rom.* I. 22. 23. quia mutatur gloria incorruptibilis Dei essentiæ in efformatam imaginem, modo hominis mortalis, mox volucris columbæ.

X. Neque hic elabi potest J. O. pronuncians Essentiam Spiritus S. videndam exhibitam in forma Golumbæ. Cui ad locum *Luc.* III. 22 quem huc torquet, respondemus, Columbæ εἶδος σωματικὸν non pinxisse ipsam essentiam Spiritus S. quod est absurdum, sed innocentiam Christi unctione Spiritus S. Christo obsignatam & confirmatam: juxta illud, *innocentes ut Columbæ Matt.* x. 16. Qui secus hic sentiat, næ is cogetur statuere, vel Spiritus S. ad tempus Trans-substantiationem in columbam, vel saltem corporis columbini cum Spiritu S. unionem hypostaticam. Utrumque portentosum.

XI. At neque Patris Essentiam absolutè Invisibilem categoricè confitentur auctores *Confess. oppos. Faukelio*, sed invisibilitatem Essentiæ Patris tantum referunt ad *nostram in hac vita visionem. pag.* 44. *&* 66.

XII. Incidendi hujus erroris nervi, quem cum *Conr. Vorstio* hic errant illi *Mennonitæ*; ille enim asserit futurum ut *externa oculorum quoque inspectione*, qua videamus *Dei Substantiam facie ad faciem*, constet *magna futuræ nostræ felicitatis pars*. Vide *Librum Vorstii de Deo pag.* 200. 201. *&* 237.

XIII. Nervorum incisione alia non est opus hic, quam isthoc indicio; erroris istius efficacia *Vorstium* non vereri *Deo etiam corpus adscribere, & Deum dicere corporeum.* Quod frustra satagit palliare latiori *Corporis* significatione, qua *Spiritum sub Corpore tanquam Speciem sub Genere* comprehendit.

XIV. Errorem enim de Deo cumulat errore alio; pronuncians eo pacto, *cum nonnullis veteribus Angelos, & cum Bodino etiam Animas humanas corporeas dici posse.* Perimitur eo pacto revera & finitæ & infinitæ Spiritualis essentiæ τὸ ἀόρατον, seu invisibilitatis perfectio.

XV. Verum destruit quoque eo pacto *Vorstius* suam alteram hypothesin, qua monstrosam asserit futuram elevationem corporum nostrorum in futura vita

ra vita

ra vita supra suam naturam: qua fingit ad videndum Deum invisibilem *nos habituros corpora spiritualia, absque carne & ossibus & sanguine*. Quæ quidem assertio perimit resurrectionem carnis.

XVI. Quod à Johanne dictum objicitur; *videbimus eum sicuti est* 1. *Joh.* III. 2. non existimamus dictum de Persona Patris; sed de Filio; ac notari singulariter futuram in vita æterna visionem & inspectionem gloriosi corporis Christi. Quam non negamus futuram partem aliquam felicitatis nostræ, qua in æternum satiabitur etiam oculorum desiderium.

XVII. Indocte, & crassa de natura Angelorum hæresi (ad probandam visionem Essentiæ per externam oculorum inspectionem) adfertur *Visio Angelorum* qua dicuntur *Dei faciem videre Matth.* XVIII. 10. Omnis enim Angelorum visio illa est Intellectualis contemplatio divinorum attributorum. Et est quamvis nostræ cognitionis modulo perfectior, minime tamen absolute perfecta, aut Dei comprehensiva, cognitio Dei: talis enim in creaturam non cadit.

XVIII. Quod de nobis dictum, *tunc autem videbimus de facie ad faciem* 1 *Cor.* XIII. 12. item *& videbunt faciem ejus Apoc.* XXII. 4. hoc accipiendum de perfectiori in futura, quam in hac vita, cognitionis intellectualis modulo; quando efficiemur ἰσάγγελοι, *Angelis pares. Luc.* XX. 36. *Matth.* XXII. 30.

XIX. Phrasis illa, *de facie ad faciem*, neque hic, neque quando Moses à Jehova *cognitus facie ad faciem Deut.* XXXIV. 10. dicitur ipse *Deo locutus facie ad faciem Num* XII. 8. aliud quid significat, quam familiare absque internuntio sermonis commercium: quod evidens est ex collatione *Exod.* XXXIII. 11. ubi alloquutio dicitur Mosi facta à Deo facie ad faciem, *sicut solet homo loqui ad amicum suum*.

XX. Breviter ergo, illis testimoniis, quibus Deus dicitur esse *Invisibilis, Deum nemo vidisse unquam, nec videre posse*, ut qui *habitat lucem inaccessam*; primum & ex principali scopo docetur cognitionis Dei intellectualis inscrutabilis & imperverstigabilis profunditas *Rom.* XI. 33. Secundario autem id quod ad literam expressum est, Dei essentia Spiritualis, infinita, nulli externæ oculorum inspectioni proportionata, nec in se, nec imaginis alicujus specie. *Deut.* IV. 12. 15. 16. *&c.*

COROLLARIA.

AN Angeli beati & Sancti ἰσάγγελοι Deum videant aut visuri sint unquam, visione ejusmodi intellectuali, quæ immediate apprehendat essentiam Dei? *Negamus.*

II. An ergo in rigore vera sit recepta distinctio inter Cognitionem Dei Apprehensivam & Comprehensivam? R. Si quando cum *Scholasticorum* vulgo sic loquantur Orthodoxi, hoc volunt, nullam dari posse in creato Intellectu Cognitionem Dei à priori, sed tantum à posteriori.

III. An *Theologia Archetypa* recte vulgo definiatur *cognitio qua Deus cognoscit se*

scit se ipsum, quæ re ipsa non differt à Dei essentia? *Negamus*: est enim non infinitus, sed à Deo libere definitus τύπ@ ἀρχῆς, ut imago Dei à Deo creanda in creatura intellectuali. Quæ nisi ut liberè decretum & definitum objectum Scitum, à Scientia Dei & Sciente Deo distinguatur, sequetur Enthusiastica naturæ creatæ Deificatio, quæ fingitur per monstrosam Essentiæ divinæ, & personæ Verbi æterni, participationem.

IV. An *Theologia Animæ Christi in his terris* fuerit æqualis illi cognitioni Dei, quæ *Theologia visionis* dicitur? *Negamus.*

V. An in agonia Christi patientis, per visionem Dei beatificam, immunis ab interiori doloris spiritualis sensu fuerit Anima Christi, affecta tantum per sympathiam seu consensum, à corporis exquisitis doloribus? *Negamus.*

VI. An Beati Angeli & Sancti, videndo Deum in cælis, videant reliqua in ipso tanquam in speculo; quæ est Pontificiorum hypothesis in disputatione de Sanctis & Angelis invocandis? *Negamus.*

DISPUTATIO QUINTA.

DE

Essentiæ Dei Immutabilitate.

QUandoquidem testimonium illud Johannis, *Verbum Caro factum est Joh.* I. 14. Anabaptistæ nolunt accipere hoc sensu Orthodoxo, quod λόγ@ carnem assumpserit, atque sibi univerit unione hypostatica, subvertunt cum attributis Immensitatis & Invisibilitatis, etiam Essentiæ Dei Immutabilitatem, ac consequenter veram Æternitatem.

II. Vera & propriè dicta Æternitas (quæ solius Dei est per necessariam existentiam, quæ ἄναρχ@ est & ἀτελεύτη@ principium & causam non habens) est Duratio Infinita, quæ omni termino & mutatione necessario caret. Unde dicitur *à seculo in seculum Deus Psal.* XC. 2. *primus & ultimus Esai.* XLIV. 6. & XLVIII. 12. Idem permanens, absque transmutatione, & absque mutationis obumbratione. *Jac.* I. 17. *Psal.* CII. 27. 28. *Hebr.* I. 11. 12.

III. Ad præsentem Disputationem facit observatio necessaria, quod illa omni termino & mutatione carens æternitas, Jehovæ vero Deo Israëlis asserta, antequam Verbum Caro factum est, locis jam indicatis *Esa* XLIV. & XLVIII. & *Psal.* CII. Christo vindicatur *Apoc.* I. 11. 17. & *Hebr.* I. 8. 10. Ut credendus sit Christus esse ipse ille Jehovah, Æternus & Immutabilis, essentiæ suæ duratione absolute Infinita.

IV. Immutabilitatis autem modus singularis est veræ Deitatis Christi Immortalitas, quæ ponit, cum necessaria existentia divinæ essentiæ, vitam

tam necessario existentem, cum morte minime commutabilem. Hanc docet Scriptura, Deum verum à Diis non Diis discernens indigitamento *fontis vitæ & aquæ vivæ Psal.* XXXVI. 10. cum *Jer.* II. 13. & *Dei viventis Jos.* III. 10. *Heb.* X. 31. I *Tim.* VI. 17. & Deus jurans per seipsum hac formula, *vivo ego*; & *Sancti* jurantes per ipsum, *Vivit Jehovah*. Denique Scriptura asserens soli Deo ἀθανασίαν *Immortalitatem* I *Tim.* VI. 16.

V. Ab hoc immortalis vitæ fonte in Essentia suæ Deitatis, etiam Christus dicitur ipsa *vita æterna*, & verus ille *vivens Deus*, qui mortuis idolis in Scriptura opponitur. I *Joh.* I. 4. *&* V. 20. Et, *nec initium dierum habens nec vitæ finem. Hebr.* VII. 3.

VI. Hanc Immutabilem Immortalem Christi Deitatem, per efficaciam erroris, quidquid dissimulent *Anabaptistæ* in *Confessione oppos. Faukelii*, inficiantur ejusdem Confessionis socii: quam Gangrænam, jam post assertam veritatem, suffecerit indicasse. Anabaptistica itaque æquivocatione interroganti *Faukelio* respondent, sic ut non videant idiotæ profunda Satanæ: *mansisse in Incarnatione Christum id quod erat, Deum & Dei Filium, sed factum esse id quod non erat, Hominem & Filium Hominis.* Et mox: *Christum in Persona una esse verum Deum & Dei Filium, nec non verum Hominem & Filium hominis. pag.* 99. 100.

VII. Tantum verba se dare produnt ipsi, quando *pag.* 115. *&* 116. negant *hoc pacto Christum hominem factum, ut, in solidum,* in sijn geheel/ *manserit Filius Dei, sicut fuerat ab æterno, invisibilis, Impassibilis & Immortalis.*

VIII. *Deitatem* scilicet *seu divinam naturam Christi*, quæ manserit non mutata, quando Verbum Caro factum est, describunt *Habitu seu Qualitate bonitatis, sanctitatis & innocentiæ, in Christo existente. pag.* 117. 133. 134. *&* 135.

IX. Confessionis illius socius *J. O.* categoricè *negat, quando Christus fuit homo mortalis, fuisse in ipso Essentiam divinam Invisibilem & Immortalem X. Art. Art.* I. § 24. *Habuisse autem* affirmat *Vitam tantum unicam, illam quam posuit pro ovibus suis; quæ etiam fuit vita corporis ejus. Art.* I. § 34 IX. § 24. Non *fuisse itaque Patri aut æqualem aut similem in Essentia & forma Art.* I. §. 31. IX. §. 36.

X. Idem negat in loco illo I *Tim.* III. 15. ubi Christus dicitur *Deus manifestatus in carne, nomen illud Deus posse accipi pro Essentia Invisibili. Art.* IX. §. 52. 53 *Sed Verbum æternum quod Spiritus ante erat, factum* dicit *Visibile & Palpabile. Art.* IX §. 55.

XI. Idololatricè porro asserunt; *Secundum illam Deitatem*, non Deitatem, *Christum omni divino honore dignum, eumque ipsi etiam ab Angelis & Hominibus deberi. Auctores Confess. oppos. Faukelio pag* 117 *&* 135. Et J.O. *Martham ipsum confessam esse Viventis Dei Filium secundum humanam ipsius essentiam: atque hoc facere ad Dei gloriam, ut ipsum secundum humanam essentiam confiteamur Deum & Dei Filium Art.* IX. §. 64. Idem; *Christum se adorandum exhibuisse secundum humanam suam essentiam: quod secundum humanitatem Deus sit cum Patre: Art.* IX. §. 66.

XII. Ex

XII. Ex iſta hæretica vertigine torquet oraculum *Eſai.* XL. 9. 10. *Dic civitatibus Jehudæ, ecce Deus veſter. Art.* IX. §. 73. 76. Viſus ſcilicet fuit mutata Deitate inviſibili in viſibilem Deus Chriſtus in civitatibus Judæ. Atqui detorſionem iſtam non patitur oraculum illud, quia veri Dei nomen vere proprium Jehova *verſu* 10. ſicut ante *v.* 3. Chriſto tribuitur, quod non habet aliam notationem, quam Eſſentiæ illius æternæ & immutabilis per quam Pater ipſe Deus eſt: quod proinde Chriſto ſecundum carnem tribui nequit, & omnino non tribueretur ſi ex hypotheſi tantum unam carnis eſſentiam & vitam in ſe haberet. Quapropter viſus eſt Deus in civitatibus Juda, non in Eſſentia illa, à qua dicitur Jehovah, mutata in carnem viſibilem, ſed per demonſtrationem adventus Meſſiæ in carne viſibili, hypoſtaticè unita eſſentiæ æternæ immutabiliter inviſibili.

XIII. Ex eadem Fidei Analogia intelligendum illud Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, *Deus manifeſtatus eſt in carne.* 1 *Tim.* III. 15.

XIV. Et ἀναλόγως, quamvis propter unionem hypoſtaticam, ſit quædam etiam carnis & humanæ naturæ Chriſti excellentia illi propria, quæ neceſſario etiam incurrit & mentibus obverſatur quando adoratur religioſè Chriſtus: non mutavit tamen illa in Novo Teſtamento, antiquum adorationis religioſæ Objectum ſpirituale ἀσώματον, quod Deum Jehovam ſalutabant Patres in Veteri Teſtamento. Neque fecit ullo pacto carnem ſeu humanam eſſentiam Chriſti adorabilem aut adorandam.

XV. Verum in eo tantum ſita eſt illa carnis Chriſti excellentia, quæ in religioſa Chriſti adoratione mentibus obverſatur, quod in carnis Chriſti templo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & in carne ut in templo ſuo adoranda ſit; quamvis non cum carne. Quemadmodum olim in typo, non templum cum Deo Iſraëlis, ſed Deus templum inhabitans in templo adorabatur. Vide *Job.* II. 21. *Coloſ.* II. 9. *cum Matth.* XXIII. 21.

XVI. Quod autem idololatricæ adorationi Chriſti ſecundum humanam Eſſentiam, propter *naturam* quam vocant *divinam, Bonitatis Sanctitatis & Innocentiæ,* obtenditur, *Chriſtum ſecundum humanitatem* dicendum *Deum & Dei Filium,* falſiſſimum eſt: neque hic largiendum quod imprudenter Theologi Orthodoxi nonnunquam largiuntur, *Chriſtum aliquatenus dictum Filium Dei unigenitum ſecundum humanitatem propter gratiam conceptionis è Spiritu S.*

XVII. Nemini tamen Orthodoxo hoc largienti in mentem venit, quod contra conſenſum Orthodoxum & contra Scripturas pronunciant *Remonſtrantes Apol. cap.* II. *fol* 48. *Nihil falſius eſſe quam ut unicam tantum Deitatis communicationem Chriſto tribuat Scriptura,* ſcilicet per æternam generationem.

XVIII. Neque quando cum *Melanchtone, Urſino, Ameſio,* admittitur adoratio Filii Dei ſub illo formali quâ Mediator eſt, (quæ admittenda eſt, quia imperata *Heb* IV. 14. 15. 16.) conſequitur, quod impiè pronunciant *Remonſtrantes,* ut argumentum pro vera Deitate Filii ab Adoratione ejus imperata *plumbeum ſit, neque eo amplius pugnandum. Apol. pag.* 155.

 Quia

Quia sub quocunque formali, seu quacunque *ratione formali sub quâ*, adoretur Christus, sive ab Angelis quâ Creator, sive ab hominibus quâ Mediator, unica tantum & constans est in Christo *ratio Formalis*, *qua* adoratur persona divina, & *ratio Formalis*, *qua seu per quam*, vera æterna & Immutabilis Deitas.

DISPUTATIO SEXTA
DE
Filiatione Christi Divina.

Asserenda est in præsens vera Filiatio Christi Divina, à qua est verè Dei Filius, ut solidius explicetur contra Gangrænam Theologiæ Anabaptisticæ, & contra quoscunque, Unionis Hypostaticæ in Persona Filii Dei τὸ ἀτρέπτον καὶ ἀσύγχυτον, mysterium sine mutatione & sine confusione naturarum constans; præmissis de Persona Patris nonnullis Hypothesibus.

II. *Patris* nomen Filio correlatum, notione impropria relata ad Creaturas Deo vero tribuitur *Esai*. LXIV. 8. *Jer*. III. 4. Qui saltem concipitur esse Persona intelligens, volens, operans; nec posse esse substantia carens sua subsistentia, sive credatur sive negetur Personarum Trinitas; & quidem esse Persona, illa ipsa impropria Patris notione, prior omni Persona creata: absque enim Personalitate non existit naturæ intellectualis substantia.

III. De Nomine autem *Patris*, in Christiana religione ad Christum ut Dei Filium relato, fides orthodoxa est; non esse intelligendum notione ista communi & impropria ad creaturas relata, sed propriâ, ut significans Primam Deitatis Personam, quæ sola per æternam ac naturalem divinæ Essentiæ primam communicationem in se Filium unicum genuit.

IV. Hac notione propria Christum sibi asserere Deum Patrem πατέρα ἴδιον *Patrem proprium*, probè intellexerunt Judæi, ac consequenter illum se facere Filium Dei, Patri parem & æqualem: quamvis id improbe acciperent ut blasphemiam. *Joh*. V. 17. 18.

V. Actionem Patris Personalem statuimus *Generationem* Filii sibi æqualis: de qua necessariò intelligendum est oraculum illud, *Filius meus es tu, hodie genui te*. *Psal*. II. 7. Illa enim alloquutione Paulus asserit Christo tributum Filii nomen, cum supereminentia illa, ut hoc nomine ipsis Angelis excellentior sit, hæres ac Dominus omnium declaratus. *Heb*. I.

VI. Filium sibi æqualem generare non potuit Persona divina prima, nisi per æternam ac naturalem divinæ essentiæ communicationem in se: quia quicquid aliud concipi potest cogitatione, erit actio ad extra voluntatis liberè agentis, supponens ad ejus qui Filius dicetur existentiam creationem

tionem ex nihilo, cum aliquo temporis initio: atque sic negata æternitate perimitur æqualitas cum Deo.

VII. Aliud ergo à Generatione æterna, & illa posterius quid, est Prædestinatio Filii Dei illa, de qua *Petrus Epist.* 1. *cap.* 1. 20. Vide *Disp. II. Thes.* I. IX. X.

VIII. Sanctificatio quoque & missio qua Pater Filium *sanctificavit & misit in mundum Joh.* X. 36. non fundat relationem Patris ad Filium, nec Deitatem Filii, sed fundatur in illa, atque illam demonstrat à posteriori; quia ad munus Mediatorium mitti & sanctificari non potuit, qui non esset coæternus & coessentialis Patri mittenti.

IX. Nulla est itaque Personæ primæ in natura divina *majoritas* relata ad Filium, sed tantum ordinis *prioritas*. Et omnis illa Majoritas, de qua loquitur Christus *Joh.* XIV. 8. *Pater est major me*; & quam notant loca illa, quæ Patrem dicunt *Deum Christi Joh.* XX. 17. *Caput Christi* 1 *Cor.* XI. 3. & *Filium Patri subjiciendum* 1 *Cor.* XV. 28. relativa est ad naturam humanam à Persona Filii assumptam.

X. Filius itaque Dei ἀναλόγως, ipsa Filii Dei notione, intelligitur esse secunda Persona genita à prima, ut à subsistentiæ origine, non essentiæ causa, per æternam ac naturalem essentiæ communicationem primam, qua Pater & Filius unum sunt, Pater Filio, & Filius Patri immanens & coæqualis.

XI. Generationis Filii modus, quo ille à Patre genitus est, proprio suo charactere, quo in se distinguitur à processione Spiritus S. arcanus est: ejusque tantum τὸ ὅτι infallibiliter cognoscitur, ex prioritate qua Filius in Trinitate est persona prior persona Spiritus sancti. Quam prioritatem Generationis demonstrat unitas utriusque termini, quia non sunt duo in Trinitate unius Filii genitores, neque unius genitoris duo Filii, sed & unicus filius ἀμήτωρ. à solo non conjugato Patre Unigenitus. *Joh.* I. 14. & III. 16. *Hebr.* VII. 3.

XII. Extra æternam illam, processione Spiritus S. priorem ordine, Generationem nulla est vera Deitatis cum Filio à Patre communicatio, adeoque nulla vera & propria Filii à Patre Generatio, nulla vera & propria Filiatio, præter illam, à qua dicitur Filii *exitus esse ab antiquo à diebus seculi Mich.* V. 2. ipse *ante colles genitus Prov.* VIII. 22. 23. *extitisse in principio Joh.* I. I. *ante omnia Coloss.* I. 17. esse *primogenitus omnis creaturæ* πρωτότοκος πάσης κτίσεως *Col.* I. 15. h. e. genitus ante omnem creaturam & creationem, & *primogeniti* titulo *hæres & Dominus omnium Hebr.* I. 6.

XIII. Si largiendum esset, quod absque necessitate ulla imprudenter Orthodoxi admittunt, impropria notione Scripturam etiam appellare Christum Filium Dei secundum naturam humanam: nemini tamen Orthodoxo hoc in mentem venit, illa impropria notione Filiationis intelligendum esse novam Deitatis communicationem, ob quam Christus novè Patrem vocet τὸν ἴδιον πατέρα *Patrem proprium Joh.* V. 18. & ipse novo titulo dicendus fuerit ἀληθῶς *vere Filius Matth.* XIV. 33. & ἴδιος *proprius Filius Rom.* VIII. 32.

 XIV. Nos

XIV. Nos asserimus, omnem in Scripturis denominationem Filii Dei esse tantum à vera & propria Christi à Patre generatione æterna, jam asserta, & nullam esse Deitatis communicationem, neque Filiationem divinam. I. Neque in Christi productione ex utero Virginis *Luc.* I. 32. 35. II. Neque in sanctificatione & missione in mundum *Joh.* X. 35. 36. III. Neque in suscitatione ex mortuis, & ex terra veluti ex utero altera eductione in vitam *Act.* XIII. 32, 33. IV. Neque in Collocatione ad dextram Patris *Hebr.* I 4. Sed esse illas totidem demonstrationes & assertiones iteratas unius æternæ generationis, & Deitatis semel per æternam generationem Filio communicatæ.

XV. Productio quidem ex utero Virginis, per miraculosam Spiritus S. operationem, ne quidem impropria notione, videtur esse aut dici debere Filiatio nova, qua dicitur Christus Filius Dei unigenitus: quia ex illa hypothesi dicendus esset Filius Spiritus S. quod inauditum est & præposterum.

XVI. Sed neque à Gratia Unionis Personalis facta humanæ naturæ Christi in conceptione à Spiritu S. nova existit Christi Filiatio, sed tantum hoc effectum est, ut Persona illa (quamvis denominata Filius hominis à natura nove assumpta, tamen) propter ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως unitam naturæ assumptæ naturam divinam, ab hac etiam denominetur Filius Dei, ἀτρέπτως.

XVII. Falsissimum autem est, & perimit, necessaria & immediata consequentia, omnem veram Deitatis communicationem in Generatione Filii æterna, quod hic *Remonstrantes* affirmant; Deum Patrem Filio suo unigenito Deitatem suam altero modo communicasse per gratiosam divinæ Potestatis ac gloriæ supremæ communicationem, atque illo communicationis gratiosæ modo, tanquam Filiatione nova, Christum demum post resurrectionem, & sessionem ad dextram accepisse illud Filii nomen, quo Angelis præstantior est; de quo Apostolus *Hebr.* I. 4. *Apol. cap.* II. *fol.* 48. 49.

XVIII. Aut nulla est ante omne temporis initium ab æterno Filiatio Christi divina, aut cum Filiatione æterna est ab æterno nomen illud, quo Christus Angelis præstantior est, quod *Psal.* II. 7. & *Prov.* XXX. 4. expressum est: ut nulla in tempore nova Filiatione Christo quæsita sit nominis Filii excellentior Angelis κληρονομία.

XIX. Est illustris locus ille *Hebr.* V. 8. καίπερ ὢν υἱός, *quamvis esset Filius, tamen ex iis quæ passus est didicit obedientiam.* Ex quo discimus Christum Filium dici, non in illa servi forma assumpta in qua patiendo obedientiam didicit ac præstitit Patri: alias ridiculum esset Axioma discretum, verbis illis conceptum & enunciatum; *Quamvis esset Filius.* Si enim Filius dicatur secundum humanam naturam, ex hypothesi, certe quâ Filius Deo debet obedientiam. *Malach.* I. 6. Jam quandoquidem præter rationem illam formalem quâ Filius est, & per se Filio inconveniens esse indicatur obedientia: necessario intelligitur Christus Filius Patri coæqualis absque

ulla

ulla ὑποταγῇ seu subjectione ad obedientiam, quam nec præstitisset nec præstare potuisset, nisi assumpsisset, cum Filius esset, formam servi.

DISPUTATIO SEPTIMA
DE
Deitate Christi Patientis & Resurgentis.

PEr Gangrænam Theologiæ *Anabaptisticæ* hactenus indicatam, circa Incarnationem Filii Dei, tollitur & unionis hypostaticæ τὸ ἀσύγχυτον καὶ ἄτρεπτον, mysterium sine confusione & Mutatione utriusque naturæ, & quod ab initio vidimus, unitas Essentiæ veri Dei, ejusque loco substituitur Unitas Voluntatis & Operationis, quod profiteri non veretur J. O. *Art.* I I I. § 48.

II. Enimvero hic se exserit Spiritus contradictionis, per quem modo ajunt modo negant homines indocti & instabiles. Negata enim Unitate Essentiæ Patris & Filii, & negata in Christo cum *Monotheletis* alia atque alia Voluntate, Unitas revera nulla est *Voluntatis*, qua Pater & Filius unum sint: neque illa proprie dicta unitas *Identitatis*, quam credunt Orthodoxi, neque altera improprie dicta unitas omnimoda *volitionis* consentientis *in idem*, qua semper idem voluerint idem noluerint Pater & Filius.

III. Certe si non aliam atque aliam in Filio ipso voluntatem demonstrari patiuntur *Anabaptistæ*, contra *Monotheletas*, contra ipsos saltem demonstratur non una sed alia atque alia voluntas Patris & Filii ex *Joh.* V I. 38. *Descendi è cœlo ut faciam non Voluntatem meam, sed Voluntatem ejus qui misit me*: & ex precatione illa Christi in agonia, *veruntamen non mea voluntas sed tua fiat Luc.* X X I I. 42. *Non ut ego volo sed ut tu vis Matth.* X X V I. 39. *Non quod ego velim, sed quod tu. Marc.* X I V. 36.

I V. Unitas vero Patris & Filii in divina operatione, qua scilicet absque Essentiæ unitate se exserit unitas Voluntatis in gubernatione & sustentatione universi, & in mortuorum excitatione, (à qua secundum sectæ *Anabaptistarum* Flandricæ hypotheses Filius creditur unus cum Patre Deus) intercisa saltem quando Filius mortuus fuit: non enim potuit cum Deo vivente unus esse ne quidem Operationis unitate, extra Essentiæ divinæ unitatem, Deus ille, ex hypothesi, in essentia sua mortuus.

V. Intercisionem illam Unitatis omnis, ut non fuerit in morte sua Filius unus cum Patre Deus, nec Essentia nec Operatione, evincit eorundem assertio de Christi Resurrectione, *non excitasse Christum se ipsum ex mortuis J. O. Art.* X. § 77. 80. 82. 83. Et auctores *Confess. oppositæ Faukelio* non verentur pronunciare, contra Fidem orthodoxam, qua creditur Filius operans à Patre ut Patri ὁμοούσιος, Deitatis immortalis robore, corpus suum mortuum vivificasse, *se talem Christum in Scriptura descriptum non invenire. pag.* 130.

VI. Co-

VI. Contradictionis κρίσεως prætextus est in illis Scripturæ locis, quæ Patri adscribunt excitationem Christi ex mortuis: annotant autem *Act.* III. 15. & X 40. & II. 24. *Rom.* VI. 4 *Eph.* I. 17. 20. De quibus respondemus; non posse non Patri adscribi operationem illam divinæ omnipotentiæ, siquidem Pater & Filius unum sunt essentia: & similiter non posse non adscribi Filio. Sed interesse ad Fidem Salvificam, ut Patri adscribatur, non sola omnipotentiæ, quæ Filio communis est, communi operatione, sed etiam Personali illa œconomia, qua Filius cum subjectione sub Patre in forma servi exsequens munus Mediatoris, debuit à Patre damnari in carne pro nobis, & postquam damnationis judicio satisfecit, in justificationis testimonium excitari à mortuis, non potenter tantum, sed jure etiam judicii. *Rom.* IV. 25. *cum Esai.* L. 8.

VII. *Anabaptistarum* autem abnegationi talis Christi, qui Deitatis suæ robore ipse corpus suum mortuum vivificarit, opponimus ipsius Christi affirmationem *Joh.* II. 19. *Solvite templum hoc, & ego intra triduum illud excitabo.* Quod de corpore Christi excitato in resurrectione ipsius à mortuis intelligendum, & secundum Scripturas creditum, dictat Euangelista, *vers.* 21. 22.

VIII. Locum hunc *sibi* δυσνόητον *intellectu difficilem* profitetur *J. O. Art.* x. §. 78. scilicet ut illum liberè torqueat homo indoctus & instabilis; quem nec torqueri, nec jam δυσνόητον esse patitur commentarius Euangelistæ planus & perspicuus.

IX. Obmurmurat ille, *non esse conveniens Scripturarum analogiæ, ut qui in Templo habitat, & vivus manet, Templo destructo, ipse propter Templi ruinam mortuus dicatur. Art.* x. §. 77. At nullius momenti hoc est, ac nullo negotio refellitur ex phrasiologia Scripturæ, quæ hominis mortem, in qua viva manet anima, vocat *Tabernaculi depositionem* 2 *Pet.* I. 14. *dissolutionem tabernaculi terrestris hujus domus nostræ* 2 *Cor.* v. 1. & quidem hanc ipsam ob causam, quod cum domicilio corporis anima morti non succumbat. *Matth.* x. 28. Est ergo manifesta Scripturarum analogia, quam ille temerè negat.

X. Altera illius evasio hæc est, *Christi corpus non fuisse Templo externo figuratum, sed Ecclesiam: quæ etiam Corpus Christi* 1 *Cor.* XII. 27. *& Templum Dei nominatur.* 1 *Cor.* III. 16. & VI. 19. Respondemus per retorsionem, si hoc pacto per Templum figurata est Ecclesia, ut etiam corpora membrorum Ecclesiæ appellentur ab Apostolo *Templa* 1 *Cor.* VI. 19. quidni eâdem allegoriæ analogia, Corpus suum Templum nominarit, qui Caput est corporis mystici Ecclesiæ? *Eph.* I. 22 23. 1 *Cor.* XI. 12. Et hic homo instabilis sui oblitus videtur, exponens locum *Col.* II. 9. *in ipso habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter*, hac paraphrasi, *per Inhabitationem illam in Christo impletas omnes Figuras.* Ergo, velit nolit, Figura quoque habitationis Dei in Templo *Matth.* XXIII. 21. impleta est.

XII. Tertia evasio est ex *Hos.* VI. 7. *Vivificabit nos post biduum, & die tertio excitabit nos, ut per ipsum vivamus.* Quia scilicet de Ecclesia non de

corpore

corpore suo loquutus est Christus. Respondemus; ne quidem de Ecclesia apud *Hoseam* promissionem illam mysticè intelligendam, nisi statuatur in ipsa literâ prænunciatum, illud Promissionum omnium τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμήν in resurrectione Christi impletum, absque quo universim de tota Veteris & Novi T. Ecclesiæ salute actum fuisset. 1 *Cor.* xv.

XII. Locum jam vindicatum confirmat locus 1 *Pet.* III. 18. *Mortificatus carne, Vivificatus Spiritu.* Ubi Spiritus notat in Filio Dei Essentiam Spiritualem Deitatis, sicut 1 *Tim.* III. 16. *Hebr.* IX. 14.

XIII. Blasphema sunt quæ hic statuit J. O. Christo moriente in carne *Deitatem Christi passam & mortuam esse Art.* IV § 30. 31. 32. *Art.* v. 8. secus sentientes ait *edere verius abnegationem Salvatoris, quam Christianam confessionem. Art.* v §. 9. Enimvero necesse est ut adoptet ille cum sociis istius Confessionis Judæorum blasphemias in Christum crucifixum istas; *Alios servavit servet se ipsum: serva temet ipsum. Luc.* XXIII. 35. 37. Sannis enim istis nihil opponi potest, si mortuus Christus, sicut alios vivificaverat, se ipsum vivificare non potuit.

XIV. *Auctores Confess. Faukelio oppositæ pag.* 116. hoc urgent; nisi per exinanitionem facta sit παθητὸς Deitas Christi, nos nequaquam Deo reconciliatos esse per mortem Filii Dei, sed per mortem hominis in eum finem assumpti à Filio Dei. Atqui contra Scripturas disputant, quæ Deitatem Christi patientis advocant non ad passionem ex infirmitate, sed ad sustentationem naturæ patientis, & ut vincere atque eluctari posset atque se ipse ex morte in vitam asserere 2 *Cor.* XIII. 4. *cum Esai.* LXIII. 5. eodem digito Dei, quo ejecerat dæmonia, etiam in morte sua triumphans illum qui habebat mortis imperium, & se ipse fortiorem demonstrans forti illo armato. *Matth.* XII. 28. *Luc.* XI. 20. *cum Hebr.* II. 15. *& Act.* II. 24.

XV. Apotelesma ergo Redemptionis nostræ non constat sola passione ex infirmitate, sed etiam gloriosa perpessionum victoria: cui intercessit quidem reconciliatio per sanguinem Filii Dei, sed qui non alio pacto est, vel esse potuit Filii Dei, quam per Unionem ἀσύγχυτον Hypostaticam naturæ humanæ cum divina: propter quam Unionem tamen per Communicationem idiomatum vere dicitur non Deitatis quidem, sed *Dei Filii proprius sanguis Act.* XX. 28. atque eo nomine dicitur τίμιον αἷμα *preciosus sanguis* 1 *Pet.* I. 19. cum extra Unionem illam sanguis meri hominis nullius foret precii ad Deum conciliandum. *Psal.* XLIX. 8. 9.

DISPUTATIO OCTAVA.

DE

Origine Carnis Christi ex Matre.

VEniendum ad *Anabaptisticæ* Theologiæ πρῶτον ψεῦδος, de Origine Carnis Christi; quam Orthodoxi Christo asserunt per naturalem carnis & sanguinis ex Adamo primo per matrem Mariam virginem participationem, & cognationem eo pacto remotam cum universo genere humano, propinquam autem cum Judæis: quam universim complectitur passim in Euangelio frequentata appellatio *Filii hominis.*

II. Quia hanc Filii hominis appellationem vident *Anabaptistæ* officere suæ hæresi, qua humanam ex hominibus originem carnis Christi inficiantur, torquent adeo præfracte, ut si ipsos audimus, non uno temporis articulo Christus factus sit Homo, & Filius hominis: tuetur enim ex ipsis non nemo, fuisse Christum Filium hominis antequam Homo esset. *Cuperus V. Art. §. 146.*

III. Alius est qui Christum affirmat factum Filium hominis, *per Traditionem in mortem J. O. Art.* VIII. § 94. Asseruerat §. 93 Filium hominis dictum, non quod ex hominibus homo sit, sed *quod ex amore hominibus donatus sit.* Alter autem ille sic ipse se interpretatur; Christum antequam factus est homo, genitum fuisse per fidem, atque eo pacto fuisse Filium hominum istorum qui faciebant voluntatem Patris cœlestis, manifesta nimis detorsione verborum Christi *Marc.* III. 33. 34. 35. quasi illic stabilita sola cum hominibus cognatione, causa regenerationis, omnem cum matre ipsa cognationem secundum carnem ejurarit.

IV. Nos credimus Christum Filium hominis similem cuivis Filio hominis *Apoc.* XIV. 14. adeoque illa notione dictum Filium hominis, quo *Marc.* III. 28. *& Eph.* III. 5. dicuntur *Filii hominum* homines qui ex hominibus habent carnis suæ originem. Quod porro confirmamus illis Scripturæ testimoniis quæ Christo asserunt originem carnis & immediatam ex Matre Virgine, & mediatam ex Patribus.

V. Originem Carnis Christi immediatam ex matre virgine testantur Scripturæ loca, quæ docent Christum esse *Semen mulieris Gen.* III. 15. *factum* γενόμενον *ex muliere Gal.* IV. 4. *ex ea genitum & natum*, γεννώμενον *Luc.* I. 35. ut fuerit vere καρπὸς τῆς κοιλίας *fructus ventris Mariæ. ibid.* 42. Quæ certe non sunt obscuritate aliqua involuta, per quam fiant δυσνόητα, sed plana & aperta, ut luce sua discutiant tenebras quas hic offundunt *Mennonitæ*, oggannientes de spiritualis mulieris spirituali semine, de Seminis foris illati à Spiritu S. conceptione in corpore Virginis per fidem; urgentes hic etiam vocem vernaculam Ontfangen / propter quam scilicet *Concipere* est *Accipere aliunde.*

VI. Jugu-

VI. Jugulant quoque ſuam ipſi evaſionem de Maria matre Chriſti Spirituali per Fidem, quando illud *Beata quæ credidit Luc.* I. 45. quod Chriſtus ipſe ſecernit à ſui in utero Mariæ geſtatione *Luc.* XI. 27. 28. ad illam in utero geſtationem advocant, & cum illa miſcent.

VII. Quod autem univerſim negant omne ſemen mulieris, & ἀφιλόσοφον eſt, contra Medicorum experientiam, & contradicit Scripturæ, quæ Saram divina benedictione fœcundatam aſſerit accepiſſe δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος, *vim ad dejectionem ſeminis. Hebr.* XI. 11.

VIII. Quod porro urgent Chriſti conceptionem ſanctam eſſe non potuiſſe ex Matris carne peccatrice, apud ipſos quidem reſponſione non eget: quandoquidem *Pelagiana* hæreſi negant naſci infantes cum vera peccati originis hæreditate. Secatur autem nodus per fidem operationis arcanæ Spiritus S. quæ interceſſit ut *ſanctum eſſet* τὸ γεννώμενον *quod ex Maria naſceretur. Luc.* I. 35. Quam nos, ſalvo aliorum judicio, definiendam cenſemus, nova creatione animæ Chriſti perfectè ſanctæ per quam ipſe factus eſt caput novæ creaturæ. *Rom.* XIII. 14. *Gal.* II. 7. *Col.* III. 10. *Eph.* IV. 24.

IX. Loca quæ detorquent pro *fructu ventris Mariæ*, ejuſque vera conceptione obtrudunt, carnem extra uterum Virginis formatam, & foris illatam atque inditam operatione Spiritus S. ſunt illa quæ docent Chriſtum *ſupernè è cœlo veniſſe Joh.* III. 31. VIII. 23. *Eph.* IV. 9. 10. *exiviſſe à Patre Joh.* XVI. 27. 28. *eſſe Panem illum qui de cœlo deſcendit, & Dominum è cœlo. Joh.* VI. *&* I *Cor.* XV. 47. De quibus reſpondemus, Chriſti adventum è cœlis, & deſcenſum, non notare originem cœleſtem carnis Chriſti, ſed tantum Perſonæ divinæ exinanitionem, qua ſuppreſſis majeſtatis cœleſtis radiis, in terra in utero Virginis carnem noſtram aſſumpſit.

X. Ad locum I *Cor.* XV. 47. peculiariter reſpondemus: quamvis Antitheſis illa *primus homo è terra terrenus* aliquo ſchemate videri poſſit flagitare aliam quam terrenam originem carnis Chriſti, tamen falli & fallere *Anabaptiſtas*, quia ex collatione verborum illorum *Gen.* III. 19 *pulvis es & in pulverem reverteris*, & ex iis quæ anteceſſerunt de ſeminatione corporis mortui in terra *verſ.* 42. 43. 44. apparet eſſe in Antitheſin crypſin, qua reticetur, quod maxime urgetur, hoc nimirum τὸ ἀσθενὲς Adami ex terra terreni, poſt ingreſſam cum peccato maledictionem, quod ipſi revertendum ſit in terram ex qua factus eſt, neque ipſe à morte & corruptione poſſit vindicare, & ſupra primam animalis vitæ conditionem aſſurgere, quæ caduca & tandem diſſolvenda eſt: Chriſtus contra, ut Dominus ipſe è cœlo, poſſit etiam carni ſuæ ſupra terrenam ejus originem, & vitam animalem, præſtare vitam immortalem è cœlis.

XI. Pro vera autem & in Scripturis determinata origine Carnis Chriſti ex carne matris, *Anabaptiſtæ* quid definiant neſciunt, unde, ubi, aut quando originem ſuam acceperit Caro Chriſti, an in cœlo, an extra Cœlum. Pronunciant autem alii cum *Mennone*, genitam à Patre *ex Patris ſubſtantia*, & craſſius, *ex ſemine ſui corporis. Menno Apol. cont. Micron. fol.* 94. 95. Alii ex ſemine Verbi æterni; Alii ex Spiritu S.

XII. Isthac discordia concordi negant cuncti *Mennonitæ*, Christum esse verum Mariæ Filium, aut Mariam Christi matrem. Et sunt qui cum hæresi illa (quam refutavimus *Disp. III.*) De Dei tantum in cœlis præsentia essentiali, asserunt Christum habuisse secundum carnem suam Patrem in cœlis, sed in terris fuisse sine Patre & sine Matre.

XIII. Cuncti illi Christo ipsi non tantum contradicunt, qui passim se dixit *Filium hominis*, sed & Scripturæ Euangelicæ quæ Virginem passim vocat *Matrem Christi. Matth.* I. *&* II. *&c. Luc.* I. 43. *& cap.* II. *& Joh.* II. *&* X. *Act.* I. 14.

COROLLARIA.

AN *quia Jesus ex Maria, jam Josepho maritata id est desponsata, operatione Spiritus S. genitus est, Jesus ad Josephum pertinuerit, non aliter quam ipsa mater jure matrimonii*, ut quemadmodum Maria vera uxor, ita Jesus esset verus filius Josephi? Affirmat *Episcopius* Dictatis ἀνεκδότοις *in Matthæi Cap.* I. 16. 17. Nos negamus, & demonstrabimus Disputatione sequenti, quamvis origo Carnis Christi ex Matre salva sit, tamen perimi Originem carnis Christi ex Patribus per Hypotheses, quibus Affirmatio nixa est. Sunt autem istæ, *Venter Mariæ & fructus ejus Josephi erat, etiamsi ei nulla ejus opera existat: Deo enim licet gravidare uxorem mariti cujuslibet pro arbitrio: cujus proinde Filium tanquam Dei donum maritus pro suo habere debet.*

II. Blasphema est πρόφασις Pontificiæ Mariolatriæ; Mariam habere in Filium Jesum jus Matris, quo possit ipsi jam in cœlis imperare. Prosa beatæ Mariæ *in Communi sanctorum, ad calcem Missalis Parisiensis* 1520. *in* 8. *fol.* 75. *O Felix Puerpera, nostra pians scelera; Jure Matris impera Redemptori.* Jacobus de Voragine *in Mariali Sermone* XVII. *Edit. Paris.* 1503. *fol.* 10. *Quia igitur est Mater Imperatoris cœlestis, ideo super ipsum maternæ auctoritatis imperium habet, & potest sibi, tanquam Mater Filio, imperare.*

III. Injurius in Christum Mediatorem & idololatricus est Sermo *Bernardi* iste. *Per unum virum, & mulierem unam omnia restaurantur. Sufficere poterat Christus, sed nobis bonum non erat esse hominem solum: congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterque. Homo Christus Jesus Deus noster ignis consumens. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Opus est Mediatore ad Mediatorem istum: nec alter nobis utilior quam Maria. Quid ad Mariam accedens trepidet humana fragilitas? age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Operum Bernardi Tomo I. Edit. Hervagianæ Basil.* 1552. *pag.* 309. *&* 310.

DISPUTATIO NONA.

DE

Origine Carnis Christi ex Patribus.

CONfirmant Orthodoxi veram humanam originem carnis Christi solidè, ex Genealogia Christi, & ad Abrahamum deducta à *Matthæo Cap.* I. & ad Adamum usque à *Luca Cap.* III. Quæ demonstratio in præsens asserenda & vindicanda est à *Mennonis & Mennonitarum* exceptionibus.

II. *Mennonis* exceptio in *Confess. contra J. à Lasco* ista est; texuisse Euangelistas Genealogiam Christi ex Patribus, *non causa carnis*, *sed causa regenerationis* Atqui hoc nullo schemate dici potest de Luca, qui patres omnes & ex illis Christum censet in primo Adamo, ut in capite & stirpe. Cum in causa regenerationis omnes debuerint censeri in Christo secundo Adamo, ut capite & stirpe illius πατριᾶς seu cognationis, quæ nominatur in cœlis & in terra. *Eph.* III. 15.

III. Neque Matthæus dici potest genealogiam Christi texuisse causa regenerationis, quamvis initio facto ab Abrahamo Patre credentium: quia in Filiis Abrahæ, & Patribus ex quibus est Christus, recensetur à Matthæo I. Roboam impius. 2 *Chron.* XII. 2. Achaz impius. 2 *Reg.* XVI. 2 *Chron.* XXVIII. *Esai.* VII. 3. Amon impius 2 *Reg.* XXI. 20. 4. 5. Jakim & Jechonia impii. 2 *Reg.* XXIV.

IV. Neque negandum Christum secundum carnem ortum ex Patribus etiam impiis; cum affirmet Scriptura habuisse etiam fratres, qui in ipsum non crediderunt, qui consequenter fratres dicti, non causa regenerationis, sed causa carnis. *Joh.* VII. 5.

V. Est autem illi, de causâ non carnis sed regenerationis contexta genealogia Christi ex Patribus, exceptioni contraria affirmatio Scripturæ, quæ dictat *ex Patribus* Christum esse τὸ κατὰ σάρκα *secundum carnem Rom.* IX. 5 *excitatumque ex fructu lumborum Davidis* τὸ κατὰ σάρκα *Act.* II. 30. *factum ex semine Davidis* τὸ κατὰ σάρκα. *Rom.* I. 3.

VI. Non potest non causa carnis saltem hoc fieri, quod Christus singulariter dicatur ortus ex una, non ex aliis tribubus Israëlis: *manifestum est enim*, inquit Apostolus, *è tribu Juda exortum esse Dominum nostrum*, *cujus tribus respectu nihil de Sacerdotio loquutus est Moses. Hebr.* VII. 14.

VII. Neque illud negligendum, quod Judæi infideles à gratiâ rejecti & resecti à Christo, in causa regenerationis, tamen dicuntur *rami naturales* κατὰ φύσιν, causa carnis, in arbore naturalis cognationis, præ Gentibus aliis etiam jam Christo per fidem insitis: ut hæ dicantur rami παρὰ φύσιν *præter naturam Rom.* XI. 12. ----- 24.

VIII. Majoris momenti est *Mennonitarum* exceptio altera: *Omnes qui satagunt d[illegible]strare*, *quod ex Patribus originem carnis sumpserit Christus*,

hoc facere contra id quod super hac re ab Evangelistis scriptum est: quandoquidem Christus non est ex Josepho, quem Christi patrem nominant in Genealogia: ex quo consequens est, neque ex aliis Patribus Christum descendisse. Cuperus. Art. V. §. 198. Respondemus, saltem Lucam Mariæ matris Christi genealogiam texuisse.

IX. Confirmat nostram assertionem duplex in Genealogia ista indicium. 1. Interjecta parenthesis illa, qua Lucas notat Josephum putativum tantum Christi Patrem fuisse *Luc.* III. 23. ad quam recte docuit *Clar. Fr. Gomarus ὁ μακαρίτης*, pertinere integrum illud thema, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ, hoc sensu, Christum (*ut existimabatur*, seu opinione vulgi, *filium Josephi*) fuisse revera Heli filium id est ex Maria filia nepotem. Quod monetur propter alteram apud Matthæum genealogiam ipsius Josephi, in qua Christus censetur legalis per Josephum nepos Jacobi. *Matth.* I. 16.

X. II. Alterum indicium est, deductio genealogiæ usque ad primum Adamum; qua deductione opus fuit, ut demonstraretur Christus esse illud primæ mulieri promissum verum semen mulieris.

XI. Quamvis autem apud Matthæum genealogia descendat naturaliter ad Josephum non Mariam, tangit tamen etiam Mariæ, & Christi per Mariam, cum ipso Josepho, cognationem secundum carnem, non in solo Davide, sed etiam in Zorobabele & Salathiele *Matth.* I. 12. *cum Luc.* III. 27. Et flagitabat cognationem Mariæ & Josephi in domo & familia Davidis Lex *Num.* XXXVI. 8. qua tenebatur unusquisque in sua familia uxorem ducere.

XII. Anti-Christiano *Anabaptistarum* errori de origine carnis Christi hic velificantur, qui cum *Spalatensi libr.* VI. *de Rep. Eccles. cap.* 1. existimant *convinci non posse Mariam Deiparam pertinuisse ad domum & familiam David, & ex tribu Juda ortam esse, sed tantum maritum ejus Josephum; ac per solum illum Patrem Legalem Christum civiliter & tribum Judæ sortitum esse & stirpem David. Evangelistas itaque Matthæum & Lucam generationem Christi per Joseph totam absolvisse, ut qui fuerit verus & proprius Christi pater quamvis Legalis non naturalis.* Refelluntur ista ex locis indicatis *Thes.* V. VI. VII. quæ veram flagitant ex patribus, nominatim Davide, originem carnis Christi, quæ, ex hypothesi, nulla erit.

XIII. Nec minus ex Patribus originem carnis Christi in tribu Juda & domo Davidica perimit sententia *Episcopii ἀνώνυμος in Dictatis in Matthæum*; qua vult *per legem & jus matrimonii, quo vir & uxor una caro & unum corpus censentur; & ratione communi, quia venter & uterus uxoris, venter & uterus mariti est*, (quomodo putat *filios dici fructus ventris & uteri patris*) *fructum ventris* Mariæ *Christum, quamvis illa non fuerit ex tribu Juda, tamen necessario cedere marito* Mariæ *Josepho, & per Iosephum vindicari tribui Iuda.*

XIV. Existimamus perperam dari istas Josepho vindicias, per legem & jus matrimonii, & rationem illam communem, in fructum illum ventris Mariæ miraculosum, cujus reverentia à matrimonii illa consummatione, qua vir & uxor fiunt caro una & corpus unum, Josephus abstinuit. Neque sine miraculi offuscatione concedi videtur hic jus patris veri nomi-

nis,

nis Josepho & majoribus Josephi quæsitum, in Filium uxoris virginis; ubi nullum ejusmodi jus patris veri nominis statuitur acquiri marito, in Filium uxoris viduæ, quamvis posthumum.

XV. Absque istis Paradoxis rectius solvitur scrupulus qui movetur, quod Elisabeth mater Johannis Baptistæ *Luc.* I. 5. dicitur fuisse ex filiabus Aaron, atque eadem Mariæ matris Christi *συγγενὴς v.* 36. hac responsione; quod fuerit Elisabeth ex Patre quidem Sacerdote, sed ex matre è tribu Juda & domo Davidis, consanguinea Mariæ; quia ex tribu Juda Sacerdotes, libere ex aliis etiam tribubus uxores ducebant, non adstrictis Sacerdotum conjugiis ad legem illam indicatam *Thesi* II.

XVI. Respondendum quoque ad Problema illud de Genealogiæ Christi stirpe prima Adamo: primo, an dici possit *Christus fuisse in lumbis Adami*, nec tamen peccasse in lumbis Adami? Respondemus autem, antecedens negari non posse, quin imprudenter negetur vera origo carnis Christi ex Patribus. Non tamen inde consequens esse Christum in lumbis Adami peccasse: magis quam consequens est, in objecto benedictionis Melchisedeci comprehensum fuisse Christum, non minus quam Levi & fratres ejus, ex eo quod secundum carnem Christus una cum Levi & fratribus ejus fuit in lumbis Abrahami, oriturus ex Juda fratre Levi *Hebr.* VII. 6.

XVII. Debuisse autem & voluisse Christum fieri secundum carnem naturali propinqua cognatione ex tribu Juda, confirmat illa Christi affirmatio; *Salus ex Iudæis est. Ioh.* IV. 22.

XVIII. Interim debuisse quoque & voluisse communissima atque universali cognatione totius generis humani, trahere originem ex uno Adamo primo, docet Apostolus *Hebr.* II. 11. *Et qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno sunt omnes, quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare.*

XIX. Quid sit illud *Ex Uno*, explicatur *versu* 14. Scilicet *sicut pueri*, quos dedit ipsi Deus, *participes sunt inter se carnis & sanguinis, ipse quoque similiter eorundem*, scil. carnis & sanguinis, *factus est particeps*. Non ergo *ex uno Deo* voluit dictum Apostolus, quæ est *Mennonis* glossa, sed *ex uno sanguine*, ex quo Deus condidit omne genus humanum. *Act.* XVII. 26.

DISPUTATIO DECIMA
DE
Vnione Hypostatica duarum naturarum in Christo.

MEnnonitæ Auctores *Confessionis Fauhelio oppositæ pag.* 100. profitentur cum æquivocatione, *quod Christus in una Persona sit Verus Deus & Verus homo.* Inficiantur enim duarum Naturarum in Christo Unionem hypostaticam istius Confessionis socii, qui affirmant, *nos jacturam fecisse veræ cognitionis de incarnatione Servatoris Iesu Christi, vel nunquam*

nunquam illam habuisse: & in sententia nostra palliari prætextibus confessionem de duobus in Christo filiis. I. O. *Art.* I V. §. 12. 13.

II. Revera ipsi prætextibus agunt, quando distinguunt *Divinam & Humanam in Christo Naturam.* I. O. *Art* I V. §. 19. 20. Interim *negantes, vocem Naturæ Christo expresse in Scriptura tribui*, ut arrodant Confessionem Orthodoxam de duabus in Christo naturis. *I O Art.* I V. §. 20.

III. Affirmamus autem omnino expressam in Scriptura vocem Naturæ, & quidem ut per illam Christo vindicatur & vera Deitas, & vera humanitas. Primo enim, ipsorum *Mennonitarum* confessione, phrasi illa quæ est *Gal.* I V. 8. Christus est φύσει θεὸς. *Natura Deus.* Voce autem & phrasi ista significari Deitatis essentiam æternam, confirmavimus *Disp. I.* Vide *J. O. Art.* I V. §. 19. Deinde vox naturæ originem carnis Christi tangit, neque ad aliud quid torqueri se patitur *Rom* X I. 21.---- 24. Vide *Disp. IX. Thes.* VII.

IV. Minime autem in Christo Filios duos credimus, sed naturas duas unius Filii, à quarum altera Filius Dei, ab altera Filius hominis denominatur idem Christus. Atque hic jure damnata est à Patribus hæresis *Nestorii.*

V. Monstrosa est *Mennonitarum* hypothesis, *Christum à Patre bis genitum, bis à Patre processisse.* Esse tamen in Christo *unicam tantùm essentiam unicam vitam.* Ex isthac enim hypothesi coaluit monstrose in Christi incarnatione fœtus gemellus, essentiâ & vitâ prioris exstincta, quando cœpit essentia & vita alterius. Atque sic bis vivere desiit Christus, non tantum quando in cruce mortuus est, sed etiam quando caro factus est. Apage idolum istud *Mennoniticum*, bis mortuum.

VI. Nos unionem hypostaticam credimus naturarum duarum in Persona una: & ex ea Naturarum κοινωνίαν seu communionem, per quam commune est utriusque naturæ in functionibus Officiorum & unum ἀποτέλεσμα seu opus perfectum θεανδρικὸν, quia operatur Θεάνθρωπος, qui & Deus ipse est ab æterno vivens, & Homo qui humanæ vitæ cum natura humana initium habuit in tempore, & à mortuis revixit.

VII. Naturarum autem illam κοινωνίαν cum Antiquitate Orthodoxa credimus ἀσύγχυτον, contra veteres hæreticos *Eutychen & Monophysitas, Monotheletas, Acephalos*, & hodiernos *Anabaptistas Mennonitas*, nec non *Swenckfeldium, & Ubiquitarios.* Ut in una Christi persona sit absque confusione naturarum aut proprietatum, vel transfusione attributorum divinorum in carnem seu naturam humanam, ἄλλο καὶ ἄλλο, *aliud atque aliud*; quod paulo fusius confirmandum.

VIII. De alia quidem atque alia *Natura* probatio evidens est ex *Thes.* III. De alia atque alia voluntate, (supposita Voluntatis divinæ Patris & Filii unitate & Identitate) demonstratio manifesta est ex *Joh.* V I. 38. & *Luc.* X X I I. 42. *Matt.* X X V I. 39. *Marc.* X I V. 36

IX. Aliam atque aliam *Scientiam* (supposita divina Filii Omniscientia) demonstrat, quod dicitur Christus *profecisse Sapientia Luc.* I I 52. item *nescivisse diem ultimi judicii. Marc.* X I I I. 32. Ista enim vera esse nequeunt, si communicata fuit carni Christi Divina sapientia & Omniscientia infinita & inde-

& independens ab institutione aut testimonio alterius. *Joh.* I I. 24. 25.

X. Aliam atque aliam *Præsentiam* in cœlo & in terris (supposita divina Omnipræsentia per Immensitatem) demonstrant loca illa, quæ sic docent veram ex sepulcro resurrectionem, ut à resurrectione non fuerit amplius in sepulcro *Marc:* XVI. 6. & veram in cœlos ascensionem, per quam non est jam in terra. *Si esset in terra ne Sacerdos quidem esset. Hebr.* VIII. 4.

XI. Aliam atque aliam *Potentiam* & robur demonstrant (supposita divina Omnipotentia *qua potest sibi subjicere omnia Phil.* III. 21. & qua ut unum cum Patre non potest subjici Patri) *Infirmitas* ex qua crucifixus est 2 *Cor.* XIII. 4. *Tristitia* vehemens & ἀδημονία *Matt.* XXVI. XXVII. *Marc.* XIV. 33. propter quam *visus est ei Angelus è cœlo* ἐνισχύων αὐτὸν *corroborans ipsum. Luc.* XXII. 43. Et ante illum extremum ἀγῶνα, in corpore *fames Matt.* IV. 2. *Luc:* IV. 2. *sitis* ex lassitudine *Joh.* IV. 6 *&* XIX. 28. *Lacrymæ Luc.* XIX. 41. *Joh.* XI. 35. *Hebr.* V. 7. *sudor sanguinis Luc.* XXII. 44.

XII. In ipsa autem glorificatione cœlesti, quamvis mutatis & abolitis infirmitatibus illis, tamen etiamnum manet ἄλλο καὶ ἄλλο, sine proprietatum naturalium & essentialium carnis Christi abolitione: quod demonstrat caro etiam post resurrectionem visibilis & palpabilis *Luc.* XXIV. 39. *Joh.* XX. 27. 1. *Joh.* 1. 2. & visibilis in carne Christi ut ascensio in cœlum sic adventus ad judicium. *Act.* 1. 9. 10. 11.

XIII. Similiter etiam post extremum judicium aliam in Christo à forma Dei formam servi mansuram in æternum demonstrat quod *ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit ipsi omnia ut Deus sit omnia in omnibus.* 1 *Cor.* XV. 28. Nulla enim est aut esse potest in forma Dei subjectio naturæ Omnipotentis sub Omnipotente.

XIV. In Officiorum Christi Incarnati functionibus & actionibus adhibita in Scripturis denominatio *Hominis* aut *Filii hominis*, consignificat cum veritate humanæ naturæ formam servi ad functionem officiorum assumptam. Verum denominatio *Filii Dei* nullam habet significationem officii, aut muneris mandati: sed adhibetur illa emphasi, quam notavimus *Disput. VI. Thesi.* XIX. *ex Heb.* v. 8 q. d. καίπερ ὢν υἱὸς, *quamvis esset Filius*, ut intelligatur gratia Christi qua se exinanivit libere ad Officiorum functiones, ipse Filius Patri æqualis hæres omnium.

XV. Ad Officiorum autem Christi functionem publicam cum auctoritate præstitutus temporis & ætatis Christi articulus annus circiter tricesimus *Luc* III. 23. Quamvis exspectarit ἀκμὴν etiam humanæ sapientiæ Christi, successivo ejus incremento *Luc.* II. 52. tamen per Unionem hypostaticam Persona divina naturam humanam assumptam imbuit illa dignitate & axiomate, ut etiam infans salutandus fuerit & adorandus Magister & Rex ac Sacerdos summus, ipso Messiæ & Christi nomine, utpote ad Officiorum istorum functionem conceptus & natus. *Iob.* XVIII. 37. *Matt.* II. 2.

XVI. Propter duarum naturarum Unionem hypostaticam Christus in Muneris Mediatorii functionibus idem est Salutis & bonorum, quæ per

S ipsum

ipsum obtinemus, & causa ministra atque instrumentalis, per quam credimus in Deum aut Deum colimus atque adoramus: & primum efficiens, seu primus & supremus auctor omnis boni & salutis, ipse colendus atque adorandus.

XVII. In officio Prophetico, Christus idem erat Verbi prædicati nec non & miraculorum Minister & Auctor: ut Minister verbi & miraculorum, adstrictus ad Legem Scriptam, *κατά* *Ioh.* v. 31. *Apoc.* I. 5. & III. 14. ut ipse verbi auctor, *αὐτόνομος*. *Ioh.* VIII. 14. *cum 1 Ioh.* v. 7.

XVIII. In sacerdotum functione, quando immolatus est, ipse Sacerdos offerens & idem victima oblata *Hebr.* IX. 14. 26. Intercessione autem jam fungens, idem qui per humanæ commiserationis viscera orat pro nobis Patrem, & qui adoratur, & invocatur ut bonorum quæ per ipsum postulamus Collator à Patre per Spiritum S. *Hebr.* IV. 14. 15. 16. qui in se ipso & humanam naturam ad orandum pro nobis excitat revelatione divina nostrarum necessitatum, & efficaciam exauditionis præstat divina omnipotentia.

XIX. Regnum Christi quod *Essentiale* vocant Theologi quod commune habet cum Patre & Spiritu S. & Regnum Christi *Personale* quod vocant Mediatorium, si Majestas Regni spectetur, non est in Christo aliud atque aliud Majestatis fastigium, sed est unica illa divina Potentiæ & Potestatis omnis plenitudo, qua sibi potest subjicere omnia *Matt.* XXVIII. 18. *Phil.* II. 9. 10. 11. & III. 21. *cum Rom.* XIV. 11. & *Esai.* XLV. 32.

XX. Regnum Christi Mediatorium Personale, distinguit in Regno communi Patris & Spiritus S. in gratiæ salutiferæ dispensatione efficaci divina, ab efficacitate operationis, Personale jus illud filio Dei quæsitum, quo communis etiam gubernatio rerum omnium ordinatur ad Ecclesiæ salutem 1 *Cor.* III. 21. 22. 23. *Rom.* VIII. 28. *cum Eph.* I. 22. 23. & *Hebr.* I. 14. Et notat Regnum Christi à Sacerdotio indivulsum, usque ad finem sæculi.

DISPUTATIO UNDECIMA.

DE

Syncretismo Anabaptistarum circa Originem Carnis Christi.

Convicti *Anabaptistarum* Doctores de Theologiæ suæ gangræna hactenus detecta, cum Antidoto sanorum sermonum Dei, in Controversia de Origine Carnis Christi, cum de palinodia cogitandum esset, quam urgere debuissent, qui ex ipsis saniores sunt, moliti sunt Syncretismum quinque Articulorum Synodo Amsterodami celebrata circa annum MDCXV. Articulus primus iste est; *Non interesse ad salutem aut damnationem notitiam Originis Carnis Christi, verum de ea sufficere ad salutem*

Confessionem

Confessionem simplicem secundum confessiones fidelium nobis propositas in S. Scriptura, & amice ut Christianos tolerandos, qui vel sublimius vel humilius quid super illa re sentiunt. Auctor istius syncretismi olim *Socinus contra Palæologum Part.* I. *Cap.* I. *pag.* 2. Fautores ex Remonstrantibus *Peppius Angustæ Portæ pag.* 348. item 383. 384. *Episcopius in Dictatis ἀνεκδότοις in* I *Joh* IV. 2. 3. *Si quis*, inquit *Episcopius*, *J. Christum esse hominem natum confiteretur, interim modum nativitatis ejus nesciret, & non traderet, aut in eo erraret, non ideo statim ejus doctrina tanquam non divina rejicienda est*: & mox; *idem etiam judicium esto de ipsius humanæ naturæ cum divina Unione Personali*.

II. Nos Syncretismum illum & Mutuam Tolerantiam asserimus esse contra Scripturæ oracula. Verbis Christi *Joh* XVII. 3. *Hæc est Vita æterna*, cognitionem Jesu Christi à Patre missi necessariam statui ad salutem, nemo est qui inficiari possit. Missi autem Christi Jesu cognitio nulla est secundum Scripturas, nisi cognoscatur missus *in similitudinem carnis peccati, & factus ex muliere*. *Rom.* VIII. 3. *Gal.* IV. 4.

III. Ratio quam contra urget *Episcopius*; *quia cognitio modi nativitatis Christi neque finis est, neque medium, quo quis ad finem videlicet mandatorum ejus observationem adducitur. Potest enim*, inquit, *quis verè Deum colere & Christo obedire, licet hujus rei ignarus sit, imo perperam in ea sentiat*. Ratio inquam ista refellitur affirmatione Apostoli ista; *sine controversia magnum est pietatis mysterium*, *Deus manifestatus est in Carne*. I *Tim.* III. 16.

IV. Ad damnationem autem interesse hic Heterodoxiam, contestatio manifesta est Johannis Apostoli; *Quicunque Spiritus non confitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est, sed hic est Spiritus ille Anti Christi* I *Joh.* IV. 3. vel, si lubet sequi Vulgatam Latinam lectionem, *omnis Spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est*; quia olim in antiquis Græcis exemplaribus lectum sic tradit *Socrates Historiæ Ecclesi. libr.* VII. *cap.* 31. ὅτι πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι. Ex qua lectione Veteres Unionem Personalem asserebant contra *Nestorium*, illamque alteratam ipsi imputabant.

IV. Quod eodem loco addit *Socrates*, *Nestorium illum hominem imperitum fuisse*, arripit *Episcopius*, inquiens; *quod ut credam facile adducor, eo quod locum hunc (si verum est quod dicitur) sibi obstare putabat: cum solvere Jesum nihil aliud hoc loco esset, quam non confiteri, negare Christum. An non solvere Mosem est negare Mosem eumque rejicere? &c.* Non facilè adducor ut credam *Episcopium* imperitum: imperitè tamen videtur illam facere Scripturæ phrasin *solvere Mosem*, quæ nusquam exstat. Exstat tantum *solvere legem Mosis* *Joh.* VII. 23 In recepta autem Lectione Græcorum Exemplarium benè habet, quod *Episcopius Participium* ἐληλυθότα *non diffitetur accipi posse pro Infinitivo Venisse*, collatione loci I *Joh.* III. 17. *& nullus dubitet etiam* ἐν *pro* εἰς *accipi nonnunquam, & necessario sic accipi* *Joh.* V. 4. Quod etiam profiteatur, *se credere Christum naturam vere humanam eandem nobiscum specie habuisse*, nec non *credere æternam Christi præexistentiam, & ipsius divinæ cum humana Unionem personalem*. Cui bono ergo censet, *Confessionem istam Christum in carnem vel in carne venisse hoc loco intelligi non posse*? Cui bono dictavit ista?

Interim tamen subtilitatem illorum non approbo, qui ex Verbo venire, Naturæ Christi divinæ præexistentiam, & proinde ex Venire in carnem, Naturæ ipsius divinæ cum humana unionem Personalem concludunt, cum nec hic verbis diserte dicatur Christum venisse in carnem, nec, si diceretur, probari hinc illud posset. Et mox; *Deinde si quid ex hoc loco concludi possit, ad summum erit ipsius Christi præexistentia: ut hanc etiam Arius fatebatur qui statuebat Christum omnium creaturarum primam creaturam fuisse.* Siccine tolerabilior ipsi Arianæ hæreseos ex loco Scripturæ demonstratio, quam Fidei etiam suæ confirmatio? Næ ille veritatem amare minime videtur qui ex Veris præmissis falsum potius, quam verum censet concludendum.

VI. Munienda nobis Fidei Orthodoxæ cum Veritate *Necessitas*, rationibus ex Scriptura deductis. Quarum prima esto, connexio necessaria veritatis de Origine Carnis Christi ex muliere, cum Fundamento Euangelii de Gratia Christi Salvifica, quod est Christi ut Sponsoris nostri pro nobis substitutio, qua factus est sub Lege. Quam connexionem necessariam dictat Paulus *Gal.* I V. 4. *Factum ex muliere, factum sub Lege.* Esse autem hoc Fundamentum Gratiæ Christi Salvificæ & verba sequentia demonstrant *vers.* 5. *ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem acciperemus*; & locus illustris 2 *Cor.* V I I I. 9. Ubi cognitionem *Gratiæ Christi*, Paulus definit Cognitione non exaltationis, sed exinationis Christi, quâ *propter nos pauper factus est cum esset dives.* Vide *Disput. Selectam nostram* I I I.

VII. Altera demonstratio ex Scriptura esto, quia necessaria est fuga Idololatriæ, & excluduntur Idololatræ ab hæreditate regni cœlorum, 1 *Cor.* V I. 10. 1 *Joh.* V. 21. Idololatriam autem committunt qui juxta Creatorem creaturam adorant, & gloriam Dei carni tribuunt, ac religiose colunt quod non est natura Deus. *Rom.* I. 23. 25. *& Gal.* I V. 8. *cum Jer.* X V I I. 5. Neque ab idololatria libera est istorum Adoratio, qui adorant quod nesciunt. *Joh.* I V. 22. Necessaria ergo est cognitio veræ Deitatis Christi distinctæ à Carne Christi, ut Templo, in quo Deitas habitat, & consequenter cognitio Unionis Hypostaticæ ἀσυγχύτου factæ quando *Verbum Caro factum est*. Quia non possunt effugere Idololatriæ Categoriam, qui ipsam Carnem Christi adorant, vel solam vel juxta Deitatem: fingentes vel Christum nudum hominem, vel Θεάνθρωπον, sed etiam qua parte homo est, sub illo formali quâ Mediator est Adorabilem & Adorandum. Sub quo Formali sola à nobis Deitas Christi & Deus Filius ὁμοούσιος Patri & Spiritui S. adoratur & colitur, cultu religioso. Vide *Disput. Selectam nostram* I I.

VIII. Vindicandus jam locus Apostoli, qui Syncretismo prætexitur Auctore *Socino*. Est autem iste 2 *Cor.* V. 16. *Quod si etiam novimus secundum carnem Christum, nunc tamen non amplius novimus* (*secundum carnem.*) Scilicet cognitio originis carnis Christi, si *Socinum*, *Anabaptistas*, & *Remonstrantes* audimus, *respicit Christi cognitionem secundum carnem, ejusque inquisitio proprie carnalium Iudæorum & eorum qui eis similes sunt censenda est.* Quod negamus ex verbis Pauli extorqueri posse.

IX. Non

IX. Non est idem hoc loco κατὰ σάρκα *secundum carnem*, quod τὸ κατὰ σάρκα *Act.* II. 30. *Rom.* IX. 5. neque est προσδιορισμὸς adjectus Christo in enunciatione Apostoli, sed adjicitur nostræ cognitioni, atque illa dicitur κατὰ σάρκα cognitio Christi, quæ constat carnali vel oculorum visione, vel consanguinitate, qua beatos se prædicaverunt, vel ab aliis prædicabantur, qui Christum incarnatum, maximè post resurrectionem viderant vel palpaverant; vel beatiores Gentibus existimabantur Judæi ut rami naturales. Cui gloriationi, ut temporariæ & minime solidæ, non autem cognitioni Fidei de Origine Christi nuncium mittit Apostolus. Commentarium itaque verum suppeditant loca *Joh.* XX. 29. & I *Pet.* I. 8. & I *Cor.* IX. I. *Gal.* II. 15. *cum* 2 *Cor.* XII. 2. & *Phil.* III. 3.

X. Cognoscere ergo κατὰ σάρκα Christum est Christum cognoscere σαρκικῶς *carnaliter*, cognitione ejusmodi, quæ si destituatur salvifica cognitione spirituali, per se vel oculos tantum exteriori inspectione, vel animum tantum temporaria & communi cum impiis gloriatione pascit & oblectat: Quomodo dici possunt etiam impii κατὰ σάρκα cognoscere Deum aut Christum qui in mysteriis quibuscunque spiritualibus, peccant hæresi illa quam inter *opera carnis* recenset Apostolus *Gal.* V. 20.

PARS SECUNDA. DISPUTATIO I.

QUÆ EST DUODECIMA

DE

Spirituali natura Fœderis Dei in genere.

VIam muniemus prima hac Disputatione sequentibus, in quibus persequemur cum bono Deo Gangrænam Theologiæ *Anabaptisticæ* in doctrina de Fœdere Dei cum homine, primo Legali, deinde Euangelico. Hac disquisitione præmissa ad Fœderis Dei cum homine naturam in genere, possitne homo Deo conciliari Fœdere, tali quod minime sit spirituale, sed tantum hominem animalem attingat, ac spem faciat vitæ tantum animalis beatæ.

II. *Anabaptistarum* Doctor *V. L.* libro cui titulus est *Defensio ex Scriptura divina*, approbatus à *Carolo van Mander* 1588. asserit, *ne quidem in Fœdere Dei cum Abrahamo Gen.* XVII. *spiritualiter accipiendum esse Mandatum Dei.* Item; *In universo negotio cultus exterioris populi Judaïci, Circumcisione, Paschate, aliisque mandatis Cæremonialibus, Deum non flagitasse ab ipsis quicquam præter exteriora illa, neque verbo attigisse cordis purificationem, vel quod conscientiam tangat. Quin minime licere mandatis istis connectere spiritualem διάνοιαν. Quidnam aliud*, interrogat auctor, *tempore illo postulabatur à Sacerdotibus quam bene conformatum corpus, & res externæ? Part.* I. *pag.* 48. & *part.* III. *pag.* 22. 23. 27.

III. Eadem *Defensione*, *Parte* III. *pag.* 22. 23. 24. statuit idem, istas de Fœderis Promissionibus hypotheses; *In Veteri Fœdere, nullam esse Promissionem*

nem rerum Spiritualium. Ne fas esse Promissiones interpretari de aliis rebus, quam temporalibus: quæ umbra tantum erant venturorum bonorum. Neque pœnæ in Veteri Fœdere comminationem ita intelligendam esse, quasi Dominus Deus loquutus sit de non obtinenda hæreditate Regni Cœlorum.

IV. Differemus in sequentes Disputationes examen Historicum Oeconomiæ Fœderis Veteris cum Abrahamo, & Abrahami posteris. Hoc in præsens agemus ut liqueat, contradictionem implicare assertiones istas cum Fœdere, quod Religionis causa Deus unquam cum homine pepigit, aut jam, aut olim à prima hominis Creatione.

V. I Primo quidem argumentamur ex loco Apostoli 1 *Cor.* VI. 17. *Qui agglutinatur Domino unus Spiritus est.* Cum quo conjungimus alterum *Joh.* IV. 22. *Deus est Spiritus, & qui adorant eum, oportet ut in Spiritu et veritate adorent.* Ex quibus locis hæc efficitur demonstratio; propter Essentiæ Dei æternæ & immutabilis naturam spiritualem, esse hoc juris æterni & immutabilis apud Deum, ut qui non sunt ἄθεοι Dei expertes in mundo, Deo agglutinentur Fœderis Spiritualis vinculo, ad Deum spirituali adoratione colendum.

VI. II. Alterum argumentum petimus ex Hominis ad Imaginem Dei Creatione, quæ ultra hominis ψυχικῆ seu Animalis creationem, qua factus est Animal Rationale, dicit principia insita supernaturalis spiritualis θεογνωσίας & θεοσεβείας seu cognitionis & cultus Dei, quæ in lapsu amissa in Regeneratione restaurantur. *Colos.* III. 10. *Eph.* IV. 24. Sine quibus quamvis possit esse & sit in homine usus rationis, nulla tamen est, in relatione ad Deum qui Spiritus est infinite sanctus, λογικὴ λατρεία seu *cultus rationalis. Rom.* XII. I.

VII. III. Speciatim autem de Mandatis Dei in lege veteri qui νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς seu *Lex carnalis mandati*, respectu corticis exterioris, & σωματικῆς γυμνασίας, *corporalis exercitationis Hebr.* VII. 16. sufficit vel unus Apostoli locus *Rom.* VII. 14. οἴδαμεν ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν. *novimus quod Lex Spiritualis sit.* Hoc enim efficitur, fuisse præter ista rituum mandata carnalia etiam in Veteri Fœdere Legem Spiritualem, secundum quam Deus cultum & adorationem in Spiritu flagitavit, cum carnalis concupiscentiæ abnegatione.

VIII. Accedit nubes testimoniorum quibus testatur Scriptura, nec ritus veteres externos, nec quæ in illis occupabatur σωματικὴν γυμνασίαν corporis exercitationem seu fatigationem unquam per se, absque fide & spirituali obedientia Fidei, Deo placuisse. 1 *Sam.* XV. 22. *Psal.* L. 13. & LI. 18. *Isai* I. 11. 14. *Jer.* VI. 20. & VII. 21. *Amos.* V. 21. 22. *Mich.* VI. 6. 7. 8.

IX. Ea propter pietatem corporali exercitationi Paulus contradistinguit: ut absque pietate illa ne quidem hujus vitæ promissiones aut jure merito, aut ex Fœdere sibi possit vindicare. 1 *Tim.* IV. 8. Adeoque ad religionem, quacunque temporis Periodo institutam, & quibuscunque rituum mandatis vestitam, applicandum illud Apostoli 1 *Tim.* I. 5. *Finis mandati est charitas ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata.*

X. IV. Alterum caput Fœderis quod attinet, videlicet Promissiones

& Commi-

& Comminationes divinas; de Promissionibus quidem Mosaicis dicemus alio loco. Hic generatim asserimus Promissiones Fœderi divino convenientes non posse esse vitæ præsentis, absque promissionibus vitæ futuræ. Et quidem principaliter & primo facere ad τὴν διαθήκην Promissionem vitæ futuræ gloriosæ æternæ in cœlis, vitæ autem præsentis benedictiones tantum esse Fœderis principalis accessionem, τῆς διαθήκης προσθήκην. 1. *Tim.* IV. 8. *Matt.* VI. 33. *Job.* VI. 27

XI. Consequenter Comminationes quoque divinæ, in conventione Fœderis prima, *Mortis* appellatione adhibita conceptæ, complectuntur & vitæ animalis ex animæ à corpore separatione privationem, significatione propria; & una sequuturam in morte privationem æternæ gloriæ ac lætitiæ cœlestis, cum sensu cruciatuum infernalium, quæ *mors secunda* dicitur *Apoc.* II. 11. XX. 6. 14. XXI. 8. *cum* *Matt.* X. 28.

XII Non esse itaque demum cum nova Euangelica Fœderis œconomia novam Promissionem vitæ cœlestis æternæ, sed antiquissimam in primo etiam ante lapsum Fœdere, nos firmamus vel hoc uno argumento. Quia promissiones quotquot exstant Legales de danda operanti & imputanda ex debito mercede vitæ æternæ (exstant autem *Levit* XVIII. 5. *Rom.* V. *Eccl.* XII. 12. *Matt.* XIX. 16 *Marc.* X. 17. *Luc.* X. 15. *Rom.* IV. 4.) si non primo illo fœdere cum Adamo ante lapsum datæ fuerunt atque addictæ, nullum unquam Fœdus istis promissionibus sancitum est. Quando quidem post lapsum non est data *Lex quæ possit vivificare*, *Gal.* III. 21.

XIII. Ne ergo secundum promissiones illas Theologia Legalis, testimoniis illis concepta, statuatur esse Ens fictum ac semper olim & jam impossibile, necessario revocandæ sunt illæ ad Theologiam originalem Adamo ante lapsum se integro traditam & insitam supernaturali revelatione, per Mosem autem, ex Veteri cum Adamo fœdere operum, postliminio œconomicè repetitam.

XIV. Historiam autem antiquissimæ ante lapsum promissionis de vita æterna cœlesti eruimus ex mysterio Arboris vitæ in medio Paradisi, eique expresse attributa per loquutionem Sacramentalem, efficacia ad vitam æternam. *Gen.* II. 9. *cum* III. 22.

X V. Sacramentalem fuisse loquutionem, non Physicam, de viribus arbori insitis, ac consequenter revocandam ad verbum supernaturaliter factum de vita supernaturali cœlesti, demonstrat collatio locorum *Luc.* XXIII. 43. *&* 2. *Cor.* XII. 2. 4. *& Apoc.* II. 7. Ex quibus discitur rem significatam & adumbratam atque Adamo Legali conventione Fœderis promissam, sed qua ipse excidit suo lapsu, fuisse illam quam Christus nobis quæsivit per Legis perfectam obedientiam, mansionem in Cœlo æternam, & beatam fruitionem vitæ cœlestis.

XVI. Quamvis sint qui oscitanter hic existiment, factam fuisse Adamo *promissionem vitæ æternæ non spiritualis in cælo degendæ, sed tantum animalis in Paradiso degendæ*: minime tamen hæc arma abjicienda feliciter contra *Anabaptistas & Socinianos* disputaturis.

XVII. Quin

XVII. Quin ipsi illi refutantur sua illa hypothesi quam accipimus lubentes; *fœderalem quamcunque promissionem, quæ habet restipulationem officii, tantam esse ut illam non possis imputare amori illi, qui naturalis est proprietas in Deo; ex qua suapte natura inclinat ad remunerationem aliquam debiti à creatura officii, sed superabundanti, liberrime tantam compensationem decernenti supra exspectationem.*

XVIII. Hinc argumentamur, necessaria consequentia perimi omnem Fœderis naturam, si tollitur promissio vitæ æternæ cælestis. Quia altera vitæ animalis æternæ in Paradiso degendæ promissione, nulla est liberalis compensatio obedientiæ Adami, supra exspectationem, & supra id quod amori Dei ἀμεταμελήτῳ erga creaturum ἀμεταμελήτως ex hypothesi in officio perseverantem, imputasset Adamus. Vide *Disput. nostram selectam* III. *De Christo Novo Legislatore. Thes.* IX. X. XI.

PARTIS II. DISPUTATIO II.

QUÆ EST DECIMATERTIA.

DE

Creatione Hominis ad Dei Imaginem.

FOedus Dei cum homine Spirituale, sancitum promissione vitæ spiritualis cœlestis, quale jam asseruimus *superiori Disputatione*, demonstrat necessaria consequentia originalem hominis Creationem ad Dei Imaginem; & demonstrationem confirmat à contrario Gangræna Theologiæ *Anabaptisticæ* ista, quod hic quoque apud ipsos sit μηδὲν ὑγιὲς nihil sani.

II. Æquivocationibus ludunt in lingua vernacula: attamen suo indicio se produnt, quomodo admittant phrasin hic receptam; scilicet *ad Imaginem Dei creatos Adamum & Evam* si dixerint, intelligunt, *finem ad quem Adam & Eva creati erant, fuisse expressionem Imaginis Dei. Confessione oposita Faukelio pag.* 75.

III. An ergo intelligunt in ipsa creatione à Creatore impressam imaginem cognitionis Dei, & veræ justitiæ ac sanctitatis *Col.* III. 10. *Ephes.* III. 24. quæ est fides Orthodoxa? Minime: quia auctoritate vernaculæ *versionis Lutheri*, qui verba Pauli, *de primo Adamo facto in animam viventem* 1. *Cor.* XV. transtulit is gemaeckt in het natuerlijck leven, h. e. *factus est in vita naturali*, orbant primam primi Adami creationem omnibus donis supernaturalibus. Ut fallatur, qui existimet illos loqui de creata in homine Dei Imagine, quando eadem C*onfess. pag.* 86. loquuntur de *donis quæ homo creatus à Deo accepit.*

IV. Jam olim *Mennonis* Collega *Dietericus Philippi lib. de Baptismo Christi*, loquens

loquens *de Infantibus*, pronunciat *illos ex parte similes esse Adamo & Evæ ante lapsum: in eo videlicet, quod rudes & simplices sunt nec malum intelligentes*. Ergo intellexit, intellectu infantem fuisse Adamum, sine boni aut mali intelligentia spirituali, scilicet creatum, ut audivimus, *in vita naturali* tantum.

V. Hinc pendet, quod *in Christo homine Imaginem Dei*, sitam in spirituali integritate, bonitate & sanctitate; faciunt *divinam naturam in humana essentia Christi*, naturæ humanæ contradistinctam: atque ob hanc essentiæ humanæ Deificationem monstrosam, heterodoxè *negant humanam Christi essentiam Creaturam esse*. Vide *Disp. de Gangr*. VI.

VI. *Anabaptistarum* ergo mens est; contradictionem implicare, si dixerimus cum creatione prima Adamo inditam fuisse Imaginem Dei, quia creatura non fuit, si Imaginem Dei in se habuit. Quid ergo? Si illos audimus, non ante monstrosam istam humanæ essentiæ Deificationem, attigisset Adamus finem illum suæ creationis, expressionem Imaginis Dei.

VII. Ex istis hypothesibus idem *D. P. libro eodem* Imaginem Dei (ad quam Homo, ut ab initio creatus est, ita renovatur in Christo) vocat *Imaginem Patris cœlestis, hoc est Christum Jesum*; & renovationem ipsam vocat *abnegationem veteris humanæ essentiæ*.

VIII. Orthodoxa fide Imago Dei, de qua sermo est in Scripturis *Gen*. I. 26. *Eph*. IV. 24. *Col*. III. 10. non est personalis Imago Patris Filius Dei 2 *Cor*. IV. 4. *Col*. I. 15. sed communis Patri Filio & Spiritu S. bonitatis divinæ imago & similitudo, à Creatore creaturæ donata & singulariter hominis animæ rationali (supra communia reliquis creaturis divinæ bonitatis vestigia) ab initio impressa, cum Legis obligatione ad ejusdem expressionem in vita & actionibus sanctis & justis, tanquam officium ex beneficio debitum.

IX. Verum illam *naturæ* originalis *Legem*, omnium Legum divinarum in Dei cum homine fœdere spirituali fontem, adulterant *Anabaptistæ*, quando *Confess. oppos. Faukel. pag* 94. 95. *Legem naturæ* definiunt, *Dei ordinationem in natura Hominis, qua homo etiam inclinationem habet, ad illa quæ Lege (spirituali) vetita sunt*; quam inclinationem *negant ex se malam esse*. Atqui contradictionem implicat, ut secundùm unam Legem & ordinationem Dei sit in homine inclinatio, contra Legem Dei alteram: quia sic statuitur in Deo Legislatore *ναὶ καὶ οὔ etiam & non*; & sic ipse fit in primæva Creatione peccati Auctor.

X. Indoctè inclinationem ad ea quæ Lege spirituali vetita sunt, quæ non potest non esse *ἀνομία*, & consequenter *ἁμαρτία peccatum* 1 *Joh*. III. 4. confundunt cum principio voluntatis ejusque affectuum creato: quod antequam à sua rectitudine deflexit, neque ex se, nec per accidens malum fuit, ex quo autem inclinationem habere contra Legem, & sic ex bono malum esse cœpit, orthodoxo sensu negatur ex se malum esse; quia nulli Legi aut ordinationi divinæ in prima creatione accepta ferri potest, aut debet ejus malitia.

XI. Apertior est *Anabaptistica* hæresis de nulla in Adamo primo Imagine Dei, qua secundum similitudinem & imaginem Dei fuerit spiritualiter bonus & sanctus; ex collatione hypothesium, de *Infantibus* venientibus in mundum. Negant enim in Infantibus Naturæ corruptionem, *Pelagiana* hæresi *Confess. pag.* 93. 94. ac tribuunt illis inculpatam *innocentiam*, Onnooselheyt ende Onschuldigheyt. Adeo ut *V. L. Defens. part.* III. *pag.* 55. exclamet; *Ubinam quæso major est innocentia, quam in recens natis infantibus.*

XII. Audiamus tamen, quomodo idem pronunciet de Infantibus, atque consequenter ex *Anabaptisticis* hypothesibus, de Adamo atque Eva creatis in vita naturali. *Quantumcunque*, inquit, *in naturali vita bonus indolis & naturæ homo sit, vel optime emunitus, ut abstineat à via mala, & accedat ad viam bonam vitæ, indiget & opus habet divina institutione, & doctrina, atque exercitatione, quia voluntas & potentia naturalis hoc præstare nequit, ut nimium debilis.* Atqui negamus tam debilis potentiæ naturalis in vita animali creatione Deum defunctum esse, quando ad sui imaginem hominem bonum creavit.

XII. Servata in *Disputationes sequentes* controversia de infantili natura jam corrupta; hoc etiam in præsens asserimus, non fuisse infantilem in Adamo primo Innocentiam, sed adultam, hoc est non fuisse Theologiam illam, qua ipsi cognoscendus & colendus erat Deus Creator, tantum in potentia naturali integra, absque ullo actu aut habitu cognitionis & cultus Dei spiritualis: sed gratiæ Dei dono fuisse deductam in actum & habitum Theologiæ Originalis Legalis. Quæ quidem si spectatur potentia Adamo indita à Creatore, *Naturalis* fuit: spectata autem tota Objecti cogniti latitudine, & illo jam explicato Gratiæ dono, *Supernaturalis* dicenda fuit. Adeoque quamvis naturalis, non tamen animalis, sed spiritualis fuit revera.

XIV. Analogicè sentiendum de omni Lege divina, qua rationali creaturæ imperatur λογικὴ λατρεία *cultus rationalis* juxta pronunciatum Apostoli *Rom.* VII. 12. 14. esse illam *spiritualem*, ac spiritualiter *bonam & sanctam*; sive spectetur ut originaliter habens opus suum cordibus inscriptum cum creatione hominis ad Dei imaginem *Rom.* II. 15. sive ut relata in tabulas scriptas *Rom.* II. 12. 13. 14.

XV. Adeoque asserimus omnem inclinationem *Concupiscentiæ*, contra Legem Dei quomodocunque spectatam, esse peccatum, & argui etiam ab ipsa Naturæ Lege. *Rom.* II. 15. & VII. 7.

XVI. Indoctè autem nec sine impietate cum Naturæ Lege, quæ Deum naturæ Creatorem auctorem habet, confuderit quis aliam *Legem in membris*, quam nominat Apostolus *Rom.* VII. 23. manifesta catachresi. Hæc quippe est ipsissimum Satanæ illegitimum jugum, quo hoc agit ut peccatum regnet & proculcetur legis Dei reverentia. Quæ catachresis cognata est illi qua Diabolus *Deus mundi* appellatur. 2 *Cor.* IV. v. 4.

XVII. Imprudenter huic indoctæ impietati velificantur, qui post *Socinum* ita instituunt *Analysin Capitis VII. ad Romanos à versu 7. versus finem*,

nem, ut scilicet non loquatur Apostolus in persona hominis regeniti, ex sensu luctæ inter carnem & spiritum, sed in persona hominis necdum regeniti, in quo scilicet luctetur ratio cum appetitu inferiori.

Corollaria.

I Nanis argutia est, & contradictionem implicat, quod nonnemo asserit; *Justitiam Originalem Lege non mandari sed approbari.* Item, *Peccatum Originis Lege non vetari, sed damnari.*

II. Nulla esse potuit, nec fuit, neque etiamnum est in Christo ipso naturalis justitia & sanctitas sine interventu Legis naturæ.

III. Perperam negatur naturalis justitia & sanctitas Christi nobis imputata, in nostri coram Deo Justificatione.

PARTIS II. DISPUTATIO III.

Quæ est DECIMA QUARTA.

De

Mortalitate Primi hominis.

POst assertam Fœderis Dei naturam spiritualem, & Creationem primi Adami cum Imagine Dei spirituali, asserenda jam Promissio Immortalitatis illa, qua cautum erat Adamo primo etiam contra mortem corporalem, si perseveranter decurrisset obedientiæ curriculum. Quam assertionem confirmamus affirmatione Apostoli illa; *Mortem in mundum introiisse, per unius* primi *hominis peccatum. Rom.* V. 12. Et ista; *Mortem esse stipendium peccati. Rom.* VI. 23.

II. Supervacua videri queat contra *Anabaptistas* hæc disputatio, si sincere loquutus est *I. Outerman Art.* IV. *t.* 31. & si ex omnium sententia; *Pati & mori non fuisse ab initio humanam proprietatem, quia homo creatus erat immortalis: ita ut mori facta sit proprietas humana per peccatum: & mors non ingressa sit in mundum quam per peccatum, ut docet Paulus Rom.* V.

III. Verum non patiuntur nos securos esse hic de *Anabaptistarum* consensu, quem verba illa præ se ferunt, Hypotheses illorum *Pelagianæ*, de Infantibus morientibus, quos pronunciant *minimè nasci cum peccato aut reatu. Confess. oppos. Faukel. pag.* 94. 95. 96. Item *Confess. alia*, auctoribus *H. d. R. & L. G. Art.* IV. Unde consequens est, quod priori *Confess. pag.* 95. profitentur non obscurè, *conditionem mortalem & vitæ hujus ærumnas non peccato imputandas, sed divinæ ordinationi in naturâ.* Et quod γυμνῶς καὶ κεφαλῶς asserit *V. L. Defens. part.* III. *pag.* 55. 56. *Mortem corporalem non esse stipendium peccati.*

IV. Accedit quod idem V. L. dictat *pag.* 53. 54. verbis Latinis ad libri vernaculi marginem; *Mors nihil aliud est, quam plena corruptionis consumptio:*

& Deus mortem permisit ut ultione prudentior factus homo & melior possit denuo ad immortalitatem duci. Quod paradoxon vix aliam interpretationem admittit, quam juxta *Socini* placita, ut non patuerit Adamo primo unquam aditus ad immortalitatem, quam per mortem corporis animalis, quod ipsi datum fuit in prima creatione. *Socinus Disp. cum Puccio habita anno* 1578.

V. Nullius ponderis sunt, quæ quidem *V. L.* adfert ad erroris *Pelagiani* patrocinium V. G. *Corporalem pœnam infligi ad emendationem ne peccemus: Abelem qui primus gustavit mortem corporalem non mortificatum esse propter peccata sua* 1. *Job.* III. 12. Ista enim nihil faciunt ad demonstrandum, quid ex se sit Mors corporalis seu unde orta moriendi necessitas, in relatione ad jus vitæ & necis quod penes Deum est. Sed tantum dicunt quo loco jam sint apud Deum pii morientes, ut preciosa etiam sit mors ipsorum, & vindicanda à Deo. Nec non quomodo mortem & afflictiones sanctificet Deus ut cooperentur in bonum, ex quo per Christum morti ablatus est aculeus maledictionis. 1 *Cor.* XV. 54. 55. 56. Alias enim illam in se consideratam Paulus ibidem *vers.* 25. & 26. nominat *extremum hostem*, quem in mortuorum resurrectione Christus triumphaturus est.

VI. Quin docet Apostolus (contra V. L. qui dictat, *mortem nihil aliud esse quam liberationem à damnatione & pœna extrema*) remoram plenæ liberationis à maledictione & damnatione esse in morte corporali: quia tunc demum quando in resurrectione carnis mors abolebitur, exspectamus plene consummatam *liberationem & adoptionem. Rom.* VIII. 23. 24. *cum vers* 1. 2.

VII. *Socini* in hac disputatione Achilles est, in Antithesi quam facit Apostolus inter Adamum primum, qui factus in *animam viventem*, habuit *corpus* ψυχικὸν *Animale*, & Christum, qui factus est *Spiritus vivificus*, habetque *corpus spirituale*. 1 *Cor.* XV. 45. 46. 47. Urget autem tanquam naturæ corporis animalis descriptionem illa quæ *versibus* 40. 42. 44. dicuntur de seminatione corporis animalis in corruptione.

VIII. *Pelagiano* dogmati *Socini* hic velificantur imprudentes, qui hoc saltem effici putant ex hoc loco; *quia Christus docetur esse vitæ spiritualis primus fons & vitæ cœlestis quam jam in cœlis vivit primus auctor, non fuisse factam Adamo promissionem vitæ æternæ spiritualis in cœlis sed tantum animalis in terris degendæ*; quod confutavimus *Disp. I. Sec. Part.*

IX. His quidem respondemus, nihil esse in loco Apostoli, quod vel speciem contradictionis habeat, contra Assertionem nostram quæ hæc est; habuisse Adamum primum promissionem vitæ spiritualis cœlestis, æternæ, sed complementum non obtinuisse, quia deseruit justitiam suam: Christum vero & promissionem habuisse & complementum ejus adeptum esse, ob impletam omnem justitiam, atque sic primum hoc præstitisse, ut corpus quod prius ex creatione erat animale, deinceps factum sit spirituale, atque ita evectum supra conditionem vitæ animalis.

X. Respondemus porro contra *Socinum*, minime Apostolum dicere corpus animale in se esse corruptioni obnoxium. Asserit quidem *seminari in corruptione*. At hæc non de primæ Creationis lege, seu per Creationem insita

sita moriendi necessitate accipiendum, sed de sepultura corporis quando terræ mandatur; illam Apostolus sementi comparat v. 36. 37. 38. resurrectionem messi. Ad statum enim sepulturæ pertinet, quam ibidem exprimit, cum *corruptione*, *ignominia*, & *infirmitas*, quæ notant maledictionem & destructionem creaturæ, qua corpori animali vita animalis, & tandem ipsa externa μόρφωσις eripitur.

XI. Ex verbis Apostoli ergo nihil ultra efficitur, quam gloriam cœlestem & spiritualem in qua resurgent corpora nostra nos acceptam non ferre primo Adamo, sed tantum originem corporis animalis & terreni, quatenus in ipso creati sumus: ultra autem corporis illius animalis corruptionem ignominiosam, quatenus in ipso peccavimus.

XII. Nullis autem fidiculis ex Apostoli verbis exprimi potest corpus Adami animale (etiamsi Adamus præstitisset obedientiam quam Deus stipulatus erat) obnoxium futurum fuisse corruptioni ignominiæ & lethali infirmitati. Optimè autem cum mente & verbis Apostoli conveniunt nostræ contra quoscunque sequentes Hypotheses.

XIII. Adamum primum corpore quidem Animali, non Spirituali donatum in prima creatione: tamen in Anima habuisse vitam illam spiritualem quæ principali imagine Dei continetur. Ac porro habuisse ex Veteri operum Fœdere promissionem vitæ æternæ in cœlis degendæ in corpore glorioso quod *Spirituale* vocat Apostolus, si perseverasset in obedientia.

XIV. Animalis autem vitæ in corpore animali conditionem beatam primævam non censemus illa naturæ necessitate abrogandam fuisse, perseveranti in obedientia, etiamsi nullum intercessisset Fœdus promissionis.

XV. Corruptioni vero ignominiæ & infirmitatibus corporalibus aut spiritualibus negamus potuisse Adamum obnoxium fieri, nedum morti, antequam peccasset.

XVI. Postquam vero per peccatum excidit Adamus promissione vitæ cœlestis in corpore spirituali, nihil ad nos propagari potuisse asserimus, quam corpus animale & vitam animalem, & quidem illa lege, ut ipsa illa animalis vita aliquando cum morte commutetur.

XVII. Hoc pacto constare Antithesin Apostoli affirmamus inter Adamum primum & Christum, eventu nimirum dispari, quod ille corpori Animali ex pulvere facto accersiverit necessitatem revertendi in pulverem 1 *Cor.* XV. 44. 47. *cum Gen.* III. 19. Christus autem superinduerit corpori animali gloriam illam merito suo quæsitam, à qua est corporis Spiritualis denominatio.

XVIII. Corpus Spirituale gloriosum, seu Christi, seu Christianorum, in futura resurrectione vocavit Apostolus *Spirituale*, neutiquam Antithesi ad naturam corporum visibilem palpabilem ac suo loco mensurabilem; sed partim, ad peccatum & opera carnis Lege spirituali vetita, partim ad functiones vitæ animalis terrenas. 1 *Petr.* IV. 1. *cum Matth.* XXII. 30. *Marc.* XII. 25. *Luc.* XX. 35.

XIX. Neque existimandum est cum corpore spirituali glorioso contradictionem implicare, quod spiritus non sit, & *carnem atque ossa habeat*. Nec eo detorquenda Pauli verba ista 1 *Cor.* XV. 50. *Caro & sanguis non possunt hereditatem regni Dei consequi.* Intelligit enim Paulus non naturam carnis & sanguinis, quæ opus est creationis divinæ, sed familiari Scripturæ phrasi, corruptionem naturæ, quam ipso illo versu φθορὰν nominat.

PARTIS II. DISPUTATIO IV.

QUÆ EST DECIMA QUINTA.

DE

Peccato Primo Imputato.

FOEdere veteri operum ante lapsum, primus homo cum Eva conjugatus, & factus una caro, obligabatur non suo solius, sed posterorum etiam omnium (qui naturaliter ex congressu maris & fœminæ nascituri erant) nomine, ut stirps generis humani, ex ipsis propagandi.

II. Quod ex eventu calamitoso liquet, quia non sibi tantum lapsi sunt primi parentes, sed ita ut secum traxerint ruinam totius humani generis. Quo intuitu Paulus Adamum primum facit τύπον τοῦ μέλλοντος *typum futuri* Adami Christi *Rom.* V. 14. Quippe ut Christus Legis obligationem sustinuit & implevit & suo & nostro nomine, ut caput & stirps salvandorum omnium, similiter Adamus primus, sed dissimili eventu, eandem sustinuit & suo & nostro nomine: quod si non dictum voluit Apostolus, nihil dixit.

III. Voluisse hoc Apostolum, demonstrant antecedentia & consequentia: docet enim omnes homines peccasse in Adamo, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον Quod non præter usum præpositionis ἐπὶ cum dativo, pluribus interpretum suffragiis, exponitur; *In quo omnes peccaverunt. v.* 12.

IV. Quamvis illud, ἐφ᾽ ᾧ, pro *In quo*, flagitaret aliam interpretationem Grammaticam istam, *eo quod omnes peccaverunt*; quomodo *Anabaptistæ* hærent hic illi versioni *Lutheri*, Dieweil sie alle gesündiget haben: tamen non aufertur illa loci διάνοια, omnes in Adamo peccasse. Quia aliam non patiuntur antecedentia & consequentia ista: *per unum hominem peccatum in mundum introiit, & in omnes homines transiit*; *hoc ipso versu* 12. *Reatus ex una transgressione venit ad condemnationem v.* 16. *in omnes homines v.* 18. *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. v.* 19.

V. Et expressius contra aliam loci διάνοιαν, qua fingatur de actuali peccato omnium illic loquutus Apostolus, militat, quod cum *versu* 12. dixit, *sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum & per peccatum mors*, *etiam sic* (ita interpretamur illud καὶ οὕτως ut nullum sit Anantapodoton) *mortem pervasisse*

vasisse ad omnes homines; illis, ad quos mors sicut per peccatum in mundum introiit pervasit, accenset etiam infantes *qui non peccarunt ad similitudinem peccati Adami*, id est, ad quos mors nulla peccati imitatione sed sola imputatione, & hæreditaria maledictione potuit derivari.

VI. Statuendum ergo necessario ex mente Apostoli in omnibus Adami posteris naturalibus Peccatum Originis bipertitum I. Primum primi hominis peccatum imputatum. II. Deinde hæreditaria illa paupertas spiritualis, qua propagantur omnes ab Adamo primo spiritualiter mortui in peccatis.

VII. Contra primum primi hominis peccatum posteris imputatum hic maxime arietant *Anabaptistæ*, & quotquot hic velificantur hæresi *Pelagii*: sic tamen ut nonnunquam veritas ex invitis pectoribus erumpat. Quam initio ex ipsis lubet audire. *Primo homine in peccatum lapso, & in indignationem, lapsi erant in eo etiam posteri ejus. H. d. R. & L. G. Confess. Art.* IV. *Adami peccatum fuisset causa sufficiens, per quam ipse pro se & omnibus posteris suis, foret obnoxius pœnæ compatatæ ad naturæ corruptionem, adeoque miseriis variis, nec non iræ Dei. Rom.* V. 12. 16. *Confess. oppos. Faukelio Art.* VII. *pag.* 93. Item; *Portamus ergo peccatum Adami. V. L. Defens. part.* III. *pag.* 54. Item; *Pueris de quibus Christus loquitur Matt.* XVIII. 14. *hæreditarius erat reatus, cujus participes erant per transgressionem Adami. J. O. Evidenti Demonstr. Art.* I. § 16. Item; *Si Christus secundum carnem morti erat obnoxius, eo pacto quo pati & mori facta sunt proprietas humana, consequi debet ipsum juxta Rom.* V. 17. *morti obnoxium factum, per peccatum ipsi secundum carnem hæreditarium. Nam alio pacto Mors non introiit in mundum quam per peccatum, ut Paulus docet Rom.* V. *J. O. X. Art.* IV. *ff.* 3.

VIII. Huic veritati ex mente sua obloquuntur *Anabaptistæ*, per inficiationem illam seriam, *neminem posterorum Adami nasci Peccatorem aut Reum. Verum*, inquiunt, *homo demum peccator fit libero suo assensu, & actuali frequentatione peccati: quapropter etiam peccator unusquisque non propter Adami sed propter propria sua peccata Prov.* IX. 12. 2 *Cor.* V. 10. *Gal.* VI. 7. *non quorum passive factus est particeps per* τὸ *peccare Adami cui proinde nec consensit nec cooperatus est, sed qua ipse volens & operans patravit, pati debebit pœnam damnationis. Confess. oppos. Faukel. pagina.* 96.

IX. Repugnat *Pelagiana* ista hæresis διαμέτρως doctrinæ Apostolicæ *Capite ad Romanos* V. quæ illic munita est ista hypothesi, non fore infantes morti obnoxios nisi nascerentur peccatores & rei. Nec non aliis Scripturæ testimoniis, Davidis confessione illa, *ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea Psalm.* LI. 7. Pauli affirmatione illa, *eramus natura filii iræ sicut & reliqui Eph* II. 3. & altera illa qua pronunciat, citra Fœderis sanctificationem liberos utroque parente infideli natos esse *impuros* 1 *Cor.* VII. 14. Quod etiam Christus confirmat, asserens non patere aditum in regnum cælorum per primam nativitatem carnis ex carne, non superveniente regeneratione. *Joh.* III. 5.

X. Adjicimus hanc quoque demonstrationem ex Scriptura, ad confirmandum

mandum hæreditarium peccati primi reatum, quod peccatum in nobis habitans, appelletur *vetus homo*, exuendus instar veteris indumenti, quando jubemur *induere Christum* ut *novum hominem Rom.* VI. 6. *Eph.* IV. 22. *Colos.* III. 9. Nulla est ratio antithesios, qua Christo ut homini novo opponitur peccatum appellatione hominis veteris quam quod novæ cum Christo unioni ad communionem justitiæ & sanctitatis per Iustificationem & Sanctificationem opponatur vetus cum primo Adamo unio, qua participavimus & reatu & fructu transgressionis ipsius ad mortem & damnationem.

XI. *Remonstrantes* vis veritatis fateri cogit, peccatum Adami à Deo imputatum dici posse posteris ejus, quatenus Deus posteris Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit, obnoxios nasci voluit: sive quatenus Deus malum quod in pœnam Adamo inflictum fuerat in posteros ejus dimanare & transire permisit *Apolog. pag.* 84

XII. Dimanationem seu propagationem mali explicant (hactenus quidem non malè) illa naturæ conditione quam ex Adamo peccatores trahunt, quæ privata bono gratiæ & gloriæ non aliter quam posteros eodem bono privatos proseminare potest. *pag.* 57 *verso.*

XIII. In istis hypothesibus stabilito consensu facile disputatio de Imputatione peccati primi abiret in logomachiam, si non hoc lubesset arcanum; malum illud Adamo in pœnam denunciatum ad posteros ejus propagatum, per conditionem naturæ privatam bono gratiæ, non complecti mortem æternam veram cum pœna sensus. Asserunt enim strenue, tantum denunciatam Adamo mortem corporalem sive dissolutionem animæ & corporis quam præcedunt mala omnia ad mortem disponentia & quam deinde æterna pœna damni, id est divinæ visionis, sive gratiæ & gloriæ æternæ privatio consequitur. *Apol. pag.* 57.

XIV. Si vera est ista *Remonstrantium* assertio, omnes Ethnici etiam adulti actualiter peccantes, & in tenebris morientes, quibus non illuxit Euangelium gratiæ & gloriæ, liberantur omni æterna pœna sensus post animæ & corporis in morte corporali dissolutionem, quippe non obnoxii illi iræ venturæ, quæ per Euangelium revelata est, sed pœnæ tantum illi quæ Adamo fuit denunciata.

XV. Ex eadem assertione consequens est, neminem per Christum erui aut liberari verè ab ira illa ventura quæ per Euangelium revelata est 2 *Thess.* I. 10. *cum Matt.* III. 7 sed tantum ab æterna pœna damni Adamo ex hypothesi denunciata, atque sic neminem cui illuxit Euangelium, verè manere in morte & tenebris illis, quibus naturæ conditione, quam ex Adamo traxit, fit obnoxius ut natura filius iræ super quem ira Dei maneat; contra Scripturas *Eph.* II. 3. *cum Joh.* III. 36. I *Joh.* II 9. & III. 14. Sed abolita, ex hypothesi, morte illa æterna quæ habebat pœnam damni, novè per novam comminationem, quæ promissiones Euangelii comitatur, subjiciuntur morti æternæ cum pœna sensus.

XVI. Latet sub hac assertione etiam aliud arcanum *Socinianismi*, non futuram

turam universalem omnium mortuorum resurrectionem, ad adeundam aut vitam aut mortem æternam, quam docet Euangelium, quod *Remonstrantes* hic mussitant. *Apol. pag.* 57.

PARTIS II. DISPUTATIO V.
QUÆ EST DECIMASEXTA.
DE
Peccato Originis & Servo Arbitrio.

PArtiti sumus *Disput. præcedenti* Peccatum Originis in Peccatum primum primi hominis imputatum, & in hæreditariam illam paupertatem spiritualem, qua propagantur omnes ab Adamo primo spiritualiter mortui in peccatis. Posterius hoc Peccatum Originis inhærens, connexum priori, neutrum absque altero, intelligimus appellatione Peccati originis quod vernacule Erf-sonde / h. e. *Hæreditarium peccatum* nominamus, consentanea Scripturis ὀνομαποιΐᾳ, quæ dictat nos concipi & foveri in matris utero in peccato & iniquitate *Psal.* LI. 5. 7. atque hanc conceptionis, & nativitatis impuritatem spiritualem depingit in emblemate impuritatis corporalis à qua purificari opus habent recens in lucem editi ex matris utero *Ezech.* XVI. 3. 4. *&c.* atque affirmat, citra fœderis novam sanctificationem, nasci τὰ τέκνα ἀκάθαρτα *liberos impuros* 1 *Cor.* VII. 14.

II. Contradicunt huic veritati Scripturæ *Anabaptistæ*, quando nativitati infantium primæ citra ullam regenerationem adscribunt *Innocentiæ puritatem, in qua Creatori suo placere queant*, ac asserunt, *actuali demum peccato hominen fieri peccatorem.* Vide *Disp. XV. Thes.* VIII.

III. Quod porro refellitur ista Scripturæ affirmatione, nos in carne & sanguine id est naturæ corruptione, qua arcemur hæreditate regni cœlorum, nisi regeneremur, *gestare imaginem primi Adami* 1 *Cor.* XV. 49. 50. Quia ille corruptus generavit posteros *ad imaginem suam, ad similitudinem suam. Gen.* V. 3. Et sic *quod ex carne genitum est Caro est. Joh.* III. 6. Qui autem carnales sunt & Spiritum regenerationis non habent *Judæ* 19. in carne Deo placere non possunt, nec regnum cœlorum ingredi. *Joh.* III. 3. 5. *cum Rom.* VIII. 8.

IV. Esse autem illam hæreditariam naturæ corruptionem vere peccatum credimus, quia Scriptura expressè nominat etiam illius corruptionis reliquias in regenitis *Peccatum in illis habitans Rom.* VII. 17. 20. *Legem peccati in membris* ἀντιστρατευόμενον *militantem contra Legem Dei. Rom* VII. 22. 23.

V. Irregeniti autem dicuntur *natura filii iræ in peccatis mortui Eph.* II. 1. 2. *& Coloss.* II. 13. *cum Joh.* V. 25. & quatenus serviunt suæ concupiscentiæ, dicuntur *servi peccati. Rom.* VI. 17. *&* 20 *&* VII. 25. *cum Tit.* III. 3.

VI. Ad hæreditariæ istius labis, peccati originalis hærentis in natura, cognitionem pleniorem facit Controversia *de Libero Arbitrio* ejusque viribus ad electionem boni spiritualis. In qua isthæc est Gangræna Theologiæ Anabaptisticæ; *Adamum non fecisse jacturam potentiæ rationalis ad boni & mali discretionem: nec potentiæ voluntatis ad boni aut mali electionem Confess. oppos. Faukel. pag.* 89 *Adamum in statu lapsus non fuisse adeo malum, quin potuerit per usum rationis à Deo concessæ & relictæ auscultare & acceptare bonum ipsi à Deo obveniens per promissionem consolatoriam in Christo ad redemptionem ipsius ipsi oblatam. Quin Adamum reipsa usum*, ista ipsi ad restaurationis usum à Deo concessa, relicta libertate & potentia *Confess. eadem pag* 92 *& pag indicata* 89. asserunt, *tantundem servasse etiam posteros Adami h. e. liberum arbitrium situm in usu rationis ad boni & mali non tantum discretionem, sed liberam etiam electionem Deut.* XXX. 19. *& Josuæ* XXIV. 15.

VII. Loca Scripturæ quæ huc torquent infra vindicabuntur. Contradictoria autem sunt ista, illi quam audivimus affirmationi Scripturæ de homine ante regenerationem mortuo in peccatis & servo peccati Cum qua servitute peccati & morte spirituali in peccatis conciliari nequit libera electio boni spiritualis. Quam ibidem Apostolus inficiatur verbis istis; *quum servi essetis peccati liberi eratis à justitia Rom.* VI. 20. Catachresi manifesta libertatem à Justitia vocans, liberi arbitrii à bono aversionem plenariam, qua Legi Dei nec subjicitur nec subjici potest: propterea quod ipsa *intelligentia carnis*, φρόνημα τῆς σαρκὸς, *inimicitia est adversus Deum. Rom* VIII. 7.

VIII. Illa autem arbitrii libertas ad bonum salutare eligendum & amplectendum, expressè à scriptura vindicatur Spiritui regenerationis, auferenti velamen cordibus impositum; *ubi Spiritus ille Domini, illic libertas.* 2 *Cor.* III. 15 16. 17. *cum Joh.* VIII. 36.

IX. Omnem autem illum rationis usum bonum, quo bonum salutare eligat homo per libertatem arbitrii relictam à Deo in natura, perimit illa Scripturæ affirmatio; *omne figmentum cogitationum cordis ejus tantummodo malum omni die. Genes.* VI. 5. *Figmentum cordis hominis malum* מנעריו *a pueritiis*, numero plurali, h. e. ab extrema pueritia, ac consequenter ante annos discretionis. *Gen.* VIII. 21. Et Pauli de se ipso confessio, qua prælvit isti Exomologesi Catechesios nostræ *Quæst.* VIII *Adeò corrupti sumus, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium proclives. Novi non habitare in me id est in carne mea bonum. Rom.* VII 18. *Peccatum, occasione sumpta per mandatum, genuit in me omnem cupiditatem. vers.* 8.

X. Accedit quod ad ipsam boni & mali spiritualis discretionem, quæ electioni præit, rationis naturalis lux sit caligo mera & tenebræ. Ergo *si lumen quod in ipso est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Matth.* VI. 23. *Eratis olim tenebræ Eph.* V 8 *sub potestate tenebrarum Col* I. 13. *mentem habentes obscuratam abalienati à vita Dei per ignorantiam &c. Eph.* IV. 18. Adeo ut non tantum *Euangelium tectum sit* 2 *Cor* IV. 4. sed etiam non percipiatur spiritualis διάνοια Legis, nisi *ablato* per Spiritum Domini *velamine* cordis 2 *Cor.* III. 7. 18. *cum Rom.* VII. 7.

XI. Gra-

XI. Gratiam autem in Christo exhibitam & oblatam tantum abest ut homo animalis sapientia animali recte discernat aut discat, ut affirmet Apostolus, ipsi *stultitiam esse illa quæ sunt Spiritus Dei, & quæ spiritualiter dijudicanda sunt.* 1 *Cor.* II. 12. 13. 14. Unde fit ut qui carnales sunt & spiritum non habent, quando se ingerunt in mysteria spiritualia, *convitiis incessant quæ non noverunt: quæ vero* φυσικῶς *naturaliter ut animantia rationis expertia sciunt, in iis corrumpantur. Judæ.* 10. 19. Atque sic hominis animalis ψυχικοῦ sapientia evadit ἐπίγειος, ψυχική, δαιμονιώδης, *terrena, animalis, dæmoniaca. Jac.* III. 15.

XII. Ad vindicationem locorum, quos torquent *Anabaptistæ*, dicimus, ex verbis quidem Mosis *Deuter.* XXX. 19. *proposui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, ut vitam eligatis,* minime consequens est *Anabaptistarum* assertio, *posteris Adami ab Adamo hæreditario in vita animali relictam potentiam discretionis nec non electionis liberæ boni & mali.* Sed Mosis sententia ista est; illorum quibus Deus circumcidisset cor, juxta promissionem quæ præcessit *vers.* 6. officium esse ut eligentes viam vitæ, h. e. exercentes se in obedientia mandatorum Dei, demonstrent se non amplius esse incircumcisos seu præputiatos corde, atque sic suam ad vitam æternam vocationem & electionem firmam faciant vitæ spiritualis demonstratione. Per cordis ergo circumcisionem vita spiritualis prævenit vitæ æternæ electionem quæ est officii nostri functio.

XIII. Mirari autem licet bonam fidem *Anabaptistarum*, qui ex loco isto disputant pro libero arbitrio, ad electionem & acceptationem Promissionum redemptionis per Christum. Cum sentiant ipsi *ex promissionibus quæ exstant Deut.* XXVIII. (quas spectavit Moses *Deut.* XXX) *nihil aliud concludi posse, quam Deum ipsis promittere vitam longævam, requiem bonam, & pacem in terra. Nec fas esse promissiones illas ulterius extendere. V. L. Defens. part.* III *pag.* 22. & 24.

XIV. Ex loco altero *Josuæ* XXIV. 15. dicente Josua; *Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet cui servire potissimum debeatis, utrum Diis quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, an Diis Amorrhæorum in quorum terra habitatis? Ego autem & domus mea serviemus Domino*: minime consequens est hoc quod probandum erat, vel Josuam vel populum, sine Spiritu Dei viribus solis naturalibus liberi arbitrii ab Adamo propagatis, elegisse verum veri Dei cultum. Hoc tantum habent verba Josuæ, libero arbitrio eligere suo damno potuisse, qui Deo vero servire nollent, huncpræ illo cultum idololatricum.

XV. Altera responsio esto, electionem istam qua Josua & populus elegit verum veri Dei cultum, non factam esse ab omnibus & singulis in populo, pari sinceritate: verum fuisse hanc publicam cultus professionem, quam frequenter plures eligunt, absque cordis vera ad Deum conversione. Quomodo tempore Hamanis metu Judæorum multi Judæi facti, sola externa professione. *Hester.* VIII. 17.

PARTIS II. DISPUTATIO VI.
QUÆ EST DECIMA SEPTIMA.
DE
Instauratione Hominis lapsi.

ADamo & Evæ lapsis nulla reliqua fuit ex veteri Fœdere operum spes aut exspectatio vitæ æternæ: sed in ipsis omnes naturales posteri, ut *natura filii iræ*, & spiritualiter *mortui in peccatis* Eph. I I. I. 2. 3. *Col.* I I 13. facti sunt *obnoxii per omnem vitam servituti* illi, qua metuenda est mors, & animæ & corporis. *Heb.* I I. 15. *cum Matth.* x. 28.

II. Ex hac calamitate facta est hominis lapsi instauratio per promissionem illam, *semen mulieris conteret caput serpentis.* Genes. I I I 15 Cujus promissionis, in qua fundantur reliquæ, *τὸ ναὶ καὶ ἀμὴν*, *etiam & amen* est in Christo; & paraphrasis ista est, post Christum factum ex muliere, *ad hoc patefactus est Filius Dei, ut dissolveret opera Diaboli* I *Joh.* I I I. 8. Etenim in Serpente Diabolus Evam seduxit. 2 *Cor.* X I. 3. 14. Et contritio capitis serpentis, notat devictam & triumphatam *omnem vim inimici. Luc.* x. 18, 19. 20.

III. Ab hac ergo Promissione arcessenda historia Novi Fœderis Gratiæ, quo instauratus est homo in novam spem promissionis vitæ æternæ, quæ per transgressionem veteris fœderis operum decollarat: & accepit Adam & Eva per fidem peccatorum remissionem gratuitam, & salutem in Christo; qui, quamvis olim demum manifestandus in carne, jam tum intercessit ut Novi Fœderis Sponsor.

IV. Circa hanc primam promissionem Euangelii *Auctores Confess. oppos. Faukelio* ex vi veritatis confitentur, *Adamum, verbis istis Gen.* I I I. 15. *accepisse consolationis plenam in Christo promissionem gratiæ ipsius, ad peccatorum remissionem, ad propitiationem Dei irati, & ad fruitionem vitæ æternæ. pag.* 92. Quod, quomodo concilient cum suis de differentia Veteris & Novi Fœderis hypothesibus, ipsi viderint.

V. Ab efficacia autem erroris est sequens ipsorum assertio *pag.* 92. *Adamum acceptatione promissionis illius non sibi soli, sed omnibus suis posteris acquisivisse & propitiationem & remissionem reatus. Adeo ut nemo ex naturali semine ejus ab ipso instaurato genitus, propagatus, & natus secundum naturæ cursum, nascatur cum peccato, aut mortis æternæ reatu.* Item; *Hominem naturaliter nasci participem Gratiæ Dei in Christo. pag* 97.

VI. Implicant assertiones istæ contradictionem cum Scripturæ hypothesi de Regeneratione, non gigni filios Dei, *neque ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Joh.* I. 13.

VII. Nec sibi constant *Anabaptistæ*, quando in controversia *de Pædobaptismo* argumentum orthodoxum (quod nascantur fœderati Fœderatorum infantes,

infantes, vi Promissionum Fœderis istarum, *ero Deus tuus & seminis tui Genes* XVII. 7. *vobis & liberis vestris facta est hæc Promissio Act.* II. 39. *liberi vestri sancti sunt* I *Cor.* VII. 14) sic conantur enervare: *Frustra est*, inquiunt, *jam putare gratiam Dei annexam esse generationi naturali, atque eo torquere sermonem Legis quem Deus loquutus est Abrahamo dicens, ero Deus tuus & seminis tui Genes* XVII. *Et velle hanc Gratiam sigillis obsignare, ut hæreditarium jus civitatis, aut relictam a parentibus & adnatam nobilitatem, seu immunitates & privilegia.* Item; *Nihil in Euangelio prodesse Nativitatem secundum carnem. V. L. Defens. part.* III. *pag.* 36.

VIII. Nos minime naturali carnis generationi imputamus, quod fidelium infantes sint hæredes promissionis, sed nativitati in sinu & gremio Ecclesiæ Deo fœderatæ; quod *ut Judaicum* respuit idem V. L. *ibidem.* Ipsi autem *Anabaptistæ* illum, velint nolint, errorem errant hic, quem illic rejiciunt, odio Pædobaptismi.

IX. Erroris autem Elenchus iste est. Non patitur in negotio instaurationis per Gratiam Novi Fœderis ex lapsu, universalem totius generis humani in Adamo & Eva repræsentationem eandem quæ fuit ante lapsum, repræsentatio Ecclesiæ nova in Christo ut Adamo novo à Paulo expressa. *Rom.* V. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 21. I *Cor.* XV. 22. 45. 47. Propter quam omnis spiritualis cognatio hæredum promissionis in cœlo & in terra non ex Adamo primo sed ex Christo censetur. *Eph.* III. 15. *cum Hebr.* II. 13.

X. Deinde non patitur illam in Adamo & Eva novam totius generis humani repræsentationem, in hominis lapsi instauratione ipsa concepta formula promissionis, qua prænunciatur fore ex Adami posteris semen aliquod serpentis, cui futura sit inimicitia ἄσπονδος cum semine mulieris. Quod evidenter explicat Johannes de hominibus Adami posteris reprobis intelligendum, docens credentes Dei filios post Abelem experiri hæreditarias à Caino inimicitias, & odia illorum qui manent in morte, quos vocat *Filios Diaboli.* I *Joh.* III. 12. 14. Qui ut à Mose *semen serpentis*, sic à Christo & à Johanne Baptista *semen serpentis & viperarum progenies* dicuntur. *Matth.* XXIII. 33. & XII. 34. & III. 8. *Luc.* III. 7.

XI. Mala fide hic ad erroris patrocinium *Auctores Confess. oppos. Faukel. pag.* 94. torquent loca aliquot *Gen.* XII. 3. & XXII. 18. in quibus exstat Fœderis cum Abrahamo sanciti promissio, *benedicendas in ipso & semine ejus omnes cognationes terræ.* Etenim ne quidem omnes qui sunt naturales Abrahæ posteri, sed soli credentes hæredes sunt promissæ Abrahamo benedictionis. *Gal.* III. 7. 8. 9. 29. Præpostere ergo, ex promissione Abrahamo facta, trahitur hæreditas benedictionis ad naturales omnes primi Adami posteros.

XII. Malè quoque arripiunt locum *Joh.* I. 9. *Hic erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Appellatur enim illic Christus *Lux illa vera &c.* non consideratione officii Mediatorii, quo Deo peccatores reconciliat, sed consideratione æternæ divinæ essentiæ, ut ipse Deus, qui *Lux est* I *Joh.* I. 5. & *pater luminum Jac.* I. 17. adeoque universalis

fons lucis omnis & cognitionis, seu naturalis in vita animali, seu supernaturalis in vita spirituali; quippe creator omnium & singulorum.

XIII. Neque conciliari possunt cum ista loci illius detorsione ad hæreditariam cum Deo reconciliationem in primo Adamo, & quæsitam per naturæ ex Adamo propagationem hæreditatem Gratiæ Dei, hypotheses istæ *Jac. Outerman*; *Christum in corpore suo benedicto fuisse lucem mundi*: *etenim*, inquit, *verum exemplar fuit unicuique sancta sua conversatione ad ambulandum in luce spirituali, & ad imitationem sui in obedientia, ut plenæ lucis. X. Art.* V § 9. 10. Non est hujus loci Hypotheses istas enucleare, & refellere latentem *Socinianismum*, de Christo Servatore exemplari. Hoc ad præsentem disputationem facit, quod non possit Christus dici lux vera mundi illuminans, hæreditaria naturæ per Gratiam illuminatione, omnes Adami posteros, hoc quidem loco; si lux illa mundi & vita dicenda est inesse carni Christi, & illuminare exemplo conversationis ad imitationem Christi.

XIV. Vindicandus porro unus & alter locus quo pugnant *Anabaptistæ* pro universali in Adamo omnium & singulorum restauratione ex lapsu. Prior esto *Rom.* V. 18. *Per unam Justificationem beneficium redundavit in omnes homines ad Justificationem vitæ.* Atqui verba illa non patiuntur extensionem ad alios quam ad multos illos, qui justi constituentur, de quibus sermo continuatur *versu* 19. Quos etiam *versu* 17. dixit Apostolus, *accipere donum Justitiæ*, h. e. ex Fide justificari.

XV. Istam determinationem universalitatis signo universali istic & alibi expressæ circumscriptam cancellis Ecclesiæ, vocandæ efficaciter per verbum & Spiritum Fidei, dictat illustris locus *Act.* II. 39. Ubi Petrus τὸ *omnes* interpretatur *quoscunque advocaturus est Dominus Deus noster.* Qui *omnes vocati* illi sunt, in quibus ad fidem efficax est verbum prædicatum. Qui ut inter *multos* exteriori prædicatione vocatos *pauci* dicuntur *Electi Matth.* XX. 16. XXII. 14. ita soli antonomastice *Vocati* dicuntur 1 *Cor.* I. 24. *Vocati secundum Dei propositum. Rom.* VIII. 28. 30. Et quidem *Multi*, ac *Omnes*, propter Universitatem numerosam multarum chiliadum & myriadum ex omnibus gentibus & nationibus præter Judæos. *Apoc.* XII. 4. 9. *cum* IV. 9.

XVI. Neque aliam interpretationem flagitat locus 1 *Joh.* II. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nec tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis.* Habemus Anabaptistæ *V. L.* sed aliud agentis, probam expositionem istam; *dicit nostris, ut qui etiam esset ex Judæis. Defens. part.* I. *pag* 9 Est sane illa verborum ἰδίωμα: confer quod Apostolus *salutem gentium* nominat *opulentiam mundi*, & *reconciliationem mundi Rom.* XI. *vers* 12. & 15.

PAR-

PARTIS II. DISPUTATIO VII.

QUÆ EST DECIMA OCTAVA.

DE

Gratia Mediatoris Christi.

TRactavimus in *superioribus nonnullis Disputationibus* Gangrænam, quam fecit hæresis *Anabaptistarum* in Articulo *de Incarnatione Christi*, circa Naturam Christi divinam & humanam. Quando asserunt, *secundum Adamum seu Hominem Jesum Christum non habere ex primo Adamo carnis suæ originem, sed ex cœlo; adeoque corpoream carnis Christi substantiam esse ipsam vitam & lucem hominum, & Spiritum vivificum de quo sermo est Joh.* VI. 63. *&* I *Cor.* XV. 45 *non Creaturam Dei, sed Deum ipsum Creatorem.* Quæ paradoxa errorum monstra illic confutavimus.

II. Hæc porro gangrænam faciunt in Fide Officii Mediatorii Christi: quandoquidem pervertunt Apostoli axioma illud, *& qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt omnes Hebr.* II. 11. Non sine vertiginis spiritu asserentes, *impossibilem esse ex uno nobiscum sanguine, seu ex uno Adamo primo, carnis Christi originem:* hanc scilicet ob causam, *quod omnes, qui ex Adamo post lapsum ipsius descendunt, non possint aliam ab ipso vitam trahere, quam quæ fuit in ipso spiritualiter mortuo, peccaminoso & damnabili. Corn. Cuper. Art.* V *§§.* 138. 139. 140.

III. Spiritus vertiginis iste est, quod, verbis his intellectis prout jacent, destruant ipsi suas de *Peccato Originis* Hypotheses, quibus inficiantur *nasci posteros Adami peccatores aut reos.*

IV. Enimvero aliud volunt quam verba præ se ferunt; quia hoc est ipsorum πρῶτον ψεῦδος, ne quidem re integra corpus Christi potuisse originem suam trahere ex animali corpore Adami, cui fini indicatus est locus I *Cor.* XV. 45.

V. Et olet sordes *Davidis Georgii* & carnalia ejus emblemata hominis Spiritualis, quod mortem spiritualem definiant impotentia ad generandam carnaliter carnem Christi. Et quod ex hypothesi in cognatione carnis nostræ cum carne Christi fundant vitam Spiritualem: detortis male verbis Christi *Joh.* VI 63 in quibus ipse à carnali corporis sui substantia nos avocat, ut quæ per se considerata non prodesset quicquam, vindicat autem vivificam & salvificam vim omnem Spiritui Deitatis in carne sua habitantis per Unionem Personalem. Ac de eadem Christi Deitate non de corpore carnis accipiendum πνεῦμα ζωοποιοῦν. I *Cor.* XV. 45. Factus autem dicitur posterior Adam *Spiritus vivificus*, per unionem jam dictam, quia carni unitus est Spiritus Deitatis.

VI. Fidem autem orthodoxam Officii Mediatorii Christi perimunt paradoxa illa, isthac consequentia; quia extra naturam humanam creatam nec potuit Christus fieri sub Lege sponsor seu Fidejussor illius obedientiæ quam

quam juxta Fœderis conventionem homo debebat Deo: neque potuit pœnam & maledictionem istam sustinere quam Deus creaturæ humanæ denunciaverat. *Hebr.* VII. 22. *Gal.* IV. 4. Latentem hic *Socinianismum* de Christo Servatore exemplari obiter notabamus ex *J. O. X. Art.* v. §. 9. 10. *Disputatione praecedenti Thesi* XIII. Item, *Art.* VIII. §. 49. & 50. in hanc sententiam pronunciat, *Christum pœnam nostrorum peccatorum non bajulasse, per justitiam Dei.* Item, *non necessario fieri debuisse per Dei justitiam, ut Christus moreretur: sed tantum propter antegressas Dei promissiones.*

VII. Christum Servatorem exemplarem minimè facit indigitamentum *Lucis* Christo tributum *Joh.* VIII. 12. XII. 46. 1 *Pet.* II. 21. Sed notat liberatorem verum ab ira ventura, qua Deus damnandos abjiciet in tenebras exteriores *Matt.* VIII. 12. XXII. 13. *cum* v. 8. *Heb.* XII. 14. 1. *Pet.* II. 9. 10.

VIII. Perperam & sophisticè hic *J. O.* facit ista æquipollentia; *fieri debuisse per Dei justitiam ut Christus moreretur*, & *fuisse Christum pro se, secundum Dei justitiam, morti obnoxium seu reum mortis.* Distant illa toto cælo.

IX. Thesis orthodoxa illam habet *διάνοιαν*; Christum, quandoquidem libere se stiterat sponsorem & fidejussorem, pro nobis vadimonium explere non potuisse, absque illius naturæ assumptione, ex cujus viribus creatis Deus veteris Fœderis conventione flagitabat cultum spiritualem, & perfectam charitatis obedientiam, & cui infligi poterat pœna mortis homini transgressori denunciata. Atque revera assumpsisse Christum naturam illam, per quam satisfieri poterat divinæ justitiæ, seu quæ ut creatura Creatori subjici poterat, sub humanæ obedientiæ Lege, ad eadem officia charitatis, quæ homini imperata erant, & ad pœnæ maledictionis homini debitæ perpessionem.

X. Frustra Thesin hanc, *per Dei Justitiam debuisse fieri ut moreretur Christus*, evertere conatur *J. O.* locis jam indicatis, hoc argumento: *quia mortuus est Christus ex Gratia Dei & Charitate magna. & quia non sit hoc secundum justitiam, ut quis mori debeat, qui non deliquit. Sed quando talis pro alio moritur, est illa demonstratio gratiæ & charitatis magnæ.* Neque enim asserimus, hoc ex justitia esse ut quis mori debeat qui non deliquit. Sed hoc vindicamus Justitiæ, quod is qui peccatum bajulat, etiam pœnam sustinet, qui quidem ultro pro peccatoribus vadimonium obiit, ac in se recepit se Justitæ satisfacturum.

XI. Quamvis ergo Christus per carnis suæ originem non erat morti obnoxius, ut sanctus conceptus & natus: per finem tamen destinatum Incarnationis istum, ut in carne & anima susciperet in se debitum nostrum, ut sponsor noster, fieri debuit secundum Dei justitiam satisfactio, & non tantum secundum Gratiam & Promissiones antegressas.

XII. Est autem argumenti istius ex Antithesi Gratiæ & Justitiæ solutio ista; conciliari in Mediatoris Christi morte optimè demonstrationem Gratiæ & Charitatis summæ, cum demonstratione Iustitiæ, quia Christum tangit hæc, illa nos.

XIII. Quam-

XIII. Quamvis ergo ad demonstrationem gratiæ & charitatis summæ Christus pro nobis mortuus est: expresse tamen Apostolus docet *ad demonstrationem justitiæ constitutum propitiatorium in sanguine Christi Rom.* III 24. 25. 26. Atque idem confirmat alibi dicens, mortem & sacrificium Christi cruentum necessarium fuisse, *quia absque sanguinis fusione non fit remissio peccatorum. Heb.* IX. 16. —— 22. Et justitiæ rigorem notat illud; *qui Filio proprio non pepercit Rom.* VIII. 32. *condemnavit peccatum in carne v.* 3. *factus est pro nobis maledictio. Gal.* III. 13.

XIV. Gratiæ autem & charitatis summæ demonstratio illustris est in eo, quod nobis Deus pepercit, neque de nobis illud statuit, *anima quæ peccavit ipsa morietur Ezech.* XVIII. 4 adeo ut ipsi *non veniamus in judicium Joh. v.* 24. *& nulla* nobis *sit condemnatio Rom.* VIII. 1. Quin ultra, quod dignetur Deus nobiscum instaurare fœderis societatem, citra ullius justitiæ quæ in nobis hæreat intuitum antecedentem. *Tit.* III. 5.

XV. Illustrior autem hoc ipso est Dei Legislatoris gratia quod nobis donarit ipse Filium proprium fœderis Sponsorem, eique in nostri gratiam non pepercerit. Deinde quod nos voluerit non tantum liberari per Christum à servitute illa, qua metui mortis per omnem vitam eramus obnoxii *Heb.* II. 15. sed insuper nos denuo erexit in spem novam, & exspectationem vitæ æternæ cælestis, quæ est illa gratiæ exuberantia, de qua Apostolus loquitur *Rom* v. 15. 17. 21. *&* VI. 23. Tertio quod ipse nos confirmet in Christum & obsignet. 2 *Cor.* I. 21. 22.

XVI. Porro in sponsore Christo, gratiæ Christi demonstratio est. 1 In voluntaria pro nobis exinanitione, qua ipse *cum dives esset pauper pro nobis factus est.* 2. *Cor.* VIII 9. *Phil.* II. 4. —— 12. II. Quod mercedem illam quam ipse acquisivit merito suo, nobis testamento legavit in morte sua. *Heb.* IX 15. 16. 17. *cum Luc.* XXII. 29. 30.

XVII Ex hac gratiæ Christi analysi liquet, propter *demonstrationem justitiæ*, in sponsore Christo pro nobis punito, uberiorem esse demonstrationem gratiæ & charitatis summæ: itaque frustra esse quoscunque, qui obtentu gratiæ oppugnant veritatem satisfactionis Christi, quia scilicet nulla sit gratia, ubi est demonstratio justitiæ secundum Legis rigorem.

XVIII. Illustrior inquam & uberior est misericordis gratiæ demonstratio, eo nomine, quod non donet nos Deus ejusmodi remissione peccatorum, quæ penitus destituta sit omni gloriatione, quippe non impleta, neque à nobis, neque pro nobis, fœderis violati conditione: sed tali quæ conjunctam habet gloriationem contra judicium, titulo dignitatis & meriti Christi nobis imputati. *Jac.* II. 13. *Apoc.* III. 4 *Matt.* v. 7. *cum Prov.* XXI. 21. 1. *Cor.* 1. 31. *&c.*

PARTIS II. DISPUTATIO VIII.

QUÆ EST DECIMA NONA.

DE

Effectis Unionis Hypostaticæ in Christo Mediatore.

De Deitate Christi patientis & resurgentis actum *Disputatione* VII. in qua asseruimus Deitatem Christo patienti & resurgenti illibatam minimeque imminutam. Istius *Disputationis Thesis ultima* XV. est hujus loci, qua breviter hoc assertum, Apotelesma redemptionis nostræ non constare sola passione ex infirmitate, sed etiam gloriosa perpessionum victoria; atque hanc ob causam intercessisse Unionem hypostaticam duarum in Christo Mediatore naturarum, ut idem qui secundum carnem sustineret passiones, easdem secundum Deitatem vinceret & triumpharet, sui ipsius ex mortuis excitatione.

II. De Effectis Unionis Hypostaticæ analogis hic dicendum explicatius, ad illustrandam Mediatoris Christi gratiam, quæ nulla esset, si, ex *Anabaptistarum* hypothesibus jam confutatis, Mediator Christus seu naturâ, seu per Deitatis immunitionem, nihil esset supra hominem mortalem, qui unicam tantum in se habuisset vitam illam quam in mortem tradidit, ac mortuus nequivisset suis viribus se ipsum vivificare.

III. Quamvis ergo ad nostri redemptionem debuit Mediator Christus *fieri caro & frater noster Joh.* I. 14. *Hebr.* II. II. *&c.* tamen extra Unionem Carnis hypostaticam, cum Spiritu Deitatis Christi vivificante, Caro non prodesset quidquam *Joh.* VI. 63. Adeoque quamvis fratrum primogenitus foret, donorum spiritualium & sanctitatis prærogativa, tamen ex hypothesi ψιλὸς ἄνθρωπος, qui frater tantum esset, destitueretur illa personæ dignitate, quæ ad conficiendum redemptionis omnium in morte unius λύτρον necessaria fuit. *Psal.* XLIX. 8. 9. *cum Act.* XX. 28.

IV. Deinde considerata sola perpessionis infirmitate, & solo dolorum sensu in carne seu natura humana, de qua loquitur Apostolus 2 *Cor.* XIII. 4. illa quidem Mediatorem miseriæ & maledictioni nostræ implicat, sed neutiquam nos ab illa evolvit, donec ipse nos liberaturus se ipsum liberaverit illa infirmitate, per efficaciam roboris potentiæ suæ.

V. Perabsurda hic est mataeologia (quæ verbis Apostoli, *crucifixus est ἐξ ἀσθενείας ex infirmitate*, contradicit) quando *J. Outerman* dictat, *perpessionem mortis fuisse in Christo magnum assumptum robur divinæ omnipotentiæ. Art.* VII. § 32 ----- 37. Nos vero credimus fuisse magnam assumptam infirmitatem humanæ fragilis naturæ, supra quam si ædificata esset fides, abnegato omnipotentis naturæ divinæ non assumpto sed æterno robore in persona Christi, inanis foret & maledicta. 1 *Cor.* XV. 14. *cum Jer.* XVII. 5.

VI. Præ-

VI. Præter geminum effectum illud jam dictum, videlicet personæ redemptoris axioma tantum, ut unus pro omnibus præstet sufficiens λύτρον quippe ipse unus supra omnes *Dominus è cœlo Joh.* III. 31. 1 *Cor.* XV. 47. 2 *Cor* V. 14. deinde robur efficax ad sui ac nostri liberationem ex omni infirmitate; meditanda porro sunt sequentia in Christo Mediatore effecta Unionis hypostaticæ, sine quibus salva esse nequit Mediatoris Gratia, qua roborandum fuit Fœdus Novum. 1. Primum esto quod Christus ut θεάνθρωπος nullam habuit indigentiam necessariam, sed tantum voluntariò assumptam: adeoque nullo obedientiæ suæ merito opus habuerit ad ditandum se ipsum, aut aperiendum humanæ suæ naturæ introitum in gloriam.

VII. Confirmant affirmationem nostram Scripturæ testimonia quibus dicitur ipse ut Filius *hæres omnium Hebr.* 1 2 atque illam gratiam nobis fecisse, quod *dives existens propter nos pauper factus est, ut nos per ipsum ditesceremus* 2 *Cor* VIII. 9. *Non quæsivisse suum sed nostrum lucrum. Phil.* II. 4 5 6. *&c.* Nec acquisivisse gloriam quam non *habuerit apud Patrem antequam mundus esset. Joh* XVII. 5.

VIII. Torquet hic locum illustrem 2 *Cor* VIII 9 *J. O. Art.* VII. § 6 7. & 37 Quasi non propter permanentem in ipsa incarnatione Deitatem gloriosam & immortalem *divitem* pronunciet Apostolus Christum incarnatum τῇ κτήσει. vero hæreditatis jure Quid ergo? Quasi *propter originem carnis ex cœlo gaudio frui, & cœlum occupare potuerit, ac sibi vindicare regnum cœlorum.* Sunt isthæc chimæræ.

IX Frustra huc advocat *J. O* locum 1 *Cor.* XV. 45. ubi Christus postremus Adam dicitur *factus in spiritum vivificum.* Nequaquam enim corpus Christi seu natura humana dicitur facta in Spiritum vivificum, sed homo Christus per Unionem hypostaticam carnis cum Deitate dicitur factus Spiritus vivificus, id est, vivens omnisque vitæ fons Deus ipse. Atque hoc illud est quod asserimus; potuisse Christum (non minus quam se ipsum mortuum vivificavit, ut ipse fons vitæ) inde à primo incarnationis momento, carnem suam beare vitæ æternæ & gloriosæ possessione & fruitione, nisi aliud flagitasset nostri redemptio, & introductio in vitam & gloriam.

X. II. Alterum præsentis considerationis effectum Unionis hypostaticæ, qua supra Adamum primum excelluit homo Christus Jesus, fuitque ad fœdus roborandum dignior, istud est, quod fuerit ipse ἀναμάρτητος impeccabilis, seu nulla peccati tentatione seduci potuerit; quod, siquidem nobiscum vere sentiunt *Anabaptistæ*, viderint quomodo tueantur solidè ex Chimerica hypothesi, de *cœlesti materia & origine carnis Christi, per quam scilicet in essentia humana servarit naturam divinam*, illam quam justitiæ sanctitatis & innocentiæ qualitatibus definiunt. *Conf. oppos. Faukel pag.* 117. Vide *Di. V. Thes.* VIII.

XI. Solide autem ex Unione Hypostatica naturæ Christi humanæ cum divina demonstrari Christum hominem ἀναμάρτητον, liquet. 1. Quia posita illa propositione, θεάνθρωπος *potest peccare* aut θεάνθρωπος *peccat*, verificaretur

 blasphe-

blasphemia illa, *Deus potest peccare*; & consequenter etiam altera illa, *Deus potest merito suo damnari*. Quia propter communicationem idiomatum, quod de persona θεανθρώπῳ affirmatur, fas est enunciare cum ejus denominatione ab utralibet natura. Neque in solo schemate dictionis sita erit impietas blasphemiæ, sed revera redundabit in suppositum divinum peccatum humanæ naturæ assumptæ.

XII. II. Eatenus quoque contradictionem implicat peccatum cum Unione hypostatica, quia hæc dicit necessariò naturæ utriusque amicitiam intimam, & arctissimum pacis vinculum: ex peccato autem resultat inimicitia adversus Deum, & peccator qua peccator *inimicus Dei* est. *Rom*. VIII. 7. & v. 10.

XIII. III. Supponitur autem arctissimum illud pacis vinculum hic indissolubile propter Unionis hypostaticæ τὸ ἀχώριστον, quod non patitur ut illum fiat naturæ alterius ab altera divortium. Peccatum autem dicit divortium & dissolutionem amicitiæ inter Deum & hominem *Esai*. LXV. 2. Peccante ergo ex hypothesi Christo, vel affirmandum contra fidem catholicam Christum potuisse excidere Gratia Unionis; vel dicendum mansuram fuisse Unionem hypostaticam, quamvis ingressa naturarum inimicitia.

XIV. IV. Flagitat quoque necessario ἀναμαρτησίαν impeccabilitatem Christi Mediatoris ipsa Christi Unctio per Spiritum S. ipsi datum οὐκ ἐκ μέτρου, hoc est non dimenso aliquo modulo, quo nobis distribuitur gratia Spiritus S. *Joh*. III. 34. Quia enim unctio illa extra controversiam dicit infallibilitatem in doctrina veritatis & fidei ac pietatis, absque qua nulla esset Unctio Christi in Prophetam summum: consequens est ut Unctio Christi in Regem spiritualem quâ talis dicat impeccabilitatem, in exemplo sanctitatis & justitiæ, quo præiret salvandis salutis ἀρχηγὸς & Dux. Esset enim nimis manifesta Unctio ἐκ μέτρου ista, qua non pariter utrobique esset ἀναμάρτητος Christus & in doctrina & in vitæ exemplo. Vide *Disputationem nostram Selectam I. de Christo Deo mentiri nescio & Homine impeccabili contra hypotheses Remonstrantium in Apologia Confess. cap*. XVII.

COROLLARIA.

UNio hypostatica non efficit carnem seu humanam naturam Christi adorabilem.

II Christus quamvis per Unionem hypostaticam nihil necesse habuit sibi mereri, tamen sine periculo affirmatur sibi & nobis meritus justificationem & glorificationem.

III. Non justificamur Justitia Christi divina sed humana, atque hæc sola & in solidum nobis imputata nos constituit justos coram Deo.

PAR-

PARTIS II. DISPUTATIO IX.

QUÆ EST VIGESIMA.

DE

Electione, & Justificatione gratuita.

VIdimus *Disput. VI. Anabaptistarum* hypotheses de hominis lapsi instauratione adeo universali, ut scilicet *nemo, ex naturali semine ejus ab Adamo instaurato genitus propagatus & natus secundum naturæ cursum, nascatur cum peccato, aut mortis æternæ reus*, Item, *ut homo nascatur naturaliter particeps gratiæ Dei in Christo*. Quam assertionem asseruimus asserimusque contradictionem implicare cum Scripturæ hypothesi de Regeneratione, & pugnare cum primæ promissionis gratiæ concepta formula, & cum gratiæ œconomia, seu dispensationis experientia.

II. Gangrænam facit ipsorum Theologia in doctrina de Electione & Justificatione gratuita, de qua in præsens dicendum. De Electione quidem divina, ad μεθοδείαν τῆς πλάνης seu ad deceptionem idiotarum, sic loquuntur *Confess. oppos. Faukel pag.* 148. ut videri possint contradicere electioni ex prævisa fide bonis operibus & virtutibus. Verum isthoc stratagemate jugulant æternam personarum singularium electionem determinatam ad salutem: quam volunt *demum fieri, quando Christi beneficia credentes amplectuntur, & fideliter servant. pag.* 148. 149. Atque sic *nullam esse Electionem æternam*, aut *decretum de danda personis certis à Deo salute, factum alio intuitu quam fidei, & principaliter perseverantiæ in fide præstita pag.* 149. 151. Atque sic necessaria consequentia nullos agnoscunt ad salutem electos in infantia morientes, ac nullos ante mortem adultos: nulli enim nisi adulti beneficia Christi fide amplectuntur, nec ante mortem censentur ab adultis beneficia Christi fideliter custodita.

III. Orthodoxa assertio contraria est; Electionem divinam ita gratuitam esse, ut decreta sit salus & vita æterna omnibus, seu infantibus, seu adultis, danda non alio pacto quam solo & unico intuitu meriti Christi ipsis imputandi uniformiter, sive moriantur in infantia, sive sub veræ resipiscentiæ & conversionis initia excesserint ex hac vita, sive regenerationi suæ, cum justi temporis perseverantia, & custodia fideli beneficiorum Christi, supervixerint

IV. Confirmant hanc assertionem Scripturæ testimonia quæ personarum singularium Electionem secundum Dei propositum, & discretionem à damnandis vindicant Dei misericordiæ soli in solidum. 1 *Cor.* I V. 7. *Eph.* I I. 8. 2 *Tim.* I. 9. *Psal.* c. 3. *cum Matth.* X X V. 34. *Luc.* X. 20. & X I I. 32. *Joh.* V I. 37. *Act.* X I I I. 48. & X V I I I. 10. *Rom.* V I I I. 29. 30. & IX. 23. 24. *Ephes.* I. 4. 5. 11. *Phil.* I V. 3.

V. Confutant autem difformitatem illam Electionis adultorum & in infantia morientium, nuper credentium & justo tempore perseverantium in fide, viventium & mortuorum in fide, confutant inquam difformitatem illam Scripturæ, quæ communem faciunt salutem fidelibus & liberis ipsorum in infantia morientibus *Act.* II. 39. *& Genes.* XVII 7. asseruntque mortem nihil præscribere solidæ consolationi morientium in vera & seria fide ac resipiscentia, quamvis forte sera. *Rom.* XIV. 7. 8 9. I *Cor.* III. 21. 22 *Rom.* VIII. 38. 39 *cum Ezech.* XVIII. 32. *&* XXXIII. 11. Ac jubent credentes & resipiscentes, ex quo vere resipuerunt & crediderunt, τελείως plene perfecte sperare in eam quæ ipsis exhibetur gratiam & salutem I *Petr.* I. 13.

VI. De Justificatione gratuita doctrinam Ecclesiarum Reformatarum istis convitiis incessunt *Anabaptistæ, prædicare nos latam viam, quando asserimus*, quod Scripturæ usus confirmat, *justificationem esse absolutionem rei, & imputationem justitiæ, qua Deus, absque operum nostrorum intuitu, nobis imputat ac donat justitiam ac indumentum Christi. V. L. Defens. part.* III. *pag.* 48.

VII. Illi autem contra Scripturas dictant *Justificationem esse* (vernaculâ δικαιοποιΐα) en rechtvaerdigh-makinge ofte heyligh-makinge *formationem ad justitiam & pietatem*, adeoque *acceptionem beneficii, quod sit Justificationis causa meritoria, non in eo sitam quod homini imputetur justitia Christi, sed quod fidelis homo quando justus efficitur particeps fit justitiæ Christi. V. L. Defens. ibidem.* Explicant se *Auctores Conf. ss oppos. Faukel* istis hypothesibus; *Gratiam Euangelii non collatam gratiam esse sed oblatam, qua homines non participant citra suam cooperationem* 190 191. *Ita connexa esse in negotio Justificationis fidem & bona opera, ut in eo unum absque altero nihil sit pag.* 194 *adeo ut etiam opera sint media necessaria Justificationis acquirendæ. pag.* 195.

VIII. Refelluntur isthæc affirmatione Apostoli; *justificari hominem per fidem absque operibus legis Rom.* III. 28. *Sicut etiam David pronunciat beatum eum hominem cui Deus imputat justitiam absque operibus Rom* IV. 5 Atque ea propter ita gratuitam esse Electionem, ut *si per gratiam sit non sit jam ex operibus, alioquin gratia jam non foret gratia: sin ex operibus jam non est ex gratia, alioquin opus jam non est opus. Rom.* XI. 6. Ac pariter gratuitam esse justificationem, *ex fide Christi & non ex operibus legis Gal.* II. 16. Atque omnino *Deum nos salvare non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia Tit.* III 3 4 5.

IX Quare etiam Justificationis objectum, homo Justificandus coram Deo, definitur ab Apostolo, (ex se scil. donec censeatur in Christo novus homo) *Impius Rom* IV. 5 *Deo inimicus Rom.* V 10. Unde recte *Justificatio impii* dicitur: quamvis absolute citra Justitiæ Christi imputationem Deus impium justificare nequeat, quia *Iudicium Dei est secundum veritatem. Rom.* II. 2. *cum Ex.* XXIII 7. XXIV 7. *Num.* XIV 18.

X Vindicandus locus ἐναντιοφανὴς *Jacobi Cap.* II *v.* 24. qui in *Anabaptistarum Confess oppos. Faukel pag.* 194 obtenditur; *Videtis igitur ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantum.* De cujus loci cum doctrina

Pauli

Pauli conciliatione quia desperarunt post *Lutherum* nonulli etiam ex nostris, privata opinione, existimarunt laborare auctoritatem Epistolæ Jacobi Canonicam: sed perperam, & contra communem Ecclesiarum Reformatarum consensum.

XI. Conciliatio optima se offert ex totius Epistolæ Jacobi scopo, qui est τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, *probatio fidei* in tentationibus, illorum qui jam ex fide Deum invocant, à Deo regeniti per sermonem insitum. *Cap.* I. *vers.* 2. 3. 6. 18. 21. Quam fidei probationem, ex tentatione perseveranter tolerata, *Justificationem ex operibus* vocat *Jac. Cap.* II. *v.* 21. 24 25. exspectandam vere fidelibus, Abrahami & Rachabæ exemplo, quamvis jam justificatis ex fide.

XII. Verba ergo ista, *non ex fide tantum* (quæ ἐναντιοφανῆ sunt seu contraria videntur istis *ex fide*) conciliantur, per distinctionem Justificationis geminæ, ex quibus altera in exemplo Abrahami manifesto temporis intervallo anteverrit alteram, tanto nimirum quantum intercedit inter primam Abrahæ vocationem qua ipsi datum est τὸ credere in præputio, & oblationem Isaaci. *Gen.* XXII Priori illa vere docet Paulus Abrahamum justificatum non ex operibus sed ex sola fide. Posteriori illa priorem sequuta, quia Abraham jam ante justus justificatus est adhuc, vere pronunciat Jacobus Abrahamum justificatum ex operibus, non ex fide tantum, id est, non tantum priori illa ex fide sola sed etiam hac ex operibus Justificatione.

XIII. Est autem prior illa ex sola *Fide* Justificatio ex causa, qua constituimur Justi, sola Justitia Christi in solidum nobis imputata, & Fidei manu ab adultis apprehensa: quia sola illa est causa judicii divini, quo nos à peccatis absolvit & justos censet Deus, quando ipsi initio conciliamur Foedere gratiæ.

XIV. Altera ex Operibus Justificatio est ex effectis Fidei, ut signis veræ communionis cum Christo & universali justitia ejus: quæ consequenter non à priori constituit nos justos, sed justos demonstrat à posteriori. Hanc Justificationem ut in tentatione experti sunt Abraham & Rachab, atque in hac vita præoccuparunt, sic exspectant illam in altera vita die illo ultimo justi judicii Dei omnes illi qui, ante mortem ex justitia Christi coram Deo justificati, post resurrectionem ex mortuis, ex vita hic peracta justi pronunciabuntur coram toto mundo per judicem Christum: illud enim extremum judicium Christus ipse salvandorum respectu Justificationem vocat. *Matt.* XII. 36 37. *Ex sermonibus tuis justificaberis*: scilicet ut judicii argumentis, & justitiæ fructibus. Atque sic Jacobo cum veritate, & cum ipsius Christi verborum συνῳδίᾳ optime convenit: salva Pauli affirmatione de Justificatione ex sola Fide.

PAR-

QUÆST VIGESIMA PRIMA.

DE *Vocatione Efficaci.*

EX hypothesibus heterodoxis de Peccato Originis, & de Instauratione universali hominis lapsi, ac nulla Electione vere gratuita, hæc consequenter Thesis est Anabaptistarum de Vocatione ad salutem efficaci. *Quando Deus hominem vocat, per Euangelium ex Fide salvandum, posse homines constitutos adhuc in morte peccati, audire vocem filii Dei, qui Vita est; & alienatos à Deo Patre ipsorum, destitutos pane cœlesti & cibo vivificante animas, in mediis porcorum siliquis, sentire famem suam; & derelicto fonte aquæ vitæ, per experientiam sentire sitim suam.* Adeoque, *habere non tantum potentiam & libertatem eligendi vitam & amplectendi beneficia oblata: sed posse etiam à Deo precari ad vitam necessaria. Eorum autem non fieri participes, quin potentiam illam sua cooperatione ad Gratiam accipiendam exserant.* Confess. oppos. *Fankel. pag.* 190. 191.

II. Enunciantur illa fere verbis Scripturæ male detortis, & annotantur ad marginem ac producuntur alia loca, quæ in præsens vindicasse erit Thesin ipsam refutasse. Offert se primo locus *Joh.* v. 25. *Veniet tempus & nunc est, quum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent.* Verum non magis hinc confirmatur posse mortuos in morte peccati adhuc constitutos, spiritualiter audire vocem Filii Dei, quam ex *versu* 28. confirmari queat, audituros in sepulcris vocem Filii Dei mortuos, ante corporum vivificationem. Utrobique autem verba Christi accipienda sunt de mortuis qua spiritualiter quà corporaliter vivificatis. Neque aliud probant verba illa, *qui audierint vivent*; quæ vivificationem primam ex morte spirituali non exprimunt, sed supponunt ac cumulant promissione consequentis vitæ æternum perennandæ.

III. Frustra quoque huc adducunt locum *Gens* III. 8. 10. de Adamo post admissum peccatum *audiente Deum vocantem*: ibi enim nihil expressum est præter vocem auribus corporeis ab Adamo auditam. At quis negat hominem spiritualiter mortuum posse audire auribus corporis? Interim qui sic pollent auditu non habent aures ad audiendum, istas quibus opus est ad resurrectionem ex morte peccati.

IV. Non ex parabola *Filii prodigi Luc.* xv. 14. 16. 17. hoc habetur; sensisse illum sano sensu miseriam suam, aut desiderasse appetitu ordinato, atque esuriisse panem paternum, quando ipsi vorandæ primo fuere porcorum siliquæ, seu secundum *Anabaptistarum* glossam *in impia praxi peccati occupatum.* Contrarium affirmant verba illa initio *versus* 17 *Quum autem ad se redisset* Et aperte, ante sanatam mentem, non paternum panem sed *porcorum siliquas desiderasse* dicitur, *ut illis ventrem impleret. vers.* 16.

V. *Ier.* II. 10. verbis illis de *derelicto fonte aquæ vivæ*, ne γρῦ quidem vel præmissum est vel subnectitur, unde exsculpi possit hominem derelicto fonte aquæ vivæ, alienatum à vita Dei, posse sitire salutem & vitam: verum subnectitur *versu.* 19. quæ ipsi maledictio sit ex spectanda.

VI. Adducunt porro frustra *Psal.* CVII. 5. 6. 7. ubi *de corporali fame & inedia*, atque ex eadem liberatione divina, sermo est: sicut mox *vers.* 17. 18. 19. de morbis & infirmitatibus lethalibus. A quo sensu literali si veniendum ad allegoricum, aut mysticum, habebimus pro vera esuricione, *nauseam & cibi fastidium*, in ipsa inedia.

VII. Pariter frustra adducunt locum *Amos* VIII. 11. 12. ubi spiritualem *famem & sitim* Deus non promittit in benedictionem, sed comminatur in maledictionem, cui succumbant in mortem. *vers.* 13. 14. Enimvero probanda erat salutaris & vitæ prognostica fames & sitis, illa quam beatitudinis characterem facit Christus *Matth.* v. 6.

VIII. Notant quoque *Deut.* XXX 12. de quo respondimus *Disp.* VI, *Thes.* XII.

IX. Locus porro *Joh.* I. 11. 12. nihil facit pro *Anabaptistarum* Thesi. Dicuntur quidem *Christum accipere* seu amplecti, qui in ipsum credunt: sed non istis viribus, quas reliquas habent adhuc mortui in peccatis. Verum vendicantur vires illæ *versu.* 13. regenerationis dono, exclusa liberi arbitrii cooperatione: dicuntur enim *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti.* Quæ verba habent Anti-thesin generationis carnalis, & regenerationis spiritualis illam, quod illic intercedat, & benedictionem divinam antecedat voluntas carnis & voluntas viri generantis liberos: hic autem solus regeneret Deus, nullam voluntatem humanam subsequens, sed ipsam præveniens. Quandoquidem enim voluntati carnis aut viri, soli in solidum, minime vindicari potest generatio carnalis: sed ipsa quoque censetur Dei donum *Psal.* CXXVII. 3. *cum Genes.* XXX 2. Anti-thesis ergo alia esse nequit hic, quam ista, carnalem generationem nec Deo nec homini soli in solidum tribui posse, quia generantis viri & carnis voluntatem sequitur divina benedictio: regenerationem autem Deo in solidum vindicandam.

X. Nihil porro efficiunt ex illis Capernaitarum verbis *Joh.* VI. 34. *Domine da nobis semper panem istum*; neque ex istis mulieris Samaritanæ *Joh.* IV. 10. *Domine da mihi aquam istam, ut non sitiam.* Utrobique subest carnalis ac profana verborum Christi subsannatio: qua carnaliter acceperunt, quæ spiritualiter intelligere non poterant. Ut cum ratione insaniant qui hinc satagunt exprimere salutarem famem ac sitim panis aut aquæ cœlestis in media morte peccati.

XI. Manet ergo inconcussa demonstratio efficacis vocationis divinæ ad salutem absque synergia seu cooperatione humani arbitrii, ex Scripturæ illa affirmatione, homines esse ante vocationem efficacem *mortuos in peccatis. Eph.* II. I. *Col.* II. 13.

XIII. Adulterant autem Scripturæ διάνοιαν *Anabaptistæ*, quando mortis istius in peccatis istam faciunt periphrasin, *praxin peccati & impietatis*, Synonyma enim illis sunt *in morte peccati*, & in de dadelijckheyt van der ongoddelycke sonde. Quo mysterio nullos in peccatis mortuos censent, nisi actualibus peccatis immersos: contra Apostolum qui nos omnes pronunciat *naturâ filios iræ Eph.* II. 3. 13. Atque hoc ipso impudentior est ista de viribus liberi arbitrii assertio, si etiam in quibuscunque operariis iniquitatis illa reliqua est libertas & facultas, ut & *Æthiops pellem, & leopardus maculas suas mutare* possit; quod Scriptura inficiatur. *Jer.* XIII. 23.

XIV. Perimunt autem συνεργίαν liberi arbitrii, seu cooperationem à qua pendeat vocationis divinæ efficacia, infinita Scripturæ testimonia; in quibus illustre est illud *Eph.* I. 18. 19. quo Apostolus affirmat ingenerari nobis fidem illa *efficacitate fortis roboris ipsius, quam exseruit in Christo quum excitavit eum ex mortuis:* ac in meditatione vocationis nostræ ad salutem, jubet nos meditari quæ sit *excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nos jam credentes*, qua scilicet nos cum Christo excitavit ex mortuis *Eph.* II. I. 5. 6.

XV. *Anabaptistæ* verbis quidem profitentur Fidem esse *opus Dei* in homine & *donum Dei*: sed operationem divinam circumscribunt his cancellis I. Dare homini intellectum rationalem, & rationis usum relinquere liberum ad electionem aut vitæ aut mortis. 2. Mittere aut deponere, ac mandare ut prædicetur, verbum suum, ut medium quo ad fidem homo adducatur. 3. Augmento Spiritus illuminare interiorem intellectum, & fidem in homine confirmare. Homini autem hanc tribuunt cooperationem. I. Audire Verbum Dei, scrutari, & in aures intromittere. 2. Convictum judicio rationis verbo assentiri, idque fideliter accipere. 3. Precibus flagitare donum Spiritus S. *Confess. oppos. Faukel. pag.* 202. 203. 204. 205. Faciunt ergo Fidei ἀποτέλεσμα opus hominis convicti judicio rationis, exterius tantum verbo illuminatæ: quod inficiatur Apostolus I *Cor.* II. 4. 5. & affirmat Fidem nostram deberi potentiæ Dei, revelantis per Spiritum suum quæ humanitus persuaderi non possunt sapientibus in hoc mundo.

XVI. *Anabaptistæ Confess. oppos. Faukel. pag.* 203. ubi Fidem faciunt utriusque & Dei & Hominis Deo cooperantis opus, *si*, inquiunt *Fides esset opus solius hominis, immerito quoque appellaretur opus Dei, & donum Dei Joh* VI. 29. *& Col.* II. 12. Ac perperam putant in posteriori quidem loco ullam homini relinqui cooperationem, ubi efficaciæ divinæ nos vivificanti ex mortuis cum Christo vindicatur Fidei donatio.

XVII. De loco *Joh.* VI. 29 (quamvis soleat etiam à nostris haberi parallelus, atque hoc *Anabaptistæ* hic admittant) censemus, Christum non vocare *Fidem opus Dei* sensu isto, quod Fidem in nobis operetur Deus, sed quod τὸ Credere sit opus nostrum Deo acceptum: respondet enim Christus ad mentem interrogantium. Quamvis autem credentes operentur opus Deo acceptum, operari tamen non possunt illi τὸ credere, donec citra ipsorum cooperationem Fidem operationis novæ novum principium Deus infuderit.

PAR-

PARTIS II. DISPUTATIO XI.

Quæ est VIGESIMA SECUNDA.

DE

Fide & Imperata & Donata.

ANabaptistarum contra Vocationis efficacis gratiam Achilles est; *necessario per hominis cum Deo synergiam seu cooperationem, in homine effici Fidem: quia absque illa hominis cum Deo cooperatione inane sit & ridendum præceptum quo homini mandatur τὸ Credere, nec non omnes monitiones, exhortationes & comminationes, ac promissiones,* quibus munitum est hoc præceptum. Quod prolixe urgent *Confess. oppos. Faukelio pag* 202. 203. 204. Hic cum *Anabaptistis* paria faciunt *Remonstrantes, Episcopius in Collegio Disput. quod edidit Festus Hommius Disp. XIV. de Fœdere Novo Thes.* 3. *Conditio quam stipulatur Deus continetur præceptis Fidei & resipiscentiæ Ineptos autem esse credimus illos, qui hæc duo conditiones N. T. esse negent: sed ea aut sub promissis N. T. comprehendunt, aut Habituum vel qualitatum infusarum nomine definiunt, cum habitus & qualitates infusæ sub præcepto nullo modo cadere possint.* Nos fidem spem charitatem asserimus, non solis actionibus, sed habitibus ut actionum principiis esse definiendas. Esse autem Habitus vere à Deo infusos.

II. *Habitum* merito vocamus Fidem, & analogice Spem & Charitatem, præeunte Scriptura, quæ affirmat nos *Fidem habere. Matt.* XVII. 20. & XXI. 21. *Marc* IV. 40. & XI. 22. *Luc.* XVII. 6. 1 *Tim.* I. 19. *Jac.* II. 1. 14. 18 Et quidem arcano habendi modo, ut illam videat in nobis solus Deus, *tu Fidem habes, penes temet ipsum habe coram Deo. Rom.* XIV. 22. Qui habendi modus explicatur habitatione in nobis, *ἥτις ἐνῴκησε, quæ inhabitavit primum in avia tua Loide & matre tua Eunice, persuasus autem sum, quod etiam in te.* 2. *Tim.* I. 5. Inhabitat autem Fides in nobis ut χάρισμα Spiritus S. ut æquipolleant *habere Fidem*, & *habere Spiritum Fidei.* 2. *Cor.* IV. 13. Quare etiam Fides vocatur *Unctio in nobis manens nos docens omnia.* 1 *Joh.* II. 10. 27 Minime ergo univoce dicimur habere fidem & habere bona opera. *Jac.* II. 1. 14. 18 Nisi per bona opera metonymice intelligamus Charitatis habitum, ex quo manant actiones & opera charitatis.

III. Habitum autem Fidei non acquisitum sed infusum asserimus hoc argumento, quia Spiritus Sancti unctio, & χαρίσματα ejus quibus renovamur & regeneramur, à Spiritu S. *in nos effundi* affirmat Scriptura *Tit.* III. 6. Atque sic *charitas Dei effunditur in corda nostra per Spiritum sanctum, qui donatur nobis. Rom.* V. 5 sic *baptizamur Spiritu S.* quando *Deus per Fidem purificat corda. Matt.* III. 11. *Act.* XV. 9.

IV. Assertio autem illa, *quod Habitus & qualitates infusæ sub præcepto nullo modo cadere possunt*, si absit Sophistice, falsa est. Quamvis enim sub præcepto non cadat actus Dei infundentis & ingenerantis habitum, adeoque nec existentia habitus infusi ratione illius originis: attamen non uno

modo sub præcepto cadit, & antequam divinitus infundatur, & postquam infusus est. Antequam Euangelicè infunditur, præcipitur à Lege pædagogo ut labore & exercitatione acquirendus, donec experiatur homo τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, *Impotentiam Legis*, quâ *per carnem infirmata est. Rom.* VIII. 3.

V. Postquam autem Spiritus sublevans infirmitatem nostram Fidem infudit, rursus sub præceptum cadit habitus Fidei, quatenus conservandus & fovendus est meditationibus perpetuis & jugi exercitatione, ut applicari possit illud Pauli; *depositum serva* 1 *Tim.* VI. 20. & *ne negligito donum quod in te est*. 1. *Tim.* IV. 14. hoc modo exsertè præcipit Christus ἔχετε πίστιν θεοῦ, *habete Fidem in Deum. Marc.* XI. 22. & Jacobus vetat *habere Fidem ἐν προσωποληψίαις cum acceptione personarum. Jac.* II. 1.

VI. Enim vero esto, ipsi habitus & qualitates infusæ nullo modo cadant sub præcepto, an inde efficietur aut non esse infusos habitus, aut si infusi sint, non cadere sub præcepto actiones per quas illi se exserunt? Hoc illud est quod probandum erat, sed minimè probatur.

VII. Quid? quod ipsa illa opera fidei spei & charitatis, puta τὸ credere τὸ sperare τὸ diligere, quibus per nos mandatis Christi obedientia præstatur, merito comprehendantur etiam sub promissis N. T. quia Scripturæ affirmatione etiam Dei χάρισμα seu gratia gratis data est τὸ πιστεύειν, *credere*, τὸ πάσχειν *pati Phil* 1. 29. Et Deus dicitur *pro beneplacito suo in nobis ἐνεργεῖν efficere, & τὸ velle & τὸ efficere Phil.* II. 13. Et expressæ sunt illæ Novi Testamenti formulæ, quibus ipsa resipiscentia, exercenda in peccati mortificatione & bonorum operum studio, promittitur, tanquam donum Dei, quod ipse operaturus sit in nobis, ut isthoc signo & argumento solida sit consolatio. *Jer.* XXXII. 40. *Esai.* LIX. 2. 1 *Pet.* 1. 4. 2 *Pet.* 1. 3. 1 *Joh.* III. 8. & V. 18.

VIII. Quamvis ergo credentes dicamur *operari opus Dei*, id est Deo acceptum *Joh.* VI. 28 29. neutiquam tamen per nostram cum Deo nos regenerante cooperationem efficimur credentes. Sed ex quo Deus absque nobis nos fecit credentes, operamur illo opere Fidei salutem nostram, non per modum causæ principalis sociæ, sed per modum causæ instrumentalis subservientis divinæ operationi, qui, ex quo nos insevit Christo, fruendam nobis donat jugiter consolationem conscientiæ, in donata & imputata Justitia Christi.

IX. De Præcepto ergo πιστεύετε, *Credite* sic censemus, Legem esse, non Euangelium, quæ operi præscribit normam & modulum, & secundum quam judicatur Fides robusta aut imbecillis: atque hac in parte sitam esse Legis pædagogiam, quæ Euangelio ancillatur. Adeo ut præceptum illud, quatenus urget debitam operis perfectionem, materiam ministret non spei sed desperationi, quemadmodum Lex reliqua est *occidens litera*: spem autem gignit, quatenus nos vocat ad propriæ Justitiæ abnegationem, & exhibet ejusmodi objectum operationis Fidei nostræ, in quo præexistit solidum consolationis fundamentum, etiam contra ipsam Fidei imbecillitatem, & operis Fidei imperfectionem.

X. Euange-

X. Euangelice ergo accepta vox illa, *crede & fidem habe*, æquipollet consolationi qua datur fidei πληροφορία, ut tuto recumbat in Gratiam Christi anima salutem sitiens, juxta illud, *ne metue solummodo crede Marc.* v. 36.

XI. Ad ἐπισφαλμιοῦ autem, seu ut os obturetur quibuscunque, qui hæc existimant *ridicula* esse, *neque posse fieri per Dei sapientiam, ut quod nobis mandatur tanquam opus nostrum idem in nobis efficaciter operetur ac gratis nobis donet Deus, aut se operaturum & donaturum promittat*, abunde sufficit unus ille prælustris locus *Marc.* XIII. 11. ubi sic discipulis suis loquitur Christus, *quum autem vos traditos duxerint, ne ante soliciti estote, quid dicturi sitis, neque meditamini, sed quidquid datum vobis fuerit illo momento, id loquimini: non enim estis vos qui loquimini sed Spiritus Sanctus.* Præceptum & Monitio inest verbis istis *id loquimini.* Promissio adest tam illustris, ut nihil dici possit ultra, qua independenter ab ipsis, in ipsis & per ipsos, operatio Spiritus S. promittitur. Impius tamen sit qui dixerit non loqui Christum, *ut sapientem monitorem decet.*

XII. Promissio autem illa quamvis restricta foret ad *miraculosam effusionem donorum* illorum, quibus Apostoli indigebant ad Apostolatus functionem: tamen demonstraret, non implicare contradictionem cum Dei aut Christi monitoris sapientia, *Deum hoc quod homini præcipit in homine operari, per determinantem efficaciam.*

XIII. Enimvero certissimum est, illa miraculosa effusione Spiritus S. auctam & confirmatam Apostolis consolationem Fidei, ad obeundum intrepidè & perseveranter martyrium pro Christo; in quo per ipsos loquutus est *Spiritus Fidei*, ille per quem omnes credentes *ut credunt ita loquuntur* 2. *Cor.* IV. 13. Quod confirmat, in ipsa Christi promissione repetita, nomen *consolatoris Spiritus Joh.* XIV. 16. 26. & XV. 26. & XVI. 7. Consolationes autem Apostolis datas, omnibus credentibus usu communes esse docet Apostolus 2 *Cor.* 1. 4.

XIV. Concludimus, perimi *meliores* illas *promissiones* quibus novum Fœdus sancitum est, si tantum imperatur & non donatur Fides, & Fidei obedientia. Meliores enim promissiones nullæ sunt in Novo Fœdere, neque certiores quam fuere in Veteri, si per illas non hoc averruncatur, ne confœderati non persistant in Fœdere, aut promissione excidant. Ob hoc enim asserit Apostolus locum quæsitum Novo Fœderi, quod confœderati non perstiterint in illo fœdere. *Hebr.* VIII. 7. 8. 9. *cum Rom.* VIII. 1.

PARTIS II. DISPUTATIO XII.

QUÆ EST VIGESIMA TERTIA.

DE

Differentia Legis & Euangelii.

Communis est *Anabaptistarum* Theologiæ, cum Theologia *Dominicanorum & Jesuitarum*, nec non *Socinianorum*, & *Remonstrantium*, gangræna hæc, quod veram Legis & Euangelii differentiam pervertunt, isthac hypothesi; *quod Euangelium sit Nova Lex Novi Legislatoris Christi, quæ successerit Veteri Legi Moysis Legislatoris Veteris.* Cui hypothesi obviam itum est in Ecclesiis Euangelicis, orthodoxa assertione ista: *nisi nomen Legis generaliter pro doctrina accipias, Euangelium Christi propiè non esse Legem. Nec præcepta Legis quæ continentur in scriptis Apostolicis esse novam legem, sed veteris Legis juxta sententiam Spiritus S. explicationem. Neque ex Christo faciendum esse Novum Legislatorem, neque ex Euangelio faciendam esse novam Legem.* Videatur in *Harmonia Confessionum Confess. Wirtemb. Artic. de Euangelio Christi*, & *Apologia ejusdem Confess. contra Dominicanum Petrum à Soto, Lutherus in Epistolam ad Galatas, Melanchthon in Locis Theol. passim, & in Catechesi puerili, nec non Catechesis Urbani Regii, atque aliorum.*

II. Missis jam adversariis aliis audiamus *Anabaptistas*. Asserit *V. L. Defens. part.* III. *pag.* 70. 73. *A Christianis flagitari conversationem ejusmodi, qualem à discipulis suis nunquam flagitaverit Moses: atque Christum ad legem adjecisse id quod Legi deerat, in ipsis moralibus mandatis, quæ spectant justitiam, pacem ac concordiam & communem honestatem: additione facta suarum legum, atque flagitando & docendo multo perfectiorem Charitatem & pleniorem justitiam, quam unquam docuit Moses.* Perperam, ut particulatim ad singula Decalogi præcepta à nobis demonstrabitur in *Gangrænæ hujus Collegio* III.

III. Hujus loci est hic elenchus erroris perniciosi; Mosaïcæ Legis Legislatorem veterem esse ipsum Christum; quippe Mosis servi fidelis Dominum. *Hebr.* III. 5. 6. Quod imprudenter *Pontificii*, non sine prævaricatione alii, negare necesse habent cum *Anti-Trinitariis*, ac consequenter evertunt Unitatem Deitatis in sacrosancta Trinitate. Necessaria enim consequentia, si novus Mose posterior Legislator statuitur Christus, statuitur novus Deus, novum numen, alius à Deo Mosis & Israëlis. Nobis ut unicus Deus est, solus inde ab initio supremum & independens jus vitæ & necis habens *Matth.* X. 28. sic idem *Unicus* fuit, est, atque erit *Legislator* hoc nomine metuendus. *Jac.* IV. 12.

IV. Deinde ipso Mose antiquior est, & cum ipsa hominis ad imaginem Dei creatione naturæ inscipta originaliter, Lex perfectæ charitatis & justitiæ: ejusque tantum δευτέρωσις seu repetita doctrina Lege Mosaïca morali continetur, cujus ab initio Mose & Prophetis ac Patriarchis antiquior auctor

auctor & Magister summus cum Patre & Spiritu S. ipse Christus Dei Filius in forma Dei existens.

V. Mosaica illa *αὐθεντία* juris divini, quæ Lege morali continetur, minimè laboravit ulla ejusmodi imperfectione, quæ flagitaret correctionem & interpolationem per nova & meliora charitatis & justitiæ dogmata. Non patitur illam imperfectionem Scripturæ affirmatio, præcepta Legis moralis *spiritualia esse Rom.* VII. 12. 14. habere perfectionem & sufficientiam plenissimam in *instructione ad omne opus bonum* 2. *Tim.* III. 15. 16. 17.

VI. Accedit ipsius Christi protestatio novam Legislationem perimens; se non venisse Legis Veteris antiquandæ causa, sed tantum *ut Legem impleret*, quippe factum sub Lege sponsorem nostrum ad implendam justitiam omnem à Lege præscriptam. *Matt.* V. 17. *cum* III. 15. *&* *Gal.* IV. 4. *&* *Hebr.* VII. 22.

VII. Confirmat idem Apostolus, ubi negat per Fidem *irritam fieri Legem*, sed contra asserit *illam stabiliri. Rom.* III. 31. Quod conciliari non potest cum *versus* 27. detorsione ista, quæ hic adversariorum Achilles est, quasi *Legem operum* & *Legem fidei* dixerit Apostolus ex illa hypothesi, quod Legi veteri operum Mosaïcæ successerit nova Lex Fidei, demum à Christo tradita. Ut scilicet ubi dictum fuit per Mosem, *hoc fac & vives*, Christus ut Legislator novus imperet opus Fidei & novam obedientiam Fidei, cujus jam intuitu promittat vitam æternam. Conciliantur autem optime *versus* 27. & 31. observatione illa supra indicata ab auctoribus *Confessionis Wirtebergensis*, ut *versu* 27. *nomen Legis generaliter pro doctrina accipiatur, quemadmodum*, inquiunt, *Prophetæ aliquoties nomine Legis usi sunt.*

VIII. Non fit autem irrita Lex operum, sed stabilitur per doctrinam Fidei hoc pacto: ut, ubi in Veteri Fœdere operum Legi operum connexus fuit obligationis rigor ille, ut ex viribus propriis Homo ipse justitiam omnem impleret, atque ex hoc rigore accipiendum illud *hoc fac & vives*, jam in novo fœdere Gratiæ mandatum illud *Crede* non flagitet novum illud opus Fidei, ut illud justitiæ operum Legali substituatur, ejusque operis intuitu Christus donet vitam æternam: sed tantum ut per Fidem & per τὸ Credere agnoscatur donata Christi satisfactio qua pro nobis ipse & nostro loco justitiam Lege operum mandatam implevit.

IX. Perimitur ergo & ipsa Lex operum, & Lex Fidei ex mente Apostoli intellecta, quando illi antiquatæ ejusmodi nova Lex operis Fidei & obedientiæ substituitur, ut à Christo novo Legislatore expectanda sit vita æterna, ut merces Fidei nostræ & obedientiæ opere consummato quærenda. Quandoquidem merces illa vitæ æternæ credenda est per Gratiam Christi nobis jam quæsita perfectæ ipsius justitiæ merito, ex quo in ipsum credidimus. *Qui credit in eum habet vitam æternam. Joh.* VI. 40. *&* III. 36.

X. In Christo quidem Θεανθρώπῳ non implicant contradictionem ista, Legislatorem esse, & factum esse sub Lege. Tamen in Gratiæ quæ per Christum facta est conceptu sunt ἀντικείμενα contrarie opposita. Ut quandoquidem, fide salvifica de Gratia nobis facta per Christum, ipsum salutamus

tamus factum sub lege *Gal.* IV. 4. *cum* 2 *Cor* VIII. 9. non possimus ipsum salutare ut Gratiæ auctorem titulo novi Legislatoris. Hoc enim pacto essemus sub Lege, non sub Gratia, ac consequenter per Apostoli affirmationem sub maledictione *Gal.* III. 10. 18. *cum Rom* VI. 14, 15.

XI. Quod hic contra urgetur locus 1 *Joh* II 8. ubi Johannes profitetur se scribere *mandatum novum*, frustra est, & ex collatione *versus* 7 facile solvitur nodus. Vocatur à Johanne *versu* 8. idem mandatum novum certo respectu circumstantiarum, quod absolute loquendo *versu* 7 negat novum esse, *Fratres*, inquit, *novum mandatum non scribo vobis sed mandatum vetus quod habuistis jam inde à principio. Vetus illud mandatum sermo ille est, quem audistis jam inde à principio.* 8. *Rursus mandatum novum scribo vobis, quod verum est, & in ipso & in vobis &c.* Rem totam explicant verba ista postrema, quorum hæc est διάνοια; novam esse quæ mandato veteri affulsit lux, quod per Christum, perfecte impleta Lege charitatis, facta est gratia & veritas, quando scilicet veraces Dei promissiones nactæ sunt suum ναὶ καὶ Ἀμὴν, *Etiam & Amen. Joh.* I. 12. *cum* 2 *Cor.* I. 20. Quæ veritas etiam in nobis per Spiritum Fidei obsignatur, & nova obedientia ex Fide demonstratur. 1 *Joh.* II. 3. 7.

XII. Breviter una eademque Lex charitatis, & vetus & novum mandatum appellatur, Vetus quidem, quantisper ex veteris Fœderis operum conventione Legali homini ὑπεναντίον adversaria est, exigens debitum, atque ut vis peccati subjiciens hominem servituti ad metum mortis & condemnationis 1 *Cor.* XV. 56. *cum Hebr.* II. 15. ac vinciens, & in carceris custodia detinens *Matth.* XVIII. 18. *Gal.* III. 23. Hoc enim Paulus vocat *vetustatem literæ occidentis. Rom.* VII. 6. *cum* 2 *Cor.* III. 6. Quamvis electis carcer & servitus illa cooperatur in bonum, ut pædagogia ad Christum compellens. *Gal.* III. 24.

XIII. Novum autem mandatum eadem Lex appellatur, quod, *novè à novo homine Jesu Christo* impleta ejus justitia, quam frustra extra Christum flagitabat, jam deinceps illis qui in Christo sunt *nova creatura* præscribatur ut regula *vitæ novæ*: quin per novam sanctificationis gratiam, quæ *novitas Spiritus* dicitur, inscribatur tabulis cordis, *Rom.* VII. 6. *cum* 2 *Cor.* III. 3. *& Jer.* XXXI. 33. Adeoque, ut ante servitutis, sic nunc *libertatis Lex* sit, monstrans & dirigens verum usum Christianæ libertatis *Jac.* I. 25.

PAR-

PARTIS II. DISPUTATIO XIII.
QUÆ EST VIGESIMA QUARTA.
DE
Bonorum Operum Dignitate & Perfectione in hac vita.

ADserta & vindicata jam vera Legis & Euangelii differentia, corruit non tantum crassior *Pontificiorum* hæresis de Merito Operum, ex intrinseca operum bonorum dignitate, etiam citra Mercedis liberalem promissionem. Quod meritum esse Non ens evincitur tribus illis vulgatis Meriti conditionibus. 1 Ut qui meriturus sit operetur de suo, nihil acceptum ferens illi cui operatur. 2. Ut neque opus debitum sit ulla præcedenti obligatione. 3. Ut utilitatem illi afferat cui præstatur. Quas ad Meriti destructionem rationes suppeditant testimonia. *Luc.* XVII. 9. 10. *Rom.* XI. 35. *Matth.* XX. 15. *Job.* XXXV. 7. *Ps.* XVI. 2.

II. Verum corruit etiam, interpolata à *Dominicanis & Jesuitis*, nominatim *Petro à Soto* & *Gregorio de Valentia*, doctrina de Justificatione ex Operibus novæ obedientiæ secundum novam Legem novi Legislatoris Christi, quæ subnixa est hac hypothesi; *Promissiones Euangelicas sicut promissiones Legis Veteris ab observatione mandatorum tanquam à conditione dependere.* Pro qua hypothesi dimicat peculiari tractatu de *Differentia Veteris & Novæ legis Greg. de Valentia*, & in *Confutatione Confess. Wirtemb. P. à Soto.*

III. Hac eadem hypothesi nititur *Anabaptistarum* de Bonis operibus in negotio Justificationis assertio, quâ (ut simpliciores decipiant, qui meminerunt secessionis à Papatu causam etiam hanc justam fuisse, Papisticam de Meritis operum bonorum hæresin) *Christo* quidem *soli* vindicant *Causam Justificationis Meritoriam Confess. opp. Faukel. pag.* 183. 184. 187. attamen *Dignitatem* tribuunt nostro *operi Fidei pag.* 193. *cum* 203. nec non reliquis *bonis operibus, & perseverantiæ in Fide & Bonis operibus pag.* 194. Ac pugnant isthoc argumento: *quia Fides istiusmodi præceptis docetur, imperatur & mandatur, quibus promittitur merces vitæ æternæ. pag.* 203. Cujus argumenti nervi jam incisi sunt inde à *Disp. XI.*

IV. Eadem est *Remonstrantium* hypothesis, qui in *Necessaria Apologia contra Dan. Heynsium edita A.* 1620. imperito lectori persuadere conantur, *à Luthero & Melanchtone non fuisse motam Pontificiis controversiam de Justificatione ex propria obedientia & operibus Euangelicis, sed de bonorum operum opinione imaginaria, aut Meritis ejusmodi operum, quæ tantum sita sint in externis cæremoniis, quæ vel hominibus imperantur ab aliquibus Sacerdotibus, vel quæ ipsi vovent per ἐθελοθρησκείαν, ut sunt peregrinationes, supplicationes votivæ, processiones nudipedes seu discalceatæ.* Atque hac dissimulatione adhibita orthodoxam *Lutheri & Melanchtonis* doctrinam passim in ipsorum scriptis obviam, de Justitia Christi imputata, hoc scommate subsannant: *quod similiter dicamus*

mus

mu , *hominem peccatorem à Deo pronunciari justum, ac si album & candidum pronuncies Æthiopem candida veste candidatum aut albis coloribus illitum aut pictum.*

V. Hæc interpolata de Merito bonorum operum hæresis solide refellitur, tribus (ad Meritum ex Fœderis conventione quacunque stabiliendum necessariis) conditionibus, sine quibus ipsi Legis Euangelicæ perfectioni derogatur. Sunt autem istæ tres. 1, Perfectio Graduum. 2. Perfectio Partium. 3. Perfectio Perseverantiæ sine incisione aut intercisione consummata. Ex illis tametsi largimur in hac vita Perfectionem partium & Perfectionem perseverantiæ sine intercisione, attamen Perfectionem graduum, quin perseverantiæ sine aliquo unquam lapsu, & incisione obedientiæ pernegamus. Ut recte pronunciet *Catechesis Heydelbergensis Qu.* LXII. *Non posse nostra bona opera esse justitiam vel partem aliquam justitiæ coram Deo, propterea quod oporteat eam justitiam quæ in judicio Dei consistat perfecte absolutam esse, & omni ex parte divinæ legi congruentem. Nostra vero etiam præstantissima quæque opera in hac vita sint imperfecta, atque adeo peccatis inquinata.* Quod posterius membrum responsionis confirmant loca. *Ps.* CXXX. 3. *Esai.* LXIV. 6. *Jac.* III. 2. 1 *Joh.* I. 8. *Prov.* XX. 9. 2 *Chron.* XXX. 19.

VI. *Anabaptistæ* hic in *Conf. oppos. Faukel. pag.* 210. 211. videri possent nobiscum agnoscere continuam in hac vita graduum imperfectionem, quando profitentur, *nunquam Fidem ad tantam evadere perfectionem, quin fidelibus non tantum utile, sed necessarium sit Verbum Dei, quod est panis spiritualis, quo anima vivit, ad vitæ fidei incrementum, confirmationem, & conservationem.* Sed latet anguis; ubi porro loquuti *de diversis Fidei gradibus*, annotant loca ista 1 *Joh.* II. 14 *Deut.* VIII. 3. *Matth.* IV. 4. *Eph.* IV. 15. Scilicet graduum Perfectionem assecutos censent illos, quos Johannes prædicat *fortes esse, & malum illum vicisse.* Hanc enim *V. L. Defens. part.* II. *pag.* 94. 95 vocat *Perfectionem Euangelicam divinæ justitiæ & bonitatis, qua malos homines, etiam in iis quæ faciunt bonis, vincimus.* Ne autem quis existimet vocare illum *Perfectionem Euangelicam*, quæ aliquam imperfectionis veniam flagitet, explicat se istis hypothesibus; *minime sub Lege imperatam fuisse tam perfectam justitiam, quam sub Euangelio, Perfectionem Legalem tantum fuisse Euangelicæ Perfectionis umbram.* Item; *nunquam in lege fuisse Perfectionem illam, sed sub Euangelio.* Sub quo *oportet esse plene perfectos Filios Dei: quia nempe Euangelium flagitat homines, dignos cœlesti mercede.*

VII. Ad elenchum erroris dicimus; nihil ex ista hypothesi Christianis adultioribus in hac vita deesse ad ipsissimam illam perfectionem, quam homo Christus Jesus attigit in diebus carnis. Nam ipse quoque *incrementum cepit sapientiæ & gratiæ apud Deum Luc.* II. 52 & vixit anima ejus, & nutrita est pane spirituali Verbi Dei. *Matth.* IV. 4. *cum Joh.* IV. 32. Et sitiit quoque in animæ angoribus verbum consolationis, quo etiam angeli ministerio roboratus est. *Luc.* XXII. 43 44. Neque verbo tantum, sed sacramentorum usu pascere animam suam debuit & voluit, ad roborandam fidem suæ vocationis ad munus susceptum. *Matth.* III. 15. *Luc.* XXII. 15 --- 18. Hoc pacto scilicet *Anabaptistarum* juvenes illi fortes qui malum vicerunt,

perfecti

perfecti imitatores Christi, à peccati imperfectione in hac vita liberi, tantum Verbo Dei porro vivunt & sustentantur, ad vitæ spiritualis incrementum & corroborationem: qualem, si *Pontificios* audimus, cum Christo conformitatem attigit *S. Franciscus*.

VIII. Istam cum Christo ipso perfectionis Euangelicæ conformitatem *Papistico Anabaptisticam* perimunt præter loca jam indicata *Thesi V.* ista etiam loca, quæ etiam in sanctissimis in hac vita statuunt *luctam* illam qua *contra Spiritum concupiscit caro. Gal* v 17. Ut quando vel maxime promptus est Spiritus, tamen obrepat carnis infirmitas vitiosa *Matth.* xxvi 41. *Marc.* xiv. 38. quam Paulus *Rom.* vii. vocat *Peccatum in se habitans vers* 20. *& Legem peccati in membris suis. vers* 23.

IX. Hanc luctam carnis & spiritus frustra *Anabaptistæ* torquent, ad *luctam mentis cum appetitu ante regenerationem.* Etenim caro in locis quidem jam indicatis non significat naturam creatam, sed corruptionem & labem peccati, quæ etiam in mente & ratione ipsa habitat, non minus quam in facultate sensitiva *Rom.* viii. 6 *cum Matth.* vi. 23 Rursum Spiritus locis indicatis, contra carnem concupiscens & promptus, significat omnes & superiores & inferiores animæ facultates, quatenus imbutas gratia Spiritus Sanctificantis: qui ea propter etiam ipsum corpus & corporis membra inhabitare dicitur 1 *Cor.* vi. 15 19. *Rom.* viii. 11. *&* ἀναλόγως regeniti dicuntur corpora sua sistere Deo hostiam vivam, sanctam acceptam Deo, ad rationalem cultum Dei. *Rom.* xii. 1.

X. Paulum quidem in lucta carnis & spiritus, carnis nomine intellexisse Peccatum Gratia Spiritus domandum, idque occupans ipsam rationis arcem, evidens est ex recensione operum carnis, qua in censum veniunt *idolatria & hæreses. Gal.* v. 20. Quæ quidem non possunt dici pullulare ex inferioribus & corpori immersis animæ facultatibus: sed peccata sunt, maxime spiritualia, spiritus voce intellecta pro animæ facultate rationali.

PARTIS II. DISPUTATIO XIV.

Quæ est VIGESIMA QUINTA.

DE

Certitudine Salutis, & Perseverantiâ in Fide.

TRansformato in Legem Euangelio, & posita Operum nostræ obedientiæ dignitate & Perfectione in hac vita, ad salutem obtinendam necessaria: non potuit sarta esse doctrina orthodoxa *de Certitudine salutis, & de Perseverantia in Fide.* Hinc est Gangræna illa, de nulla certitudine salutis & remissionis peccatorum, qua se consolari possit peccator vere resipiscens, qui resipiscentiæ suæ non supervixerit justum tempus ad novæ operum obedientiæ consummationem. Pronunciant

ciant enim *Confess. oppos. Fauckel. pag.* 390. *Quamdiu vivit & mentis compos est, admoveri posse ut ad Deum confugiat, erigi consolatione illa, Deum esse benignum & misericordem, qui nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Verum,* inquiunt, *ut consolationibus istis consolemur quosvis morientes, quantumvis impie vixerint, utque ipsis asseramus certitudinem remissionis peccatorum, nullum invenimus Dei Verbum quod nobis hic præeat. Quapropter neque illa confidentia ausimus uti, ut quibusvis hominibus in mortis articulo consolationes ejusmodi applicemus. Neque tamen pronunciamus, non posse gratiam aut remissionem peccatorum impetrare peccatorem, qui in fine & termino vitæ verè se ad Deum convertit. Committimus hoc Dei sapientiæ, utpote de quo nullam habemus in Verbo Dei plenam certitudinem.*

II. Eadem est hic Theologiæ *Remonstrantium* Gangræna, quam prolixe exhibet *posthumum Ed. Poppii opusculum, Consolatio ægrotorum, primum editum Anno* MDCXXV. post *Anabaptistarum Confessionem* hanc editam *Anno* MDCXXIV. Censet quidem ille, flagitandum à Deo ægrotis etiam verè conversis, ut ipsis necessarium, justum vitæ tempus quo successive porro operis ipsorum cœpti labor consummetur. Scilicet quia (quod affirmat idem *Augustæ portæ pag.* 282.) *merces vitæ æternæ dabitur nemini, nisi iis qui laborem obedientiæ usque ad vitæ finem consummaverint, neque alio pacto, quam intuitu in illud ipsum plene consummatum opus.*

III. Nos ex vera doctrina de Euangelio, credimus Deum omnibus salvandis uniformiter daturum vitam æternam, non alio pacto quam solo & unico intuitu principali Meriti Christi ipsis imputati. Atque ea propter consolationes Euangelii in Verbo Dei universales esse, ut nemo vere conversus, sive sub veræ conversionis & resipiscentiæ initia excesserit ex hac vita, sive regenerationi suæ justo tempore supervixerit, illis consolationibus orbandus sit.

IV. Confirmat Universalitatem istam promissionum & consolationum Euangelicarum Christus invitans absque ulla temporis præscriptione, aut vitæ brevioris vel longioris limitatione, seu præfinitione, *omnes fatigatos & oneratos. Matt.* XI. 28. Ac pronuncians *beatos* indefinita loquutione *pauperes spiritu, lugentes, esurientes ac sitientes justitiam Matt.* V. 3. 4. 6. Denique promittens *ex iis qui ad ipsum venerint se neminem ejecturum foras. Joh.* VI. 37.

V. Expresse autem contra scrupulum de sera in morte conversione, modo seria sit, consolationis Universalitati cautum est juramento divino, *nolo mortem impii sed ut convertatur impius à via sua & vivat*, morientibus applicato *Ezech.* XVIII. 32. *cum* XXXIII. 11.

VI. Et mortem nihil hic præscribere consolationi morientium in vera & seria, quamvis sera, resipiscentia, porro confirmant loca *Rom.* XIV. 7. 8 9. 1 *Cor.* III. 21. 22. *Rom.* VIII. 38. 39.

VII Non est hic illud negligendum, contra quoscunque vel *Anabaptistas* vel *Remonstrantes*, negata hac vera Gratiæ Universalitate, quæ præstat consolationes Universales, morientibus in vera conversione, & interdicta sero

ſero quamvis ſerio converſis conſolatione Scripturarum, nihil eſſe niſi inanem conſolationis πρόφασιν in illa *Gratiæ & Redemptionis per mortem Chriſti Univerſalitate*, quam faciunt ſuæ Religionis ἀκρόπολιν.

VIII. Accedit quod horrendum & blaſphemum eſt, (id quod hic erroris efficacia per neceſſariam conſequentiam *Poppio* expreſſit *Auguſtæ Portæ pag.* 229. & in *Ægrotorum Conſolatione*) ablata ex verbo Dei certitudine ſalutis, omnium morientium in vera converſione, ſtatui *extra & ſupra Euangelium, inauditam & ἀλλόκοτον Electionem & Reprobationem, qua Deus abſolute libero Dominii jure damnat nonnullos vere converſos & contritos corde, quibus ex hypotheſi veræ converſionis non poteſt juxta Euangelium annunciari exſpectatio damnationis: ac rurſum ſervat nonnullos via per Euangelium non patefacta quibus in nomine Chriſti non poteſt annunciari exſpectatio vitæ æternæ. Ad quam ſcilicet arcanam, in vera converſione morientium, Electionem an Reprobationem, oporteat referre & verba Chriſti Matth.* XX. 16. *pauci Electi, & verba Apoſtoli Rom.* IX. 18. *Miſeretur cujus vult & indurat quem vult.*

IX. Connexa eſt heterodoxiæ iſti, de ſalutis morientium in vera converſione incertitudine, altera Heterodoxia *de Sanctorum Perſeverantia incerta.* Aſſerunt *enim Anabaptiſtæ Confeſſ. oppoſ. Faukel. pag.* 206. 207. ſine ullis ambagibus, *vere fideles Dei Filios poſſe fieri infideles filios Diaboli, ac conſequenter jacturam facere ſalutis ſuæ: & veram eſſe aſſertionem ſuam* contendunt, quinque argumentorum claſſibus. Tres quidem priores iſtæ ſunt. 1. *Admonitiones Propheticæ & Apoſtolicæ ipſiuſque Chriſti contra Apoſtaſiam.* 2. *Exhortationes ad Perſeverantiam.* 3. *Cura & ſolicitudo anxia miniſtrorum Dei, de ſua & fidelium perſeverantia.* Reliquæ duæ ſunt. 4. *Prædictiones futuræ Apoſtaſiæ.* 5. *Aperta teſtificatio & querela de Apoſtaſia præſenti.*

X. Ad diſputationis compendium, tribus prioribus claſſibus argumentorum opponimus hanc Antitheſin; Deum admonitionibus, exhortationibus, nec non curæ & ſolicitudini iſti, qua obviam itur ſanctorum apoſtaſiæ, ita benedicere, ut nulla eveniat vere fidelium filiorum Dei totalis aut finalis Apoſtaſia.

XI. Antitheſin noſtram confirmant tres quoque argumentorum claſſes. 1. Expreſſa Fœderis Gratiæ formula illa *Jer.* XXXII. 40. *Pangam cum illis Fœdus æternum, ut non deſinam ipſis benefacere: & indam timorem meum cordibus ipſorum, ut non recedant à me.* 2. Teſtimonia Scripturæ expreſſa, quæ affirmant, fideles etiam *ſe ipſos ſervare & à Deo ſervari*, ab illa Apoſtaſia, à qua comminationibus abſterrentur. *Heb.* VI. 9 & 1 *Joh.* V. 18. 1 *Pet.* 1. 5. 3. Teſtimonium conſcientiæ fidelium de ſua Perſeverantia, quo ipſis comminationibus contra Apoſtaſiam opponunt clypeum fidei: in quam rem illuſtris eſt illa fidelium Antiphona ad divinas promiſſiones & comminationes *Hebr.* X. 38. 39. *Juſtus ex fide vivet*: at *ſiquis ſe ſubduxerit, non probat eum animus meus: at nos non ii ſumus qui nos ſubducamus ad exitium, ſed qui credamus ad animæ ſalutem.*

XII. Ad claſſem teſtimoniorum quartam, in qua ſunt prædictiones, & quintam, in qua ſunt querelæ de Apoſtaſia, reſpondemus, vel non agi de ſan-

de sanctorum vere fidelium à fide interiori vera, sed de Hypocritarum ab exteriori professione & cultu defectione: vel de vere fidelium defectione, à qua resurgunt per gratiam Dei, quę neque totalis neque finalis est. Totalem enim Apostasiam, qua ex Filiis Dei fiant filii Diaboli, non patitur vel unica illa promissio divina. *Ps.* XXXVII. 24. Et qui à Finali induratione in defectione & lapsu non præservantur, ut ad querelas & lamentationes divinas flere nesciant *Matth.* XI 17 *Luc.* VII. 32. illos cum Johanne affirmamus nunquam fuisse vere sanctos & fideles filios Dei. *Ex nobis exierunt, quia non erant ex nobis: si ex nobis fuissent, utique mansissent nobiscum, sed hoc factum est ut manifestum fiat non omnes esse ex nobis.* Ad loca ἐναντιοφανῆ respondebitur particulatim in disputationis actu.

COROLLARIUM.

AN sensus ille orthodoxus petitionis tertiæ in Oratione Dominica, *juva nos ut tam prompte & alacriter tibi obediamus in terris quam promptè & alacriter Angeli in cœlo;* aut doctè aut piè impugnetur ab *Episcopio, Dictatis istis* ἀνεκδότοις *in Matth.* VI. 10. *Si res consideretur, merito quæri posset, ecquis ille gradus promptitudinis sit qui in Angelis reperiatur, & in hominibus locum habere non posset. Anne ulterior gradus promptitudinis dari potest, quam quod faciant sine ulla lucta, cum voluptate & desiderio gloriæ divinæ, id quod Deo gratum est? At vero hic gradus in hominibus regenitis locum habere potest. Dicam,* inquit, *amplius: Eousque gradus hic in homine intendi potest, ut cupere & optare possit, mori potius pro alio morte crudelissima, quam non obedire præceptis Dei. Hoc in Angelum cadere non potest.* Negatur.

PARTIS II DISPUTATIO XV.

QUÆST VIGESIMA SEXTA.

DE

Sancta Catholica Ecclesia.

PEr erroris, de sanctitatis in hac vita Perfectione, efficaciam, hæc quoque est *Anabaptisticæ* Theologiæ Gangræna, de Sancta Ecclesia Catholica; ut illam etiam in terris militantem censeant, aut nullam, aut sine ruga & macula sanctam esse. Pronunciant enim, *in cœtibus Ecclesiæ per orbem terrarum dispersis, Ecclesiam Dei, quæ proprie in rei veritate talis sit, & actualem cum Deo communionem habeat, sine macula aut ruga esse; hoc videlicet pacto, ut nemo sit in Ecclesia ista vera tali aliqua macula contaminatus, per quam impediri queat, quo minus cum Capite & Servatore corporis istius recipiatur in communionem gloriæ ipsius, & in gaudium æternæ beatitudinis. Confess. oppos. Faukel. pag.* 158. 159.

II. Pal-

II. Palliant hæc verborum ambagibus, quibus incautioribus videri possint eadem nobiscum loqui, (de Ecclesiæ Catholicæ invisibilis & particularis visibilis distinctione) & fateri, non esse Ecclesiam in his terris visibiliter collectam sine macula aut ruga. Verum intelligentem neminem latere potest satis explicata ista sententia; in latentibus tantum hypocritis, non in vere credentibus membris visibilis Ecclesiæ, maculas ab ipsis agnosci, atque in eam sententiam ab illis adnotari locum *Eph.* v. 27.

III. Enimvero ista sunt verba Pauli *versibus* 25. 26. 27. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata.* Verborum autem διάνοια nequaquam est ista, Ecclesiam, antequam Christus eam sibi sistat gloriosam, esse jam plene sanctam & inculpatam, non habentem maculam aut rugam aut quicquam ejusmodi, in visibili hac sanctorum communione, *in statu Gratiæ*, quæ purificata est lavacro aquæ per verbum. Sed manifestè *ad statum gloriæ* consummata illa sanctitas refertur, qui à nobis commutabitur cum *statu Gratiæ*; in quo aspiramus quidem ad immaculatam illam Sanctitatem sed necdum illam assequimur, ut suo exemplo testatur Paulus. *Phil* III. 12. 13. 14. Qui etiam hac vita functos, in animabus separatis demum, vocat *Justos consummatos. Hebr.* XII. 23.

IV. Confirmat Sanctificationem Ecclesiæ in terris militantis inchoatam tantum, nec ante vitæ terminum consummandam, *Baptismi* appellatio attributa morti illorum, qui Christo commoriuntur *Marc.* x. 38. 39. ut nempe intelligatur, morte Christi acquisita peccatorum nostrorum ablutio, in morte demum nostra peccati maculas plene eluere. Unde illa hominis regeniti suspiria; *Ærumnosus ego homo! quis me eripiet ex isto corpore mortis? Rom.* VII. 24. *Cupio dissolvi & esse cum Christo. Phil.* I. 23.

V. Porro observamus, alio etiam rapere *Anabaptistas* distinctionem Ecclesiæ visibilis & invisibilis, ut scilicet in terris partiantur Ecclesiam Dei, in *partem Visibilem* & *partem Invisibilem*, hac notione, ut pars invisibilis sit multitudo etiam aliqua hominum, quæ etsi extra congregationem Ecclesiæ visibilis vixerit, destituta vocatione per Verbum Euangelii, ut censeri nec potuerint nec debuerint Ecclesiæ in terris membra, tamen *comperientur vera Ecclesiæ invisibilis, quæ corpus Christi est, membra. Luc* XIII. 29. In hanc enim sententiam torquent verba Christi *Matth.* VIII. 11. 12. *Dico autem vobis multos ab oriente & occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo & Isaaco & Jacobo in regno cœlorum, filios vero regni ejectum iri &c. Confess. oppos. Faukel. pag.* 161. Atque ex hac hypothesi benignius scilicet pronunciant, *meliora se sperare de bonorum Magistratuum, aliorumque plurium bene affectorum hominum salute*, quamvis illos nolint admittere in partem visibilem Ecclesiæ Christi. *pag.* 226. 227.

VI. Non diffitemur statuendam esse Ecclesiæ Christi in terris militantis partem aliquam, non adjunctam ad communionem externam cœtus visibilis per Sacramentorum usum; de quibus illud scitè dicitur, *multos*

esse ex

esse ex Ecclesia, qui non sunt in Ecclesia. At minime istos tales censemus; quales hic ex falsa sua de Centurione hypothesi intelligunt *Anabaptistæ*, qui absque verbo vocationis & fide Euangelii justitiam operentur in ipso Gentilismo, & Deo placeant. Intelligimus autem cœtum fidelium, qui vel ordinariè per pastores sunt vocati ut Catechumeni, vel præter hunc ordinem, saltem privata revelatione, seu lectione & auditione Euangelii, ad fidem sunt perducti.

VII. De Centurione gentili Capernaumi, manifestum est, credidisse illum in Christum ex auditione Euangelii. Similiter Euangelii auditione ad fidem perducendos intellexit Christus illos ab Oriente & Occidente venturos & accubituros in regno cœlorum.

VIII. De cætero, quos statuimus esse ex Ecclesia at non esse in Ecclesia, illos tamen negamus accedentes arceri vel excludi posse, eo pacto quo Magistratu fungentes *Anabaptistæ* ab Ecclesia visibili exclusissimos faciunt. Sed intelligimus accedere prohibitos, (non Ecclesiæ judicio illorum initiationem abnuente secundum institutum à Christo ordinem) sed quia μεμονωμένοι solitarii degunt inter infideles, aut hostes & persecutores Ecclesiæ, suam ipsi conditionem dolentes hac in parte, quod à communione externa illorum, qui ejusdem vocationis consortes sunt, sejunctis ipsis vivendum sit.

IX. Iisdem μεμονωμένοις, seu ab externa communione sejunctis Ecclesiæ membris, accensemus illos in sera sed seria sub vitæ terminum conversione constitutos, de quibus diximus *Disputatione antecedenti*; quos necesse est ut saltem Catechumenis nondum Sacramentorum usu initiatis ipsi *Anabaptistæ* annumerent. Catechumenos autem seriò conversos an eo loco habituri sunt, ut mors inopinata illis auferat Verbum illud consolationis, quod ad externam Ecclesiæ communionem adjunctis conceditur?

X. De ipsa autem externa communione Ecclesiæ in Sacramentorum usu, hic quoque in Anabaptistica Theologia μηδὲν ὑγιὲς, nihil sani est; quandoquidem rem Sacramentis significatam nullam censent esse quæ communiter fidelibus & fidelium infantibus obsignari possit. Scilicet quia nullus sit institutus divinitus Sacramentorum usus, ut à Deo Ecclesiam obsignante, ipsique confirmante promissiones Fœderis Gratiæ & Fidem roborante; sed ut ab homine significante suam, in opere Fidei & Sanctificationis seu Regenerationis suæ, cooperationem cum Deo.

XI. Quando autem nobiscum loqui videntur *de Fidei nostræ corroboratione in Sacramentorum usu Confess. oppos. Faukel. pag.* 296. 319. *&c.* non intelligunt imbecillem & luctantem cum infidelitate Fidem; aut peccati labe inquinatam Fidei obedientiam; neque corroborationis nomine, consolationes validas de quotidiana & jugi peccatorum remissione, & obtectione, ac sanctificantis gratiæ incremento: sed roborationem Fidei intelligunt, quæ vel Christo ipsi tribui queat sine ulla peccati labe. Vide XIII. *Disp. Thes.* VII. Videlicet quæ operis Fidei exercitatione acquiratur, exhibita à nobis, in Sacramentorum usu, Fidei obedientia.

XII. Ab

XII. Ab hac erroris efficacia est, quod non sustineat *Menno S.* hodiernorum *Anabaptistarum*, qui *Mennonitæ* dicti, Patriarcha, *Baptismum dici Signum Gratiæ*: pronuncians, *exiguo sui ingenii modulo hoc esse ἀσύστατον plane, quia* scilicet *nobis gratiæ signum sit solus Christus Iesus*, *Baptismus autem*, inquit, *signum est obedientiæ in Christo nobis imperatum*. *Fundament. pag.* 21 *Edit.* 1565.

XIII. Pro vera ergo Sacramentorum re significata (gratia Testatoris Christi nobis obsignanda in legitimo & pio Sacramentorum usu à Deo) substituitur (inversa serie salutis nostræ) oblatio nostræ obedientiæ Deo debitæ, seu debiti nostri à nobis exsolutio. Inversa, inquam, salutis serie, & Euangelii fundamento everso, quo recte jacto Christus non salutatur Fœderis Gratiæ signum, (hoc enim in Antithesi contra Thesin orthodoxam significare nihil ultra potest, quam exemplum cujus imitatione Gratiæ Fœdus obtineri queat) sed Testator & Sponsor Fœderis *Hebr.* IX. *&* VII. per quem soluto debito nostro, nobis facta est Gratia. *Joh.* I. 17.

XIV. Minime tamen à re significata Sacramentorum excludimus obligationem nostram ad debitum. At ponimus illam divinæ, prævenientis nos, obsignationis in gratiæ Fœdere consequens. Obsignatio autem divina, ad debitum obligans, admittit solutionis debiti moram, V. G. in Infantibus Fœderatorum; qui est cardo controversiæ de Pædobaptismo. Similiter in adultis non exigit debiti solutionem Legalis Fœderis rigore, sed condonantur imperfectiones in ipsa gratitudine debita; qui est cardo controversiæ de usu S. Cœnæ. Utraque tractabitur infra suo loco.

PARTIS II. DISPUTATIO XVI.

QUÆ EST VIGESIMA SEPTIMA.

DE

Ecclesia Triumphante.

DE Ecclesia triumphante variè gangrænam facit Theologia *Anabaptistarum*. Nam controversiam movent. I De loco seu mansione Ecclesiæ post terrenæ hujus vitæ terminum. II. De triumpho ipso ante resurrectionem ex mortuis. III. De ipsa veritate resurrectionis corporum mortuorum.

II. Locum seu mansionem Ecclesiæ, postquam in vitæ hujus termino definit militare, definimus paradisum, id est tertium cœlum, propter Christi ipsius affirmationem illam *Lucæ* XXIII. 43. qua latroni converso pollicetur illo ipso crucifixionis die introitum una *secum in Paradisum*, quo nomine *tertium cœlum* intelligere nos jubet Apostolus 2. *Cor.* XII. 2. 4. De Animæ autem Christi & Latronis conversi, separatæ à corpore, mansione id accipiendum, loquitur res ipsa.

III. Ad hanc autem analogiam de mansione & loco aliarum animarum beatarum statuendum esse, confirmant loca illa, ubi Spiritibus justorum consummatorum assignatur *civitas Dei viventis Hierusalem cœlestis Hebr.* XII. 22. 23. & permutatio *domus terrenæ tabernaculi*, cum *domo non manufacta æterna in cœlis* 2. *Corinth.* V. 1. & 8. & *mansio cum Christo. Phil.* I. 23.

IV. Hic *Anabaptistæ* interrogati, credantne id quod tenent Ecclesiæ Reformatæ, juxta *Catechesin Heidelb. Quæst.* LVII. *Animas credentium, postquam è corpore excesserint, è vestigio ad Christum suum caput assumi?* Respondent; *quod ad locum*, quo migrent animæ, *nusquam illum in Scriptura perspicuè descriptum. Confess. oppos. Faukel. pag.* 495. 496.

V. Et mox *pag.* 497. obtendunt *Calvini moderationem*, in istis quæ laudant verbis *Inst. libr.* III. *cap.* 25. §. 6 quæ plenius exscribenda. *Valde se torquent multi disputando, quem locum occupent & an cœlesti gloria jam fruantur nec ne. Atqui stultum & temerarium est, de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat. Scriptura ubi dixit Christum illis præsentem esse & eas recipere in paradisum ut consolationem percipiant ..... non ultra progreditur. Quis jam doctor aut magister quod Deus celavit nobis patefaciet? De loco non minus inepta & futilis est quæstio; quando scimus non eam esse animæ dimensionem quam corporis.*

VI. Enimvero (collatis antecedentibus *Calvini* verbis, in quibus ex 2 *Cor.* V. I. asseruit animabus fidelium *ædificium in cœlis*) apparet noluisse *Calvinum* præjudicare quicquam assertionis istius veritati, quam tuemur, locum quo animæ migrant esse cœlum: sed proscribere tantum curiosas *Scholasticorum* quæstiones, de Animarum essentiæ commensuratione, ad loci dimensiones corporibus convenientes.

VII. Alia est autem huic affinis controversia, *de fidelium in V. T. mortuorum animabus*, an pariter illæ ante Christi in cœlos ascensionem, è corporibus suis dimissæ in cœlum idem receptæ fuerint, quod jam sub N. T. asseritur secundum Scripturas animabus fidelium morientium. In qua, etiamsi nolimus pronunciare intolerabilem illorum sententiam, qui verentur illis asserere locum & mansionem in cœlo summo, at de statu illarum beato, & felici lætitia, & in genere de loco convenienti consensum testantur: attamen censemus neque illos, neque quoscunque vel *Anabaptistas* vel *Pontificios*, ulla Scripturæ affirmatione, vel demonstratione ex Scripturis, solide expugnare sententiam illam, quæ etiam illis olim animabus sub V. T. asserit cœlum summum, quod asseritur sub N. T. ..

VIII. Atque ut hoc asseramus etiam ad præsentem disputationem interest; quia omnino ante ascensionem Christi verificari debuerunt testimonia Scripturæ ista, de *reditu spirituum ad Deum Eccl.* XII. 7. de *Regno cœlorum Matth.* VIII. 12. *de sinu Abrahæ Luc.* XVI 21. de *Paradiso Luc.* XXIII. 43. de *mercede piorum in cœlis Matth.* V. 12. Quibus testimoniis jam sub. N. T. morientibus fidelibus cœlum asserimus.

IX. Altera de Ecclesia ante resurrectionem ex mortuis in cœlis triumphante controversia, quam *Anabaptistæ* movent, est de triumpho ipso; de quo verba illa *Calvini*, *an cœlesti gloria jam fruantur nec ne*, & quod pro-

nunciat

nunciat *stultum & temerarium*, *id velle altius inquirere*, non favent rursum *Anabaptistis*, qui *Confess. oppos. Faukel. ibidem*, *quod ad Gaudium seu felicem lætitiam*, contendunt, *nihil usquam clare Scripturam testari: quin etiam non videri secundum rationem veritati consentaneum, ut ex corpore excedentes fidelium animæ è vestigio ad Christum suum caput assumptæ participent gaudio cœlesti*. Recte enim *ibidem Calvinus* asserit, *Animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem excedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ exspectant*. Promissam ergo gloriam cœlestem, quam suspensam mavult donec adveniat Christus quam præsentem ejus fruitionem asserere, intellexit *Calvinus*, non absolute de felici in cœlis lætitia, sed de fœlicis lætitiæ colophone, & gloriæ cumulo, in corporum glorificatione.

X. Quamvis ergo dissentientes de loco felicis lætitiæ, & de gloriæ cœlestis colophone sententias, *Calvinus* pia moderatione censet non debere scindere Ecclesiarum unitatem, (*loco laudato*, collato cum *Inst. libr.* IV. *cap.* I. § 12.) recte tamen hoc vult contra *Anabaptistas* immotum esse, Animas fidelium mortuorum *vivere Domino* cum *fœlici lætitia*. Ac confutat solide, *Libro de Psychopannychia*, Anabaptisticam animarum dormitionem, qua illi usque ad resurrectionem corporum sopitam volunt omnem actum & operationem intellectualis vitæ; ac perimunt tantisper actum exercitum intelligendi, cogitandi, judicandi, volendi, amandi, gaudendi.

XI. Interim profitentur illi scilicet, *deberi illam fidelibus consolationem in tribulationibus & oppressionibus, maxime in agone mortis; non mori cum corpore animam, & quamvis corrumpatur & occidatur ab hominibus corpus, non posse tamen ab hominibus Animam occidi*. Atqui per se, sine ulla ante diem extremi judicii salutis certitudine aut conscientia, in vita aut morte, illa de immortalitate animæ naturali consolatio nulla est. Si qua autem est, in nocte illa una, usque ad diem judicii dormienda, illa ex *Anabaptistarum* hypothesibus magis facit ad impiorum consolationem, quam fidelium: his enim, præsentes consolationes & gaudium spirituale dormitio illa auferet, illis autem tantisper saltem auferet omnem doloris sensum. Pronunciant enim, *Christianos statuere posse, sine pietatis jactura, Animas impiorum post mortem similiter non è vestigio in inferno gustare seu experiri cruciatus infernales*.

XII. Enimvero refellit illam in morte jacturam, gaudii spiritualis fidelium, Apostoli illa optio qua lucro illi, quo in hac vita fruebatur, præfert ut πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον *multo magis melius*, lucrum in morte. *Phil.* I 2 22. 23. Confer illud; *Melior est dies mortis die nativitatis Eccles.* VII 2 Certe insana fuerit illa optio, si non cum feliciori lætitia & solidiori consolatione commutent fideles consolationes præsentes per quas hic in carne habent fomitem gaudii, quo semper gaudentes *Phil.* IV. 4. vincunt abunde omnem doloris sensum. *Jac.* I. 2. *Rom.* VIII. 37. I *Petr.* I. 8

XIII. *Dormitionem* autem fidelium morientium perperam ad Animas trahunt *Anabaptistæ*: debetur enim illa secundum Scripturas non Animabus sed Corporibus. Hæc enim non illæ resurgent I *Cor.* XV. 18. & 44.

XIV. Animarum autem dormitionem perimit Christus, in Parabola historica Divitis & Lazari illum constituens post mortem in inferno *ἐν βασάνοις in tormentis* seu *cruciatibus*, hunc *in sinu Abrahæ*, *in consolatione*. *Luc.* XVI. Quam Parabolam, velint nolint *Anabaptistæ*, historicè necesse est intelligi, de statu Animarum post mortem corporis, ante diem extremi judicii, & loco gemino, altero felicis lætitiæ, altero infelicis doloris & cruciatus. Nullo etiam schemate aliò trahi possunt circumstantiæ illæ, de corporis morte & sepultura *vers.* 22. 23. de superstitibus mortui agnatis *vers.* 27. 28. de ipsis concessa, & sufficienti ad conversionis normam & stimulum, Scriptura Mosis & Prophetarum: dum interim Dives ille cruciabatur, augente cruciatum etiam anxietate illa de cruciandis olim fratribus. *vers.* 29. 30. 31.

XV. Parabolam ergo quamvis agnoscamus in Dialogo inter Abrahamum & Lazarum, meram tamen absque veritate historica parabolam, & adumbrationem tantum illam quam volunt *Anabaptistæ*, *qua ob oculos ponatur uterque resurrectionis futuræ eventus*, non patiuntur indicatæ jam circumstantiæ.

PARTIS II. DISPUTATIO XVII.

QUÆ EST VIGESIMA OCTAVA.

DE *Resurrectione Carnis.*

Reliqua est ad gangrænam de Ecclesia Triumphante controversia quam movent *Anabaptistæ* de veritate resurrectionis corporum mortuorum. Circa quam initio subruunt beatæ resurrectionis fidelium è mortuis fundamentum illud salutare. Fœdus Gratiæ Dei, quo ita agglutinantur Deo, ex quo crediderunt, ut etiam corpora ipsorum fiant membra Christi, ex carne & ex ossibus ejus. 1 *Cor.* VI. 15. *Eph.* V. 30.

II. Subruunt autem fundamentum istud isthac hypothesi; *Nullum fore in resurrectione mortuorum discrimen inter justos & injustos*, *quod quidem resurrectionem tantum mortuorum simpliciter spectat. Nullum quoque fore discrimen in causa efficiente. Sed in hoc, quod dissimili fine sint resurrecturi hi & illi. Confess. oppos. Faukel pag.* 502. 508.

III. Orthodoxa autem fides ista est; Hoc in ipsa resurrectione & excitatione mortuorum discrimen fore, quod in justis excitandis cum ipsa mortis stimulus & inimicitia, id est, maledictio perimetur & auferetur, in impiis autem minime. 1 *Cor.* XV. 26. 55. 56.

IV. Quod in forma quasi excitationis discrimen necessario ponit alteram in causa efficiente differentiam illam, quod excitationem justorum operaturus sit Christus *per Spiritum Sanctum, qui jam in illis habitat Rom.* VIII.

11. 23.

II 23. qui corpora ipsorum vivificata ex mortuis, & animæ πάντως sanctificatæ unita, sistet expeditissima arma sanctitatis & justitiæ gloriosæ in cœlis. Hac autem Spiritus Christi operatione sanctificante minime efficietur resurrectio impiorum.

V. Enimvero laborat quoque in *Anabaptistarum* Theologia veritas ipsa resurrectionis corporum mortuorum: quantumvis simulent mentem saniorem affirmantes, *se corde credere, & profiteri ore, Christum ex morte resurrexisse: & esse corpus ipsius glorificatum. Atque ipsum in hoc, non tantum ut caput sui corporis, praivisse membris suis, sed eo quoque producturum membra sua, ut gloriæ ipsius consortes facti, in corporibus suis abjectis similes evadant glorioso & glorificato ipsius corpori. Conf. oppos. Faukel pag.* 507. 508. Hic ipsis dictum esto, quod ex illis *Jac. Outerman Art.* VI. § 27. exprobrat Orthodoxis; *Non fit hoc, quod corde credant, sed sequuntur ductum verborum quæ in Scriptura reperiunt, quibus mox omni conatu contradicunt.*

VI. Primo enim occultant, quid credant *de illo glorioso seu glorificato Christi corpore quod jam in cœlis est*, cui conformabuntur corpora nostra. Quod nobis eruendum & excutiendum, audita initio illa quam *Art.* IX. *pag.* 141. edunt confessione; *Confitemur, idem corpus quod in crucis patibulo mortuum, quodque sepultum fuit, resurrexisse, seu excitatum & vivificatum esse: eumque sæpius se ipsum in corpore illo, corporaliter visibilem & palpabilem, oculis discipulorum suorum obtulisse & videndum exhibuisse: atque eo etiam pacto in cœlum ascendisse. Credimus quoque illud gloriose glorificatum. Verum* (hic latet anguis) *qua quantitate, aut qualitate, & quo modo, in illo corpore sedeat ad dexteram Patris, quandoquidem de eo nobis non liquet testimonium in Scriptura Sacra, malumus hic ignorantiam nostram profiteri, quam incerta divinatione uti extra Dei Verbum.* Atque hac hypocrisi detrectant ingenuam responsionem, *de servatis an abdicatis humanæ naturæ propriis accidentibus.*

VII. Verum non est illa sancta simplicitas, aut piè docta ignorantia, quando præter analogiam Fidei, quam dictat Scriptura de corpore Christi jam à morte excitato & vivificato, fingitur quasi verisimilis idea aliqua corporis gloriosi, propter Scripturæ silentium de eo quod in cœlis accidérit: quod debebat contra chimæricam illam ideam præscribere.

VIII. Et inanis est hic Philosophia *Anabaptistarum, de abdicatione naturæ & proprietatum corporearum*: quando cum illa confundunt, *abdicatam esuritionem & sitim, lassitudinem, mœrorem, passibilitatem, & mortalitatem pag.* 142.

IX. Verè quidem illud credimus, quod istis verbis illi expresserunt *pag.* 143. *Nos in adventu ipsius eo quoque evehendos, ut ipsi conformati Phil.* III. 21. *quoque non amplius esuriamus aut sitiamus, neque doloribus aut ærumnis, aut mortis simus obnoxii.* At perperam has vocat *humanas* seu *naturæ humanæ proprietates:* quæ enim veræ sunt naturales proprietates exui nequeunt quin natura ipsa exuatur. Hæ autem calamitates sunt & maledictiones ad naturæ corruptionem comparatæ.

X. Et quod isti *Auctores Confess.* æquivocationibus suis occultant, jam olim aperte *in Colloquio* seu *Protocollo Francothalensi Act.* XXIX § 7. colloquutor *Theboldt* professus est, sic interloquens; *Ut vere populum doceamus fore ut resurgant mortui, cum suis manibus & pedibus, pelle, carne & ossibus, (id non committimus) ita illos non docemus.*

XI. Quandoquidem autem, velint nolint, de Veritate carnis Christi & ossium nec non pedum & manuum, post resurrectionem ex mortuis, coguntur manus dare; nobis id hactenus sufficit, ad carnis nostræ veritatem, nec non ossium pedum manuumque, asserendam in futura mortuorum resurrectione. Quandoquidem uniformem ex mortuis resurrectionem carnis Christi & nostræ flagitat Scripturæ analogia, quæ nostræ resurrectionis paradigma ad fidei nostræ arrhabonem constituit in Christi carnis resurrectione, qua emphasi Christum *primitias eorum qui obdormiunt* vocat Apostolus 1 *Cor.* XV. 20.

XII. Neque omnino, sine veritate ista carnis restitutæ per resurrectionem ex mortuis, stare potest veritas resurrectionis, quæ flagitat ut hominis cadaver (quod à *cadendo* dictum Latinè & Hebraicè) à casu suo quo prostratum est erigatur & suscitetur: ut sit ἀνάστασις, sicut scite vocem interpretatur *Damascenus*, δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις, *secunda ejus quod ceciderat statio.*

XIII. Si autem quod somniant *Anabaptistæ* in Christi exemplo, per resurrectionem iterata statio corporis Christi & erectio, in pedibus & manibus carne & ossibus, destructa rursus est per glorificationem in cœlis, quia scilicet non potest in pedibus & manibus carne & ossibus esse corpus gloriosum in cœlis: fallet illud Angelorum testimonium, qui ad eundem modum visibilem & palpabilem carnis Christi redhibitionem in ultimo adventu ad judicium promittunt, quo illum videbant Apostoli proficiscentem, in ascensione è terra in cœlum. *Act.* 1. 11. Ex quo loco etiam interpretandum censemus, de exhibitione visibilis veræ carnis Christi in qua crucifixus fuit, locum illum *Apoc.* 1. 7. *Videbit illum omnis oculus, etiam qui transfixerunt ipsum.*

XIV. Nostrorum autem cadaverum veram, in gloriosis quæ accipiemus corporibus, instaurationem, seu iteratam erectionem & vindicationem ex morte in gloriam cœlestem flagitat tota series ac ductus disputationis Apostolicæ 1 *Cor.* XV & urgent maxime ista, quod ad plenum Christi de extremo hoste, videlicet morte, triumphum, vivificationem mortuorum exspectandam affirmet: qua omne mortis dominium in membris Christi aboleatur *vers.* 25. 26. *cum* 54 55. 56. Atque robur argumentationis in eo situm est *inde à versu* 13. quia Christo à morte excitato nullus amplius peccato stimulus relictus est, ne corpora quidem nostra, ut quæ Christi membra sunt, & quorum corruptio est pœna peccati, non sequela naturæ integræ, posse manere sub morte & corruptione.

HIERONYMUS *ad Pammachium adversus errores Iohannis Hierosolymitani. Ego libere dicam: & quanquam torqueatis labra, trahatis capillum, applau-*

applaudatis pede, Iudæorum lapides inquiratis, Fidem Ecclesiæ apertissime confitebor. Resurrectionis veritas Catholicæ, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris, intelligi non potest. Ubi caro & ossa & sanguis & membra sunt, ibi necesse est ut sexus diversitas sit. Ubi sexus diversitas est, ibi Iohannes Iohannes, Maria Maria &c. Mea rusticitas sic credit, & sic intelligit sexum confiteri sine sexuum operibus; homines resurgere, & sic eos angelis adæquari &c. Similitudo autem ad Angelos non hominum in Angelos demutatio, sed profectus immortalitatis est & gloriæ.

PARS III. DISPUTATIO I.

QUÆ EST VIGESIMA NONA.

DE

Novo Testamento in genere.

POst detectam Theologiæ *Anabaptisticæ* Gangrænam. I. De Vero Deo, & de Persona Christi. II. De Dei cum Homine Fœdere, quâ Legali, quâ Euangelico. III. Reliqui sunt *Anabaptistarum* errores, qui specialius tangunt Novi Testamenti post Christum exhibitum Ecclesiam.

II. Non possunt quidem illi rectè sentire de Ecclesiæ Novi Testamenti Salute & Fide, qui veri nominis Gratiam Christi perimunt, hac erroris efficacia, quod Fœderi Gratiæ revera substituunt Fœdus Legale operum, nobis imperatum à Novo Legislatore Christo. Adeo ut juxta ipsorum hypotheses nunquam dici possit antiquatum Vetus Legale operum Fœdus per peccati ingressum in mundum; aut illi antiquato Novum successisse, sancitum Promissione illa de *Semine contrituro caput Serpentis. Gen.* III. 15.

III. Nihil illi quidem censent venire illo nomine *Veteris*, (quod antiquatum est, & cui successit Novum) præter Legem Cæremonialem Mosaïcam. Ut scilicet illa demum antiquata post Christum exhibitum, initium acceperit Fœdus Novum.

IV. Orthodoxa contra assertio ista est; initium accepisse Fœdus Novum Gratiæ cum primæva illa promissione jam indicata, cum per Adami & Evæ peccatum antiquatum esset Vetus originale Operum Fœdus.

V. Legislationem autem Veterem Mosaicam, post Christum exhibitum antiquatam, negamus fuisse proprie dictum Vetus Fœdus Legale: sed fuit revera Novi Fœderis Gratiæ exterior & visibilis œconomia Vetus, adeoque per se Fœderis Dei cum Ecclesia spiritualis, non nucleus, sed cortex tantum.

VI. Veterem illam Novi Fœderis Gratiæ œconomiam impropria metonymica loquutione vocamus *Testamentum Vetus*, rectius quam *Fœdus Vetus*; posterior enim appellatio catachresin habet ortam ex Græcæ vocis

διαθήκη ambiguitate, quæ & Fœdus & Testamentum pro re nata significat.

VII. Catachresi tamen, vel eadem vel affini, præit Scriptura, propter illud Veteris istius œconomiæ temperamentum, quo prædominans quasi elementum in illa fuit Legis & Fœderis Legalis operum violati ἀντίφασις seu iterata repræsentatio.

VIII. Nunquam tamen sola Legis & Fœderis Legalis ἀντιφάσει illa constitit solida conventio Fœderis Dei cum Ecclesia Veteri: sed Verbo promissionis in Christum venturum confirmatum & sancitum fuit Dei Fœdus. Ut solida demum fuerit Theologia & Religio docentium & discentium salvifica, quando Legis ἀντίφασιν comitabatur verbum promissionis, ad Fidem ingenerandam, in venturum Servatorem animarum. Adeoque quidquid in Ecclesia hic gestum fuit schemate Legali, in eo Lex fuit salvandis *Pædagogus ad Christum. Gal.* III. 24.

IX. Post Christum ergo in carne exhibitum cum Novo Testamento, non initium sed complementum suum accepit Fœdus Novum Gratiæ. Novum autem Testamentum cum dicimus, intelligimus antiquatum Testamentum Vetus (id est Veterem illam promissæ salutis adumbrationem, in ritibus Lege Cæremoniali imperatis, quibus fundebatur ad Testamenti obsignationem typicam sanguis pecudum) per consummatam salutem animarum, & plene roboratam in effusione sanguinis & morte Testatoris Christi. Quæ ubi jam adsunt ut verum corpus, umbræ veteres desierunt, iisque valedicendum fuit in cultu exteriori *Hebr. cap.* VIII. 9. 10.

X. Sub Veteri autem Testamento jam antiquato complectimur, una cum Veteri œconomia Fœderis Mosaica, etiam vetustissimam ab Adamo ad Mosem œconomiam Fœderis Dei cum Ecclesia ante & post diluvium visibili. Cui cum Mosaïca communis fuit Sacrificiorum λατρεία seu cultus à Deo imperatus: quibus valedixerunt sub Novo T. Christiani, ex Fide unici veri Sacrificii propitiatorii in cruce oblati. *Hebr.* X 18.

XI. Dissimulant hic suæ Theologiæ Gangrænam *Anabaptistæ*; & videri possint simplicioribus nobiscum pronunciare *Auctores Confess. Faukelio oppositæ, Ecclesiam Veteris & N. T. unam facere Ecclesiam Catholicam, Templum Dei viventis: atque omnia utriusque membra pertinere ad unam eandemque Sanctorum communionem pag.* 178 Item; *Fideles V. T. per homogeneam eandemque causam meritoriam justificatos cum fidelibus N. T. atque eam accepisse eodem medio, per Fidem nempe pag.* 198. Item; *Habuisse Abelem, Enochum, Noachum, & viros Dei sanctos qui ante Abrahamum fuerunt, sibi & liberis suis, idem Fœdus salutis in Christo, quod habuit Abraham.* Verum ὅμοια λαλοῦντες ἀνόμοια φρονοῦσι; *Similia loquentes dissimilia sentiunt.*

XII. Sub istorum enim verborum cortice latet istud quod *Disputatione XXVI.* aperuimus. Partiuntur scilicet Dei in terris Ecclesiam in partem visibilem & invisibilem, hac notione, ut partem invisibilem faciat hominum multitudo aliqua, vivens etiam extra congregationem Ecclesiæ visibilis, destituta vocatione omni per verbum Euangelii, qui tamen, secundum

ipsos,

ipsos, absque verbo vocationis & fide Euangelii justitiam operantur in ipso Gentilismo.

XIII. Hoc pacto videntur certe omnino nullam agnoscere ab Adamo ad Abrahamum Ecclesiam in terris visibilem congregatam vocatione divina per Verbum supernaturaliter factum: sed censere primos illos Patriarchas salutem adeptos *sola Lege naturæ*, absque aliquo cum Deo Fœdere. Videatur *V. L. Defens. part.* I. *pag.* 7. *& part.* III. *pag.* 25.

XIV. De reliqua autem post Abrahamum (maxime sub Mosaïca œconomia) Dei in terris Ecclesia ante Christum exhibitum, hoc est inter nos & Anabaptistas τὸ κρινόμενον; an inter vocatos ad Ecclesiam visibilem per verbum Fidei credentes, & non vocatos per verbum, non fuerit apud Deum spirituale discrimen, sed tantum illud in Cæremoniis cultus exterioris, adeo ut & hi & illi, unam potuerint operari justitiam, illi in visibili Ecclesiæ congregatione, isti in Gentilismo. Hoc quidem asserit aperte satis *Jac. Outerman*, *Confess.* jam di[illegible] socius, in *Necess. Apologia pro vitandis juxta Euangelium excommunicatis. Rat.* 202. *&* 220. Habet ille *Rat.* 202. hæc formalia; *Ethnicis tempore legis, æquè ac nunc præsenti tempore, data erat conversio ad Vitam. Deus Ethnicorum corda purificabat tempore Legis æque ac nunc per Fidem in Gratiam Christi. Æque tunc legitimus & Deo acceptus erat, atque nunc, cultus seu Religio Ethnicorum qui Deum timebant & justitiam operabantur. Ut perspicue & abunde ex Scriptura sacra evinci queat, non fuisse apud Deum aliud discrimen, aliamve Personarum acceptionem inter Judæos & Ethnicos, quando parem operabantur justitiam, quam in solis Cæremoniis Legis, quas illis temporibus observabant Judæi, alii minime.*

XV. Atqui istis assertionibus perimitur non tantum omne post lapsum veri nominis fœdus novum gratiæ, & veri nominis Gratia Christi, & per illam communis Ecclesiæ Catholicæ salus & fides, per efficaciam erroris quam *Collegio* II. deteximus. Verum etiam, quod hujus loci est, perimitur illustris Novi Testamenti character, in antithesi ad Veteris T. œconomiam Mosaïcam, novitas vocationis Gentium ad salutem in Novo testamento: quam affirmat Pauli Doctoris gentium gloriatio, de prædicato à se Euangelio vel maxime illic *ubi non nominatus unquam erat Christus Rom.* XV. 20. 21 *cum Esai* LII. 15. & manifestissime confirmat idem Apostolus, prædicans hoc esse *Mysterium Christi, quod aliis ætatibus non innotuerat filiis hominum, ut nunc retectum est sanctis ejus Apostolis & Prophetis per Spiritum, gentes esse cohæredes & concorpores consortesque promissionis ejus in Christo per Euangelium. Eph.* III 5. 6.

XVI. Ex contrario autem *Anabaptistico* Paradoxo (quo, stante etiam œconomia Mosaïca ante Christum exhibitum, censent nullam fuisse Ethnicorum rejectionem à spe salutis & justitiæ Dei, obsignatam Lege Cæremoniali Mosaïca) omnino consequens est absurdum illud; non Ethnicorum sed Judæorum tantum conditionem in Novo Testamento mutatam in melius: quandoquidem hi tantum non illi, ex hypothesi, liberati sunt Legis Cæremonialis antiquatæ jugo. Et gratis consequenter Apostolus prædicat Judæorum præ Gentibus sub N. T. olim τὸ περισσὸν seu prærogativam aliquam. *Rom.* III. 2.

PARTIS III. DISPUTATIO II.

QUÆ EST TRIGESIMA.

DE

Vna Ecclesia Veteris & Novi Testamenti.

NOvi Testamenti Ecclesiam quamvis à V. T. Ecclesia distinguat novitas Vocationis Gentium, quam asseruimus *Disputatione proxima*, unam tamen cum illa facit una eademque Fœderis Gratiæ conventio principalis; ut non sit alia Novi Testamenti Ecclesia, quam quæ antiquissimarum promissionum benedictionis hæres est.

II. Hæreditatem illam Promissionum benedictionis communis Ecclesiæ Veteris & Novi Testamenti nominatim asserit Scriptura inde ab Abrahamo, ex quo ille per justitiam fidei *factus mundi hæres Rom.* IV. 13. factus est *pater omnium credentium vers.* 16. *cum* 24. *& Gal.* III. 7. 8. 9.

III. Pervertunt hanc in Novi Testamenti Ecclesia hæreditatem promissionum, quæ olim Abrahamo factæ sunt, *Anabaptistæ*; quando prætextu antiquatæ Circumcisionis contendunt, nihil facere ad Novi Testamenti Ecclesiam Dei cum Abrahamo Fœdus Circumcisionis sigillo obsignatum: quod pariter faciunt carnale, atque ipsam carnis Circumcisionem.

IV. Hypotheses ipsorum istæ sunt; *Conditionem à Deo imperatam in Circumcisione Genes.* XVII. *non posse trahi ad negotium Spirituale. Et quando mandatur circumcisio præputii carnis in masculis, ex stirpe Abrahami & familia, minime debere intelligi cor masculorum circumcidendum. In toto hoc negotio ne verbo quidem tangi purificationem cordis, vel quidquam quod conscientiam spectet: sed tantum carnis puritatem & mandata carnalia rerum corporalium. Deum in mandatis istis Circumcisionis, Paschatis, & exterioris cultus populi Judaici, nihil ab ipsis flagitare aliud quam res externas, V. G. ut in carne circumciderentur. V. L. Defens. part.* III. *pag* 22. 23. *Perperam ex sensu spirituali & allegorico fingi præcepta & Leges: quando mandato Legis cæremonialis connectitur significatio spiritualis pag.* 27. *Quin nihil perniciosius ad seductionem animarum excogitari potuisse. pag.* 28.

V. Quod autem Deus Judæis mandat *cordis Circumcisionem Jer.* IV. 4. & IX. 25. *& Ezech.* XLIV. 9. illud diluere se existimant, ista evasione: *Erant isti, quos illic Deus compellat, adulti duræ cervicis Israëlitæ, qui carnem habebant incircumcisam, cor incircumcisum, & aures incircumcisas. Ea propter hac admonitione ipsis opus erat.* Idem *V. L. Defens. part.* III *pag.* 23. 24. Censent scilicet nullum subesse allegoricæ loquutioni argumentum, pro illa quam urgemus Fœderali obsignatione per circumcisionis signum. Enimvero quamvis compellentur locis indicatis adulti, ac moneantur officii, robur tamen admonitionis situm est in Fœderis signo & sigillo, circumcisione carnis. Quod Fœdus ut habet nexum obligationis ad officium adulta ætate præstandum, ita habet quoque illam communem adultis & infantibus factam

promissio-

promissionem Gratiæ; *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui. Deuter* XXX. 6.

VI. Illi, neglecta hic spirituali illa promissione, pernegant Promissiones spirituales Abrahamo factas, quarum hæres sit Ecclesia Novi Testamenti: atque asserunt, *etiam additam Circumcisioni institutæ promissionem* (*Deum fore Deum Abrahami & seminis ejus, ipsique promittere terram Canaan in hæreditatem æternam*) *dictam esse tantum de rebus exterioribus, & non ultra. Quis*, inquiunt, *aliud quid inde concludat, quam Deum ipsis promittere vitam longam & tranquillitatem ac pacem in terra? Et vitam ejusmodi beatam, ac dies bonos, quibus Deus postea per Mosem populo suo promissiones plenius explicari voluit. Exod.* XXIII. *Levit.* XXVI. *Deuter.* VII. XXVIII. *Quod*, inquiunt, *debebat satis esse, ut inde intelligatur exhibita illis tantum umbra futurorum bonorum, & non ipsa substantia. Hebr.* VIII. & X. 1. *V. L. Defens. part.* III. *pag.* 24.

VII. Ad seductionem autem simpliciorum tantum comparata est expostulatio *Auctorum Confess. opposit. Faukelio pag.* 179. 180. de male hic aut intellectis aut detortis scribentium verbis Quidquid enim hic videantur largiri velle in contrarium, verba dant tantum, donec nuncium mittant isti contra Orthodoxam assertionem contestationi; *Ubi verba Promissionis factæ Abrahamo, & semini ejus, cum instituta Circumcisione Genes.* XVII. *accipiuntur de aliis quam temporalibus & corporalibus bonis; hoc esse revera, miscere figuræ ipsam rem figuratam, adeoque velle figuram obscurare: quandoquidem ipsis ostensa fuit tantum umbra futurorum bonorum non substantia ipsa.* Item; *Nusquam Patribus sub Lege, antequam veniret Fides, imperatum fuisse ut in Jesum Christum crederent, antequam fas esset uti frui Circumcisione, agno Paschali, alisque Legalibus Cæremoniis. Circumcisionem tantum fuisse signum, ad sigillum justitiæ: non ad certiorationem, qua confirmaretur debilis Abrahami fides*, (*hoc*, inquiunt, *neutiquam sentiendum de Patre fidei*) *sed multo magis in hunc finem obsignatum in Abrahamo, ut justitia veniens ex fide intelligatur tunc necdum reserata, sed Judæis solide obsignata & tecta, suo tempore demum reserato hoc sigillo revelanda. Ea propter Cæremonialem Circumcisionem merito nominari sigillum & velamen cordis; quod justitia fidei esset arcana & occlusa, neque Judæi justitiam venientem ex fide in illo Circumcisionis signo ac pluribus aliis figuris & signis typicis intellexerint; sed fuerit illa ipsis obserata, ac demum per Euangelium ipsis sit revelatum, quod antea per sigilla ista obseratum, ac necdum apertum fuerat.* Hæc leguntur in eadem *Defens. V. L. & C. v. M. edita an.* 1588. Quis sit V. L. nos quidem latet. Alter C. v. M. est *Carel van Mander*, pictor celebris, qui & Epigrammate suo & Symbolo isto, *Veritas per se valida*, librum commendat

VIII. Pessimè hic quidem aut intellecta aut detorta sunt Pauli verba de *signo Circumcisionis accepto in sigillum justitiæ Fidei. Rom.* IV. 11. Quando illi loco parallelum faciunt illum 2 *Cor.* III. 13. 16. de velamine imposito Judæorum cordibus Velamen quidem istud notat maledictam cordi Judæorum indurationem, qua Mosem legentes non intelligunt. Accepto autem

tem Circumcisionis sigillo, benedictionem justitiæ & fidei confirmationem nactus est Abraham.

IX. Abrahamum autem Scriptura nusquam Patrem fidei, sed Patrem credentium vocat, quæ phrases toto cœlo distant. Confirmatione autem & roboratione fidei Abrahamo nulla opus fuisse, sunt *Anabaptistarum* somnia contra Scripturarum analogiam, de sanctissimorum etiam virorum in hac vita sanctitate non plene consummata.

X. Id vero est *Anabaptisticæ* contradictionis πρῶτον ψεῦδος; *Non esse huic fini datam Circumcisionem familiæ Abrahami ad significandum, impuram esse nativitatem primam, & ex Adamo vitiatam. Neque celebratam, ad indicandum quod ex carne nostra nasciturus esset Jesus Christus, & amputaturus peccata nostra.* Item; *Neque fuisse signum, quo Deus flagitaret vitam sanctam & cor novum.* Atque ex istis hypothesibus *negant fas esse, ex utroque populo unum facere, ex populo circumciso & populo Novi Testamenti, ex Judæis & Christianis. V. L. Defens. part.* III *pag.* 10. Cui falsæ assertioni opponimus Scripturæ veram affirmationem, quæ asserit Christum *utraque unum fecisse Eph.* II. 14. scilicet ædificium unum uni angulari lapidi superstructum. *vers.* 20. 21. *&c.* Atque omnes, qui ex Fide sunt hodie aut olim fuerunt, unum esse semen Abrahæ, benedictum in Semine illo quod est Christus. *Gal* III. 7. 8. 9. *&* 28 29. Christi autem Gratiam, qua ex primæ nativitatis corruptione vindicamur & regeneramur, fuisse Circumcisionis rem significatam, testatur locus. *Colos.* II. 11. *&c.*

XI. Quæ autem hic verba dant, quibus videri queant nobiscum sentire de communi Abrahami nobiscum salute & Fide in Christum, ut intellexerit umbras & typos esse umbras & typos venturi Christi: istis nihil ultra largiuntur, quam extra ordinem Abrahamum ac similes aliquos Prophetas illuminatos fuisse, supra communem Ecclesiæ Veteris Fidem; ut scilicet tam latuerit illos quod vidit & credidit Abraham, quam nos latent illa quæ vidit Paulus raptus in tertium cœlum. Atqui communem Ecclesiæ V. T. cum Patriarchis & Prophetis Fidem, ab ipsis videntibus ex officio traditam & propagatam, flagitat ipsorum officium, & quidem ab Abrahamo fideliter obitum, Deo ipso attestante. *Genes.* XVIII. 17. 18. 19. Vide *Disput. nostram de Ecclesiæ V. T. Communi nobiscum fide & religione.*

PAR-

PARTIS III. DISPUTATIO III.

QUÆ EST TRIGESIMA PRIMA.

DE

Lege Cæremoniali abrogata in N. T.

EXaminandæ jam pressius *Anabaptistarum* de Lege Cæremoniali abrogata in N. T. hypotheses. Quarum princeps illa est; *Non fuisse vetus ministerium Legis Cæremonialis institutum, ad conscientias convincendas de immunditia spirituali, ejusque expiationem veram typice obsignandam.* Qua hypothesi, ut à nobis indicatum jam est *Disput. XII.* perimunt omne Fœdus Dei Spirituale cum Ecclesia V. T. Judaïca.

II. Brutam ergo faciunt & minime λογικὴν rationalem λατρείαν cultum & religionem Mosaicam, qua discernebantur à Gentibus Judæi. Et, contra Scripturæ analogiam, *nullam (stante œconomia Mosaïca V. T.) Gentium Rejectionem* à spe salutis admittunt: sed potiorem faciunt (quod attigimus *Disp. XXIX.*) temporibus V. T. conditionem Gentium quam Judæorum.

III. Lubet hic audire quomodo torqueant locum illustrem *Col.* II. 13. 14. ubi *peccatorum chirographum* constituit Apostolus in mandatis Legis Cæremonialis. Scribit *V. L. Defens. part* 1. *pag.* 9. *Legem Cæremonialem Colos.* II. *appellari chirographum, quo scilicet Deo obstrictus erat populus Judaïcus. Illi enim promiserant, quicquid Deus per Mosem ediceret, id se velle audire & facere. Hæc Lex posita erat contra Judæos. Idcirco Paulus scribens Gentibus, non dicit ipsis contrarium fuisse chirographum, sed nobis,* inquit, *contrarium: ipse quippe unus ex eorum numero quos stringebat chirographum, nempe Judæorum. Ethnici autem minime illi jugo cæremoniarum erant obnoxii, neque illa Lege convinci poterant: quia promissione illa se non obstrinxerant, neque illam ab ipsis Deus flagitarat. Nam Ethnicis, qui inter Israëlem habitabant, non injunctum fuit per Mosem, ut circumciderentur: sed in ipsorum libera optione illud relictum erat in Lege. Exod.* XII. 48.

IV. Enimvero ex istoc quidem loco *Exod.* XII. 48. contrarium evincitur, nempe Ethnicos, quotquot Deo conciliati fuerunt, ad ejusdem cum Judæis fidei & cultus confœderationem, obligatos fuisse ad suscipiendum cum Circumcisione Legis Cæremonialis jugum.

V. Quotquot ergo Hierosolymis habitarunt, ex omni populo qui sub cælo est, *viri* εὐλαβεῖς *religiosi,* de quibus sermo est *Act.* II. 5. illos non alios intelligimus, dictante ipso *Luca v.* II. quam *Judæos & proselytos*: nullos autem agnoscimus, quos hic obtrudunt *Anabaptistæ, pios gentiles, qui sola Lege naturæ ducerentur, seu qui sine Lege aut Fœdere supernaturali viverent* ἐθνικῶς.

VI. Exemplum quod huc rapiunt *Anabaptistæ Cornelii Centurionis* ex *Act.* x. nullum est: quia ille vixit, ac pietas ejus commemoratur, post antiquatam jam de jure divino Legem Cæremonialem, ac sublatum intergerinum

parietem, qui ab Ecclesia excludebat præputiatos. Ut censeri ille debeat, quamvis neglecto exteriori Judaïsmo, vixisse non ut Ethnicus, sed ut catechumenus Christianus.

VII. In communi autem hoc *Anabaptistarum* errore, quo divellunt in instituta olim Circumcisione, & reliquo cultu exteriori, à ritibus significantibus cordis purificationem significatam: dimicant interim ipsi, & sententiis diffident, ubi ad locum *Matth.* XVIII. 17. (*sit tibi tanquam Ethnicus*) *de vitandis secundum Legem Ethnicis* disputant. Sunt enim qui opinantur, *vera Israëlitarum Religione, non eousque interdictum fuisse Ethnicis præputiatis, ut non censerentur puritatem illam habere, qua ipsis pateret introitus in congregationem Domini, ad sacrificandum Deo.* Aliorum autem potior est sententia: *Debuisse Judaismo initiari & Proselytos fieri per circumcisionem.* Interim & hi & illi nullam flagitant (ex institutione publici in congregatione illa cultus sacrificiorum) cordis purificationem, ut jam dictum. Quod refellit locus *Ezech.* XLIV. 9. arcens introitu vel maxime præputiatos corde.

VIII. Nec patitur se ad mentem *Anabaptistarum* torqueri *locus Thesi III,* indicatus *Colos* II 13. 14. Neque minus Ethnicos quam Judæos intellexit Apostolus, verbis illis ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, *quod erat nobis contrarium.* Quomodo enim non tangeret hic Ethnicos, Colossenses nominatim ad quos scribit Apostolus? cum hanc illis gratiam Christi gratuletur *inde à v* 10. loquutus illis in persona secunda; ac manifeste *versus* 14. habeat periphrasin istorum verborum, quibus clauditur *versus* 13. *Condonans vobis omnia peccata.*

IX Vere ergo asserimus, charactere præputii Ethnicos stante olim Judaïsmo exclusos fuisse ab Ecclesia Judaïca, non tantum ob carnis impuritatem, ritu carnali, sed ut peccatores ac Dei inimicos, vitandos in convictu, non tam propter ipsam escam aut potum, quàm propter morum corruptelam & contagium vitandum. Vide *Levit.* XXII 27. *Deut.* VII. 3 4.

X Confirmat assertionem nostram, quod Ethnicos Apostolus antomastice *Peccatores* vocat *Gal.* II 15. in Antithesi ad Judæos: & quod exemplariter facit Ephesios, olim viventes in Gentilismo, *in peccatis mortuos, sine Deo, sine spe salutis Eph.* II. 1. 12 Quæ antithesis hoc flagitat inter Judæos olim & Gentes discrimen, vixisse & mortuos fuisse Ethnicos (in Gentilismo alienos à Republica Israëlis) in peccatis suis, sine illa, qua gaudebant in populo Israëlitico fideles, peccatorum remissione.

XI. Atque ex toto contextu *Capitis Eph.* II manifestum est, vocari ab Apostolo *versibus* 14. & 15. Cæremonias Legis Veteris, *septum intergerini parietis, & inimicitias,* non alio nomine, quam quod vellet Deus exclusos ab Ecclesia Ethnicos, ut inimicos Deo & Ecclesiæ Dei, donec per Circumcisionem ex Ethnicis fierent Proselyti.

XII. Neque alius potest esse verus verborum Christi *Matth.* XVIII. 17. commentarius, quam iste; sicut à Janitoribus Templi, clavium usu legitimo, arcebantur Templi introitu Ethnici præputiati, ut immundi peccatores, sic legitimo usu clavium, quas Ecclesiæ N.T. tradidit Christus,

ftus, à fanctorum communione arcendos esse, quos ligat in cœlis Deus, & quorum tenentur peccata. *Matth.* XVIII. 18. *Joh.* XX. 23.

XIII. Chirographum ergo illud rituum primo & principaliter affirmamus *Ethnicis* contrarium fuisse; inter Judæos autem, *Judæis tantum incircumcisis corde*, *qui* juxta verbum Christi habendi erant *tanquam Ethnici*, quod se legi non subjicerent cum vera cordis purificatione, quæ mandatorum finis erat. 1 *Tim.* 1. 5. *cum vers.* 9. Judæis autem circumcisis corde Cæremoniæ legales ministrabant signa & sigilla Justitiæ fidei, quæ non ipsis contraria erant, sed tantum *Veteri homini* in ipsis *mortificando*.

XIV. Breviter ergo contra omnem Scripturæ analogiam est, quod libertatem Christianam Legis Cæremonialis antiquatione partam asserunt non Ethnicis, scilicet jam ante liberis, sed Judæis, qui scilicet soli miseri erant, ut sub Legis custodia in carcere & servitute constituti.

XV. Neque hic illis favet locus *Gal.* IV. 3. Non enim Apostolo in mentem illud venit, quod *Anabaptistis* placet, ut doceret ex liberatione illa, & assertione in libertatem Christianam *N. T.* hoc consequens, Judæos duriori servitute & carcere olim pressos fuisse sub Lege Cæremoniali, quam Ethnicos extraneos à Rep. Israëlis. Nam διαῤῥήδην contradicit Apostolus isti errori ipso illo capite: quando asserit fuisse Judæorum carcerem & servitutem illam Pædagogicam, qua non obstante ipsi ut filii Dei hæredes erant omnium *vers.* 1. A quo filiorum Dei censu eliminat ut servos Ethnicos Galatas, quando *Deum ignorantes serviebant iis qui natura non sunt Dii. vers.* 8.

XVI. Ex illa *Anabaptistarum* hypothesi, quam notavimus *Thesi.* III. qua liberos faciunt Ethnicos sub V. T. à Lege Cæremoniali, hoc nomine quod non eodem quo Judæi voto se obstrinxissent, porta aperitur *Libertinismo*, quandoquidem supponitur istud πρῶτον ψεῦδος, non esse præscriptum divinitus illis quos Deus vocat ad salutem cultum rationalem in Ecclesia institutum mandato divino: neque imperatam visibilem aggregationem ad Ecclesiam, & communionis sanctorum contesserationem. Sed relinqui etiam illud arbitrio & optioni liberæ illorum qui volunt salvi fieri, velintne communicare per symbola & ritus institutos Ecclesiæ visibili, an vivere segreges. Vide *nostram Disput. Select.* IV.

PARTIS III. DISPUTATIO IV.

QUÆST. TRIGESIMA SECUNDA.

DE

Scriptura Sacra Testamenti Veteris & Novi.

EOdem paralogismo, quo *Anabaptistæ*, propter antiquatam & abrogatam in N. T. Legem Mosaïcam Cæremonialem, omnino Novam censent, ac olim in V. T. nullam, religionem & fidem ac cultum spiritualem, quibus jam constat Christianismus verus; existimant quoque ejusdem religionis fidei ac cultus spiritualis Canonem κανόνικον,

seu per

ſeu per ſe & propter ſe credendum & fide dignum, conſtare ſola Novi Teſtamenti Scriptura, quæ exſtat in libris Euangeliſtarum & Apoſtolorum, ſcriptis poſt Chriſtum exaltatum.

II. De libris autem Biblicis Moſis & Prophetarum, qui metonymicè ab Apoſtolo dicuntur *Vetus Teſtamentum* 2 *Cor.* III. 14. ſic cenſent; non ſufficere in N. T. ad dogmatis alicujus de Fide aut Fidei obedientia demonſtrationem Verbum ſcriptum Moſis aut Prophetarum Veterum, donec habeamus in Novo Teſtamento verbum ſcriptum Chriſti vel Apoſtolorum, quo idem dogma aperte demonſtrari queat. Ut eo pacto Moſi & Prophetis credatur, non propter illam qua ipſi olim ſcripſerunt inſpirationem divinam, ſed propter conſenſum Spiritus S. qui dictavit Scripturam N. T.

III. Hæc eſt explicata poſt multas tergiverſationes ſententia, *Anabaptiſtis* Colloquutoribus expreſſa in *Colloquiis, Francothalenſi Anni* 1571. *Artic.* I. *& Leovardienſi A.* 1598. *Actione* II. quam legere eſt in *Diederici Philippi* (qui *Mennonis S.* Collega ἰσόψυχος fuit) *Præfatione in libellum de Spirituali reſtitutione*; qua monet ſimpliciores, ut ab illis ut deceptoribus ac *falſis Prophetis* ſibi caveanr, qui *quod confirmare non poſſunt ex Novo Teſtamento, illud probant ex Veteri Teſtamento, & litera Prophetarum. Hinc*, inquit, *ortæ ſunt variæ ſectæ; hinc varii falſi cultus inſtituti, ex hoc fonte præcipue manarunt Cæremoniæ idololatricæ & pompa Eccleſiæ Antichriſtianæ, & deploranda ſectarum ſeditioſarum ſphalmata.*

IV. Similiter poſt aliquas verborum ambages pronunciant *Auctores Confeſſionis præmiſſæ Martyrologio Anabaptiſtico, & ſeorſim quoque editæ Artic.* XI. *Chriſtianos omnes* (*in iis quæ Fidem ſpectant*) *debere ſe neceſſario regulare & componere tantum ad Euangelium Chriſti, in Novo Teſtamento expreſſum.* Quibus concinunt *Auctores Confeſſionis oppoſitæ Faukelio.* Qui *Artic.* I. *pag.* 37. ad interrogationem iſtam, *an capita Chriſtianæ Fidei & Vitæ pariter poſſint & debeant confirmari ex libris Canonicis V. T.* eo pacto reſpondent, ut longum quidem texant catalogum dogmatum, quæ confitentur *probari poſſe pariter ex libris Veteris & N. T.* Sed quæ tantum faciunt ad Theologiam Legalem & Fœdus operum, quo illi perperam definiunt Fidem & Religionem, quam communem olim faciunt cum Judæis etiam Ethnicis qui in Gentiliſmo ſola rationis luce ducerentur.

V. Quapropter mox excipiunt à cenſu illorum dogmatum, ex Veteri Teſtamento demonſtrabilium, *modum obedientiæ, & res ipſas in quibus Deus à nobis obedientiam flagitat, de quibus in N. T. Chriſtus per ſe vel per Apoſtolos loquutus eſt.* Et alibi ſine ambagibus ſic definiunt in dogmatis Fidei doctrinam inter ſe collatam Veteris & N. T. ut V. G. *Deus qui ſe in V. T. revelavit in genere, ut Deum unicum, in N. T. adjecerit revelationem illam, tres eſſe in cœlo, qui teſtantur. Confeſſ. oppoſ. Faukel. pag.* 46. Rurſus *V. L. & C. V. M. Defenſ part.* III ſic pronunciant; *Viam ſalutis patefactam non fuiſſe in V. T. pag.* 6. *Patres Deo placuiſſe in obedientia mandatorum Moſaicorum, ut in primis elementis doctrinæ cœleſtis, illius qua pervenitur ad vitam beatam. pag.* 16. *Non habuiſſe*

buisse Judæos in cæremoniis, pariter ut Christianos, justitiam Fidei. pag. 21. Breviter, in eo totus est auctor ille quisquis est *V. L. pag.* 22. 23. 24. 25. *&c.* ut soli N. T. vindicet *mandata & promissiones rerum spiritualium*; nihil autem relinquat Scripturæ V. T. ut Judæis traditæ, præter *mandata carnalia, & promissiones terrenas.*

VI. Contra istas assertiones perniciosas erit hujus loci isthoc antidotum universale, si vindicemus, ex ipsa Novi Testamenti Scriptura, Testamento Veteri parem cum Novo ἀντισπασίαν, ad demonstrationem Religionis Christianæ. Ut quamvis non absque novo illo librorum Apostolicorum syntagmate integrum aut completum jam censeamus Canonem Theologiæ Christianæ, ac largiamur etiam illud, pleniorem & apertiorem esse in Novo quam in Veteri Librorum Biblicorum syntagmate revelationem Euangelii & Gratiæ Christi, tamen nec absque Mose & Prophetis, eundem Theologiæ Christianæ canonem censeamus integrum & completum.

VII. Sex argumentis orthodoxam assertionem solidè confirmavit *in Colloquio Francothalensi P. Dathenus*, ad *Anabaptistarum* ὑποσωματισμόν, quantum ad Fidei negotium. *Primum* fuit petitum, ex classe illa testimoniorum, quibus Scriptura Prophetica V. T. commendatur ab explorata *puritate*, instar *argenti, septies perpurgati Psal.* XII. 7. ut *immaculata, convertens animas, fidelis* seu *certa, sapientiam præstans parvulis, lucida, illuminans oculos, permanens in sæculum sæculi Ps.* XIX. 8. 9. 10. *cui nihil adjiciendum, nihil auferendum. Deut.* IV. 2. *&* XII. 32. *Prov.* XXX. 6.

VIII. *Alterum* argumentum *Datheni* fuit, quod ad Scripturæ V. T. Canonem regularit Christus ipse & Apostoli prædicationem Euangelii. *Tertium*, quod juxta Scripturas Propheticas se credere testatus est Paulus ad Christum conversus. *Act.* XXIV. 14. *Quartum*, quod idem Apostolus Euangelio prædicato protestatus est nihil se loquutum aut *docuisse extra Mosem aut Prophetas. Act* XXVI. 22.

IX. *Quintum* petitum fuit ex loco *Rom.* XVI. 25. *&* 26. ubi mysterium præconio Euangelii revelatum dicitur *per Scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam Fidei omnibus Gentibus declaratum.*

X. *Sextum* petitur ex loco illustri 2 *Tim.* III. 15. ubi Sacris illis Scripturis, quas ab infantia didicerat Timotheus, perhibetur testimonium istius sufficientiæ, ut possent *ipsum instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

XI. Locum illum Argumento V. productum *Rom* XVI. tacitè pro sua sententia torquent *Anabaptistæ Confess. oppos. Faukelio Art.* IX. *pag.* 124. Ubi à voluntate Dei revelata in V. T. segregant revelationem Euangelii per Christum prædicati, ut *revelationem extremæ voluntatis, quæ usque ad tempus* N. T *fuerit mysterium à temporibus æternis tacitum*, dè quo loquitur Apostolus *Rom.* XVI. 25. Atqui fallunt & falluntur, quia ex *versu sequenti* 26. satis liquet intellexisse Apostolum Mysterium, non absolute nec omnino, sed inter Gentes sub Mosaïca œconomia V. T. à multis sæculis tacitum.

XII. Argumentum *Datheni* ſecundum, quoad Chriſti ipſius prædicationem, regulatam Canone Scripturæ Sacræ V. T. confirmat Chriſti provocatio ad doctrinæ ſuæ examen ex Scripturis. *Joh.* v. 39. *Scrutamini Scripturas: nam vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtificantur de me.* Cum quo verſu hic conjungendi ſunt duo ultimi *verſus* 46 & 47. *Si crederetis Moſi, crederetis mihi: de me enim ille ſcripſit. Quod ſi illius ſcriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis.*

XIII. Accedit quod Sadducæorum hæreſin, contradicentium doctrinæ Chriſti de mortuorum reſurrectione, Chriſtus imputat Scripturæ Propheticæ ignorationi. *Matth.* XXII. 29. Et quando Diſcipulorum Chriſti fides fluctuabat, & ſopita videbatur, circa articulos Fidei Euangelicos de Morte & Reſurrectione Chriſti, ne id imputandum exiſtimetur imperfectioni Scripturarum V. T. non aliunde demonſtrationem iſtius Fidei arceſſivit Chriſtus in itinere Emmauntico, quam ex Moſe & Prophetis, cum acri illa increpatione, quâ fluctuationem & ignorantiam ipſorum imputat *amentiæ & tarditati cordis* ipſorum, *ad credendum omnibus, quæ loquuti erant Prophetæ. Luc.* XXIV. 25. 26.

XIV. De Scripturæ V. T. ſufficientia & αὐτοπιστία in regula vitæ Chriſtianæ, omniſque cultus & obſervantiæ Deo debitæ, hic ſuffecerit indicaſſe Apoſtoli teſtimonium. 2 *Tim.* III. 16.

XV. Et Chriſti ipſius proteſtationem illam *Matth.* V. 17. 18. 19.

PARTIS III. DISPUTATIO V.

QUÆ EST TRIGESIMA TERTIA.

DE

Verbo Dei Interno.

COmmunes quidem *Anabaptiſtarum* hypotheſes habuimus, de Canone ſcripto religionis fidei ac cultus ſpiritualis, quod ille αὐτόπιστος ſeu per ſe & propter ſe credendus conſtet ſola Novi Teſtamenti non Veteris Scriptura Sacra. At porro concordia diſcors eſt, circa Canonem iſtum ſcriptum N. T. an ſecundum illud verbum ſcriptum ſolum, ut canonem & regulam Fidei ſalvificæ unicam, fiat omnis Dei ad hominem alloquutio, cui debetur audientia & obedientia Fidei.

II. Tuentur hic alii ſententiam affirmantem veram, non tamen ſincere, nec ſine *Socinianiſmi* fermento, circa hominis Regenerationem; quaſi ad illam ſola verbi foris prædicati gratia nulla autem interiori efficaci operatione Spiritus S. regenerantis opus ſit.

III. Contra iſtos alii ſic diſputant, ut prætextu tuendæ efficacis & interioris gratiæ Regenerationem perficientis, nobiſcum ſimilia loquentes, patrocinentur *Swenckfeldio & Enthuſiaſtis*, ac tueantur aliud præter Scripturam

S. Verbum

Verbum Dei internum. Exſtant ſuper hac controverſia plurima ſcripta polemica, inde ab *Anno* 1625. edita, quando inter *Nitterdum Obbes* & *Hans de Ries* ſchiſma Amſtelodami exarſit, excuſo contra *H. d. R.* pro N. O. libello, cui titulus **Vaegbeſem** / ſeu *Scopæ ad Enthuſiaſticas & Swenckfeldicas aranearum telas evertendas ex Mennonitarum Synagogis.* Cui libello H. d. R. ſuum oppoſuit reſcriptum *A.* 1627. cujus *pagina* 194. 195. ſuæ diſputationis ſummam complectitur tribus iſtis aſſertionibus. I. *Eſſe geminum ſeu duplex Verbum Dei, unum Jeſum Chriſtum filium Dei ipſum, alterum Scripturam ſacram, ſeu ſummam librorum Veteris & Novi Teſtamenti.* II. *Deum intus vel foris hominem alloqui non tantum Verbo ſcripto aut prædicato, ſed* πολυτρόπως *multifariam; maxime vero per ſe ipſum, per Chriſtum, vel per Spiritum S.* III. *Deum vel Spiritum ipſius S. in homine operari & efficere Fidem & Regenerationem, non per ſolum ſcriptum aut foris prædicatum verbum, ſed per verbum Dei internum Chriſtum Dei Filium.* Atque in his non veretur profiteri ſuum cum *Swenckfeldio* conſenſum: *Muntzero* autem, *Denckio*, *Hetzero*, & *Monaſterienſibus* videri vult relinquere ſomnia & Enthuſiaſmos ſuos. *pag.* 12. 20.

IV. Ad brevem ex inſtituto controverſiæ iſtius cenſuram, notamus primo, ad μεθοδείαν τῆς πλάνης comparatam malam enchireſin iſtam, qua pro reali nominalis quæſtio arripitur, eaque minime controverſa, atque cum reali controverſa quæſtione vel indoctè vel mala fide confunditur. De nomine enim λόγος *Verbum*, *Sermo*, extra controverſiam illud eſt, tributum eſſe etiam ipſi Deo Filio *Joh.* I. I. *Apoc* XIX. 13. & aliis locis nonnullis. Atque hujus ambiguitatis obſervatio Præcognitum tantum eſt Diſputationis realis; quæ ab iſthac ambiguitate liberata, relinquit univocum iſtus Quæſtionis ſubjectum *Sermonem Chriſti*, qui *Sermoni Chriſto* relative oppoſitus eſt, ut ab ipſo λαληθεὶς λόγος *enunciatum Verbum. Hebr.* I. I. & II. 2. *Joh.* XII. 48. & XV. 3. Quod determinata magis voce Græca alterius Etymi, quæ ad Sermonem Chriſtum applicari ſe non patitur τὸ ῥῆμα κυρίου, *Verbum Domini* dicitur. 1 *Petr.* I. 25. Confer *Rom.* X. 17. *Joh.* III. 34. & VIII. 47. *Apoc.* XVII. 17.

V. Hac interim obſervatione Grammatica, qua ſolum nomen Græcum λόγος, minime autem τὸ ῥῆμα, Filio Dei convenienter tribuitur, corruunt evaſiones *H. d. R.* quibus non patitur de Verbo ſcripto accipi elogia iſta, quod ſit *Verbum vitæ æternæ Joh.* VI. 63. 68. *ſemen Regenerationis, & organum ſanctificationis Eccleſiæ Eph* IV. 26. I *Petr.* I. 23. 24. 25. *gladius Spiritus Eph.* VI. 17. Quæ tamen loca aut omnino non habent nomen illud λόγος aut illud per ſynonymum ῥῆμα explicant, quod omnino indoctè, & non niſi hæretica phraſi ad Chriſtum ipſum torquent.

VI. Realis ergo controverſa quæſtio manet de illo tantum propriè dicto Dei verbo, quod ſolum ῥῆμα Θεοῦ Græcè dicitur: de quo generatim conſenſus eſt in Theſi iſta, quod Canon ſit Theologiæ & Fidei, ſecundum quem Deo loquenti debetur audientia & obedientia: controvertitur autem, an habeatur hodie in ſola Scriptura Sacra, ut in illa ſola unicus perfecte ſufficiens ſit Canon Theologiæ & Fidei, an vero jam quoque juxta

Scripturam sacram, sicut olim ante constitutum Scripturæ Canonem, πολυτρόπως Deus eloquatur Verbum suum V. G. etiam per somnia, & spirituales enthusiasmos, ac raptus Propheticos. Hæc enim est contra N. O. sententia *H. d. R.* quem non veretur hic provocare, ac pronunciare *frustra laboraturum ipsum, si probare voluerit, mutatum à Deo ordinem istum, quo olim ante diluvium per Spiritum, & ante Mosem per Verbum internum non scriptum, Patribus loquutus est. pag.* 153. 154. 155. Et ex isthac hypothesi pro *alloquutione in somniis* disputarat *pag.* 17 *ex Job.* VII. 14 & XXXIII. 15. Atqui apertissime mutatum ordinem testatur Antithesis Apostoli *Hebr.* I. 1. & confirmat denunciatum *Anathema* contra quascunque ad Scripturam S adjectiones revelationum spiritualium. *Gal.* 1. 8. 9. *Apoc.* XXII 18 19.

VII. Atque hic toto cœlo distat ab Orthodoxorum sententia Thesis illa tertia, qua ex parte similia nobiscum loquens asserit, *Deum vel Spiritum ipsius in homine operari & efficere Fidem & Regenerationem, non per solum scriptum aut foris prædicatum verbum, sed per Verbum Dei internum, Christum Dei filium.* Quandoquidem non agnoscit Verbum scriptum aut prædicatum esse *Regenerationis semen*, quod nos affirmamus. Quapropter neque intelligit veram illam in cordibus benedictionem Spiritus S. qua semini verbi, scripti aut foris prædicati, & auditi ac custoditi, dat incrementum, Scripturæ apographum inscribens cordibus 1 *Cor.* III & 2 *Cor.* III. sed altius quoddam (supra Verbum scriptum) Spiritus & Christi intus loquentis magisterium perfectionis spiritualis, quam non præscribit litera.

VIII. Accedit quod *H. d. R.* suæ isti assertioni in speciem Orthodoxæ, *ut homo sit* θεοδίδακτος *necessum esse ut ad Verbum scriptum seu prædicatum accedat interior efficacia & operatio Spiritus S.* (*pag.* 161.) substernit Heterodoxam hypothesin de præpostera illa *Gratiæ Christi Universalitate, qua ne quidem illas in mundo Gentes, quibus ignotum plane & inauditum est adeoque nullum Verbum Dei scriptum,* Deus *destituat gratia regenerante Spiritus S. & alloquutione Verbi interni, quod ipsi est Christus Filius Dei.* Adeo ut adversarium suum N. O. urgeat hoc absurdo; *quod* ἀδύνατον *sit* (non concessa alia præter Verbum scriptum divina alloquutione interna, qua scilicet illis etiam gentibus intus loquatur Christus λόγος) *porro tueri Gratiam Universalem, hactenus universali omnium Anabaptistarum consensu propugnatam. pag.* 151.

IX. Hinc enatum ipsi Paradoxon illud, posse esse Fidem in Christum veram justificantem, etiam absque ulla notitia historiæ Euangelicæ aut Verbi Dei prædicati aut scripti; quod indirecte, satis tamen aperte, asserit, adversario suo moventi hoc Problema, & recte neganti ex Paulo *Rom.* X. 14. 17. hoc respondens, suis verbis: *Quandoquidem in hisce nostris regionibus Euangelica historia, Verbo Dei scripto comprehensa, abunde prædicatur & docetur, arbitror, Fidem illam de qua me interrogas, ordinarie in hisce regionibus vix* (niet wel) *esse posse sine aliqua notitia Euangelicæ historiæ. pag.* 326.

X. Quod de altiori supra Scripturam magisterio, & sapientia Scripturis minime expressa tangebamus, (quæ perperam & frustra palliatur titulo intus regenerantis gratiæ Spiritus S.) prodit idem *H. de Ries*; quando à

*Verb*o

Verbo ſcripto ſecludit *illa quæ per Spiritum S. die Pentecoſtes effuſum Apoſtolos ſuos docuit Chriſtus*: detorquens hic exemplo *Pontificiorum* locum *Joh.* XVI. 12. *Multa habeo vobis dicenda &c.* Hoc ſcilicet confirmaturus contra N.O. *Quæſt.* XXVI. *non tentari Deum, quando ubi ad manum eſt Verbum Euangelii ſcriptum aut prædicatum, ultra quæritur & exſpectatur privatus enthuſiaſmus ſeu Spiritus S. illuminatio, operans extra ſeu abſque Verbo ſcripto.* Nos quamvis contra N.O. aſſeramus piè flagitari, & neceſſariam eſſe intellectus illuminationem ad Scripturarum ſalutarem intelligentiam: attamen impie Deum tentari dicimus, quando ultra illa quæ nobis dicta ſunt in Scripturis, exſpectantur alia quæ nobis præter & extra Scripturas intus dicenda habeat Spiritus S.

PARTIS III. DISPUTATIO VI.

QUÆ EST TRIGESIMA QUARTA.

DE

Fine Legis & initio Euangelii.

PEr efficaciam erroris, quo nolunt *Anabaptiſtæ* pariter αὐτόπιστον Canonem eſſe Religionis Chriſtianæ Scripturam S. Veteris ac Novi Teſtamenti, ἀδύνατον eſt ut uniformiter divinam eſſe patiantur Auctoritatem doctrinæ etiam illius quæ libris Novi Teſtamenti conſignata eſt; illam ſcilicet ante Chriſtum mortuum & exaltatum, à Johanne Baptiſta, quin à Chriſto ipſo in diebus carnis prædicatam, non poſſunt habere eodem loco, quo habent prædicationem Apoſtolorum in Chriſti nomine, poſt Chriſtum exaltatum, & effuſum in Apoſtolos Spiritum Sanctum.

II. De Johannis quidem Baptiſtæ univerſo miniſterio quid ſentiant, in aperto eſt: quandoquidem Baptiſmum ab illo miniſtratum poſt Chriſtum exaltatum cenſent pro nullo habitum, ut nove baptiſandi fuerint ab illo olim baptiſati. Ex iſta quam tuentur hypotheſi, *Johannem minime fuiſſe miniſtrum Novi Teſtamenti, ac doctorem juſtitiæ non Euangelicæ ſed Legalis*, *ac reſponſa Johannis, quæ dedit baptiſandis ad normam vitæ & morum*, *Legalia eſſe non Euangelica.* Quæ infra excutienda erunt in titulis de *Anabaptiſmo*, & *de Bello Chriſtianis licito an illicito.*

III. De ipſo Chriſto prædicante in diebus carnis hanc etiam gangrænam fecit Theologia *Anabaptiſtica*; ut qui ex ipſis videri poſſent proxime ad veritatem accedere, in determinatione quæſtionis *de Fine Veteris & Initio Novi Teſtamenti*, quando aſſerunt, *non impletam per Chriſtum Legem ante toleratam mortem*, hoc monſtri alant; novæ Legiſlationis Chriſti (quæ ipſis eſt Gratia Euangelii) colophonem demum acceſſiſſe, poſt mortem Chriſti ab Apoſtolis prædicato Euangelio. Adeo ut *tam ſolidè ſtari non poſſit prædicationi & exemplo Chriſti nondum exaltati, ad fugam pollutionis ſpiritualis in*

Ecclesia Christiana Euangelio dignam, atque doctrinæ ab Apostolis traditæ. Quod hoc argumento putat se extorquere posse *Jac. Outerman Defens. Necessar. Rat.* 397. *Quia Christus non ferit illico excommunicatione neque exclusit Apostolatu Petrum, gladio ferientem & mox Dominum abnegantem cum sui execratione: jam autem similiter lapsum similiter tolerare & excommunicatione non ferire indignum esset Euangelio.*

IV. Orditur ille hanc demonstrationem, seu Thesin suam præmittit istis verbis; *Ut autem scias doctrinam Christi non pariter firmam & ratam habendam esse in omnibus ante passionem, atque post mortem ipsius.* Et Antithesin sibi refutandam exprimit verbis illis; *Tam ratum habendum in omnibus articulis Novum Testamentum ante mortem Christi quam hoc tempore.* Ut erroris prætextus sit, in malè arrepto loco Apostoli *Hebr.* IX. 15. 16. 17. de Testamento non rato nisi in mortuis, seu intercedente Testatoris morte.

V. Atqui nihil ad magis vel minus solidam & ratam auctoritatem doctrinæ prædicatæ seu legislationis Christi facit locus ille. In quo Testamenti morte Testatoris demum rati allegoria perimit illam *de Christo Novo Legislatore* hypothesin, ac Gratiam Christi Euangelicam revocat ad promissionem æternæ hæreditatis, roboratam ac ratam per impletam Legem, Christi Sponsoris nostri obedientia in morte consummata, non autem nova Legislatione.

VI. Nil ergo nisi Labyrinthus est *Anabaptistarum* inter se digladiatio, *de Fine Legis & Initio Euangelio* constituendo. 1. An in die Nativitatis Christi, quo Euangelium de Christo exhibito ab Angelis prædicari cœptum est. *Luc.* II. 10. 11. 2. An in anno primo Prædicationis Christi; quod inde initium Euangelii Jesu Christi Filii Dei ordiatur *Marcus cap.* I. 15 & quod dixerit Christus *Luc.* XVI 16. *Lex & Prophetæ usque ad Johannem.* Confer *Hebr.* I. 1. *&c.* 3. An demum in Christi morte. *Hebr.* IX. 15 16. 17. Quarum sententiarum facilis est conciliatio, si tantum quæritur *Chronologica Novi Testamenti Epocha*, qua Veteri Antiquato successit.

VII. Plenitudini enim illi temporis, in qua Veteri Testamento successit Novum, omnino tribuenda est latitudo aliqua, in qua per prædicationem Euangelii de Christo exhibito, inde à die Nativitatis, usque ad Mortis articulum, in quo consummavit Christus opus quod Pater ipsi dederat ut faceret, via muniri cœpit Antiquationi Veteris Testamenti: ipsum tamen antiquatum non fuit, nec promulgatum Novum, antequam post mortem & resurrectionem atque ascensionem Domini, ab iis qui ipsum audiverunt, prædicata est plene consummata Gratia & Salus per Christum *Hebr.* II. 3. 4. *cum Act.* II.

VIII. Interim quamvis non antiquato Veteri Testamento, Euangelica fuit non Legalis prædicatio, ut Christi ipsius & discipulorum, sic Johannis etiam Baptistæ præcursoris Christi; videlicet ista, adesse jam natum ex muliere promissum olim Messiam, ad mox tollendum peccata sui corporis sacrificio, ut verum Agnum Dei olim adumbratum typo Agni Paschalis aliorumque agnorum & victimarum, quæ mactabantur ad promissionem de ipso venturo obsignandam. *Joh.* I. 37. Atque hanc doctrinam

nam Euangelicam, & promissiones Euangelicas Spiritus S. & Remissionis peccatorum in nomine jam exhibiti Christi obsignavit Johannis Baptismus *Marc.* I. 4 8. *Matth.* III. II. *Act.* II. 38. Quod paulo plenius infra confirmandum erit, ubi contra *Anabaptismum* disputabitur.

IX. De Christi autem Prædicatione, per quam in diebus carnis munere Prophetico ipse functus est, quamvis illam fateantur Euangelicam esse, hypothesis tamen ista, qua Euangelium Nova Legislatione definiunt, Gangrænam istam facit; ut si non cum *Jac. Outerman* conspirent, de fine Legis & initio Euangelii demum post mortem Christi, necesse habeant Christum in functione muneris Prophetici facere ἄνομον *exlegem*, quippe qui vigente Lege Veteri Mosaïca, illius Canone neglecto, docuerit Novam Religionem & Cultum Spiritualem, cujus Canon Novus demum post Christi Ascensionem in cœlos scripto consignatus est.

X. Atqui non potuit, Christo *facto sub Lege Gal.* IV. 4. ἄνομος *exlex* esse Christi prædicatio & functio Prophetici muneris, sed debuit esse ὑπὸ νόμον *sub Lege*, ad Legis Scriptæ Canonem adstricta. Quod confirmat apertius Christi provocatio ad Scripturarum scrutationem, & ad testimonium Mosis in doctrinæ suæ examine: adeo ut nollet ratum aut verum haberi suum quantumvis αὐτόπιστον de se ipso testimonium, absque Mosis & Prophetarum Veterum testimonio scripto. Confer *Joh* VIII. 14. *cum Joh.* V. 36. 39. 46. Ac quamvis sibi assereret, ut Legislatori ipsi, Mosis Domino infallibilem Legis interpretationem, speciatim Legis de Sabbato *Matt.* XII. *Marc.* II. *Luc.* VI. tamen se subjiceret severo, citra Personæ suæ acceptionem, judicio secundum illam quæ legendo disci poterat Legis scriptæ διάνοιαν. *Joh.* VII. 24.

XI. Hoc pacto non potuit citra peccati ἀνομίαν (quod absit) ἄνομος *exlex* esse Christi prædicatio: ut scilicet non secundum communem in Mose & Prophetis revelatum Fidei & Cultus Canonem, sed *Novo Canone qui tantum in mystico & allegorico sensu in Scripturis V. T. velatus fuerit & absconditus*, docuerit Euangelium suum. Istiusmodi enim Novæ nec antea revelatæ Legis Doctori, severo citra Personæ acceptionem judicio, quin etiam patranti miracula debebatur capitis supplicium ex Lege *Deut.* XIII. I.

XII. Imprudenter ergo produnt Judæis Apologiam ipsius Christi & Religionis Christianæ *Anabaptistæ, Sociniani*, & quicunque hic cum *initio Novi testamenti* confundunt *initium Euangelii* ejusmodi, quo fundata sit novè nova religio, quam ex Mose & Prophetis nec didicerit nec docuerit Christus in diebus carnis, sed ex nova cœlesti revelatione Mosi & Prophetis velata & abscondita. Quam vel patratis miraculis qui profiteretur Legi Mosis obnoxius, secundum Legem jam indicatam obnoxium se faciebat justæ occisioni, ut docens Apostasiam à Mose. Quæ est Judæorum in Christum crucifixum blasphemia; cujus nullus esse potest ἐπανορθωμός, ac plane irritus labor omnis, qui in spem conversionis Judæis incredulis impenderetur, si sine τύπῳ διδαχῆς seu Canone doctrinæ expresso in Scriptura V. T. veritas Religionis Christianæ, ut nove revelata à Christo, & novum habens

habens Canonem scriptum post Christum mortuum demum constitui cœptum, ex Miraculis, ex Resurrectione, & ex prædicta vocatione Gentium persuadenda est. Vide *Disp. nostram de Fœdere VII. Thes. 20. & 21. & XI. Thes 23. 30.*

PARTIS III. DISPUTATIO VII.

QUÆ EST TRIGESIMA QUINTA.

DE

Primo Præcepto Decalogi.

PRogredimur ad Legis Moralis Veteris, quæ Decalogo comprehensa & Mosis ac Prophetarum commentario olim illustrata est, particularius examen; fueritne illi adstricta fundatio Religionis Christianæ in prædicatione Euangelii de Christo exhibito? an vero *exlex*, ita ut (Veteri Lege interpolata, per variam Additionem cultus Spiritualis olim non revelati, adeoque revera antiquata) censeri debeat Nova facta Legislatio. Quod posterius contra *Anabaptistas* & alios quoscunque pernegamus; ne faciamus Christum Dominum nostrum justæ occisioni (ex lege *Deuter.* XIII. 1.) obnoxium.

II. Hic primo loco se offert Lex Primi Præcepti, de *non habendo juxta* verum Deum Israëlis *Deo alio.* Hic ista est Theologiæ *Anabaptisticæ* gangræna, qua *Anti-Trinitariis* Judæis & Pseudo-Christianis produnt arcem Religionis Christianæ. Etenim censent, *unicam tantum Personam Patris intellectam & agnitam fuisse in Veteri Testamento nomine unius veri Dei Israëlis*: ut etiam, qui necdum abnegant *mysterium S. S Trinitatis*, velint saltem illud, *minime revelatum sed velatum fuisse in V. T. Ut religione primi præcepti illius Ecclesia Vetus unum* Deum Patrem *cognoverit & coluerit*, *ut solum Verum Deum.* Quæ summa est *Confessionis Faukelio oppositæ Artic.* II. *à pag.* 43 *ad* 48. cui prætexunt hypothesin istam; *quod in pluribus Scripturæ locis nomen Deus Patri præcipue & soli appropriatum sit, qui ea propter etiam nominetur solus verus Deus Joh.* XVII. 3. *& Deus Domini nostri Jesu Christi Eph* 1. 17. *Quem & Christus Dei Filius, ut Deum invocavit Matth.* XXVII 45. *& Deum suum agnovit Joh.* XX. 17. Quæ loca in Disputationi actu vindicabuntur.

III. Hinc in censu Articulorum Christianæ fidei & vitæ, qui ex Veteri Testamento sunt demonstrabiles, defunguntur hac affirmatione, *esse unicum Deum, paterne affectum erga omnes qui ipsum coluit &c. pag* 37 *&* 43. *&c.* Pleniori autem novæ revelationi in N. T. adscribunt ista *Tres esse in Cœlo qui testantur &c. pag* 46. Et ex Collatione Theologiæ *Socinianæ*, de Adoratione Dei (primo præcepto imperata olim) in Novo Testamento aucta Adorationis modo novo, quo per Filium Pater invocatur, adeoque Filius ipse adoratur & divino honore colitur, cum scrupulosa *Anabaptistarum*

ptistarum discretione inter illa, *quæ de precatione passim præscribit Scriptura, & quæ singulariter Christus Discipulos suos docuit, de indulta fidelibus invocatione Patris cœlestis in Filii nomine Artic.* XIX. *Confess. Faukelio oppositæ*, manifestus est attento lectori Anabaptistarum cum Anti-Trinitariis Socinianis, Christum ψιλὸν ἄνθρωπον merum hominem invocantibus, si non consensus, saltem syncretismus.

IV. Atqui Thesis ista de adjectione ad legem primi præcepti facta in Novo Testamento, adorandum scilicet Filium cum Patre, sive nitatur Hypothesi mere Anti-Trinitaria de *nova Filii existentia*, sive altera illa de *nova cognitione Filii Dei ignoti in V. T.* nondum revelato Trinitatis Mysterio, perimit præceptum, ejusque Legem solvit; contra Christi protestationem, *se non venisse solvere Legem, sed implere. Matth.* V. 17. Quod ut liqueat, observamus aliquo schemate forte dici posse, (quanquam præter mentem Christi) Legem impleri, per adjectionem aliquam ad mandatum Legis affirmativum: sed nullo schemate id dici posse de additionibus ad præcepta negantia. V. G. Præceptum hoc Primum Negans est, in quo sine palpabili contradictione non potest quidquam adjici ad illud Adorationis objectum Judæis revelatum, quin prohibitio illa, *non habebis Deum alium*, evertatur, conversa universali negatione, in oppositam contradictoriè particularem affirmationem; *Habebis, præter illum quem hactenus Patres tui adorarunt, ut solum verum Deum, alium pro vero Deo adorando juxta Patrem.*

V. Nec elabuntur, qui dixerint se credere æternam Filii Dei & ὁμοούσιον Deitatem, sed statuere tantum ignoratam, adeoque non adoratam ante tempora N. T. Quia in Religione Judaica, si ignorata fuit Personæ Filii Deitas, vetita quoque fuit ejus juxta Personam Patris Adoratio: juxta illam Christi contra *Samaritanos* pro Adoratione Judæorum contestationem; *Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus. Joh.* IV. 22. Quod gratis dixerit Christus, nomine Judæorum loquens, si mox in *hora illa* quam prænunciat *venturam versu* 23. veri Adoratores adoraturi erant Filium Dei, quem hactenus nesciebant, adeoque quem non revelatum, citra trangressionem primi præcepti, adorare non poterant.

VI. Nos contra quoscunque affirmamus, Adorationem Dei Patris per Christum promissum ut Dei Filium (si non eadem evidentia, quæ est in libris N. T. sufficienter tamen) demonstrari posse ex libris V. T. Ut sciverint Veteres, juxta Personam Patris non alium Deum, aliam tamen Personam sibi adorandam & colendam. Mandatum sufficienter expressum censemus illud, quod exstat *Exod.* XXIII. 20. 21. *Ecce ego mitto Angelum ante te, ad servandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparavi. Cave tibi à facie ejus & ausculta voci ejus ne exacerbes eum: quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo*, seu *in medio ejus.* Quod ultimum tmema rectè interpretatur *Tremellius; hoc est, Jehova est ac non creatus Angelus.* Quam veram esse glossam confirmat collatio locorum *Gen.* XXXII. 24. 30. & *Hos.* XII. 4. 5. nec non *Malach.* III. 1. & *Esai.* LXIII. 7. 10. Quo posteriori loco inter Patrem & Spiritum medius recensetur *Angelus faciei Jehovæ*,

ciei Jehovæ, Servator & Vindex populi Israëlis ex servitute Ægyptiaca. Ut intelligatur necessario idem unus cum Patre & Spiritu S. Jehova, Legislator in Decalogo loquutus.

VII. Accedit expresso Filii nomine mandatum alterum *Psal.* II. 12. *Osculamini Filium, ut non irascatur & pereatis in via, si exarserit vel minimum ira ejus. Beati omnes qui se recipiunt ad eum* In utroque loco, & hoc & *Ex.* XXIII. parallela sunt ista, quod ut magnus Deus Servator populi sui, adversus hostes autem ut Deus fortis & zelotes vindicta armatus repræsentatur ille Angelus Fœderis, Dei Filius. Cujus olim futuram missionem in mundum ad Officii Mediatorii functionem in forma servi notabat Angeli nomen ipsi tributum.

VIII. Juxta Mandatum habemus Adorationis ex Fide praxin, in lucta Jacobi, qui flevit & *supplex oravit eum*, atque sic benedictionem impetravit *Hos.* XII. 4. 5. in Sacrificio oblato ipsi à Manoah Patre Simsonis *Jud.* XIII. 16. 23. & in supplicatione ista Danielis, *propter Dominum. Dan.* IX. 17. Ad quam ex Fide Adorationem Patris (in & per ac propter Filium mittendum) commendandam fecit prædictio illa de illustriori olim Adoratione, qua veri Israëlitæ pleniori gaudio colerent Dominum Deum ipsorum, & Christum verum Davidem Regem *Jer.* XXX. 9. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. & XXXVII. 24. 25.

IX. Hic una opera nobis asserenda tertiæ quoque Personæ Spiritus S. Adoratio in Veteri pariter & Novo Testamento frequentata. Quam ex Novo quidem Testamento nihil probat evidentius, quam historia *Act.* XIII. 1. 2. 3. qua narratur Spiritui S. cum imperio interpellanti, in liturgia ordinaria occupatos, Prophetas & Doctores Antiochenos, de mittendis Apostolis delectis, obsequutos, ac separasse & stitisse ipsi, cum jejunio & precibus, peracta manuum impositione, Apostolos a Spiritu S. mittendos.

X. In V. T. similiter adoratam Spiritus S. Personam demonstramus, I. Ex collatione testimonii Esaiæ de irritato ab Israëlitis Spiritu S. cum ipsa irritationis historia, quod illi irritationi precibus & Adoratione sua intercesserit Moses. *Esai.* LXIII. 10. *cum Num.* XIV. 13. &c. II. Probamus idem ex *Capite ad Hebræos* IX. ubi Apostolus loquens de Templi Veteris κατασκευῆ, Spiritum S. nominat ut fabricæ illius caussam architectonicam, adeoque Dominum Templi in Templo habitantem. *versu* 8. III. Ex Majestate Spiritus S. supra Altare se exserente in victimarum ἐμπυρισμῷ, seu baptismo ignis. Confer *Matt.* III. 11. & *Act.* II. *cum Matt* XXIII. 18. 19. 20. Quod argumentum illustrabimus in Titulo *de Juramento.*

COROLLARIUM.

A*Nabaptistæ* per heterodoxas de Carne Christi hypotheses aut adoptant Paradoxon *Swenckfeldii*, *Carnem Christi non esse creaturam*, aut manifesti sunt idololatræ, ipso *Swenckfeldio* arbitro in *Quæstionibus de Cognitione Christi editis* MDLXI. *B.* 3. *Non potest ex Scriptura probari, creaturam*

aturam seu creationis divinæ opus ullo pacto adorari debere Quid enim alias in Scriptura vocatur idololatria? si ista non est idololatria, quando juxta Deum adoratur aut colitur creatura. Recte ex *Rom.* 1. 26.

PARTIS III. DISPUTATIO VIII.
QUÆ EST TRIGESIMA SEXTA.
DE
Secundo Præcepto Decalogi.

IN Secundo Præcepto Decalogi quamvis nobiscum consentiant hactenus *Anabaptistæ*, damnatum non olim tantum in Religione Mosaïca, sed hodie quoque in Christianismo, cultum imaginum *Papisticum*: tamen neque hic sincera est ipsorum Theologia, aut ab ipso Papistico fermento libera. Quandoquidem ipsis Papistis impurius sentiunt de Essentia Dei Spirituali & Invisibili, adeoque luxant hic nervum interdicti de non pingendis divinæ Essentiæ aut S.S. Trinitatis imaginibus, ac destituunt præceptum secundum illa hypothesi propria, quæ urgetur *Deut.* IV, 15. *Custodite solicitè animas vestras: non vidistis aliquam similitudinem.*

II. Paria hic faciunt *Anabaptistæ* cum *Anthropomorphitis*: quia profitentur, *externa oculorum inspectione visibilem fuisse, & visam in carne Christi, Deitatis essentiam, sua imagine expressam.* Crasso quoque errore, & magis pudendo, pronunciat *Jac. Outerman, Deo placuisse, Johanni videndam exhibere Essentiam Spiritus S. in forma columbæ. x. Art.* 111. §. 80. 81 Quod si verum est, frustra pudendam gentilium idololatriam proscribit Apostolus: *Quod mutarint gloriam incorruptilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrum. Rom.* 1. 23.

III. Quamvis ergo pictas vel sculptas imagines non colant cum Papistis *Anabaptistæ*, sed nobiscum illis dicam scribant idololatriæ: tamen prævaricantur hic assertione ejusmodi, quæ tuendæ Pontificiorum idololatriæ oportuna esset; adeo ut nihil reliquum faciant Pontificii ad mensuram peccati implendam, quam quod isti assertioni non subscribant.

IV. Interim præ se ferunt *Anabaptistæ*, auctum secundum præceptum, de idololatrico cultu imaginum cavendo, severiori lege de cavenda Christianis omni communione cum idololatris. Quod scilicet evincunt ista antithesi, *Templum Judaïcum mansisse olim domum* Dei, *quamvis pollutum cultu idololatrico: nunc contra impossibile esse ut in una Ecclesia una habitent Christus & Anti-Christus. V.L.* Defens. *part.* 1. *pag.* 16. 32.

V. Disputantur ista inter ipsos, sicut cudatur faba in Ecclesias Reformatas, ipsarumque *à Papatu secessionem*, præ secessione scilicet, quam fecerunt *Anabaptistæ*, minus sinceram & accuratam, quod *Reformatione* tantum instaurandam & purgandam censuerint Ecclesiam idololatricam, non

 penitus

cie Jehovæ; Servator & Vindex populi Israëlis ex servitute Ægyptiaca. Ut intelligatur necessario idem unus cum Patre & Spiritu S. Jehova, Legislator in Decalogo loquutus.

VII. Accedit expresso Filii nomine mandatum alterum *Psal.* II. 12. *Osculamini Filium, ut non irascatur & pereatis in via, si exarserit vel minimum ira ejus. Beati omnes qui se recipiunt ad eum.* In utroque loco, & hoc & *Ex.* XXIII. parallela sunt ista, quod ut magnus Deus Servator populi sui, adversus hostes autem ut Deus fortis & zelotes vindicta armatus repræsentatur ille Angelus Fœderis, Dei Filius. Cujus olim futuram missionem in mundum ad Officii Mediatorii functionem in forma servi notabat Angeli nomen ipsi tributum.

VIII. Juxta Mandatum habemus Adorationis ex Fide praxin, in lucta Jacobi, qui flevit & *supplex oravit eum*, atque sic benedictionem impetravit *Hos.* XII. 4. 5. in Sacrificio oblato ipsi à Manoah Patre Simsonis *Jud.* XIII. 16. 23. & in supplicatione ista Danielis, *propter Dominum*. *Dan.* IX. 17. Ad quam ex Fide Adorationem Patris (in & per ac propter Filium mittendum) commendandam fecit prædictio illa de illustriori olim Adoratione, qua veri Israëlitæ pleniori gaudio colerent Dominum Deum ipsorum, & Christum verum Davidem Regem *Jer.* XXX. 9. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. & XXXVII. 24. 25.

IX. Hic una opera nobis asserenda tertiæ quoque Personæ Spiritus S. Adoratio in Veteri pariter & Novo Testamento frequentata. Quam ex Novo quidem Testamento nihil probat evidentius, quam historia *Act.* XIII. 1. 2. 3. qua narratur Spiritui S. cum imperio interpellanti, in liturgia ordinaria occupatos, Prophetas & Doctores Antiochenos, de mittendis Apostolis delectis, obsequutos; ac separasse & stitisse ipsi, cum jejunio & precibus, peracta manuum impositione, Apostolos a Spiritu S. mittendos.

X. In V. T. similiter adoratam Spiritus S. Personam demonstramus, I. Ex collatione testimonii Esaiæ de irritato ab Israëlitis Spiritu S. cum ipsa irritationis historia, quod illi irritationi precibus & Adoratione sua intercesserit Moses. *Esai.* LXIII. 10. *cum Num.* XIV. 13. *&c.* II. Probamus idem ex *Capite ad Hebræos* IX. ubi Apostolus loquens de Templi Veteris κατασκευῇ, Spiritum S. nominat ut fabricæ illius caussam architectonicam, adeoque Dominum Templi in Templo habitantem. *versu* 8. III. Ex Majestate Spiritus S. supra Altare se exserente in victimarum ἐμπυρισμῷ, seu baptismo ignis. Confer *Matt.* III. II. & *Act.* II. *cum Matt.* XXIII. 18. 19. 20. Quod argumentum illustrabimus in Titulo *de Juramento*.

COROLLARIUM.

A*Nabaptistæ* per heterodoxas de Carne Christi hypotheses aut adoptant Paradoxon *Swenckfeldii*, *Carnem Christi non esse creaturam*, aut manifesti sunt idololatræ, ipso *Swenckfeldio* arbitro in *Quæstionibus de Cognitione Christi editis* MDLXI. *B.* 3. *Non potest ex Scriptura probari, creaturam*

aturam seu creationis divinæ opus ullo pacto adorari debere. Quid enim alias in Scriptura vocatur idololatria? si ista non est idololatria, quando juxta Deum adoratur aut colitur creatura. Recte ex Rom. 1. 26.

PARTIS III. DISPUTATIO VIII.

QUÆST TRIGESIMA SEXTA.

DE

Secundo Præcepto Decalogi.

IN Secundo Præcepto Decalogi quamvis nobiscum consentiant hactenus *Anabaptistæ*, damnatum non olim tantum in Religione Mosaica, sed hodie quoque in Christianismo, cultum imaginum *Papisticum*: tamen neque hic sincera est ipsorum Theologia, aut ab ipso Papistico fermento libera. Quandoquidem ipsis Papistis impurius sentiunt de Essentia Dei Spirituali & Invisibili, adeoque luxant hic nervum interdicti de non pingendis divinæ Essentiæ aut S.S. Trinitatis imaginibus, ac destituunt præceptum secundum illa hypothesi propria, quæ urgetur *Deut.* IV, 15. *Custodite solicitè animas vestras: non vidistis aliquam similitudinem.*

II. Paria hic faciunt *Anabaptistæ* cum *Anthropomorphitis*: quia profitentur, *externa oculorum inspectione visibilem fuisse, & visam in carne Christi, Deitatis essentiam, sua imagine expressam.* Crasso quoque errore, & magis pudendo, pronunciat *Jac. Outerman, Deo placuisse, Johanni videndam exhibere Essentiam Spiritus S. in forma columbæ. x. Art.* III. §. 80. 81. Quod si verum est, frustra pudendam gentilium idololatriam proscribit Apostolus: *Quod mutarint gloriam incorruptilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrum. Rom.* 1.23.

III. Quamvis ergo pictas vel sculptas imagines non colant cum Papistis *Anabaptistæ*, sed nobiscum illis dicam scribant idololatriæ: tamen prævaricantur hic assertione ejusmodi, quæ tuendæ Pontificiorum idololatriæ oportuna esset; adeo ut nihil reliquum faciant Pontificii ad mensuram peccati implendam, quam quod isti assertioni non subscribant.

IV. Interim præ se ferunt *Anabaptistæ*, auctum secundum præceptum, de idololatrico cultu imaginum cavendo, severiori lege de cavenda Christianis omni communione cum idololatris. Quod scilicet evincunt ista anti-thesi, *Templum Judaïcum mansisse olim domum* Dei, *quamvis pollutum cultu idololatrico: nunc contra impossibile esse ut in una Ecclesia unâ habitent Christus & Anti-Christus. V.L. Defens. part.* 1. *pag.* 16. 32.

V. Disputantur ista inter ipsos, sicut cudatur faba in Ecclesias Reformatas, ipsarumque *à Papatu secessionem*, præ secessione scilicet, quam fecerunt *Anabaptistæ*, minus sinceram & accuratam, quod *Reformatione* tantum instaurandam & purgandam censuerint Ecclesiam idololatricam, non

penitus destruendam. Qua κακοζηλίᾳ ab ipsis ejuratus *Baptismus infantium* in Ecclesia Romana susceptus, atque prædicata necessitas novæ per *Anabaptismum* initiationis in Ecclesiam nove ab ipsis fundatam.

VI. Enimvero ad præsens institutum observandum est; quidquid ad accuratissimam idololatriæ fugam, & vitandos idololatras, dictum est in Novo Testamento, id jam ante dictum esse Ecclesiæ Veteris Testamenti. Evincit hoc aperte collatio exhortationis Apostolicæ 2 *Cor.* VI. 17. cum oraculo Prophetico *Esai.* LII. 11.

VII. Quod autem ingeritur hic de Templo Judaico, quod illud, quamvis pollutum cultu idololatrico, manserit domus Dei; inde non efficitur minus severe aut minus accuratè prohibita olim fuga idololatriæ. Sed hinc discendum discrimen inter illa quæ per se idololatrica sunt & vetita, & inter res divina institutione ad usum necessarium per se sanctas, ac sola abusione pollutas per accidens & impuratas. Quæ per se idololatrica sunt, ne mundis quidem munda esse possunt. Quæ vero Dei institutione ad necessarios usus sanctificata sunt, quando profanantur & polluuntur ab hominibus immundis, puris tamen pura esse possunt. Atque hoc pacto Templum quamvis pollutum ab idololatris aliisve impuris hominibus, propter divinam tamen in Templo inhabitationem permanentem, cui testimonium perhibet Christus *Matt.* XXIII. 21. Templi frequentatio munda erat mundis, qui conscientiam suam apud Deum liberabant, gemitibus suis & luctu super iis, quæ corrigere ipsi & extra Templum eliminare non poterant.

VIII. Jam quamvis dissimilis sit ratio Templi illius unius divinitus sanctificati in Veteri Testamento, & locorum in quibus congregantur Ecclesiæ Christianæ, quæ non pariter sanctificantur typica & cæremoniali Dei inhabitatione: adeo ut Christianorum congregationes non sint adstrictæ mansioni ulli visibili in hoc vel illo quem sibi legerunt loco, sed libere Templo vel Synagogæ cuicunque valedicant, prævalente vel idololatria vel doctrina Anti-Christiana, exemplo Pauli *Act.* XIX. 8. 9. Non tamen ita possunt odisse Templorum fabricas congregationi oportunas & commodas, ut illas expurgatas pollutione idololatrici cultus necessariis usibus vindicare nefas ducant.

IX. Atque ex analogia hac non æquè abominari fas est id, quod in impurioribus idololatricis Ecclesiis obtruditur simplicioribus adversarium institutioni Christi, adeoque quod per se Anti-Christianum est & idololatricum, atque id quod ex vera mandati Christi conscientia ibidem observatur, & urgetur observandum. Hoc enim vinculum, quo adstricta est conscientia mandato Christi cognito, nunquam solvi debet, sed manere debet defæcatum & expurgatum, per ejerationem omnis Anti-Christianæ pollutionis.

X. Hoc pacto Ecclesiarum nostrarum Reformatores ab idolomania Papistica & superstitionibus expurgandam censuerunt religionem & liturgiam publicam prædicationis Verbi & Sacramentorum: sed non pro

nulla

nulla habendam nominis Christiani professionem, Baptismo in nomine Patris Filii & Spiritus S. obsignatam, quod illa esset Christo non autem Anti-Christo præstita obedientia, cujus pœnitere debebat neminem.

XI. Sic institutam Reformationem tuentur Ecclesiæ Reformatæ, convictione Ecclesiæ Romanæ de *Apostasia illa* quam prædixit Paulus 2. *Thess.* 11. Juxta quam habuerunt Papam pro *Anti-Christo sedente in Templo*, *id est*, *Ecclesia Dei*; cui sua secessione nuncium miserunt, non autem Dei Templo, seu Ecclesiæ tyrannide ipsius oppressæ. Hic prævaricantur *Anabaptistæ* in hunc modum, *ut inficientur ab Apostolo prædictam illic apostasiam Ecclesiæ Apostolicæ eventuram*, *quia scilicet post apostasiam factam manere nequeat nomen Templi Dei*, *ut in Ecclesia Christi sedeat unquam Anti-Christus*: quod magna animi contentione disputat *V. L. Defens. part.* 1. *pag.* 18. 19. qui *pag.* 20. hæc ingerit Problemata; *An non Paulus intellexerit Judæorum Apostasiam tempore Neronis? An non Filium illum perditionis intellexerit Neronem?* & *pag.* 21. *An Templum Dei à Paulo nominatum non sit accipiendum pro externo Templo Hierosolymitano*, *quod tandem à Romanis vastatum est.*

XII. Ad præsens institutum non facit demonstratio Anti-Christi Romani ex loco illo Apostolico, sed tantum prævaricationis *Anabaptisticæ* detectio; qua, ad majoris scilicet zeli sui in secessione à Papatu demonstrationem, *maximi inter ipsos zelotæ cum Papistis inficiantur*, *Papam esse illum à Paulo prænunciatum*, *& suis characteribus figuratum ac delineatum Anti-Christum.* Spiritum porro vertiginis notasse sufficiet, ex eo, quod ipse qui hæc disputat *V. L. pag.* 12. & 21. disputationis suæ nervos incidit, pronuncians, *ista omnia meras esse suspiciones & conjecturas.* Ut tamen contra nos militent suspiciones & conjecturæ, hæc ipsi est summa summarum, *Traditione aliqua non scripta opus fore*, *ad prædictionem Apostolicam intelligendam*, *absque qua de ejus intelligentia certa frustra laboretur*, *quia quæ versu* 5. *interjecta sunt ab Apostolo ipso*, *obscuritatem pariunt invincibilem nobis*, *qui quid Thessalonicensibus coram dixerit Apostolus ignoramus.*

XIII. Enimvero nihil non posset hoc pacto obscurum censeri in Scriptura S. atque eo nomine rejici Scripturæ scrutatio, & collatio cum experientia, per quam fit ut Prophetiæ impletæ planius & plenius intelligantur, quam implendæ: ut consentaneum magis sit nobis jam vindicare pleniorem intelligentiam, quam olim Thessalonicensibus.

XIV. Interim ad Romanæ Ecclesiæ apostasiam intrepidè asserendam, facit collatio prædictionis Apostolicæ de insigni illa Apostasia ventura, cum ipsa Apostoli præmonitione de Apostasia, scripta nominatim ad Ecclesiam Romanam. *Rom.* x1. 17----24. Et quod non sit ovum ovo similius, quam Romanæ Ecclesiæ imagines sunt idolis gentium: ut aperte contra illam quoque militet censura idololatriæ, quæ legitur *Rom.* 1. 23 ---- 25.

PARTIS III. DISPUTATIO IX.

QUÆ EST TRIGESIMA SEPTIMA.

AD

Tertium Præceptum Decalogi, de Juramento.

SUccedit ad Tertium Decalogi Præceptum Disquisitio de Juramento, in Religione Christiana licito an illicito. Absolute quidem illicitum esse illud Christianis, popularis est *Anabaptistarum* Theologia, qua pervertunt doctrinam partim Veteris partim N. T. libris expressam. De Veteris quidem Testamenti Religione sic pronunciant: *Ad rei per se bonæ & veræ confirmationem Patribus in V. T. permissum & concessum fuit jurare per nomen Dei; quo facto tenebatur qui juraverat, jure humano & divino, juramentum suum præstare Deut.* VI. 13. *&* X. 20. *Confess. oppos. Faukelio pag.* 391. 392. Item; *Deus in V. T. permiserat ut affirmationem suam homines Juramento confirmarent: cui fini docuit & præcepit ut hoc fieret in nomine suo. pag.* 294. Porro se explicant; *Non Juramentum, sed rectum Juramenti usum, in V. T. conversionis fructum fuisse, quando eousque descivissent, ut loco Juramenti per nomen Dei veri, jurassent per Baal. Alias non fuisse opus Spiritus legitimum juramentum concipere. pag.* 395. 396. 397. Breviter ubi affirmant orthodoxi, certo casu & necessitate id exigente à Deo imperatum fuisse Juramentum, quo sanctè coli & invocari vellet, *Anabaptistæ* volunt permissum tantum & indultum fuisse, ac castigatum.

II. Assertionem Orthodoxam de Juramento in certo casu imperato, confirmat Lex scripta *Exod.* XXII. 10. 11. Juxta quam doctrina V. T. reliqua, de jurando per nomen Dei veri, non est castigatio actionis libere usurpatæ, divina tantum permissione seu indulto, sed uberior institutio in Lege, ad obedientiæ imperatæ accurationem spiritualem.

III. Atque hinc liquet falsa præpostere intercurrens Anabaptistarum assertio ista, *juramentum non fuisse opus Spiritus, quia juramentum facere potest carnalis, & quamvis non gustarit Spiritum Dei, jurare quod in se verum est. Confess. pag.* 396. Nititur enim falsa hypothesi ista, Legem fuisse carnalem, qua non præceperit Deus nominis sui à jurante invocationem in spiritu: quod refellit abunde *Psalm.* L. *versus* 16. *&* 17. & tota Scripturæ Analogia, & Dei natura Spiritualis *Joh.* I V. 24. ac expressa Pauli affirmatio. *Rom.* VII. 14.

IV. Ad præceptum autem tertium negans disquiritur, vetitumne fuerit solum perjurium, quod affirmant *Anabaptistæ*, qui hanc inde urgent necessariam consequentiam, *in lege Veteri permissum fuisse quodvis juramentum per nomen Dei, modo caveretur perjurium.* Atque hic prætexunt suo errori verba Christi *Matth.* V. 33. *Audistis dictum fuisse antiquis, non dejerabis, sed reddes Domino juramenta tua.* Quasi nihil ultra docuerint Moses & Prophetæ,

phetæ, atque ille esset unicus nominis divini abusus tertio præcepto vetitus.

V. Nos asserimus indefinitam loquutionem, de *non assumendo in vanum Nomine Dei*, seu juxta vernaculam, Anabaptistis quasi authenticam, versionem, de non abutendo nomine Dei, (niet misbruycken) non potuisse nec debuisse adstringi ad solum perjurium, neque id à Christo Mosi aut Prophetis imputari. Non patitur enim in Legem Mosis censuram aut castigationem illam, de non vetito omni abusu divini nominis, Christi protestatio *versibus* 17. 18. 19. 20. expressa: sed stringit Christus hic & alibi Scribarum & Pharisæorum etiam veterum malam fidem, quod legis nucleum negligerent; quem Christus vocat *τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, ea quæ in lege sunt graviora*, seu *maximi momenti Matth.* XXIII. 23.

VI. Jam in secundo præcepto *τὸ βαρύτερον*, seu maximi momenti negotium spirituale, à Scribis & Pharisæis omissum, hodieque ab Anabaptistis neglectum, (ut scilicet tueantur Novam Legislationem Christi, quam comminiscuntur) illud fuit; non esse irreverenter habendum Nomen Dei, aut usurpandum temere, ne quidem extra juramentum Deum invocanti, vel de Deo loquenti, aut tractanti Verbum Dei. Unde sicut Juramenti ita Verbi Dei metus & reverentia commendatur ut vera in Deum pietas *Esai* LXVI. 2. *& Eccles.* IX. 2. Quo posteriori loco Antithesis est pii & impii ista, non ut perperam habet *Vulgata* Latina versio, *perjurus, & ille qui verum dejerat*: sed ut ex Hebræo *Pagninus* vertit; *qui jurat, & qui juramentum timet*. Ac bene habet, quod in vernacula versione posterius saltem illud salvum est ad convictionem *Anabaptistarum*, die den eed vreest/ quamvis prius ex Vulgato manserit, de meyneedige. Textus authentici litera emphaticè illud dictat, pios in V. T. religione præcepti secundi juramentum reveritos, non tantum perjurio, sed juramento ipso extra casum necessitatis, quo à Deo imperatum erat, omnino abstinuisse.

VII. Videamus jam doctrinam de Juramento in N. T. explicatam, ex qua *Anabaptistæ* urgent illud verborum Christi *Matth.* V. 34. *τὸ ῥητὸν*; *Ego vero dico vobis, ne juretis omnino*: & parallelum locum *Jacobi cap.* V. 12. De quibus verbis Christi & Jacobi breviter respondemus, ex collatione loci *Matth* XXIII. 16. 23. manifestam esse illorum *διάνοιαν*, quæ non præscribit contra juramentum in Dei nomine reverenter usurpandum, & à piis in V. T. usurpatum, sed tantum contra Judæorum jurantium hypocrisin, qua scilicet metuentes Juramentum per nomen Dei directum, jurabant *per templum, per aurum templi, per altare, per holocaustum, per cœlum, per terram*.

VIII. Si hic præscriptum esset contra id quod mandarat Deus in V. T. de jurando per nomen veri Dei, peccavit, quod absit, Paulus non semel in Epistolis suis affirmationem suam muniens juramento, V. G. *veritatem dico per Christum, non mentior: attestante mihi simul conscientia mea, per Spiritum sanctum. Rom.* IX. 1 Item; *Testem Deum invoco in animam meam.* 2 *Cor.* I. 23. *Testis mihi est Deus cui servio Spiritu. Rom.* I. 9. *cum Phil.* I. 8. Quin docens

pium

pium Juramenti usum, ad omnis controversiæ terminationem inter homines. *Hebr.* v I. 16.

IX. De Pauli exemplo non habet quod excipiat *Menno S.* quam illud, *distinguenda esse negotia temporalia, quæ carnem & sanguinem, pecunias aut possessiones spectant, & negotium confirmandæ veritatis, ad Dei gloriam, & salutem ac ædificationem proximi.* Hic manus dat: illic autem ἀνονόμως censet vetitum omne juramentum. *Summarii part.* I I. *pag.* 398. Mirari licet cur hac distinctione in populari sua Theologia abstineant *Anabaptistæ*, proscribentes *omnem modum jurisjurandi ad confirmationem veritatis.* Maximè cum ipsi *Mennoni* scribenti familiares fuerint illæ jurandi formulæ, quibus, scilicet Paulum imitatus, scripsit; *Deus mihi testis est, Dominus novit, Ecce in Christo sincera hac veritas est, Coram Deo meo non secus mihi conscius sum, Hec ita verum esse testis mihi erit N. S. una cum Domino omniscio, cujus manum & punitionem non effugiam, si mentior & veritatem non scribo. Si jam mihi hoc inficiari velint, deprehendetur ita esse sicut ipsis scripsi, in die justi illius judicii, coram oculis æternæ & magnæ illius Majestatis.* Hypocrisis *M. S* notanda, qua minime jurat, quod præ se fert, ad confirmandam Dei veritatem: sed ut ipse verax sit, mendax autem *J. à Lasco & M. Micronius* adversarii ipsius, in dictorum & factorum historia.

X. Sed ad discriminis istius prætextum porro respondemus, ex loco 1 *Tim.* v. 8. quia Fidem abnegare, & infideli deteriorem esse pronunciat Apostolus, qui vel quæ domesticis non providet, consequens est, recusari non posse salva conscientia juramentum à Magistratu delatum, in casu simili in quo Lege Mosaica fuit imperatum, in quo nisi præstetur, pervertitur substantia ad œconomiam necessaria, qua domesticis providendum est.

XI. Ad locum Pauli *Hebr.* v I. 16. ista est *Anabaptistarum* evasio, quæ refutanda restat; illud *inter homines* intelligendum esse, *inter illos qui adhuc carnales sunt: tantum credentibus discipulis Christi præceptum esse ne jurent, illos solos hac lege contineri: quemadmodum id Jacobus quoque confirmat, præcipiens fratribus, at non mundo, ne jurent omnino. V. L. Defens. part.* I I. *pag.* 76. Ergo si *Anabaptistas* audimus, non peccant jurantes illi qui extra sunt, sed tantum qui nomen dederunt Ecclesiæ. Similiter pronunciant *de Functione Magistratus, & de Bello.* Atqui habet evasio ista characterem doctrinæ dæmoniorum, & hypocrisios ψευδολόγων quem tradit Apostolus 1 *Tim.* I v. 1 2. Quod hoc pacto prohibetur Christianis usus illarum rerum quas Deus creavit bonas, aut quas sua institutione sanctificavit, atque sic laqueus injicitur conscientiis, contra effatum illud Apostolicum, *mundis omnia munda esse. Tit.* I. 15.

COROLLARIUM.

AN *Amen Amen* sit formula Juramenti? Negatur.

PAR-

PARTIS III. DISPUTATIO X.

QUÆ EST TRIGESIMA OCTAVA, AD

Præceptum Decalogi IV & V.

QUartum præceptum de Sabbato seu quiete diei septimi cum *Socinianis Anabaptistæ* censent penitus à Christo sublatum, ut omnino Cæremoniale, & typicum atque umbratile. Referunt enim ad *Legis Cæremonialis Jugum Vetus*, quo *populum suum liberavit Christus* (*juxta ferias & festa anniversaria Judaïca*) *etiam feriationem Sabbati externi. Auctores Confess. oppos. Equkelio Art. IX. pag.* 123. In quam sententiam apertius *V. L. Defens. Part.* 11. *Pag* 95 sic pronunciat; *Ne ipse quidem Decalogus expers est earum* (*umbrarum*) *Nam diei Sabbati observationem ad umbras pertinuere testis est Paulus Coloss.* 11. 17.

II. Ecclesiæ harum quidem regionum Reformatæ nullos jure divino Festos dies agnoverunt: unde factum, ut in *Catechesios Heidelbergensis* Belgica versione *Quæstione Catech* CIII. nunquam expressum sit in hunc usque diem, quod est in Latino, *festis diebus*, sed substitutum, op den [illegible] hebt / dat is op den Rustdagh. Et fuere circa Reformationis Belgicæ initia etiam susceptæ, quamvis frustra, cogitationes illæ, de abolenda omni Festorum dierum extra diem Dominicum observatione, quod testatur *Synodi Nationalis Dordrechtanæ Anni* 1574 *Canon* 53.

III. De Sabbato autem seu quietis die septimo alia atque alia est doctrina libris V. T. expressa: illa cæremonialis hæc moralis. Ista minime, sed hæc habet τὸ βαρύτερον seu maximi momenti negotium, quod negamus in religione Christiana abolitum. Ad cæremonialem doctrinam proprie facit Judaïca Sabbati sanctificatio per appropriatos Sabbato ritus auctioris Sacrificii.

IV. Cæremoniali isti doctrinæ, accensemus, sed cum distinctione, *jus* illud *positivum vetus pædagogicum*, de sanctificanda feria septima, ad recordationem quietis seu Sabbati primi, quo Deus quievit, completo opere Creationis sex dierum.

V. Moralis autem Lex quarti præcepti est, quæ habet convictionem conscientiæ, de necessaria aliqua vacatione à laboribus quotidianis, in determinato temporis articulo, quo publicè colendus est Deus: breviter de Sabbati externi necessaria ex Dei beneplacito determinatione, quia absque illa ἀδύνατον esset, tueri sartam tectam Ecclesiæ συναγωγὴν seu aggregationem publicam, cum ipsa natura dictet, diffluere cœtus omnes, qui non habent stata tempora congregationis.

VI. Substantia ergo seu nucleus quarti præcepti, permanens etiam in Religione Christiana, est ascetica externi Sabbati, unoquoque post sex

operarios dies septimo die, quies & sanctificatio ad cultum Ecclesiæ in unum congregatæ publicum.

VII. Asceticam quietem & sanctificationem diei Sabbati dicimus; quia exercitationem illam Sabbati externi intelligimus necessariam esse etiam Christianis, non minus quam olim Judæis, ut præparationem ad spiritualis & sempiterni Sabbati in hac vita exordium. Atque hunc existimamus verum commentarium esse in *Responsionem Catecheticam* CIII. Minime autem admittimus hic *Anabaptisticas & Enthusiasticas* hypotheses, per quas allegoria tantum quarti præcepti veteris Christianis reliqua sit: scilicet absque ullo Sabbato externo, Sabbatum tantum illud spirituale, quod responsionis dictæ tmemate posteriori expressum est.

VIII. Quamvis ergo etiam libertati Christianæ acceptam feramus permutationem illam, qua sicut Circumcisioni Baptismus, sic Sabbato feriæ septimæ Sabbatum feriæ primæ in septimana successit: tamen censemus etiam Christianæ libertatis legem quarto Decalogi Præcepto expressam manere. Ac (salvo aliorum judicio, qui imprudentes nimium hic *Anabaptistis* largiuntur) existimamus sic se habere ἀλήθειαν quarti præcepti, ut etiam computo Judaïco feriæ septimæ abrogato, non pereat jota aut apex verborum aut sensus literalis. Ut quamvis olim Judaïcum Sabbatum Judæis præscriptum fuerit isthoc præcepto quarto, de verborum tamen litera nihil decedat, quantisper post sex dies operarios in Ecclesia dies aliquis septimus numeratur.

IX. De cætero, neque per ἐθελοθρησκείαν seu proprio motu Ecclesiæ Christianæ, sed auctoritate Apostolica divina factum credimus, quod Sabbato Judaïco successerit Sabbatum Christianum. Habemus enim in Scriptura expressum exemplum & mandatum Apostolicum *Actor* XX. 7. & 1 *Cor.* XVI. 1. 2. Ut parum aut nihil referat, an immediate à Domino, an mediate per Ecclesiam institutus credatur *Dies Dominicus* nominatus *Apoc.* I. 10. Quandoquidem non intelligitur hic Ecclesia destituta Apostolis, in quibus per Spiritum S. loquutus est Christus Dominus. 1 *Cor.* VII. 40. 2 *Cor.* XIII. 3. & 1 *Cor.* XIV. 37. Apostolicam autem Auctoritatem ab Auctoritate Divina sejungere, & infra illam depreciare est *Pontificis* prodere Scripturæ sacræ Auctoritatem uniformiter divinam. Vide *Disput. nostram III. De Canone Theologiæ.*

X. Ad præsens institutum, asserimus contra *Anabaptistas*, non esse sublatum à Christo aut Apostolis ejus *Sabbatum externum*, quarto præcepto imperatum, neque doctrina, neque exemplo. Quia ne quidem Judaïcum Sabbatum vellicavit Christus in diebus carnis suæ, sed hic quoque se exhibuit πληρωτὴν τοῦ νόμου, qui venerat Legem implere. Adeo ut postulatus à Judæis de Sabbato violato provocarit ad severum sine personæ suæ acceptione judicium. Joh. VII. 24. Et quamvis merito se assereret Dominum Sabbati, id est Legislatorem ipsum, atque hoc nomine Legis interpretem αὐτόνομον, tamen judicari vellet, secundum illam quæ ex ipso Mose disci poterat Legis scriptæ διάνοιαν, seu sensum literalem. *Matth.* XII. 6. & 8. *Marc.* II. 28. *Luc.* VI. 5. &c.

XI. Et

XI Et de futuro in posterum Sabbato externo loquitur Christus ad conscientias, cum inquit, *Orate ne fuga vestra fiat in Sabbato. Matth.* XXIV. 20. Gratis enim hoc dixerit Christus, si nulla foret cura Sabbati externi: vel si religionem Sabbati Judaïci ita voluisset abolitam, ut nullum illi succederet Sabbatum Christianum.

XII Ad mandatum autem Apostolicum de Sabbato Christiano diei Dominicæ, quod 1 *Cor.* XVI. 1. 2. expressum indicavimus *Thesi* IX porro observandum, non fuisse particulari tantum Corinthiorum Ecclesiæ datum, ad particularem illius eutaxiam, sed Ecclesiæ Catholicæ universæ; quia & aperte locus ipse hæc habet, *sicut præcepi Ecclesiis Galatiæ sic & vos facite*, & ipsa prioris Epistolæ ad Corinthios inscriptio dicata est *omnibus invocantibus nomen Domini Jesu Christi, in omni loco.* 1 *Cor*, 1. 2.

XIII. Ad *Præcepti* V. διάνοιαν referimus omnem ordinationem divinam, qua homo homini subjicitur in Regimine Oeconomico, Ecclesiastico, & Politico. Luxant hic *Anabaptistæ* I. Nervos Regiminis Oeconomici, ad Christianismi detrimentum: quandoquidem in liberorum educatione nolunt fas esse Christianis parentibus severitate eadem qua sibi subjiciunt liberos, eosdem subjicere jugo Christi à teneris unguiculis, aut pædagogos illis dare, qui hoc agant, ut cum lacte quasi imbibant pietatem & adorationem. Ac supervacaneum censent, *ut clara voce recitatis precibus domui suæ praeat Paterfamilias.* Scilicet nullum agnoscunt in prima adolescentia Spiritum fidei aut precum in fidelium liberis, qui domesticis exercitiis excitari aut foveri queat Nec patiuntur hoc confirmari ex *Psal.* VIII. 3. *cum Matth.* XXI. 15. 16 *Confess. oppos. Fankel. pag.* 375. 378.

XIV. Nos ex analogia loci 1 *Cor.* XIV. 34. 35. si uxorum, multo magis liberorum, causa patribus familias mandatam credimus domesticam Catechesin. Atque hic etiam liberos respectu parentum obligare exhortationem Apostoli universalem, quæ exstat *Hebr* XIII. 17. *Parete ductoribus vestris, & obsecundate, excubant enim ipsi pro animabus vestris tanquam rationem reddituri &c*

XV. II Nervos quoque regiminis Ecclesiastici luxant non uno modo: indirecte quidem, quando impugnant *publicam in Ecclesia precum recitationem, quæ elata voce fit à Verbi ministro.* Hoc enim contradictionis Spiritu auferunt ex Ecclesia subjectionem illam quam præscribit Apostolus 1 *Cor, Cap.* XIV *vers.* 14. 15. 16 jubens ut in Ecclesiæ congregatione qui ex officio Prophetam agit sic preces concipiat, ut ab idiota audiri & intelligi queat, atque cum intellectu elicere ex idiota τὸ *Amen.*

XVI. Reliqua de Regimine Ecclesiastico persequemur ubi de Excommunicatione erit disputandum. Quæ Politicum regimen Magistratus spectant, connexa sunt, cum iis quæ ad *Præceptum* VI. dicenda habemus.

PARTIS III. DISPUTATIO XI.

QUÆ EST TRIGESIMA NONA.

AD

Præceptum Decalogi V. & VI de Magistratu Politico.

DE Magistratus Politici functione Gangræna *Anabaptistica* tangit & V & VI. Decalogi præceptum. Ad quintum præceptum spectat quod debitam Magistratui politico subjectionem & obedientiam luxant, sua isthac hypothesi, *Christum finem imposuisse, & à populo suo abstulisse etiam Officium Regium, eique annexa, regnum temporale, gladium, vindictam & bellum. Confess. opposita Faukelio pag.* 123. 408. 409. Atque hic obtendunt loca *Esai.* II 4. *Mich.* IV. 3. *Zach.* IX. 10. *cum Job* XVIII. 36. Hinc istum conscientiis laqueum injiciunt, *nefas esse Magistratibus servire in bello gerendo aut alias, quia veris discipulis & veris ovibus, duce inermi agno, quotquot se dederunt ad serviendum Christo Jesu pacifico Salomoni, non est retrospiciendum ad serviendum alteri Domino. Jac. Janss ad Argum.* 8. *Petri Cornelii de Magistratu.* Ut nil præter verba dent, quando in dicta *Confess. pag* 427. profitentur, *Magistratibus officio fungentibus obedientiam deberi, ut Dei ministris etiam propter Dominum, ut ordinationi divinæ.*

II. Subest enim persuasio illa qua falluntur & fallunt, quam *Disput. IX. de Juramento Thesi II.* attigimus; *Magistratus officium in se, utpote à Deo institutum & ordinatum, non habere peccatum aut iniquitatem, attamen non esse a Deo permissam Christianis, nedum mandatam, ejus functionem.*

III. Non repetemus hic quam illic dedimus responsionem. Hoc porro adjicimus, nullum relinqui ab *Anabaptistis* Magistratui Christiano, quod nos asserimus, jus majestatis circa sacra, quo Leges Christi cumulet suis legibus & mandatis, ad tuendam Ecclesiæ pacem & tranquillitatem, & compescendos turbatores intus, vel arcendos foris hostes & oppressores.

IV. Hypothesis ergo supradicta pressius examinanda, quam illi explicant initio isthac assertione de Republica Mosaïca; *Ante adventum Christi tempore Veteris Testamenti unicum tantum institutum fuisse regimen, ac non nisi unicam punitionem; videlicet à Magistratu exercendam secundum scriptam Legem à Mose traditam, qua luendum erat vel in bonis, vel in corpore, ac sustinenda aut Mors, aut carcer, aut mulcta pecuniaria: quæ omnia Politici erant non Ecclesiastici judicii.* Sic pronunciant in libello, de Censur. Eccles edito 1592. cui titulus est, *Declaratio divinæ Scripturæ, quomodo se gerere debeat Ecclesia Christi &c. Cap.* 2. Inficiantur itaque omne Ecclesiasticum spirituale regimen Ecclesiæ Veteris Testamenti, à regimine terreno independens, in directione Ecclesiæ ad cœlestem beatitudinem.

V. In Ecclesiis Reformatis creditur ex verbo Dei, fuisse à Deo jam olim in V. T. institutum duplex Regimen, duplici officio gubernationis, quâ Politicæ,

liticæ quâ Ecclesiasticæ, distinctum. Ut quantumvis nonnunquam Officium utrumque sustineret Persona una, vel partim vel in solidum: tamen distinctâ ac geminâ ad id vocatione divinâ opus fuerit: absque qua non magis Regi fas erat invadere Propheticum aut Sacerdotale munus, quam Prophetæ aut Sacerdoti Regnum.

VI. Ut nihil hic juvent *Anabaptistas* singularia exempla *Melchisedeci*, *Eli*, *Samuëlis*, *aliorumque qui fuerint & Sacerdotes & Judices seu Reges*: non magis *Davidis qui item Rex & Propheta*, & *Salomonis qui etiam Rex & Ecclesiastes*. Neutiquam enim inde efficitur justa (per nudam vocationem ad Regnum) muneris Prophetici vel Sacerdotii usurpatio: aut vice versa, vel jus hæreditarium ad munus Propheticum, quo post Salomonem hæredes regni Reges Juda fuerint Prophetæ & Doctores Ecclesiæ.

VII. De *Mose* quod ingerunt, quod ipse etiam *fuerit ipsius Religionis Legislator*, alienum est. Fuit enim illud personale Mosis privilegium: faciens per se non ad terreni Regii muneris (quod sustinebat in populo Israëlis) axioma, à quo *Rex* dictus *Deut*. XXXIII. 5. sed ad alterum munus Propheticum, in quo extra ordinem gessit, ut Propheta eminens, typum magni eminentissimi Prophetæ Christi. *Deut* XVIII. & *Act*. III. Ad Sacerdotium autem (quod non Mosi, sed Aaroni mandatum fuit & filiis ipsius) spectabat spiritualis ordinaria directio & gubernatio populi in Religione & cultu instituto. Neque minus immediatè Deo soli obnoxia erat Aaronis suo munere Sacerdotali fungentis opera, quam Mosis opera in functione muneris Regii ordinaria. Quantumvis per Mosem ut Prophetam extraordinarium facta sit Aaronis in Sacerdotem inauguratio & ipsius Sacerdotii Legislatio.

VIII. Nec obstat illud (quod hic occinunt vulgo indocte) ad Mosem de Aarone dictum *Exod*. IV. 15. 16. *ipse tibi os erit*, *& tu ipsi Deus eris*, & *cap*. VII. 1 *ecce ego te Deum constitui Pharaoni*, *& Aaron frater tuus*, *erit Propheta tuus*. Non loquitur isthic Deus de Prophetico munere cui tandem inungeretur Aaron: neque fundat jus tale Majestatis Regiæ, ut suo munere fungens & loquens Propheta aut Sacerdos Dei loquatur ut os Regis, qui ipsi sit vice-Deus. Quid ergo? Res ipsa loquitur, sermonem esse de Mosis (à Deo designati Regis Israëliticæ, quam Deus moliebatur, Reipublicæ) regia ad Regem Pharaonem legatione, in qua ipsi ut legatus à latere adjungitur Aaron, mandato Mosis loquuturus quæ Moses Dei nomine habebat dicenda. Itaque si quid juris perpetui hinc foret arcessendum, haberemus Legem tantum hanc, (quæ nihil ad muneris Prophetici aut Sacerdotii functionem faceret, sed regiis legationibus præscriberet) fuisse videlicet adhibendos semper Prophetas aut Sacerdotes, per quorum os Reges Regibus loquerentur.

IX. De jure autem divino liquet, distinctas fuisse in V. T. vocationes & functiones gubernationis Reipublicæ seu regni terreni, & Ecclesiæ Judaicæ: ut Regiæ Majestati in Republica seu civitate Israëlitica subjicerentur, ac Regi seu Judici obedientiam politicam deberent etiam Prophe-

tæ & Sacerdotes, Sacerdotali autem gubernationi & censuræ seu disciplinæ omnes etiam Reges & Judices subessent in spiritualibus. Liquet inquam illa de jure divino distinctio ex concertatione illa, qua Regi Uziæ ut alieni muneris usurpatori sancto zelo se opposuit octuaginta Sacerdotibus comitatus Azarias Sacerdos summus 2 *Chron.* XXVI. adfuitque ipsi Deus vindicans peccatum [illegible] in Rege per lepram immissam.

X. Quo exemplo munita est illa quæ 2 *Chron.* XIX 11 expressa est distinctio præfecturæ geminæ: quarum altera suum habet caput in negotiis Regis, altera suum caput in negotiis Dei, id est spiritualibus; in quibus vel invitis Regibus serviendum erat, ac audiendus Sacerdos officium faciens secundum Legem Dei. Quam distinctionem quoque confirmat testimonium Apostoli *Hebr.* VII. 14. qui docet nihil ad tribum regiam Judæ Deum loquutum de Sacerdotio, sed vocationem ad Sacerdotium peculium fuisse tribus Leviticæ.

XI. Anabaptistæ contra ingerunt loca *Deut* XVII. 8. 9 & 19. Sed frustra sunt: non enim nos imus inficias, fuisse summum illud Synedrium in quo uterque & Sacerdos & Judex audiendus erat in Republica Israëlis. Non obstante enim societate ista Judicis, & Judicii, Politici & Ecclesiastici, (quam sæpe flagitabant negotia mixti fori, in quibus comitari debebat censuram Ecclesiasticam punitio corporalis Lege Dei imperata) manebat distinctio vocationis & gubernationis ac correctionis Ecclesiasticæ spiritualis, à Politica temporali jurisdictione, & Regno terreno.

XII. Ad hypothesin jam supra *Thesi I.* indicatam respondemus; ab impiis quidem Judæis sceptrum auferri jam cœptum, tandem omnino ablatum in urbis & templi excidio, propter impietatis mensuram cum contemptu Euangelii impletam. Cum demonstratione efficaci per primorum sæculorum experientiam, absque regni terreni brachio sæculari consistere posse regnum Christi, quod non est de hoc mundo. At minime inde consequi, Christum in adventu suo per prædicationem Euangelii sustulisse jus Regni aut Leges civiles Mosaïcas, tanquam minime convenientes pietati & religioni Christianæ, adeoque Christianis impuras. Quamvis necessaria consequentia, illæ Leges civiles quæ attingebant cleruchiam terræ Canaan, ejectis extra Cananæam Judæis, & in aliis extra eandem nationibus, factæ sint inutiles. Reliqua persequemur *Disputatione proxima*, de jure gladii.

PAR-

PARTIS III. DISPUTATIO XII.

QUÆ EST QUADRAGESIMA.

AD

Praeceptum Decalogi VI. de Jure Gladii.

HOc effecimus *antecedenti Disputatione*, ut nulla sit *Anabaptistarum* hypothesis, qua, ut Magistratum Politicum extra Christianismum eliminent, Politiam Civilem cum Ecclesiastica miscent & confundunt in Veteri Testamento. Enimverò quod in Magistratus Politici functione abominantur ut Christianis indignum, est *Jus Gladii*, ad quod praesens instituetur disquisitio. Nos illud Magistratui etiam Christiano asserimus, ut non necesse habeat Christum induens regno terreno & jure gladii se exuere. Ac initio censemus non sine impietate rejici ab *Anabaptistis* in hac ut in aliis controversiis auctoritatem Veteris Testamenti, in quo Deus Magistratum populi sui gladio armavit, & pii ac fideles etiam bella gesserunt, ac Spiritus S. instinctu hoc nomine Deum laudarunt, quod manus ad praelia institueret, brachia confirmaret, corda animaret, heroas, & in illis heroicos motus ad bellum gerendum excitaret, ac quibus vellet victoriam largiretur. *Deut.* XXXII. *Psal.* XVIII. & CXLIV. &c.

II. Quamvis enim largiamur *ex locis Esai.* II. 4. *Mich.* IV 3. *Zach* IX. 10 nec non *Job.* XVI I 36. non, sicut olim duce Josua bella gesta sunt, ad fundationem Reipublicæ Judaïcæ in terra Canaan, gladio aut bello voluisse Jesum Christum fundare in his terris regnum suum, sed armis tantum spiritualibus: ac sublatas per Christum inimicitias illas, quibus tanquam parietis intergerini septo, arcebantur à communi cum Judaeis salute gentes aliæ: hoc tamen non ferit Magistratus Christianos, si gladio plectant grassatores, latrones, raptores, atque tueantur subditorum facultates, corpora, honestatem, victum, tranquillitatem, adversus eos qui ista conantur perdere, quin armati obviam eant Ecclesiæ Christianæ hostibus & oppressoribus. Expressit hic vis veritatis *Mennoni S.* hanc *ad Magistratus* alloquutionem, qua ut à suorum cervicibus gladium averteret, monuit in quos esset convertendus. *Mementote vos ad hoc vocatos esse ut puniatis malos, nempe fures & latrones, scortatores & adulteros, magos, Sodomitas, stupratores feminarum, homicidas, violentos grassatores & raptores, ut exauctoretis caecos & falsos Doctores.* Et mox; *Ad hoc vocati estis, sicut per universae Scripturae testimonium confirmatur.* Exod. XVIII 23. 2 *Paral.* XIX. *Rom.* XIII. I *Petr.* II. *Hujusmodi Principes fuere Ezechias, Josias, David, Josaphat, Zerobabel aliique plures. Menno. S. libro Fundamenti. Edit.* 1539. *fol.* 99. *verso &* 100.

III. Ad

III. Ad currentem hodie *Anabaptistarum* inermium Theologiam refutandam ex Novo Testamento, sufficiunt à *M. S.* indicata duo illa loca. *Rom.* XIII. 13. 14. *&* 1 *Petr.* II. 13 14. Quorum priori Apostolus non tantum de facto sed de jure loquens, asserit Magistratum, (ut divina ordinatione ministrum Dei, ultorem ad iram ei qui quod malum est fecerit) gladium gerere non *εἰκῆ*, *non temere* h. e non sine vocationis divinæ præsidio. In quem sensum hanc particulam illustrat locus *Col.* II. 18. ubi dicitur *εἰκῆ turgere carnis suæ sensu, qui se ingerit in ea quæ Deus non revelavit.* In posteriori autem loco Petrus urget Christianorum subjectionem propter Dominum, sub Regibus & præsidibus, qui officio funguntur ad ultionem maleficorum, & ad laudem recte agentium.

IV. Accedunt argumenta ex N. T. sequentia, quæ Magistratui confirmant jus gladii, citra Christianæ fidei aut salutis jacturam. I. Quia Johannes Baptista, cum illum interrogarent & milites, qui ad Baptismum resipiscentiæ accedebant, *quid faciemus & nos?* non præscripsit contra Sacramentum militare; quod factum oportebat, si Christianos debuisset ejus poenitere: sed respondit *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Luc.* III 14. Neque hic aliud reliquum est *Anabaptistis* effugium, quam quod negent Johannem fuisse ministrum Novi Testamenti, ac doctrinam & institutionem Johannis non fuisse Euangelicam sed Legalem, ita ut Ecclesiæ Novi Testamenti non liceat pariter stare responsis Johannis, quæ dedit à se baptisandis, atque mandatis Christi quæ ipse docuit suo Baptismo initiatos. Quod πρῶτον ψεῦδος refellitur hac ex Scripturis demonstratione, quod à matris utero Johannes divinitus segregatus, ut Euangelii de Christo exhibito minister, ministerio suo fungens prædicavit, adesse jam natum ex muliere promissum Messiam, ad tollendum peccata sui corporis sacrificio, ut verum agnum Dei olim adumbratum typo Agni aliarumque victimarum mactatarum ad promissionem de ipso venturo obsignandam. *Joh.* I. 37 Atque hoc Euangelium obsignabat Baptismo suo Johannes: ut suo loco in sequentibus confirmabitur *Disp. de Anabaptismo.* Est autem falsa hypothesis quæ hic intercurrit altera, quod ex Euangelio Novam Legem faciunt; quam confutavimus supra *Disp.* XXIII.

V. II. Quia Christus ipse & Apostoli *Milites* habuerunt in censu fidelium & piorum, qui Deo placuerunt, non exauctorati à militia: ut liquet *Matth.* VIII *& Act.* X. III. Quia non veritus est Paulus implorare adversus Judæorum contra se conspirationem Romanorum militum salvum conductum. *Act.* XXI. 23. 24. 25.

VI. Sarta ergo tecta est harmonia Veteris & N. T. pro jure gladii, quod Deus Magistratui concessit ad ultionem, à quo non potest excludi belligeratio ad pacis & tranquillitatis publicæ adversus hostes defensionem. Quemadmodum uno ore à Prophetis pariter & ab Apostolis prohibita fuit temeraria privata vindicta & vindictæ cupiditas; ut liquet collatione locorum V. T. *Deut.* XXXII 35. *& Prov* XXIV. 22. *&* XXV. 21. 22 *cum Rom.* XII. 17. *& Levit.* XIX. 18. *cum Luc.* X. 29. 37. Et evincit illud quoque quod

que quod etiam in vindictæ publicæ exercitio Deus noluerit Magistratum indulgere privato odii aut dedignationis affectui, aut φιλανθρωπίαν exuere. *Deut.* XXV. 2. 3. Atque jusserit ipsa punitione malorum consulere aliorum emendationi, & bonorum tranquillitati *Deut.* XXI. 21. & XVII. 13. 14. & XIII. 11. quod ipsum est Charitatis officium, erga plures.

VII. Impia ergo contra harmoniam V. & N. T. *Anabaptistarum* ista est tergiversatio, quando in *Confess. opposita Faukelio pag.* 459. 460. rogati, *an Christianus in functione Magistratus manens salvari possit*, prætextu verborum Pauli 1 *Cor.* V. 13. *de iis qui extra sunt Deus judicat*, responsionem categoricam detrectant.

VIII. Nec vacat impietate hypocrisis illa, qua isthoc Antidoto quasi castigant Psalmos Davidis δημοσιεύειν, canendos in suis synagogis, (ubi servant idem nobiscum Psalterium rhytmicum, in ipsorum usus *Hornæ* 1618. excusum) *rectum usum, & Christianam intelligentiam Psalmorum Davidis, qui de hostibus corporalibus, aut bello aut vindicta, loquuntur, contineri hac institutione, res istas tales esse, ut si secundum literam intelligantur & accipiantur, omnino repugnent & contraveniant regni spiritualis Christi affectionibus quod pacificum est, ac charitate & patientia gaudet. Atque ea de causa illa quæ de bello & vindicta loquuntur non esse adoptanda in sensu literali, sed necessario adhibendam anagogen & interpretationem spiritualem. Quia*, scilicet, *juxta locum Eph.* VI. 12. *spirituales hostes regni Christi minime sunt corporales homines.* Est hoc ipsorum effatum & contra experientiam, & præter Apostoli mentem, qui noluit absolutè negare nobis *luctam* esse *cum carne & sanguine*, sed hoc voluit, non cum sola carne & sanguine.

IX. Psalmi illi, quos sua ista censura perperam notant, flagitant etiam à Christianis meditationem in timore & tremore judiciorum Dei contra desperatos Ecclesiæ & piorum hostes, quæ illis, non privato affectu abreptus, sed Spiritu Prophetico actus, denunciat David. Neque à Christianis istam judiciorum Dei meditationem & exspectationem ex fide alienam esse persuadent loca 1 *Joh.* III. 12. 13. 2 *Thess.* I. 5. 6. atque alia parallela. Ac privatum affectum carnalis odii Davidem procul habuisse, liquet *Psal.* XXXV. 12. 13. 14. Esse autem ex zelo Dei & Christi nonnunquam etiam pio & sancto hostium Dei odio (illi quod David profitebatur *Psal.* CXXXIX. 21. 22.) locum, docet Christus ipse *Luc.* XIV. 26.

X. Pro Epilogo notamus *Anabaptistarum* hypocrisin in impugnanda omni sine discrimine vindicta, & contra malum resistentia, prætextu mandati Christi *Matth.* V. in praxi illa, pro qua disputant *Confess. oppos. Faukelio pag.* 492. *quod ipsorum multi contra fures & latrones domos & fundos suos muniunt canis mordacis excubiis, qui sc. si momorderit aut læserit, dominus canis non resistit malo.* Contra analogiam legis de bove cornupeta, qui, si noxam fecisset, vindicabatur vel morte Domini negligentia. *Exod.* XXI. 28. 29.

PARTIS III. DISPUTATIO XIII.

QUÆ EST QUADRAGESIMA PRIMA.

AD

Præceptum Decalogi VII. de Matrimonio & Divortio.

NOn una se offert ad *Præceptum VII.* controversia *Anabaptistica* circa Matrimonium, de doctrina Scripturæ quâ Veteris quâ N.T. In doctrina V.T. imputant Legis Moralis imperfectioni *Divortium & Repudium*, nec non *Polygamiam* Patribus frequentatam. *V. L. Defens. part.* II *pag.* 70. 74. Quam scilicet veteris Moralis Legis imperfectionem nova accuratiori legislatione sustulerit Christus Novus Legislator. Quod nos inconsequens esse asserimus, ex eo, (quod idem V. L. ibidem pro demonstratione habet) *quod à Christo restitutus sit accurate matrimonii ordo, super primæ institutionis Fundamentum.* Quomodocunque enim de Veterum Polygamia (de Repudio & Divortio res plana est) libuerit sentire, sive fuisse annumerandam peccatis tolerantiæ, seu correptis moribus populi duræ cervicis, in quibus Deus sua longanimitate πρὸς σκληροκαρδίαν *Act.* XIII. 18 *cum Matth.* XIX. 8. quod nos malumus, sive indultam fuisse divina quadam dispensatione, qua libera fuerit à peccato saltem fidelium Patrum conscientia, sicut fuisset a peccato contra *VI.* Præceptum Abrahami conscientia immolato filio; nihil Legis Moralis (quæ non ex incidente aliqua Dispensatione, sed ex prima Matrimonii institutione æstimanda est) Perfectioni, in *V. T.* decedit neque accedit per accuratam antiquissimi juris ἀνανέωσιν in N. T. Maxime cum non ita dormierit Lex illa antiquissimi juris, ut non per illam pulsarint conscientias Moses & Prophetæ *Deut.* XVII. 17. & *Mal.* II. 13. 14. 15.

II. De cætero adulterant *Anabaptistæ* doctrinam N. T. per hoc πρῶτον ψεῦδος, quod statuit *V. L. Defens. Part.* II. *pag* 72. *Christi mandata ad neminem alium spectare, quam ad regenitos, & veros Dei Filios &c. quorum conjugium est in Domino.* Ex qua hypothesi per necessariam consequentiam, secundum analogiam hæreseos *Anabaptisticæ*, sicut non est extra Ecclesiam Christianam in mundo peccatum situm in juramento, & functione Magistratus &c. sic neque ut peccatum extra Ecclesiam damnanda aut vindicanda Polygamia, Divortia, & Repudia temeraria, quæ vindicata olim non fuerunt Lege forensi Mosaïca.

III. Non credimus universim de omnibus & speciatim de *VII. Mandato*, omnem Legis Moralis διάνοια à Christo & Apostolis inculcatam ad castitatem animæ & corporis, etiam irregenitos & profanos quosvis tangere: adeo ut, si non adducantur ad peccati agnitionem, judicandi sint gravius hoc nomine, quod lucem Euangelii ipsos arguentem de peccato oderint. *Rom.* II. 16. *Joh.* III. 19. Quamvis enim hoc intersit in conscientiæ de

peccato

peccato convictione inter regenitos & irregenitos, ut regenitos solos stringant illæ Apostoli contra fornicationes & pollutiones vetitas contestationes de non violando Spiritus S. templo, nec mancipandis scorto membris Christi 1 *Cor.* v i. 15. 20. *cum* 2 *Cor.* v. 14. 15 tamen una lege idem castitatis officium Deus exigit ab omnibus.

IV Quam autem Christus tradidit *διάνοιαν VII. Præcepti*, de ea perperam sic pronunciavit *V L. Defens. part.* i i *pag.* 73. *Quando Moses vetat committere adulterium, adjicit Christus non esse aspiciendam mulierem, vel alterius uxorem ad concupiscendum: ac affirmat, (quod nusquam affirmavit Moses) impuram illam concupiscentiam esse adulterium corde perpetratum*. Nam contra liquet, non ignorasse Veteres illam Legis *διάνοιαν* de oculorum etiam & cordis Adulterio vetito. *Prov.* i v 25. *&* v i. 21. *Job.* x x x i. 1.

V. Est porro hæc Gangræna erroris quem *Thesi II.* indicavimus, de matrimonii religione ex Christi nova Lege penes solos regenitos, quorum conjugium est in Domino. Quod inducunt, (ex *Anabaptistis* illi qui sunt Sectæ Flandricæ dictæ,) per rigorem Excommunicationis, etiam Divortia contra primam Matrimonii institutionem. Sic enim fere *αὐτολεξεί* pronunciant *Confess. oppos. Faukelio pag.* 354 *&* 362. *non quidem frangi nec tolli per Excommunicationem naturale aut legale vinculum Matrimonii; attamen Leges quibus tenentur conjugati in matrimonio adstricti per vinculum illud ad conjugalem corporis communionem, hactenus cessare, ut maritus fidelis ab uxore, & uxor fidelis à marito Apostata debeant ac teneantur se abstinere, donec conjux Apostata se convertat ad preces, quibus à Deo & Ecclesia impetret peccatorum remissionem, & scandali dati abolitionem.*

VI. Gangrænæ illius antidotum est in verbis Apostoli *Rom.* v i i 2. 3. quibus uxorem non liberat à lege mariti, antequam mortuus sit maritus, ut frustra *Anabaptistæ*, non soluto matrimonii vinculo, solvant matrimonii Legem. Quid quod Apostolus de conjugalis debiti lege exserte determinat contrarium 1 *Cor.* v i i. 3. 4. 5. negans uxorem habere hic corpus suum in propria potestate, sed esse illud in potestate mariti, & similiter maritum non habere in potestate sua proprium corpus, sed uxorem: ut ne quidem ad tempus alter alterum fraudare queat absque consensu mutuo.

VII. Profanè ergo *Anabaptistæ* debitum conjugale accensent *liberis mundi negotiis & commerciis*, in quibus nemo alteri est nexu aliquo obnoxius. Eximunt autem è censu *debitorum aliorum*, in quibus fatentur fideles manere Apostatis obligatos propter matrimonii vinculum. *Confess. pag* 358 Arctius omnino adstrictum est à matrimonii vinculo debitum conjugale, quam aliud quodvis debitum, quia nulla solutione redimi potest, extra causam adulterii *Matth.* x i x 9. *&* v. 32 aut malitiosæ desertionis 1 *Cor.* v i i. 14

VIII. Evasio *Anabaptistarum* qua locum Apostoli torquent ista est; *Paulum tantum obviam ire illis qui jam antequam credidissent, in Gentilismo, in infidelitate, eo pacto conjugati essent; ac suggerere illis consilium quomodo Deo placere queant, & absque fidei noxa, matrimonii usum impollutum servare.* 1 Cor v i i.

 Ea pro-

Ea propter aliud quid esse divortium ab Excommunicatis, aliud ab infidelibus. Penes sectas non esse verum matrimonium in Domino: illis qui prævaricatores sunt in fide, & in ea fecerunt naufragium non esse ultra matrimonium in Domino, quia Matrimonium à Deo institutum est in Ecclesia. Unde vir typum gerit Christi, & femina Ecclesiæ, quemadmodum refert Apostolus Paulus ad Ephesios arcanum illud mysterium, ubi constituitur Vir imago seu figura Christi, Fæmina autem Ecclesia Dei &c. Libello de Censur. Eccles. quem indicavimus Disp. XXXIX. Thes. IV. Verum isthæc evasio nulla est. Quia *Matth.* XVIII. ad vitandos excommunicatos nihil atrocius præscribit Christus, quam illud; *sit tibi tanquam Ethnicus*, seu gentilis infidelis. Quidquid ergo disputant de Matrimonii nullitate cum excommunicatis, id si ipsis demus, destruxerint eadem opera & nullum effecerint Matrimonium cum Ethnico infideli.

IX. Quod vere ex Scriptura efficitur de Matrimonio in Domino, illud est, quod lubentes largimur; vitanda esse Christianis *matrimonia contrahenda*, cum Infidelibus, & cum Apostatis seu Excommunicatis, nec sancte contrahi posse. De *contracto* autem *matrimonio* habemus hactenus confitentes *Anabaptistas*, non vinculum nec debiti conjugalis nexum dissolvi inter Fidelem & Ethnicum infidelem. Anabaptistis de cætero affirmantibus (*non quidem vinculum matrimonii, sed tamen nexum debiti conjugalis dissolvi inter fidelem & Apostatam Excommunicatum*) incumbit probatio, quæ hactenus nulla est.

X. Nos cum Scripturis affirmamus habendos Excommunicatos, ut Ethnicos infideles. *Matth.* XVIII. His ergo & illis pariter applicandum Apostoli edictum, quo vetat fidelis ab infideli divortium, si non malitiose ab infideli deseratur. Addita etiam illa consolatione (contra quam hic *Anabaptistæ* laqueum injiciunt conscientiis fidelium) sanctificatum esse, ad liberorum sanctorum generationem, conjugi fideli conjugem infidelem. 1 *Cor.* VII. 12.----16.

XI. Notamus porro illam erroris gangrænam, quod illi, contra quos disputamus, *Anabaptistæ* necesse habent Matrimonium cum *Papistis* facere *Sacramentum novi Testamenti*: Quandoquidem asserunt illud *à Deo institutum esse in Ecclesia*; & quidem in signum mysterii magni Unionis Christi cum Ecclesia.

XII. Denique isti dicti rigidi Excommunicatores, simili quo *Papistæ* aguntur contradictionis Spiritu, prolabuntur in illam *doctrinam dæmoniorum*, quam notavit Apostolus 1 *Tim.* IV. 1 5. eo ipso quod (ut scilicet Apostatam excommunicandum usu rei sacræ arceant) *fideli interdicunt usu conjugii*, quod ipsi sanctificavit Deus, vinculo ut ipsi fatentur indissolubili, injicientes conscientiæ laqueum si destitutus sit dono continentiæ; ut uri potius debeat quam propria uxore frui, contra divinam institutionem 1 *Cor.* VII. 2. & Apostoli edictum. *ibid. vers.* 9.

PAR-

PARTIS III. DISPUTATIO XIV.

QUÆ EST QUADRAGESIMA SECUNDA.

AD

Præceptum Decalogi VIII. IX. & X.

ANabaptistarum cum *Socinianis* consensio, de *nullis in V. T. spiritualibus sed Terrenis tantum Promissionibus*, flagitat ut cum iisdem hic sentiant, *Christum correxisse Decalogi præceptum VIII. prohibita avaritia, per Orationis Dominicæ petitionem IV. qua fas tantum est flagitare panem quotidianum*; cum olim non imposita fuerit fibula avaritiæ seu cupiditati ditescendi, sed foverint illam promissiones temporales bonorum terrenorum. Nos Ecclesiæ V. T. asserimus communes cum Ecclesia N. T. promissiones spirituales, de communi animarum salute. Inficiamur autem ullas unquam à Deo profectas promissiones hujus vitæ terrenæ, quæ fibulam laxarent avaritiæ.

II. Quamvis non palam adoptent *Anabaptistæ* istas circa præceptum VIII. *Socinianorum* hypotheses: sapit tamen eandem gangrænam una atque altera quam notabimus decisio casus conscientiæ, qui enascitur inter ipsos ex abominatione & *Juramenti* & *Magistratus Politici*. Ex juramenti quidem abominatione præpostera laqueum illum injiciunt conscientiis, *ut pro bonis male partis habeant, quæ legitimo Domino vindicantur per juramentum coram Magistratu præstitum*, quia *in negotiis temporalibus pecuniariis* (secundum *Mennonis* S. assertionem quam audivimus *Disp. XXXVII.*) ἀνωνύμως præcise nefas est jurare.

III. Quin ultra, in *Querela quadam Epistolica de Calamitatibus suis edita Anno* 1570. *Ziricæani Anabaptistæ* illi equuleo subjiciunt mercatorum conscientias, *in negotiationis seu mercaturæ examine de injustitia indirecta & participata, ut male partis accenseant bona illa, ad quorum securitatem in terris Romani Imperii intercedunt diplomata de vectigali soluto, aut de jure civitatis quæsito jurejurando firmata, vel literæ salvi conductus*. Quam praxin mercatorum perstringunt hoc monito Christiano, *Deo soli fidendum esse, nec quærendam hominum tutelam*. Ac tolerantiam *crucis Christi* interpretantur, si quis luat secundum constitutiones imperiales debitam mulctam, neglectis munimentis illis jam dictis, quibus personis & mercibus caveri solet. Nos istam quidem crucis Christi tolerantiam nullam censemus, si quis negotiationis seu mercaturæ causa terram hostilem (in qua propter religionem puriorem exspectanda est persequutio, nisi se impetrato salvo conductu munierit) ista divini auxilii temeraria persuasione ingrediatur, contemptis auxiliis humanis ordinariis, V. G. literis securitatis aut salvi conductus, *passeport*.

IV. Ex abominatione porro Magistratus Politici hanc notamus gangrænam circa *Præceptum VIII.* qua luxant obligationem conscientiæ, in *solu-*

tione tributorum & vectigalium a censuum: *iſtis* enim *conſtitutionibus & ordinationibus Magiſtratus Politici de quibus Paulus loquitur Rom.* XIII. *propriè nullum in Chriſtiana Republica cenſent locum eſſe, ſed in mundo tantum, apud eos qui extra ſunt.* Ex quo, quicquid diſſimulent, ceſſante ex hypotheſi Republica illorum qui extra ſunt, in Chriſtianiſmo ceſſabit omnis conſcientiæ obligatio ex qua Chriſtiani Chriſtianis ſolvant vectigal aut tributum ullum. Et Chriſtiani ſolventes vectigal aut cenſum iis ſub quibus vivunt Magiſtratibus, libere tantum ſolvent; non ultra in conſcientia ad illam ſolutionem vectigalium obligari, quam ut ſitent tranquillitati ſuæ, & evitent pœnam aut multam lege conſtitutam. Hanc ipſis mentem eſſe liquet ex *J. v. M. de Jure belli Libello vernacule edito* 1585. *Sunt opera quædam* inquit, *in ſe minime impura, quæ non jubemur vitare, ſi rite intelligas oportet præcepta Dei iſta*; *cum mundo edere, bibere, negotiari emptione & venditione, vectigalia & cenſum ſolvere, & ſimilia, nuſquam Chriſtianis vetita ſunt, neque mandantur ut iis obſervant.* Nos ex *Rom.* XIII. 7 ſolutionem vectigalis & cenſus, negamus accenſeri debere iſtis adiaphoris reliquis, ac pronunciamus vaſtam hic conſcientiam prodere *Anabaptiſtas*; in qua nullus eſſe poteſt motus aut ſcrupulus iis qui ſtrenuè Magiſtratum fraudant ſuis vectigalibus, ut præ aliis rem faciant ac diteſcant. Nam ex dicta hypotheſi qui caute hoc facit, ut à pœna aut mulcta ſe præſtet liberum, judicandus eſt *vitaſſe communionem cum mundo minime neceſſariam.*

V. Hoc abſurdo poſito conſequetur aliud, quod *rigidos excommunicatores* tangit, ſi quis ab ipſis excommunicatus ipſorum judicio Apoſtata evectus fuerit ad Magiſtatus politici aliquod faſtigium, nefas etiam fore ipſi tributum aut vectigal ſolvere, quod infideli alias in mundo libere ſolvi poſſet, ac, potius quam illa minime de jure divino neceſſaria communione cum Apoſtata precetur, tolerandam crucem Chriſti.

VI. Circa *Præceptum* IX initio peccant *Anabaptiſtæ* errore illo, quem ad *Præceptum* III audivimus, de *falſo tantum juramento vetito vi præcepti* III. *in V.T.* Sic enim ad Præcepti III. *vetitum* rapitur id quod propriè vetatur IX. Præcepto, falſum teſtimonium vetitum: quod per ſe ad tabulam ſecundam Decalogi ſpectat, ac diſtinguendum fuit à cumulo peccati in primam tabulam, quando additur falſo teſtimonio contra proximum impia nominis Divini invocatio, ad patrocinium falſi teſtimonii. Indoctum hoc, & ἀσύνετον.

VII. Paradoxum porro iſtud notamus verbis *Brixii* Colloquutoris Anabaptiſtæ in *Collat. Emb. Artic.* XIII *Act.* 118. *fol. nobis* 348. *Porro tam ſevera pœnæ gravis comminatione Chriſtiano vetitum eſt mentiri, quam Iſraeli Lev.* XIX. *vetitum fuit non jurare falſum juramentum*: *ſicut legi poteſt Apoc.* XXI. & XXII. *illis qui mendacium faciunt & amant, partem fore in lacu ignis*: *ſicut quoque teſtatur Evangeliſta Johannes cap.* VIII. *Verum legitur Levit.* V. *illum qui pejeraſſet, potuiſſe expiari oblato ſacrificio pro peccato ſuo.*

VIII. Reſpondemus fallere & falli *Brixium*, ſi neget pœnam inferni meritos in V. T. qui falſo teſtimonio vel injurati contra Præceptum IX. vel jurati contra III. & IX. peccarent: ac ſi cenſeat oblato ſacrificio typico con-

eo constituisse solidam & veram in V. T. expiationem perjurii, nulla vero oblatione ne typica quidem simplicis mendacii aut falsi testimonii opus fuisse.

IX. Notamus autem inextricabilem ex ista assertione labyrinthum istum, quod 1. Videtur consequens, minus esse possibilem illorum, qui peccant contra Præceptum IX cum Deo reconciliationem, in Novo, quam olim in Veteri Testamento. 2. Videtur & illud statui, non fuisse in oblationibus veteribus sacrificiorum ministerium mortis & condemnationis æternæ, quam se meritos professi sint offerentes victimas pro peccatis. 3. Videtur denique consequens, non existimare *Brixium*, mortale peccatum esse, & forte ne peccatum quidem, mendacium quod non actu punitur morte æterna in lacu ignis, sed intercedente reconciliatione & expiatione vera condonatur.

X. Isthæc omnia repugnant analogiæ Scripturarum, juxta quam asserimus, remitti & remissa fuisse pariter in Veteri & in Novo Testamento quà mendacia quà perjuria, per expiationem à Christo factam, quæ olim typica expiatione fuit obsignata resipiscentibus: intelligi tamen utraque mereri pœnam infernalem, quamvis gradu distinctam, quam si non merebantur olim perjuria, nullum fuisset imperatum holocaustum ad eorum expiationem. Mendacia vero simplicia, si non peculiari sacrificio imperato extra ordinem, expiata tamen fuere morte victimarum, & in jugi quotidiano sacrificio, & in anniversaria expiatione.

XI Ad *Præceptum* X. Revocabimus tantum hic in memoriam Gangrænam quam notabamus *Disp. XIII. de Creatione Hominis ad Imaginem Dei. Thes.* IX. & X. Quod contra *dictum* Præcepti X. *negent ex se malam esse, sed Dei ordinationi in natura hominis adscribant, inclinationem quam homo habet ad illa quæ Lege Spirituali vetita sunt. Confess. apud Raukelie pag.* 94. 95. Vide illic Censuram nostram, nec non *Disput.* XXIV. & XXVI.

COROLLARIUM.

AN peccatum sit *mortale, cogitare sic apud se; Si peccatum non esset furtum aut adulterium &c. illud facerem.* Affirmamus contra *Aphorismum* 11. *Emmanuelis Sa Jesuitæ,* Titulo *Peccatum.*

PAR-

PARTIS III. DISPUTATIO XV.

QUÆ EST QUADRAGESIMA TERTIA.

DE

Regimine Ecclesiastico N. T.

SUpponimus in hac Disquisitione ex *Disp.* XXXIX. distinctionem de jure divino perpetuam inter Magistratus Politici functionem ac potestatem temporalem jure gladii armatam, & jurisdictionem regiminis Ecclesiastici, tantum armis spiritualibus instructam, ac distincta vocatione divina mandatam personis Ecclesiasticis, ad Ecclesiæ tanquam Regni Christi quod non est de hoc mundo gubernationem spiritualem. Quam distinctam vocationem in N. T. exhibuit palam praxis Ecclesiæ Apostolicæ, vocationi Magistratus civilis nec connexam, nec implicitam, nec obnoxiam.

II. Neque illa distinctæ & liberæ vocationis Ecclesiasticæ praxis imputanda calamitati temporum quibus nullus erat Magistratus Christianus; quia quicquid hic Magistratui quâ Magistratui esset obnoxium, id etiam Magistratui infideli fuisset asserendum ab Apostolis. Enimvero intercedunt hic & præscribunt, pro distinctione à nobis afferta, Canones illi Apostolici qui 1. Excludunt à Regimine Ecclesiastico fœminas & pueros minorennes, non exclusos à Magistratu civili aut regno. II. Vetant προσωποληψίαν illam, qua non peccatur in electione Magistratus Politici, quando arcentur à Reip. clavo pauperes, atque illis præferuntur & perficiuntur ditiores 1 *Cor.* XIV. 34. 1 *Tim.* II. 11. 12. *Jac.* II. 2. 3. 4.

III. Personis illis Ecclesiasticis asserimus suum de jure divino *Synedrium Ecclesiasticum*, quo tractantur res Ecclesiæ spirituales, & exercentur censuræ Ecclesiasticæ; penes quod etiam ut Ecclesiam repræsentativam est prima cura vocationis Ecclesiasticæ; sed res geritur sine potestate prætoria, conscia & consentiente in publicis Ecclesiæ negotiis reliqua Ecclesia, cui Personæ Ecclesiasticæ ministrant non imperant, docentes illam servare mandata Christi. Jus illud divinum Synedrii Ecclesiæ repræsentativæ N. T. confirmavit Christus verbis illis, *dic Ecclesiæ Matth* XVIII. 17.

IV. Ministrorum Ecclesiæ, quibus mandatum est regimen Ecclesiæ N. T. gradus extra ordinem plures fuere in prima Ecclesiæ fundatione; ac nonnullorum qui primi vocati Apostoli &c. vocatio & missio immediate à Christo ipso facta. *Matth.* XXVIII. 18. 19. *Rom.* I. 5. *Gal.* I. 1. *Eph.* IV. 11. 12 Illorum autem fundatione institutum est in Ecclesiis ministerium ordinarium, ordinatis ad Ecclesiæ gubernationem illis qui *Episcopi & Presbyteri* dicti, ad curam autem pauperum & ad collectas necessarias *Diaconis*. *Tit.* I. 5. *Act.* VI.

V. Est

V. Est ergo illa de jure divino graduum distinctio inter Personas Ecclesiasticas N.T. ut eminentior sit gradus *Seniorum*, *qui verbi ministri sunt*, præ illis *qui tantum regimini præficiuntur*: & inferiores utrisque *Diaconi*. 1 *Tim.* V. 17. *Actor.* VI. 2. 3. 4. At inter primi ordinis Seniores graduum distinctio nulla est: neque illos à secundi ordinis Senioribus distinguit eminentior aliqua in Ecclesiæ gubernatione jurisdictio: sed utrorumque cæteris paribus est ἰσοτιμία & potestas par. Cujus paris dignitatis exemplum præscriptum est in Apostolis *Matth.* XXIII. 8.----11. *Marc.* X. 43 44. & exhibitum, quâ inter ipsos solos 1 *Cor.* XV. 11. 2 *Cor.* XII. 11. *Gal.* II. 6. 9. quâ inter ipsos sociatos Senioribus aliis ordinariis primi & secundi ordinis. Qui ut promiscuè utrique *Episcopi & Presbyteri* dicti, sine ulla Episcoporum eminentia *Act.* XX. 28. *cum vers.* 17. ita se Apostolus Petrus vocat Presbyterorum *Compresbyterum* seu *Conseniorem*. 1 *Petr.* V. 1.

VI. Multiplex hic est *Anabaptistarum* hallucinatio. 1. Pronunciant, *se duplex tantum in Scriptura reperire principale officium ministerii: unum quod flagitat prædicationem Verbi Dei, & administrationem Sacramentorum; alterum curam necessitatis pauperum. Conf. oppos. Faukelio pag.* 217. Et quamvis, vi veritatis cogente, hactenus cedant *pag.* 218. 220. ut *negent se velle superstitiose contendere contra ordinem inferiorem Seniorum gubernantium*: pervertunt tamen Scripturas, in quibus pronunciant, *nomina Seniorum, Operariorum, & Rectorum, communiter & pariter attributa esse, Doctoribus & Curatoribus pauperum*; qua assertione exclusis secundi ordinis Presbyteris substituunt Diaconos, indicatis locis *Act.* XXI. 18. 1 *Petr.* V. 1. 1 *Tim.* V. 17. 18. *Act.* XX. 28. 1 *Cor.* XII 28. *pag.* 217. 218.

VII. II. *Ibidem pag.* 218. incurrunt in Ecclesiam repræsentativam, quam penes Synedrium Presbyterorum statuunt nostræ Ecclesiæ Reformatæ: quas hac censura notant, *gubernationem Seniorum non manere intra limites modestiæ, ubi Presbyterium, constans numero selecto Seniorum, sibi arrogat judicium ut Ecclesia repræsentativa.* Quia censent ipsi *judicium esse penes corpus integrum totius Ecclesiæ.* Sicut alibi, litigantes de verbis illis *dic Ecclesiæ*, praxin nostrarum Ecclesiarum exagitant & rident *ut Judaïcam*, *in Libello de Censur. Eccles. cap.* IX. *ac neminem ex consessu Ecclesiæ judicantis eliminatum volunt, præter solum peccatorem judicandum.* Nos indoctam & ἀθεόλογον censemus irrisionem illam de Judaïsmo, quæque in Christum ipsum recidit, qui Judaïcè loquutus est Judæis, de disciplina exercenda in Ecclesia N.T. verbis etiam illis, *sit tibi tanquam Ethnicus*; & ipsum *clavium* nomen adhibuit hic, mutuata allegoria ab officio janitorum Templi in V.T. *Ezech.* XLIV 5. & 23.

VIII. Judaïcè autem loquens Christus confirmavit Ecclesiæ N.T. jus vetus divinum Synedrii, & Censuræ Ecclesiasticæ Synedrio exercendæ, quam & seorsim olim, saltem distinctè à potestatis civilis judicio exercitam in V.T. asseruimus *Disp.* XXXIX.

IX. Enimvero incurrit anarchia illa Anabaptistica (qua *jubent sedere omnes in consessu judicii Ecclesiastici, excepto solo peccatore judicando*) non una ratione in Canonem Scripturæ Apostolicæ: maxime si praxin illorum spe-

 ctemus,

ctemus, qui ne quidem fœminas eliminant; adeo ut libri etiam illorum ab Ecclesiis scripti & editi ad pacificationem mutuam loquantur, juxta hoc quod damus specimen *Anno* 1570. *Opusculum hoc prodit à Fratribus & Sororibus Ecclesiæ Ziriczæanæ qui se litigationi non immiscent, ad excitationem charitatis, pacis & concordiæ, inter omnes tam mirabiliter divisos, sive Frisii sint, sive Flandri, sive neutri &c.* Hoc enim contrait aperte illi mandato Apostoli, *mulieres vestræ in conventibus sileant: nec enim permissum est eis ut loquantur sed ut subditæ sint, sicut & Lex dicit. Quod si quid discere volunt, domi suos viros interrogent: nam turpe est mulieribus in conventu loqui.* 1 *Cor.* XIV. 34. 35. Manifeste ergo saltem penes sexum masculinum Apostolus voluit esse, sicut in Veteri sic in N. T. Ecclesiam repræsentativam, sedentem in judicio: non obstante communi utriusque sexus fide & salute. *Gal.* III. 28. *cum* VI. 3. 4. 5.

X. Enimvero illa ex Lege petita ratio repræsentationis fœminarum in sexu masculino (quam Apostolus urget, ex imperata fœminis obedientia, ut subditæ sint) non solas fœminas tangit, sed universim cum fœminis etiam mares quoscunque quibus imperatur ut ductoribus seu *antecessoribus suis obediant & subditi sint. Hebr.* XIII. 17. Ductorum seu antecessorum autem nomine veniunt Doctores & Seniores in Ecclesia, qui censentur oculi esse in Ecclesiæ corpore, ut ductum illorum membra alia sequantur 1 *Cor.* XII. 14. 31. *& cap.* XIV. 32. 37.

XI. Qui ergo è Christiana Ecclesia auferunt Ecclesiam Repræsentativam illorum, qui Doctores & Ductores sunt Ecclesiæ, illi monstrose faciunt in corpore Christi oculos tot quot membra, & peccant contradictione Korachi *Judæ* 11. contra Præceptum Decalogi V. luxata obedientia à Deo & Christo imperata. Quam contradictionem cumulant, ad conflandam apud Magistratum Ecclesiis nostris invidiam, isthac cavillatione; *siquidem ex veteri Judæorum praxi traductum est Presbyterium in Ecclesiam Christianam, ergo injuriâ extra Presbyterium eliminari Magistratum civilem ejusque jurisdictionem civilem.* Ad quam respondemus, minime Magistratibus Christianis audiendam hanc interlocutionem ab illis profectam, qui non extra Seniorum Ecclesiæ numerum selectum, sed extra Ecclesiam electam omnino eliminant Magistratum. In Ecclesiis autem Reformatis nostris ne quidem Seniores leguntur, cum illa personarum acceptione, ut exclusi sint, qui Magistratus officio funguntur aut judicii civilis assessores sunt. De cætero quid respondendum sit ad rem, supposuimus *Thesi I.*

XII. Adeo autem in sua Anarchia quam in Ecclesiam inferunt depudurunt Anabaptistæ, ut *libello* aliquoties indicato *de Censuris Eccles. pag.* 170. rideant ubi rideri merentur; *quod alienum censeamus ut in judicio sedeant Actores & Testes, atque ut illud evitemus constituamus numerum selectum eorum, qui cum auctoritate judicium ferant inter Actorem, Reum, & Testes, ut inter partes adversas.* Hoc nomine nobis impingunt *Sapientiam Mundanam.* Hæc indicasse est refutasse.

PAR-

PARTIS III. DISPUTATIO XVI.

QUÆ EST QUADRAGESIMA QUARTA.

DE

Ministris Ecclesiæ N. T.

PRo Synedrii seu Presbyterii Ecclesia repræsentativa dicendum hoc superest ad Apologiam contra *Anabaptistas*; nihil praxi nostrarum Ecclesiarum à Presbyterio præjudicari aut derogari reliquo corpori Ecclesiæ, quamvis non congregata reliqua Ecclesia congregentur Seniores. Quia similiter præiverunt Apostoli, seorsim convocatis Senioribus, absque reliqua Ecclesia: ac Seniorum ille cum Apostolis congregatorum cœtus judicabat, essetne multitudo convocanda nec ne *Act.* XXI. 18. 22. ac decernebat, quid tractandum esset coram multitudine congregata. *v.* 23. *&c.* Ut minime fuerit gubernatio Ecclesiæ simpliciter Democratica.

II. Jam de Ministris Ecclesiæ gubernationi præfectis vocatione Ecclesiastica dicendum est. Circa quam vocationem peccant initio *Anabaptistæ*, quod diffiteri nequeunt, *nimia negligentia & oscitantia procrastinantes vocatorum ad Verbi ministerium Confirmationem.* Enimvero in procrastinatione illa non solâ oscitantiâ & negligentiâ peccant, sed vel maxime ipsâ vocatione nimis præcipiti illorum, quos *Paracletos* (Vermaenders) vocant, atque ordinario Verbi ministerio admovent, ut necesse sit confirmationem procrastinare, justo illo tempore, quod flagitat *tyrocinium personæ, de qua propter donorum exilitatem non licet securum esse nec certo persuasum, penes illum fore sufficientem profectum, ut sit διδακτικός, seu ut cum fructu doceat. Conf. oppos. Fankel. pag.* 228. 229. Hinc enata in ipsorum Synagogis nomina illa distincta, Vermaenders/& Bisschoppen/quorum illos intelligunt vocatos hos confirmatos verbi ministros: atque hos foris advocant ad Sacramentorum administrationem in Ecclesias suas, quibus vocati tantum, non confirmati, ministri Verbum prædicant: ut fere omnis Anabaptista domi Episcopus foris sit ἀλλοτριοεπίσκοπος.

III. Non diffitemur quin liberum sit Ecclesiis sibi adsciscere aliquos ad subsidiariam aliquam operam ministerii, V.G. Diaconos advocare ad graviores Presbyterii deliberationes, aut ministrorum electionem, vel Ministerii Sacri Candidatos ad publicè concionandum, ut & exerceantur ipsi & probentur, ut præparentur ad Sacrum ministerium. Verum ut Ecclesiæ domi non alios habeant Verbi Ministros vocatos, quam qui ut Candidati exerceantur & probentur, ambulatorii autem sint omnium Ecclesiarum Ministri confirmati, id in Ecclesiis bene constitutis minime probandum censemus.

IV. Quod jam spectat Ministrorum Verbi stipendia, super quorum solutione à Magistratu Christiano præstanda traducant vulgo Ecclesiarum nostrarum Pastores, ut *mercenarios*; bene habet quod fatentur *Auctores Conf. oppos. Faukel. pag. 238. 239. Deum ordinasse ut ex Euangelio vivant, qui Euangelio ministrant.* 1 *Cor.* IX. *v.* 14. *Neque Legem latam esse Ecclesiæ N. T. qua definitus sit certus solutionis stipendii ordo, eapropter fas esse hic uti ordine illo quem Ecclesia judicabit facere ad ædificationem.* Frustra ergo exspectabunt illi, ut hic stent aut cadant ipsorum judicio, qui stipendia merentur in Ecclesiis Reformatis.

V. Enimvero respondeant *Anabaptistæ* planius ad quæstionem illam ad quam silent; *An iis qui Euangelio ministrant, fas sit ex Euangelio vivere, titulo isto, quod toti vacare debeant ad laborandum in Euangelio, ut stipendia capiant labori suo debita.* An vero obliget illos exemplum Pauli, etiam extra casum necessitatis, (in quo Ecclesiis parcendum esse nemo ambigit) ut gratuitum constituant Euangelium, sibi ipsis victum quærentes industria vel manibus suis 1 *Cor.* IX. quantumvis Ecclesia vel penes se constituere possit, vel habeat à Magistratu constituta abundè stipendia honesta.

VI. Nulla enim est ista ipsorum responsio ad quæstionem categorica, quando cavillantur, *non absolute ordinasse Dominum, ut omnino ex Euangelio vivere debeant qui Euangelio ministrant: offerre se occasiones & tempora in quibus minister Euangelii, perpenso vocationis suæ officio (si divina benedictione habeat unde vivens gratuitum possit constituere Euangelium, ut oneri non sit Ecclesiæ) tenetur gratis, sine pacto stipendio (juxta doctrinam & exemplum Apostolorum) talentum quod accepit impendere proximi ædificationi, ad illum Domino lucrandum.* Gratis ista dicuntur, quæ nostrum nemo negat. Quæstio est autem, an exemplum Apostolorum quenquam obliget, ut (si nulla ipsum premat paupertas, vel necessitas, ut ad familiam alendam absque stipendiis esse nequeat, quin rei familiaris jacturam faciat) Ecclesia non teneatur ipsi stipendium præstare, ut debitam illi labori qui Euangelio impenditur mercedem: adeoque an nihil debeat Ministro ditiori, sed pauperi tantum eleëmosynam. Quod si affirmarint, destituentur omni ex Scripturis probatione, quasquidem in hanc sententiam vulgo torquent, ut *Act.* XX. 33. 34. 35. 1 *Cor* IX. 15. 16. 17. 18. 1 *Thessal.* II. 9. cum maxime contra istam affirmationem militet locus 1 *Cor.* IX.

VII. Non moramur itaque *Anabaptistarum* illam διαβολὴν, qua stipendia accipientes ministros, quos non urget paupertas, aut qui manuum labore victum non quærunt, traducunt ut *ventri servientes otiosos, mercenarios à pag.* 238. *ad* 243. & nos introducunt sic docentes; *Deum ordinasse, ut quibus ipsis vel sufficiens est patrimonium vel opes aliæ, ad vitæ sustentationem, nihilominus centenos aliquot florenos pacisci debeant pro prædicatione, & eo pacto instituta quasi auctione nundinationem exercere, atque se addicere Prædicatores mercede conductos plures nummos offerenti.* Istas quidem si palam fiant in Ecclesiis Reformatis mercenariorum nundinationes detestandas & censura gravi notandas censemus. Viderint *Anabaptistæ*, ne penes se habeant Episcopos plures

plures turpis lucri cupidos, qui mercaturam exercentes per se vel suos, indirectè per fratrum & sororum commiserationem (quia scilicet sine stipendio ministrant Euangelio) plus duplo fœnerantur, quam nostris hominibus accedere queat vel à lautissimo stipendio.

VIII. Nos secundum Scripturas hoc asserimus; deberi Verbi Ministris stipendia de jure divino, ut liceat ipsis à temporalibus curis vacare, & totos se consecrare operi ministerii, ac in eo esse. Neque hic dari exceptionem illam debere, qua scilicet propriis stipendiis militandum sit ditioribus qui sunt in re lautiori; quod absolutè iniquum esse docet Apostolus 1 *Cor.* IX. 7. & confirmat Christi mandatum Apostolis datum, ne prædicantes Euangelium sibi ipsis providerent de alimentis aliisve necessariis, quamvis illa penes se habere & secum efferre possent: sed ut suis nummis & obsoniis domi relictis, illorum quadra viverent ad quos profecturi erant, ut operarii mercede sua digni: quibus (si non præstarent obsonia grato animo) valedicendum etiam esset, cum anathematis symbolo, excusso à pedibus pulvere. *Marc.* VI. & *Matth.* X.

COROLLARIA.

AN pie *Menno S.* loquatur, trahens ad illos qui furoribus *Anabaptistarum Monasteriensium & Amstelodamensium* fuere seducti, consolationes Christi, illis dictas qui Christum sequentes reliquerunt omnia. *Ego nullus dubito*, inquit, *quin dilecti fratres nostri, qui aliquantulum nuper deliquerunt contra Dominum, quod armis fidem suam voluerint tueri, Deum habeant propitium: etenim, ut spero, non fuerunt istis antedictis hæresibus inquinati, neque aliud quærebant, quam Christum Jesum & vitam æternam, & pro eo dereliquerunt domum, fundos, possessiones, patrem, matrem, uxorem, liberos, quin ipsam vitam suam &c. M. S. Libro Fundamenti editi* 1539. 1540 *folio mihi* 125. *vers.* & 126. Negatur.

II. An Prophetarum aut Apostolorum exemplo, aut Johannis Baptistæ, aut Ecclesiæ primitivæ pio instituto, se tueri possint in Papatu Monachorum ordines, vel Cœnobitæ, vel Mendicantes vel Eremitæ? Negatur.

PARTIS III. DISPUTATIO XVII.

QUÆ EST QUADRAGESIMA QUINTA.

DE *Sacramentis N. T. in genere.*

SAcramenta (voce recepta in Ecclesia) dicuntur sacra illa ac visibilia signa ac sigilla, à Deo instituta, & prædicationi Euangelii annexa, ad Fœdus gratiæ visibiliter significandum & obsignandum. Sacramentorum ergo nomine non intelliguntur quævis signa aut symbola, quæ quomodocunque vel habuerunt, vel forte etiam-

num habere queant, significationem aliquam Fœderis Gratiæ, apud hos vel istos: sed illa, quæ ad Fœdus Gratiæ obsignandum Ecclesiæ universæ habent institutionem divinam, jam in Novo, sicut olim in Veteri Testamento.

II. Hic initio exsurgit controversia, *de Sacramentorum V. & N.T. convenientia*; quæ pendet ex iis quæ de differentia Legis & Euangelii *Disp. XII.* & *XXIII.* & *XXX.* & *XXXI* & *XXXII.* disputata sunt. Breviter *Anabaptistæ* in Veteris Testamenti Sacramentis nihil agnoscunt ultra, quam *Emblema præfigurativum beneficiorum Christi, adeoque inanes umbras rerum spiritualium.* Ut Circumcisio fuerit *sigillum quidem sed minime ad certiorationem datum, verum ad consignationem ejus, quod nunc resignatur in Baptismo, V. L. Defens. part.* III hoc est per quod tectum fuit Fœdus Gratiæ, minime autem patefactum.

III. Enimvero altera *de significatione Sacramentorum* N. T. quæstio principalis est, (quæ se offert in istac *Anabaptistarum* assertione; *Sacramenta fuisse & esse externos ritus à Deo in Ecclesia imperatos, per quos non tantum invitamur ad obedientiam, sed per quos beneficia Dei in Christo vel præfigurata fuere olim, vel nunc ante oculos posita sunt, & tanquam appropriata symbolicè per signa exteriora, omnibus illis qui per Fidem illa recipiunt & usurpant. Confess. oppos. Faukel. pag.* 248.) an appropriationem illam symbolicam, quam testantur credentes Sacramentorum usu, fundet divina *obsignatio & certioratio* in eorundem administratione per ministros verbi; quod nos affirmamus, *Anabaptistæ* negant. *pag.* 249 250. Negationem suam pallïantes prætextu illo, quod certiorationem illam detrahant *signis, quatenus tantum sunt signa exteriora, cum quibus non percipitur res significata.* Sed frustra sunt: quoniam neque nos signis materialiter consideratis tribuimus exhibitionem gratiæ ex opere operato, vel per Consubstantiationem aliquam rei significatæ, sed divinæ cooperationi cum Sacramentorum administratione à Deo instituta.

IV. Ad planiorem & pleniorem istius quæstionis intelligentiam, faciet observatio ista. Quod consequens est ex *Anabaptistarum* hypothesibus de Sacramentorum usu, *plura esse quam duo Sacramenta* N.T. Neque hoc illos latet: quapropter *pag.* 246. *potissimum duo*, non absolute duo esse pronunciant; ut saltem locus sit aliis etiam minus principalibus Sacramentis in Ecclesia N. T. V G. *Matrimonio*, quod attigimus *Disp. XII. Thes. II. & XII.* & deinde *Pedum lotioni*, quam Anabaptistica secta illorum, qui **Voetwasschers** nominantur, accenset Sacramentis *N. T. Confess. oppos. Faukelio. pag.* 158.----262. Nobis nec *Matrimonium* nec *Pedum lotio* est in censu Sacramentorum N. T. Quandoquidem destituuntur illa institutione divina, per quam omnibus Ecclesiæ membris imperata sit vel communio vel contrectatio corporum mutua, ad obsignandam in Fide communionem spiritualem corporis Christi. Non obstante illa (quam in Matrimonii Emblemate illo, quod duo sint in carnem unam, meditari jubemur) significatione unionis mysticæ inter Christum & Ecclesiam ejus Sponsam: quia non est cum meditatione illa omnibus imperatus Matrimonii usus.

V. Dato

V. Dato ergo non concesso, esse aliquam permanentem Lotionis pedum usum, sicut permanens est Matrimonii usus ex institutione divina: nulla tamen foret institutio, quæ illam efficeret Sacramentum N. T. In Sacramentorum enim censum non veniunt instituti ritus vel actus, quos usurpari in cœtu Ecclesiæ publico, sine sexus alterius reverentia, non sinit honestas & decorum civile, sed quibus vel domus privata, vel thorus dicata sunt. Quod argumentum suggerit ipsorum Confessio *pag.* 261. *Non esse lotionem pedum personis singulis necessario dicatam; ac propterea non usurpandam in loco conventus publico.*

VI. Interim Pedum lotionem definiunt, *debitum à se officium obedientiæ, ad imitationem exempli humiliationis Christi, quam Apostolos docuit Christus; pro qua libentes sustineant opprobrium cognominationis jam dictæ.* Quod jam examinandum penitius. Quis negat Christum lavisse pedes Discipulorum suorum? atque eo facto reliquisse exemplum humilitatis suæ nobis imitandum? *Joh.* XIII. 4. 15. Atque, eo non obstante, non habent ipsi *Anabaptistæ* pro imperato aut instituto sacro lotionis pedum ritu illum quem usurpavit Christus, prolixe descriptum istis septem circumstantiis, quod I. Surrexerit à Cœna. II. Pallium exuerit III. Acceperit linteum. IV. Præcinxerit se. V. Miserit aquam in pelvim. VI. Laverit pedes. VII. Lotos extersferit linteo quo erat præcinctus. Includuntur porro duæ illæ. VIII. Quod Magister ipse. IX. Laverit Discipulorum pedes. Quod dum non habent pro sufficiente in N. T. præscripta observantia, atque affirmant *proximum illud esse, ut sequantur exemplum Patriarcharum, qui quum ob causas sonticas alii alios invicem so excipiebant Pedum lotione;* velint nolint, è numero Sacramentorum N. T. Pedum lotionem eliminant, ac præceptum Christi coguntur relinquere nobis, non ultra ritibus istis quibus Christus usus est (adeoque nec ipsi Pedum lotioni), adstrictum, quam ubi & quantisper illud flagitant mores & ritus gentium ad observationem decori civilis, in civili hospitalitatis officio.

VII. Erat autem illa olim in V. T. usurpata Pedum lotio non magis sacer ritus institutionis divinæ, quam *Manuum lotionis* ministerium Eliæ præstitum ab Eliseo 2 *Reg.* III. 11. aut *Portatio soltarum Matth.* III. 11. aut *incurvatio ad solvendas solearum corrigias Marc.* I. 7. Ut indocta sit, & Fratribus discalceatis in Papatu digna, hæc *Anabaptistarum* ποδονιπτῶν affectata in nationibus occidentalibus pedum lotio (ubi nullam flagitat officium humilis fraternæ hospitalitatis) occasione sermonis in mandato Christi attemperati ritibus gentium orientalium; quod temperamentum sermonis non ita est vexandum, sed accommodandum receptis ritibus analogis, in humili fraterna hospitalitate. Maxime quia pedes lavandos nudare, non apud omnes jam honestum aut decorum est: nec ad viduæ jam commendationem facit sanctorum virorum pedes lavisse, de ritu externo intellectum, & explicatum ex praxi. *Lucæ* VII. *cum* I *Tim.* V. 10.

VIII. Quanquam disquiri permittimus, an verba Pauli *de vidua, quæ sanctorum pedes lavit*, flagitent viduæ λειτουργίαν, in sanctorum pedibus lavandis.

dis: quid enim vetat, ut quod per suos ministros præstitit, ipsa præstitisse dicatur? Neque ex raptu zeli, quo suis illa manibus pedes Christi lavit in Euangelio *Luc.* VII. 39. 44. de praxi communi judicium fieri potest infallibile.

IX. Breviter ergo, quamvis (ultra ea quæ jam dicta de imperata in Lotionis pedum symbolo humilitate Christianâ) habuerit eadem quoque *symbolum gratuitæ ablutionis à peccatis per sanguinem Christi mox fundendum. Joh.* XIII. 7.——10. Tamen non est ritus Ecclesiæ N.T. à Christo imperatus ad communis justitiæ Fidei publicam obsignationem, sicut imperatus est Baptismus & S. Cœna.

X. Illud autem Christi Mandatum *Joh.* XIII. 13. 14. 15. *Si ego lavi pedes vestros dominus & magister: vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare: exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis ita & vos faciatis;* si obligat præcise Ecclesiam N.T. ad externum ritum Lotionis pedum, ut Sacramentum imperatum, saltem ad humilitatis testificationem in quovis loco, in quavis natione; quidni etiam habebimus pro Sacramento imperato Ecclesiæ N.T. ad testificationem Charitatis Christianæ, cum significatione Charitatis qua nos dilexit Christus, *Salutationem cum Osculo sancto*, à Paulo commendatam Ecclesiis? *Rom.* XVI. 6. 1 *Cor.* XVI. 20. 2 *Cor.* XIII. 12. 1 *Thess.* V. 26. quod Petrus vocavit *Osculum Charitatis.* 1 *Petr.* V. 14. Confer *Cant.* I. 1.

PARTIS III. DISPUTATIO XVIII.

QUÆ EST QUADRAGESIMA SEXTA.

DE

Anabaptismo.

EX præcognita in genere Sacramentorum definitione asserimus contra quoscunque duo tantum esse veri nominis Sacramenta N.T. Baptismum & Cœnam Dominicam; ex quibus Baptismus Circumcisioni, Cœna Dominica Cœnæ veteri Paschalis Agni successit in Ecclesia N.T. De Baptismo dicendum in præsens.

II. Baptismus est Sacramentum Novi Testamenti, à Deo institutum & per Johannem Baptistam ac Jesum Christum initio promulgatum Ecclesiæ Judaïcæ, sed mox sub Christi adscensionem à Christo dicatum Ecclesiæ Catholicæ ex Judæis & Gentibus colligendæ usque ad finem mundi, per quod à Ministro verbi Dei nomine Fœderatis omnibus, qui communionem habent cum Deo Patre Filio & Spiritu S. per Fœderis Mediatorem Christum, nondum Novo Testamento initiatis, aqua affunditur, vel aspergitur, in nomine Patris Filii & Spiritus S. ad significandum & obsignandum ipsorum susceptionem in Novum Fœdus gratiæ per Jesum Christum exhibitum.

III. Hic prima exsurgit controversia *de Baptismo Johannis*, quam attigimus *Disp. XXXIV. Thes. VIII.* qua Anabaptismo viam sternunt Anabaptistæ istis Hypothesibus. I. *Demum post Resurrectionem Christi institutum esse Baptismum Euangelicum N. T. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. Confess. oppos. Faukelio pag. 263. II. In Baptismo Johannis non liquere postulatam fuisse professionem fidei in Jesum Christum. III. Neque adhibitam Formulam illam, in nomine Patris Filii & Spiritus S. IV. Ea propter iterum baptisatos fuisse in nomine Domini Jesu, qui jam baptisati fuerant à Johanne, nominum illorum ignari.* Ad primum non opus est hic prolixiori responsione, (postquam *Disput. jam indicata* incisi sunt nervi erroris *Anabaptistarum de Legali* ut illi volunt *non Euangelico ministerio Joh. Baptistæ*) quam quæ jam posita est: non demum tunc institutum fuisse Baptismum Euangelicum N. T. sed qui jam institutione divina initium acceperat, in Ecclesia Judaïca per Joh. Baptistam & discipulos Christi, nove dicatum fuisse Christi mandato Ecclesiæ ex Judæis & Gentibus Catholicæ N. T.

IV. Ad secundum respondemus verbis expressis Pauli Apostoli *Act. XIX. 4. 5. Johannes quidem baptisabat Baptismo resipiscentiæ dicens populo ut in eum qui venturus erat post ipsum crederent, hoc est in Christum Jesum: qui vero illum audierunt baptisati sunt in nomen Domini Jesu.*

V. Ad tertium dicimus; si valet consequentia à non expressa in historia Baptismi Johannis Formula illa, *in nomine Patris Filii & Spiritus S.* licebit eadem consequentia negare ab Apostolis post Christi ascensionem usurpatam Formulam illam. Deinde ex historia baptisati à Johanne Domini Jesu liquet abunde, Formulam à Christo ascensuro Apostolis imperatam originem habere ab apertissima illa Patris Filii & Spiritus S. ad Jordanem apparitione, qua confirmatus est Baptismus Johannis Christum baptisantis, ut Sponsorem Fœderis, qui impleturus erat omnem justitiam. Vide *Disp. nostram de Fœdere X.*

VI. Enantiophanes illud ex *Act. XIX. 2. neque hoc quidem audivimus an sit Spiritus S.* non probat baptisatos à Johanne nomen ipsum Spiritus Sancti ignorasse, quod ignorari non patiebatur Scriptura Prophetica: conciliatur autem facillime ex sequenti historia *versu 6.* ut explicandum sit non de Nomine aut Persona, sed de miraculoso extraordinarie effuso Dono Spiritus sancti, quod qui acceperant, loquebantur linguis & prophetabant.

VII. Ad quartum respondemus; non posse id quod asseritur, de rebaptisatis Baptismo Apostolorum qui initio baptismum Johannis susceperant, demonstrari ulla Scripturæ affirmatione. Ex loco quidem *Act. XIX.* qui hic urgeri solet nihil efficitur; quando verborum series *versu 4. & 5.* sine interruptione continuata vindicatur Paulo ad viros illos XII Ephesios loquenti, non, ut vulgo fit, Lucæ narranti historiam actorum Pauli tribuuntur illa quæ versu 5. leguntur. Quam loci à *Pontificiis & Anabaptistis* vexati vindicationem, quam *D. Marnixio* acceptam fert *D. Beza in Notis Majoribus*, & nos censemus esse genuinam. Interim si quis malit concedere Ephesios illos viros XII. à Paulo baptisatos, quomodo tamen id non juvet causam

Pontificiorum vel Anabaptistarum, docet *Cl. Vossius Disp. de Anabaptismo Thesi XV. & Disp. de Baptismo Johannis. Thes.* XXIV. --- XXXII. quo lectorem remittimus.

VIII. Ipsa autem *de Anabaptismo* controversia non consistit solum in quæstione illa, an pro nullo censeri debeat Baptismus baptizatorum in infantia: adeoque num adulti ad Cœnam Domini primo admittendi novè etiam baptizandi, nulla istius Baptismi in infantia administrati habita ratione; quæ esset peculiaris *de Pædo-baptismo controversia*. Verum hoc vel maxime initio quæritur, & quæsitum est à *Faukelio*, *sintne iteratò baptisandi adulti semel cum Fidei professione baptisati*; ut (quamvis forte inde originem quidem non traxerit *Anabaptistarum* nomen) non tamen debuerint sine responsione defungi confessione Fidei suæ *pag*. 287. Quandoquidem hæc est ipsorum praxis quotidiana, ut quoties quis ab unius sectæ ipsorum (quæ plures sunt) synagoga, ad sectæ alterius synagogam transit, toties nove baptizetur: similiter quisquis semel excommunicatus postliminio revertitur ad gremium Ecclesiæ.

IX. Merito autem praxin illam, quæ extra controversiam habet *Anabaptismum*, damnamus: propter hanc causam, quod institutus sit Baptismus in signum & sigillum spiritualis insitionis in corpus Christi mysticum, juxta illud; *per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus*. 1 *Cor*. XII. 13. Atque ea propter Baptismus appellatur *lavacrum regenerationis Tit*. III. 4. Jam quandoquidem Regenerationis in Christum dona sunt *ἀμεταμέλητα*, quorum Deum pœnitere non potest. *Rom*. XI. 29. ut qui regenitus credit & vivit non moriturus sit in æternum: non convenit ut repetatur nove Regenerationis illius, qua corpori mystico Ecclesiæ semel initiari censemur, quasi incisæ & intercisæ, visibile symbolum semel rite administratum, ut nulla censeatur prior quamvis rite facta initiatio in Ecclesia visibili.

X. De non iterando autem Baptismo voluntatem divinam cognoscimus istis porro indiciis. I. Quia nec in Baptismi dedicatione jam dicta, nec alibi usquam, mandatum habemus de Baptismo iterando. Cum de Sacramento Cœnæ iterando legamus illud 1 *Cor*. XI. 25. *Hoc facite* QUOTIESCUNQUE *biberitis &c*. II. Quum nusquam legatur aliquis fuisse rebaptisatus: sed lapsis resipiscentibus consolationes suggeruntur, ex Baptismo semel suscepto 1 *Cor*. VI. 11. *&c*. XII *vers*. 13. *& Gal* III. 27. III. Denique quia Baptismus successit Circumcisioni, quæ nunquam semel circumciso fuit repetenda.

XI. Quæcunque autem hic ingeruntur de rebaptisandis saltem illis, qui initio fidem simulantes Baptismum perceperunt, & qui mox peccatis conscientiam vastantibus Christo & ejus fœderi renunciarunt, ubi hypocrisi exuta vere resipuerint & crediderint; refelluntur & sponte corruunt, si attendamus naturam Fœderis, quod in Baptismo obsignatur, in quo, quantisper non occlusa est janua gratiæ, sed *bodie illud nominatur Hebr* III. 13. si à pacto resiliat homo, semper pacto stat Deus: & consequenter nihil attinet repeti sigillum quod ex parte Dei obsignavit hominem, sed duntaxat

tantùm opus est ut homo per pœnitentiam redeat ad Deum quo percipiat Fœderis in Baptismo initiati fructum. Quemadmodum maritus, quando uxori adulteræ reconciliatur, non eam novo sibi copulat matrimonio, sed ad prius revocat Fœdus: sive illa ab initio animum habuerit adulterum, sive per infirmitatem peccarit fidem fallens. Similiter sive illi qui spiritualiter fornicati sunt per resipiscentiam revertantur ad primum suum in Deum charitatis zelum, sive demum posita hypocrisi incipiant vere credere & Deum diligere, redeunt ad ejusdem Sacramenti quod profanarunt religionem semel juratam. Vide *Disput. Cl. Vossii de Anabaptismo.*

PARTIS III. DISPUTATIO XIX.

QUÆ EST QUADRAGESIMA SEPTIMA.

DE

Pædobaptismo.

SUperest post illam *de Anabaptismo* quæstio controversa, *de Pædobaptismo* seu Baptismo Infantium; quem de jure divino nullum censent Anabaptistæ. Atque inde originem accepit nomen *Anabaptistarum*, quod quosvis in infantia baptisatos, qui ipsis nomen darent, novo Baptismo initiarent suæ Ecclesiæ. Fuitque hæc vox ipsius *Mennonis S. Pædobaptisma nihil differt à Baptismo campanarum; Pædobaptisma est immutatio divini ordinis, abusio nominis, & abominabile idolum. Libro Fundam. edit.* 1539. 1540. *fol. mihi* 41. Et nos etiamnum nomine contumelioso *Pædobaptistarum* Papistis accensent Anabaptistæ, Kinderdoopers. Et *Conf. oppos. Faukelio* contra Pædobaptismum disputant, quasi nihil sit quam *signum externum absque re aliqua significata, ac consequenter nihil nisi inanis fabula. pag.* 263. 278.

II. Nos infantes fidelium Deo Fœderatorum baptisandos asserimus hac argumentorum congerie. Quia Promissio Spiritus S. & Remissionis peccatorum facta est Fidelibus adultis, & liberis ipsorum inde à matris utero sanctis *Actor.* II. 39. *cum* 1 *Cor.* VII. 13. adeo ut *ipsorum sit regnum cœlorum Matth.* XIX. 14. & ipsi sint Christi per *Gratiam Domini Jesu Christi, & dilectionem Dei Patris & communionem Spiritus S.* 2 *Cor.* XIII. 13. *cum Rom.* VIII. 9. Supposito illo axiomate Petri Apostoli; *Num quis aquam prohibere potest quominus baptisentur isti qui Spiritum acceperunt sicut & nos? Act.* X. 47.

III. Nec ultra quicquam requiritur ad rem Sacramenti significatam demonstrandam. Vide *Disput. XXVI. Thes. XIII. XIV.* Ut supervacaneum sit se fatigare in Problemate isto, *an Fides, vel semen Fidei saltem, sit in Infantibus fidelium*, ut res Baptismi significata. Sufficit enim ut sit in Baptismo res significata, Infantium à Deo insitio in Christum, & communio Spiritus S. ipsos custodientis, ad efficiendam in ipsis ubi adoleverint Fidem salvificam-

cam. Nos quidem salvo aliorum judicio tuemur Problematis illius Negativam: ac supponimus Infantes Fidelium arcanâ immediatâ operatione Spiritus S. inseri Christo, donec vel in hac vita, vel in mortis articulo, infantilis ætas finem accipiat: ut vel hic in carne, vel exuti carne, per Fidem, vel per visionem, agnoscant quæ ipsis gratificatus est Deus, ut & nobis.

IV. Quidquid sit de Problemate isto, ne quidem in adultorum Baptismo principalis res significata est opus nostræ Fidei aut resipiscentiæ: sed opus Dei nos obsignantis & dantis nobis arrhabonem Spiritus sui, & nos obligantis ad Fidem & Resipiscentiam: ut neque pro nullo sit habendus Baptismus, si quis adultus, initio non vere resipiscens, longo post tempore demum hypocrisin exuat, ac vere credere incipiat, ut jam dictum *Disp. de Anabaptismo.*

V. Enimvero pro *Pædobaptismo* vindicando à contradictione & blasphemiis *Anabaptistarum*, invicta est hypothesis orthodoxa *Baptismum in* N.T. *successisse Circumcisioni V.T.* ut ejusdem Gratiæ illius signum & sigillum, quod promissione illa cum Abrahamo sancitum fuit; *Ero Deus tuus & seminis tui.* *Genes.* XVII. 7. Qua hypothesi stabilita recidit *Mennonis* contra Pædobaptismum blasphemia in Circumcisionis infantium institutionem divinam; hac parodiâ, Infantium Circumcisio nihil differt à ligni circumcisione.

VI. Stabilimus autem hypothesin istam ex Apostoli verbis *Col.* II. 11. 12. *in quo etiam circumcisi estis, circumcisione quæ fit sine manibus, dum corpus carnis peccato carne obnoxiæ exuistis per circumcisionem Christi: consepulti cum eo per Baptismum* &c. Quæ [illegible] *ἀναπηγήτως* confirmant Circumcisionem & Baptismum duo esse, distinctis temporibus, signa unius & ejusdem rei significatæ. Adeo ut nos qui baptisati sumus jam, habeamus rem, olim per Circumcisionem significatam, nobis per Baptismi Sacramentum administratam. Breviter ergo quibus olim Fœdus Gratiæ in infantia per Circumcisionem obsignari potuit & debuit, quid vetat idem iisdem jam obsignari per Baptismum?

VII. Hic desperatæ *Anabaptistarum* causæ imputamus gangrænam istam omnem, quam in *superioribus Disputationibus* attigimus, de Veteris Testamenti Ecclesiæ cum Deo Fœdere minime spirituali, nec spiritualibus promissionibus sancito. Adeo ut *Verbum illud Promissionis Abrahamo dictum; ero Deus tuus & Seminis tui, non patiantur accipi de communi nobiscum salute & vita æterna V. L. Defens. part.* III *pag.* 24. Qua contradictione obloquuntur Christo ipsi, qui Deum de resurrectione mortuorum olim loquutum affirmat verbis illis, quibus se dixit *Deum Abrahami &c. Matth.* XXII. 29. 32. *Luc.* XX. 37. Aperta autem est Apostoli affirmatio, in Circumcisionis signo datum esse Abrahamo *sigillum Justitiæ Fidei, ut esset Pater omnium credentium, etiam qui in præputio credituri essent.* Adeo ut omnes in N. T. credentes censeantur filii Abrahæ, vi promissionis olim Abrahamo factæ benedictionis hæredes, ut unum spirituale semen Abrahæ in Christo. *Rom.* IX. 10—17. *Gal.* III. *vers.* 7. 8. 9. & 28. 29.

VIII. Achil-

VIII. Achilles *Anabaptistarum* contra Baptismum Infantium iste porro est; *Mandatum esse ut prius doceamus postea baptisemus, prius ergo docendos infantes, antequam baptisentur. Ite docete omnes Gentes baptisantes. Matth.* XXVIII. *Nullum autem in sacris inveniri Pædobaptismum & nullum de eo Mandatum vel exemplum.* Resp. Mandatum illud de docendis primo baptisandis hactenus præscribit contra Baptismum Infantium, si quis profectus ad Gentes quibus non auditum est Euangelium prius infantes baptisare aggrediatur, quam parentes ipsorum per Prædicationem Euangelii adduxerit ad Fidem. At nihil præscribitur contra illorum qui prius edocti fuerint, una cum ipsorum infantibus, initiationem in Ecclesia visibili per Baptismum.

IX. Mandatum autem, de baptisandis Infantibus Fœderatorum, totidem verbis quidem expressum in N. T. non exstat: attamen nullum esse temere pronunciant *Anabaptistæ*, cum obliget Lex & mandatum illud, quod continetur in Circumcisione, ut Fœderis gratiæ signaculo, imperata Fœderatis & Fœderatorum infantibus, & confirmata verbo illo promissionis, *Ero Deus tuus & seminis tui Genes.* XVII. Quod verbum promissionis à Circumcisione ad Baptismum translatum est ab Apostolo *Act.* II. 39. atque ea propter nunc ad Baptismum vocat infantes, sicut ad Circumcisionem vocabat olim. *Vobis facta est promissio & liberis vestris.*

X. Quid quod contra Analogiam Fidei est, à Fœderis Gratiæ œconomia in Sacramento initiationis auferre in Novo Testamento amplitudinem illam, quam habuit in Veteri Testamento, ut ubi olim visibili Sacramento initiatio fieri debuerit Fidelium, & infantium ipsorum, jam fieri debeat initiatio tantum Fidelium, exclusis ipsorum liberis infantibus. Nos in Fœderis Gratiæ œconomia nunc majori amplitudini Gratiæ, in Sacramento initiationis Fidelium & liberorum infantium, vindicamus illud, *quicunque in Christo baptisati estis Christum induistis, non est ... masculus at fœmina, omnes enim vos unus estis in Christo Jesu. Quod si vos estis Christi, nempe Abrahæ semen estis & secundum promissionem heredes. Gal.* III. 27. 28. 29. Manifestè Apostolus in N. T. universo semini Abrahæ (cui in V. T. debebatur Circumcisio per repræsentationem in sexu masculo) Baptismum asserit, sublato sexus discrimine, ut amplificet gratiam N. T. visibilem. Anabaptistæ contra, auferentes Baptismum Infantibus, Gratiam visibilem seu initiationis symbolum palàm in N. T. auferunt illis, quibus in V. T. debebatur; quin illis solis, quos *Seminis Abrahæ* nomine, Abrahamo & domesticis ejus adultis circumcisis, Deus accensebat in Fœdere Circumcisionis *Genes.* XVII. 10. — 13.

COROLLARIA.

AN *Remonstrantes* piè fecerint ex Pædobaptismo Articulum mutuæ tolerantiæ: ut illos etiam fratres salutent, ac in *functionibus Ecclesiasticis tolerent, qui in conscientiis suis gravari se sentiant, si Baptismum infantibus administraverint; & necessitatem sibi incumbere judicent, ut privatim*

rogati hanc fuam de Baptismo infantium sententiam rotunde declarare debeant. Neg. Videantur Articuli quos exhibent *Theologi Leydenses in Censura ad Præfationem Confessionis Remonstr. ex Actis Synodi ab ipsis habitæ 26. May 1622.*

II. An isti qui circa Articulum de Pædobaptismo accedunt Anabaptistis, an reliqui, sentiant secundum Analogiam Fidei Remonstrantium? A Prius. N. Posterius.

PARTIS III. DISPUTATIO XX.

QUÆ EST QUADRAGESIMA OCTAVA.

DE

Cœna Domini & Notis Ecclesiæ.

De altero N. T. Sacramento Cœna Domini præ se ferunt Anabaptistæ *Conf. oppos. Faukelio, se ignorare, sitne aliqua notabilis controversia, quæ à nobis dissentiant, nisi forte in externa cæremoniali administratione: ac se non improbare quæ à Calvino hic proponuntur Inst. libr. 4. cap. 17. Sect. 43.* Interim pronunciant, *nullam esse in Verbo Dei præscriptam formulam ordinis, quam ut necessariam Legem sequi oporteat in externa Cœnæ administratione.* Ut *Calvinus* scilicet determinarit Cæremonias administrationis servandas, suo non Scripturæ judicio. *Confess. pag.* 324. 325.

II. Nobis Lex necessaria Verbo Dei præscripta, quam religiose sequimur in Cœnæ Domini celebratione, illa est, quam dictavit Apostolus. 1. *Cor.* XI. 23. *&c.* A qua si deflectitur, impuratum & adulteratum censemus Sacramenti usum; adeoque hac Nota etiam vel puriorem vel impuriorem censemus Ecclesiam. Est autem ista, ut celebretur gemina solennis convivii actione, ex quibus prior est *Actio Ministri*, qua pani & vino initio benedicit, hoc est & sanctificat & distributioni præparat, solenni gratiarum actione, ac deinde Christi convivatoris nomine & exemplo panem acceptum frangit edendumque præbet, & vinum similiter poculo infusum omnibus convivis bibendum porrigit, ac mox iterata gratiarum actione convivas dimittit cunctaque concludit. Altera est *Actio Convivarum Domini*, qua Christi & discipulorum exemplo cum gratiarum actione accepto illo pane edunt & de poculo illo bibunt omnes. Ut non tantum spectetur convivarum communio in perceptione symbolorum, sed vel maxime distributionis ministerium publicum & sacrum, Dei & Christi convivatoris gratiam obsignans.

III. *Anabaptistæ* hic (quidquid dissimulent) ministerium illud sacrum & publicum inane reddunt, quandoquidem omnem nomine Dei *certificationem & obsignationem* per Cœnæ Dominicæ symbola auferunt, & solam relinquunt *significationem corporis & sanguinis Christi. pag* 248. 249. 250. *cum* 318. Quin ludentes in æquivocatione vocum Belgicarum, gemeynschap/ & gemeyn-

& gemeynsaemheyt / solidam etiam & realem communionem perimunt atque illi familiarem accessum ad Deum substituunt; ut intelligatur tantum officii nostri actio religiosa, qua ferimur ad Deum habendum, non autem Dei actio, qua nos Christo insertos in communione illa fovet, ac nutrit. *Confess. oppos. Faukelio pag.* 159. Atque hæc officii nostri significatio ipsis est Cœnæ Dominicæ τέλος, seu usus principalis, à qua dependenter *Deus nos consoletur & corroboret in fide.* Adoptant enim hic *Lælii Socini* heterodoxam de Sacramentorum usu sententiam, disputatam & à Theologis *Tigurinis* rejectam Anno MDLXXVIII.

IV. Accedit quod cum *Fausto Socino* paria facit *Jac. Outerman*, quando loquutus *de spirituali manducatione carnis Christi & potatione sanguinis Christi ex Joh.* VI. 34. ilico ista subnectit, *Christum in corpore suo benedicto fuisse Lucem mundi. Etenim*, inquit, *verum exemplar fuit unicuique sancta sua conversatione ad ambulandum in luce Spirituali, & ad imitationem sui in obedientia, ut plena luce X. Artic.* v. §. 9. 10. Quod etiam à nobis adnotatum fuit *Disp. XVII. Thes.* I. Qua hypothesi perimitur Testamentum Fœderis Gratiæ in Christi sanguine confirmatum, adeoque aufertur & obsignatio & significatio veræ (per λύτρον satisfactionis à Christo in morte consummatæ) Redemptionis nostræ. Quæ si non omnium *Anabaptistarum* sententia est, tamen Theologiæ ipsorum gangræna hic est, quam suo Syncretismo hic fovent.

V. Hinc porro manavit in *Secta Anabaptistarum Flandrica* dicta, *rigida nimis à Cœna Domini excommunicatio.* Quia enim divinam Fœderis Gratiæ Testamentariam obsignationem auferunt à re significata, & functione officii nostri sola Cœnæ actionem definiunt, censent lapsos in publicum scandalum quodcunque, ut *separatos à Christo & omnibus spiritualibus beneficiis*, foras ejiciendos esse. Quos Ecclesiæ reformatæ initio *Suspensione* sola mulctant, *Excommunicatione* majori non utentes, nisi ad scandalum datum accesserit pertinax impœnitentia. Quam tamen ipsam majorem excommunicationem, non habent pro peremptoria sed pro interlocutoria tantum sententia, de separatione peccatoris seu abjectione à Christo & spiritualibus ejus benedictionibus. Rigidiorem suam Excommunicationem quomodo, non sine blasphemia in Christum, ipsum Petro Apostolo parcentem, propugnent, vide *Disp.* XXXIV. *Thes.* III. *&* IV. *& Disp. de Fœdere* X. *Thes.* XIV. *&* XXVI. Scilicet contendit J. O. *non tam solide nos stare ad fugam pollutionis spiritualis Christi doctrina & exemplo ante mortem quam post mortem ipsius. Quia Petrum gladio ferientem, mox Dominum abnegantem cum sui execratione, Christus non feriit excommunicatione neque exclusit Apostolatu.* Noœss. Apol. Rat. 397.

VI. Communis Anabaptistarum (quantumvis à rigidis istis Excommunicatoribus dissidentium) rigor nimius iste est quem notabamus *Disput.* XLVI. *De Anabaptismo.* Quod quoties quis ab unius sectæ ipsorum Synagoga ad sectæ alterius Synagogam transit, toties nove baptisatur, & similiter quisquis semel excommunicatus revertitur postliminio ad Ecclesiæ gremium.

VII. Com-

VII. Communi quoque errore *Donatismo* velificantur Anabaptistæ, in Disquisitione ad *Notas Ecclesiæ visibilis*, Ministerium Verbi & Sacramentorum æstimantes, & Ecclesiam judicantes non ex Verbo Dei vocantis, sed ex auditorum qui Ecclesiæ nomen dederunt pietate vel impietate; ut si non repurgata sit Ecclesia & ab omni scandalo immunis, veram illic negent esse & legitimam Verbi & Sacramentorum, Baptismi & Cœnæ Dominicæ administrationem.

VIII. Nos veram visibilem Ecclesiam purissimam quidem illam censemus, ubi cum pura & sincera prædicatione Verbi Dei viget minime adulterata Sacramentorum administratio, nec non severa Disciplinæ Ecclesiasticæ praxis secundum Scripturas divinas: impuriores, quæ vel in Disciplinæ exercitio vel Sacramentorum administratione, plus minusve recedunt à Scripturæ Canone: impurissimas, in quibus adulterata est Verbi Dei prædicatio.

IX. Interim ubi salva est & integra Verbi Dei secundum Scripturas Veteris & N. T. prædicatio, salvam esse censemus principalem atque essentialem veræ visibilis Ecclesiæ Notam: & legitimam esse consequenter Sacramentorum administrationem, qua obsignantur Fidem professi adulti, & liberi ipsorum infantes. Quantumvis non semper ex voto prædicantium vocationi divinæ per verbum prædicatum, & fidei professioni qua Ecclesiæ initiati fuerunt, respondeat sequens vocatorum vita & conversatio: nec pariter in omnibus & singulis fructificet semen verbi prædicati: & nonnunquam propter cordis duritiem luxetur nervus disciplinæ Ecclesiasticæ. Intercedit enim hic Dei longanimitas, qui vergente etiam ad apostasiam Ecclesia aliqua visibili, non ilico aufert candelabrum suum neque ex ore suo evomit; sed concedit tempus resipiscentiæ, ut testatur historia Ecclesiæ Veteris Judaicæ & Israeliticæ, & Ecclesiarum Asiaticarum septem N. T. *Apoc.* I. & II.

X. Enimvero de Notis Ecclesiæ visibilis, minime sibi constant Anabaptistæ. Nam *Menno S. Summarii Part.* I. *pag.* 252. istas flagitat, *Obedientiam Verbi Dei, seu vitam Christianam quæ ex Deo est, Charitatem ex intimo corde ἀνυπόκριτον erga proximum, item professionem & apologiam perseverantem voluntatis & verbi Christi, item oppressionum & crucis propter Verbum & testimonium Christi tolerantiam.* Ex quibus *Auctores Conf. oppos. Faukelio* unam & alteram videntur expungere. *pag.* 166. 167. Nos expungimus ex illarum censu, quotquot sunt invisibiles characteres, qui intus coram solius Dei oculis vere credentes discernunt ab hypocritis. Hos enim indocte censemus confundi à quibuscunque cum Ecclesiæ visibilis Notis, per quas legitima agnoscitur ejus exterior ἐπισυναγωγή.

Lectori Candido.

S. P.

Cum vacaturæ hic essent pagellæ novem, non illas tantum explendas censuimus, sed subnectendam oportune huic nostræ opellæ Diatribam utilissimam historicam, de Anabaptistarum Origine, Progressu, Sectis, & Nominibus, *quam tradidit Reverendus Clarissimus & Dignissimus nobisque amicissimus Symmysta*, D. Fredericus Spanhemius *S. S. Theol. D. & Professor Leidensis*, Disputatione Anti-Anabaptistica Prima a Thesi. II. ad XXVIII. exclusive; *Quæ disputata est* CIƆ IƆC XLIII. XII. *Aprilis. Vale.*

FRIDERICI SPANHEMII

S. Theol D. & Professoris Leidensis,

DIATRIBE HISTORICA,

DE

Origine, Progressu, Sectis, & Nominibus Anabaptistarum.



QUod ad *Originem* hujus hominum generis, quod communiori *Anabaptistarum* nomine vulgo censetur, attinet, istius Sectæ incunabula sibi vindicat Annus CIƆ IƆ XXI. quo primum cœpit se *δεικνύειν* & orbi Europæo inferre. Illi qui primi ei obstetricati leguntur, fuere *Nicolaus Storch*, *Marcus Stubnerus*, & vel inprimis *Thomas Muntzerus*, homines è superiori Germaniâ oriundi, quibus pietas obtentui erat, vita in speciem composita, animus verò novandi avidus, ad famam ambiens, & ad facinora natus factusque. Horum institutis hæsit ad tempus *Martinus Cellarius*, gente Suevus, *Capnionis* Discipulus & *Melanchtoni* familiaris; sed qui postmodum istius, ut & *Lutheri* monitis, resipuit, & cum Secta nomen vetus gentilitium excussit, novo *Borrhai* nomine adscito, sub quo Philosophicæ primum Facultati, post Theologicæ in celeberrimâ Universitate Basileensi adscriptus, publicatis, præter scripta Logica & Mathematica, Libris aliquot commentariis in Vetus Testamentum se Ecclesiæ Dei commendavit, donec pestilenti anthrace correptus ibidem supremum diem in Ecclesiæ Orthodoxæ communione obiret Anno CIƆ IƆ LXIV.

III. *Nicolaus Storch* & *Marcus Stubnerus* diversis studiis plebem incautam sibi conciliare satagêre, iste eruditione & *ἀγχινοίᾳ* quadam in S. Scripturæ expositione, ille, literarum quippe rudis, eloquentiâ populari, enthusiasmis & secretorum cum Deo colloquiorum famâ, uterque *τοῖς φαντασμοῖς* & technis variis. Cautiùs tamen & lentiùs ab istis actum, ferocius verò &

impotentiùs à *Thoma Muntzero*, cujus auspiciis funesta illa Rusticorum seditio, qua Germania superiori seculo graviter admodum concussa fuit, in nervum erupit, & cum illâ fructus novi istius Euangelii à *Storchio* & *Stubnero* plebejorum animis impressi. Utriusque verò vita reliqua & catastrophe inter incerta habentur. De *Muntzeri* molitionibus & horrendis, qui eas excepêre, motibus sigillatim agendum.

IV. *Occasionem* in partes secedendi, & Dei Ecclesiam scindendi arripuêre homines fanatici ex libro *Lutheri* de *Libertate Christianâ*, qui habetur *Operum ejusdem* Tomo II. & prodiit primùm Anno cIↃ Iↄ.XX. postquam in eo legêre, *Christianum hominem omnium Dominum esse, & nulli subjectum*. Quæ verba sano sensu à *Luthero*, eximio Dei Servo, scripta & & prolixa ἐξηγήσει declarata, oppositoque aphorismo, *eundem omnium servum esse, & omnibus subjectum*, exposita, detorta fuêre in sensum sequiorem ab hominibus suæ pariter & alienæ quietis impatientibus, & ea occasione apud plebem in privatis primùm gurgustiis, post ex ambone etiam cruda Principum imperia traducta, expilationes objectæ, libertas sub regno Christi omnibus parta jactata, nec tantùm de Pontificis Romani tyrannide, verùm etiam de [illegible] multis à primis Reformatoribus in Ecclesiâ toleratis querelæ institutæ, & sic duæ ordinis publici columnæ labefactatæ, Magistratûs dignitas, & Ministerii sacri reverentia, ac utriusque authoritas. Inde de novâ & perfectiori Ecclesiâ condendâ, novâque ejus πολιτείᾳ actum, & ista occasione cogitatum, de ejus Mystis novo Baptismo initiandis. Et ne Baptismi prioris obstaret religio, declamatum in Pædobaptismum, ut vanum, immò illicitum, infantibus quippe ejus haudquaquam capacibus collatum, quum Sacramentum istud non nisi adultis, & judicii ac suæ spontis hominibus debeat conferri. Et ut altiùs plebis animos subiret novitiæ istius Ecclesiæ, quam hi Doctores è ruderibus excitatam volebant, ardor, praxin pietatis ipsi præ se ferre & inculcare aliis studio habebant. Hinc & publicarum concionum & privatorum congressuum themata ordinaria erant, *detestandum esse peccatum, carnem macerandam, excitandum spiritum, charitatis officia exercenda, crucem Domini ferendam, jejuniis vacandum, vestitu tenui, victu modico, cultu corporis ad neglectum potius, quam ad elegantiam composito, & parcis admodum verbis utendum esse.* Satis verò dici nequit, quantum hic [illegible] humani generis hostis se in Angelum lucis formando, & [illegible] sua occultando promoverit, & quàm obnoxios sibi reddiderint homines etiam non malos novi isti Euangelistæ, ficto illo pietatis & sanctitatis schemate.

V. Ita præparatis animis *Thomas Muntzerus*, Cygneæ primùm, post Alsteti in collimitio Thuringiæ & Saxoniæ sito oppido Pastor, ulterius sibi progrediendum ratus audaci facinore se obstrinxit, immò animum ad quævis flagitia obfirmavit. Quum enim animadvertisset *Lutheri* nomen ob *Libertatem Ecclesiasticam* restitutam passim inclarescere, & omnium animos in illum converti, se quoque nobili instituto omnibus commendandum censuit; & *Libertatis sive Politicæ*, sive, ut quandoque loqui

solebat, *naturalis* instaurationem & vindicias subditorum à jugo & tyrannide (sic enim Principum & Magistratus dominium homo ordinis divini contemptor vocare solebat) profiteri ausus est. Quod facinus cum *Luthero*, quo cum Wittenbergæ aliquoties congressus fuit, nec persuadere posset, nec probare, sed ab eo increpitus, & de tranquillitate publicâ haudquaquam sollicitandâ, immò ordine à Deo instituto suspiciendo seriò monitus fuisset, in *Lutherum* ipsum insurgere & detonare cœpit, & queri, *Lutherum* æquè ac Papam Romanum peccare, ab illo quidem Reformationis opus aliquatenus promotum, sed multo adhuc fermento infectum relinqui: immò *Lutherum* ipso Papâ deteriorem esse, ob Euangelium carnale tantùm promulgatum. Nec destitit de Magistratus tyrannide paratragœdiare, & inculcare plebi, *omnia natura libera esse & communia, excutiendum esse Principum æquè ac Pontificis Romani jugum*, & quia illi blandis monitis haudquaquam cedant, sed bona & capita subditorum libidini suæ vectigalia esse velint, justissimis armis id omnibus vindicandum esse, quod omnium esse Deus voluerit. Classico isto excita, & novæ cujusdam libertatis dulcedine pellecta passim plebs funestis se motibus implicuit. Ad lacum Acronium turbatum, in Alsatiâ & Sueviâ globi factiosorum coacti, & libertas passim jactata, spretâ immò excussâ omni, quæ Principibus debebatur, reverentiâ & obsequio.

VI. Quum Satan hac ratione non renascentem solùm Ecclesiam scindere, ejusque faciem fœdare, verùm etiam reformationem templi Dei recens institutam exosam potestatibus reddere conatus esset, quasi eâ debitum Principibus jus in subditos abrogaretur, & novum Euangelium ad turbas tantùm præiret & seditiones, dici non potest, in quod sanctum illud Reformationis Ecclesiarum opus odium adductum fuerit apud homines veteri superstitioni adhuc affixos. Nec enim tumultus isti suis Authoribus, paucis videlicet hominum seditiosorum capitibus, sed ipsi Doctrinæ Euangelicæ & omnibus ejus Doctoribus imputari cœpêre. Idque tanto magis, quod novi isti Anabaptistarum Patriarchæ familiares antea iis fuissent, quorum operâ Deus in reformandâ Domo suâ usus fuerat, & *Lutherum* in eâdem secum sententiâ esse jactarent. Huc accedit, quod concitata ab iis plebs se Euangelio nomen dare, solique Scripturæ Sacræ hærere, & libertatem conscientiarum armis vindicare velle videretur.

VII. Ut vero labem istam sibi æquè ac doctrinæ Euangelicæ adspersam abstersum irent Heroës illi, qui in templo Dei remetiendo fidem ac integritatem suam Ecclesiis passim probarant, suam & Dei causam publicis scriptis sibi agendam censuêre. Quod inter alios acriter præstitêre *Lutherus*, *Melanchton*, *Zwinglius*, *Bullingerus*, *Menius*, *Regius*, alii, & in seditiones & seditiosos graviter invecti, subditos perduelles, de suo erga potestates superiores officio, ex Dei verbo monendo, tribunitios illos concionatores perstringendo, & omnes ad quietem & debitam Principibus suis reverentiam hortando, nihil reliqui fecêre, ut impetum hominum ad scelera & cruces furibundis animis ruentium suffiaminarent. *Lutherus* vel

vel imprimis concitatior non *παραινετικὰ* tantùm scripta contra seditiosos, verùm etiam *ἀντιρρητικὰ* emisit, & peculiari libello *contra Latrones & homicidas Rusticos* vulgato ipse classicum in illos cecinit, Principes hortatus, ut vi & armis latrociniorum istorum impetum sisterent, & eos ad quietem cogerent, qui persuaderi nollent.

VIII. Doctores isti novi *Muntzerus* cum asseclis, efferati potius quàm mitigati monitis istis, tumultuantur magis magisque, *Lutherum* Doctoresque alios *ψυχικούς*, nihil nisi carnalia sapere quiritantur, & ab iis *aliquot* quidem *frondes de Anti-Christianismo succisas* jactant, sed *arborem & radices adhuc superesse*, quæ exscindi debeant, & quas excisas velint. Et cùm in scripto Dei Verbo nullum erroribus & turbis à se concitatis præsidium reperirent, ad novas se & furores suos tuendi artes confugiunt, Enthusiasmos & inspirationes secretas jactant, & passim incautæ ac sibi obnoxiæ plebi inculcant, *hominem vivere in omni verbo, quod procedit ex ore Dei*, adeoque non ex libris tantum & scriptis sapiendum esse, sed operam dandam, *ut*, ex præscripto Apostoli, *prophetent omnes.* Hinc promiscuè quivis fermè salsamentarius spiritum jactare, revelationes fingere, enthusiasmos *Storchi* & *Muntzeri* exemplo comminisci, Cathedram cerdonibus & *χειροτέχναις* aperire, & quidquid splendidorum deliriorum dictasset ulli *ὑποβολεία τῆς πλάνης*, prò Dei verbo, extra & contra scriptum Dei verbum obtrudere, conciones publicas Euangelicorum suggillare, in fidem Lutheranam, quasi bonis operibus vacuam invehi, quædam dogmata & mysteria sua non nisi apud sacrorum suorum candidatos proferre, circa alia, sepiarum instar, atramentum spargere, ne pervideri possent, miris artibus se in domos & familias illatebrare, conventicula in abstrusis angulis cogere, se ad egenos potissimum & abjectæ sortis homines submissos profiteri, & omnis generis strophis animos hominum credulorum invadere & dementare.

IX. Latâ semel portâ errori per Enthusiasmos aperta, quævis dogmatum novorum portenta hominibus plebejis & ad novitates prurientibus obtrusa fuêre, & turbulenta ingenia ad novum quendam in Politiâ æquè ac Ecclesiâ statum in orbem Europæum introducendum erecta fuêre. Et ne vel aliqua conscientiæ religione, vel fide Principibus jurejurando obstricta prohiberentur, spargi cœptum, *juramenta* sub Novi Testamenti œconomiâ illicita esse, adeoque ea sive jam præstita, sive præstanda ipso jure invalida esse. His fundamentis in antecessum jactis, passim tribunitiis concionibus velut ad pileum vocata plebs, coïtiones factæ, seditiosi armati certatim in Principes suos, & funestis ac civilibus armis vastatæ, ac multo sanguine tinctæ florentissimæ Provinciæ fuêre.

X. Harum seditionum tuba & flabellum præcipuum fuit *Muntzerus*, qui, conciliatâ sibi apud incautam plebem authoritate, apertè profiteri cœpit, se divino mandato excitum tum Principibus impiis puniendis, tum mutando regimini Politico. Saxoniâ eâ de causâ à *Friderico* Saxoniæ Electore pulsus, & hinc inde per Germaniam & Helvetiam divagatus, seditionis semina ubique sparsit, & tandem Mulhusium, celebre Thuringiæ op-

giæ oppidum, regressus, eo audaciæ, factiosorum & sibi obnoxiorum hominum ope, processit, ut & Magistratum abrogaret, & Sectariis suis Curiam repleret, immò Politicarum æque ac Ecclesiasticarum rerum cognitionem & judicium sibi vindicaret, hoc dogmate sparso, *Judicia sub Novo Testamento ex solo Dei Verbo constituenda & administranda esse.* Ut verò animos promiscuæ plebis, cui ordinariè exiguus census esse solet, sibi arctè devinciret, non tantùm Monasteria prædam publicam esse voluit, & spolium obvium, verùm etiam communionem bonorum, exemplo Ecclesiæ primitivæ Apostolicæ, imperavit, & iis quibus res lauta domi erat, assensum vel argumentis persuasit, vel vi metuve pejorum extorsit. Quum nihil in speciem faventius auribus plebis vel exactionibus attritæ, vel Superiorum duriore quandoque imperio pressæ, vel *res inopes* habentis, admoveri posset, & *Muntzerus* literis seditiosis passim per emissarios suos disseminatis, dogma istud unà cum præconio de omnimodâ libertate vulgaret, in compluribus Provinciis motus ingentes sequuti fuêre, in Thuringiâ, Sueviâ, & Franconiâ potissimum, ubi rusticana plebs maximo numero coacta ad arma ruit, Magistratus imperia & dignitatem spernit, arces ac fortalitia, ut pedicas suæ libertati injectas, demolitur. *Muntzerus* hominum istorum, plus satis jam furentium, animos accendit, metallarios è fodinis Mansfeldicis ad tumultus & prædam vocat, se *Dei servum ad impios exscindendos divinitus constitutum* omnibus denunciat, & *sibi gladium Gedeonis à Deo commissum* jactat, subscriptione istâ in literis suis ordinariè adhibitâ, *Thomas Muntzer, servus Dei contra impios*, item, *Thomas Muntzer cum gladio Gedeonis.* Furibundi hominis animum accendit magis magisque *Henricus Pfeifferus*, qui ex Monacho rabula factus, & visionem cœlestem mentitus, copias ac factiosos cogit, & aciem educit. Saxoniæ, Brunsvici, & Hassiæ Principes cum Comitibus Mansfeldiæ ad arma à perduellibus compulsi exercitum parant, & post monita varia nequicquam adhibita, agricolarum potius quàm militum manipulos, qui montem Franckenhusio oppido vicinum insederant, adoriuntur, & jam ante pugnam trepidantes, ac frustra tremulâ *Muntzeri* voce ad fortitudinem & constantiam excitatos, fundunt & profligant, Frankenhusium expugnant, & Muntzerum, qui eò se fuga proripuerat, & morbum velut diuturno languore emaciatus simulabat, singulari Dei providentiâ, à servo Nobilis cujusdam, ex literis quibusdam prope lectum decumbentis in pera conditis, agnitum, & è latebris protractum cum socio *Pfeiffero* in custodiam dant. Ubi complicum nominibus per fidiculas & tormenta expressis, scelus suum, & multarum myriadum mortes gladio ultore, prope Mulhusium, unà cum *Pfeiffero* propè Isenacum capto, percussus, desperabundus propemodum sub carnifice luit Anno cIↃ IↃ xxv. Arma victricia alibi etiam in Suevia, Thuringiâ, Franconiâ, Bavariâ, Alsatiâ, Austriâ, & Stiriâ, à Principibus circumferuntur, globi hominum agrestium passim palantes dissipantur, urbes à factiosis hominibus occupatæ vel expugnantur, vel ad deditionem coguntur, & aliquot capitum suppliciis coërcentur multi, terrentur

 omnes,

omnes, sistitur malum grassans, & pristina Provinciis istis tranquillitas velut postliminio restituitur.

XI. Fanaticis & seditiosis istis hominibus armis in Germaniâ superiore repressis, & perduellionis fomite multo sanguine extincto, recrudiut malum istud in Helvetiâ, & Anabaptistica dogmata antea à *Munzero* istis locis peregrinante, sparsa, & ab aliquot verbi præconibus pronis auribus & animis excepta, plebi privatis publicisque concionibus inculcata fuere, è quibus primipili erant *Felix Mantzius*, & *Conradus Grebelius* Tigurini, quorum ille ad Hebraïcam, iste ad Græcam professionem frustra ambiverat, ut & *Balthasar Hubmeierus* Waldshutensis oppidi pastor, qui cùm non voce tantùm, sed libro etiam de Anabaptismo publicato multorum conscientias turbasset, *Huldricus Zwinglius*, strenuus veritatis assertor, hominem turbulentum edito scripto confutavit. Et Tiguri cum duobus prioribus solenni disputatione, post duas alias Anno cIↄ Iↄ xxv. Mensibus Januario & Martio prius habitas, Mense Novembri in ipsa Curia publicè triduo integro ingressus, eorum contra Pædobaptismum sive argumenta, sive cavilla, quibus eum à *Nicolao* Papa demum institutum contendebant, fortiter cum plena ἀποδείξει πληροφορίᾳ καὶ δυνάμει retudit. Disputatione ista triumphato Anabaptismo, *Zwinglii*, *Leonis Judæ*, & *Casparis Megandri* opera, & veritate in aperto constituta, Senatus Tigurinus solenni edicto Pædobaptismum sancit, & Anabaptismi Doctoribus silentium & quietem imperat.

XII. Nec tamen adhuc cessatum à turbonibus, quin potius clandestinis coïtionibus non tantùm Anabaptismus multis civium denuò persuasus fuit, verum etiam multa capita, quæ se novis illis patriarchis addixerant, rerum tincta fuere. Ei rei operam suam commodarunt *Gulielmus Raublis*, *Panicellus Brotlein*, *Georgius Blaurock*, *Johannes Denckius*, *Andreas Stultzius*, & præ aliis *Hubmeierus*, qui cùm Euangelii doctrinam prius Waldshuti, oppido Helvetiis contermino, docuisset, & postmodum ad Anabaptistas defecisset, adeoque civibus inter se ob divortium istud sententiarum commissis, Austriacorum armis, & idolomaniæ Pontificiæ denuo urbem objecisset, Tigurum confugerat, & ibi clam apud Mystas suos latitabat, donec à Senatu deprehensus, & in Curia causam dicere jussus à *Zwinglio* ex Dei verbo errorum variorum reus peragERetur. Ille verò palinodiam publicam ultrò pollicitus in ipsa cathedra errores suos denuò populo occinit. Increpitus hoc nomine, & sibi à Satana ista inspirata fassus, tandem post pollicitationes multas, & ejurata Anabaptistica dogmata urbe dimissus fuit. Ut verò in vetitum niti solent homines, & negata cupere, sic sufflamine isto haudquaquam cohiberi potuit promiscua multitudo, quin fanaticorum istorum placitis, magna arte & eloquentia à Doctoribus Anabaptistarum commendatis, clam faveret, accedente ad dogmatis novitatem vano quodam commiserationis affectu in Euangelistas istos, qui miseri potius esse videbantur quàm mali, & suæ potius tranquillitatis quàm fidei prodigi, pertinaciâ illorum constantiæ deputatâ. Ita ut Senatus Tigurinus

severo

severo tandem edicto ei rei intercedere cogeretur Anno cIↃ. IↃ. XXX. capitis pœna in Anabaptistarum Doctores decreta, & gravibus in eorum receptatores mulctis. Dogma *Hubmeieri* inter alia fuit, spiritum Adami non consensisse in peccatum, adeoque integrum mansisse post peccatum, nec libertatem suam amisisse, sed tantùm carnem.

XIII. Quin & *Basileensis* ager infelici isto lolio consitus, & ibidem ab Anabaptistis turbatum fuit, quibus cum *Oecolampadius* Theologus gravis, Anno cIↃ IↃ. XXV & cIↃ IↃ XXVII. & cIↃ IↃ XXIX. Basileæ super articulis *de Pædobaptismo*, *Magistratu*, *Jurejurando* congressus causæ quidem abundè satisfecit, actoribus verò pervicacibus non item, ita ut Prudentissimi Senatus, & strenui gloriæ divinæ vindicis in Anabaptistarum sectariis coërcendis authoritate, Ecclesiæ Basileënsis tranquillitati simul & puritati consulendum ibidem fuerit.

XIV. *Bernensis* quoque Reipublicæ quies ab hominibus istis, *Ludovico* præsertim *Hetsero*, *Johanne Trayero*, & *Joanne Secklero*, sollicitata fuit, & Anabaptistis ad publicam disputationem Anno cIↃ IↃ XXVIII. admissis, errores revicti, & eorum Antesignani à *Bertholdo Hallero* & *Francisco Kolbio*, verbi Ministris confutati fuêre. Quum tamen nondum sibi satisfactum in angulis mussitarent Anabaptistæ, ne non veritas de errore palam triumpharet, ab Amplissimo Senatu Bernensi solennis denuò disputatio cIↃ IↃ XXXII. Mense Julio Zofingæ in Argovia in agro Bernensi indicta fuit, quæ inter Bernensis Ecclesiæ Ministros & Anabaptistarum Doctores ibidem instituta, & per novendium integrum protracta, à Notariis publicis excepta, & publici juris facta, ad multorum animos in veritate confirmandos, alios verò ab errore revocandos, multùm momenti attulit. Et cum sub Annum cIↃ IↃ LXXXIX Anabaptistæ quidam novos in Bernensi agro motus excitarent, Magistratûs vigilantiâ & severis Edictis Sectarii coërciti, & malum gliscens repressum fuit.

XV. In *Galli* quin etiam *Fano*, oppido Helvetiorum pagis fœdere juncto, non leves turbæ datæ à *Conrado Grebelio*, ejusque discipulis, & id omnibus machinis, suggestionibus clancularíis, concionibus publicis, scriptis, & quibusvis illicitis tentatum, ut urbs ista inclyta Pella fieret, & receptus huic hominum generi, sed singulari Dei beneficio *Zwinglii* scriptis, *Joachimi Vadiani* zelo, & prudentia Magistratûs ei rei intercessum, & turbones urbe ejecti fuêre. Nec parum Anabaptistis publico bonorum omnium odio istâ urbe exponendis conduxit horrendum *Thomæ Schuckeri*, discipuli *Melchioris Rinckii* Anabaptistarum Coryphæi, facinus. Is enim confertâ id genus hominum concione aliquando coacta, raptum & inspirationem cœlestem mentitus, fratre *Leonhardo Schuckero* in genua procumbere jusso, gladium petit. Rogatus à Patre, & Matre, aliisque adstantibus, quid sibi vellet isto apparatu, respondit; bono animo essent nihil se facturum nisi quod à Patre cœlesti sibi revelatum foret. Omnium animis ad novum spectaculum erectis, insanus iste Propheta stricto ense fratris caput à trunco uno ictu recisum in terram provolvit, & ingentem adstan-

tibus terrorem incussit, parentibus verò suis cordolium altum expressit & multos gemitus. A Magistratu ob immane istud fratricidium comprehensus, condignas sceleres suo pœnas dedit, nulla tamen flagitii admissi pœnitentia ductus, sed in pegmate adhuc professus, hanc Dei voluntatem sibi cœlitus revelatam fuisse. Contigit tragicus iste casus in Fano Galli Anno CIↃ IↃ XXVII. qui Magistratûs Christiani animum non parum commovit, & in rabiosos istos Prophetas, Prophetarumque istorum filios concitavit, & ad severa, contra Anabaptistarum in sua urbe & ditione moram, edicta compulit. Hominum verò istorum discessus Urbi quidem Sangallensi quietem, vicino verò *Abbatis Cellensis* agro novos motus peperit, hominibus inquietis hinc inde ad res novandas, & cœptum ibi Reformationis opus turbandum dilapsis.

XVI. Hoc theatro etiam excussus Sathan aliud in florentissimis multis Germaniæ Urbibus erectum sibi voluit, & *Argentorati* ab *Hofmanno*, *Wormatiæ* à *Cantio*, *Augustæ* à *Jacobo* quodam Pellione, *Ulmæ* à *Kleibero*, ab aliis alibi Anabaptistarum doctrina spargi & disseminari cœpit, quorum conatibus à Magistratu simul & fidis Dei servis obviam itum, homines turbulenti repressi, & pestilentia dogmata publicis congressibus revicta, & edictis solemnibus repressa fuêre, quamvis sub dolosis semper cineribus latitaret ignis accensus à fanaticis Doctoribus, qui subinde erupit variis in locis.

XVII. Helvetia verò & Germania superiori excussi Anabaptistæ multi in Moraviam concessêre, & se ibidem adjunxêre factiosis id genus hominibus, qui ad novitates pruriebant. Cœtibus multis, variis artibus, collectis, & emissariis pluribus in Provincias & Regna vicina ablegatis, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Austriam & Silesiam eadem pestis invasit. Quam cum seditiones passim consequerentur & turbæ, quidam ex iis comprehensi molitiones illas capite luêre, è quibus fuit *Balthasar Hubmeierus*, qui rebus in Moravia turbatis, Viennam abductus, ibidem exustus fuit. Quod ab Anabaptistis Martyrio deputatum, animos illorum accendit potius quam mitigavit, vel compescuit, nec ob id minus omnes machinæ adhibitæ sectæ firmandæ propagandæque, sive quas zelus sine scientia hominibus non malis suggerebat, sive quas Sectariorum Duces callido commento excogitavêre. E quibus non minima fuit publicatio supra commemorati dogmatis de *communione bonorum*, quod pronis auribus & animis exceptum fuit à promiscua hominum colluvie, cui res parva domi, & omnis in alieno spes erat. Id tamen aliquatenus Sectariorum progressus retardavit, quod, ut inquietum est humanum ingenium, in partes ire cœperint Anabaptistæ Moravi, & ex una Secta duæ fierent, *Hutterianorum* una, *Gabriëlistarum* altera, à Choragis duobus, *Jacobo Huttero*, & *Gabriële Scherdingo* sic dictæ, qui primi facem Sectariis reliquis in Moravia prætulerunt.

XVIII. Ut verò Germania superior obnoxia fuit Anabaptistarum turbis, sic non immunis fuit à Spiritu isto vertiginis Germania inferior; sed floren-

florentissimæ Provinciæ, Westphalia, Frisia & Hollandia per novos Apostolos conturbatæ graviter fuêre, à quibus, non nisi Dei verbum & revelationes cœlestes crepantibus, & externa quadam vitæ compositæ specie se commendantibus, ingens hominum multitudo corrupta, & fermento illo Anabaptistico infecta fuit. Præcipuè verò *Monasterium* celebris Westphaliæ Urbs à Prophetis novis infessa fuit. Quod quidem certis velut gradibus factum. Cùm primùm *Bernardi Rotmanni* operâ Euangelii doctrina in Urbe ista diffundi cœpit, ingens hominum multitudo se ei adjunxit. Pontificiis nequicquam eo nomine tumultuantibus, *Rotmannus* Marpurgo ad se mitti petit Pastores aliquot, quorum consilio & operâ cœptum Reformationis negotium promoveri posset. Submissis *Petro Wirthemio* & *Godefrido Stralen*, *Rotmannus* cum Collegis Pontificios Doctores ad Disputationem solennem provocat, errores eorum scripto consignat, & eorum confutationem ex sacris literis pollicetur. Quum verò Pontificii se impares ad congressum, & dogmatum suorum ex Scriptura defensionem faterentur, submoventur à publico docendi munere, sex templa occupantur ab Euangelicis. Canonici & illorum asseclæ coràm Episcopo de Monasteriensium iniquitate conqueruntur; iste per literas & Legatum præcones novos Urbe ejiciendos, suos verò restituendos monet. Quum tamen nequicquam minis rem ageret Episcopus, & Euangelicorum numerus major esset, quàm ut in arctum cogi possent, Illustrissimi Hassiæ Landgravii interventu negotium istud componitur, Euangelicis præconibus templa certa assignantur, Cathedrale Canonicis, & Episcopo jus suum, illis proventus etiam ordinarii relinquuntur. Quum ex eo tempore mensibus aliquot sine tumultu suis quique sacris operati essent, Monasterium clam confluxêre Anabaptistæ quidam, Anno Domini CIↃ IↃ XXXIII. è quorum numero antesignani fuêre *Johannes Matthias*, Pistor Harlemensis, & *Johannes Bocoldus* Sartor Leidensis, qui clam à civibus quibusdam excepti nocturnos cœtus cogunt in angulis, novum Catechismum docent, Pædobaptismum damnant, Mystas suos non nova tantùm Baptismi doctrinâ, verum etiam iterato ritu imbuunt, & bonorum communionem urgent. Quum novitii isti Doctores, *Johannes Leidensis* præsertim, pellaci quadam dicendi vi, & ficto pietatis schemate, habens εἶδος cæteroquin ἀξιοπρεπὴς in credulorum hominum animos invasisset, in ingentem numerum nova Secta brevi temporis intervallo excrevit, cùm ei se passim adjungerent omnes ii, quos vel æs alienum premeret, vel res angusta domi: immò quibus animus ad facinora & turbas pronus erat. Quibus accessit peregrinorum hominum colluvies eò ab Anabaptistis ex vicinis Provinciis evocata, quorum adventu audaciores facti Prophetæ novi Ministris Euangelicis super Pædobaptismo litem movent. *Rotmannus*, obliquato velo auram popularem secutus, Anabaptistis primò segniter se opponit, postmodum contrà fidem datam latus præbet, & ad eos apertè deficit, ut & *Hermannus Strapeda*, *Henricus Rullius*, *Godefridus Stralen*, aliique. Scissa denuo in partes & factiones Urbe, Senatus Publicam Disputationem indicit su-

per doctrinæ, congrediuntur Anno cIↄ Iↄ xxxIII mense Augusto *Rotmanno* & sectarii alii cum *Hermanno Buschio*, *Joanne Glandorpio*, *Petro Wirthemio*, *Joanne Holtmanno*, & eorum Collegis. Quum & hic veritas de errore triumphasset, Senatûs consulto Anabaptistis edicitur, ut Urbe excederent. Anabaptistæ discessu simulato, se in suis abdunt gurgustiis, & civium multorum favore freti clandestinis concionibus causam suam & dogmata nova tuentur, confirmant, diffundunt. Tumultus varii excitantur in Urbe, Viri graves & Orthodoxiæ faventes, vel animo præcipientes secuturam cladem, vel metu fracti Urbe excedunt. A disputationibus devenitur ad pugnam, & qui ante latitare cogebantur, in aciem contra Euangelicos procedunt. Tandem pace & libertate conscientiarum utrimque sancitâ, dissidia componuntur, sed ad tempus duntaxat. Nec enim id vertiginosis hominibus & ad turbas & ad res novandas erectis satis videbatur, libertatem sibi suisque impetrasse, quin potius ad omnimodam omnia pro arbitrio regendi versandique licentiam ambiunt. Prophetæ novi *Johannes Matthias* & *Johannes Leidensis* ecstates & enthusiasmos fingunt, horrendis clamoribus per circulos & compita emissis omnes ad pœnitentiam vocant, prodigia multa sparguntur in vulgus, *Osnabrugo*, *Wesaliâ*, *Warendorpio*, & vicinis oppidis aliis Anabaptistarum mysteriis imbuti evocantur sub promisso splendido centupli pro relictis bonis accipiendi. Senatores plerique Urbe excedunt, exauthorantur reliqui, Urbis facies innovatur, Consules novi creantur à Prophetis, & inter illos *Bernhardus Cnipperdollingh*, homo novandi vetus, manu promptus, & ad turbas factus. Cui adjunguntur Senatores, omnes ejusdem instituti & commatis homines, Ecclesiasticis cœtibus præficitur *Julius* quidam *Frisius*, *Rotmannus*, alii, Monasteria & templa diripiuntur, ingens præda convehitur, & communis censetur, immò bonorum omnium communio novo edicto sub capitis etiam pœna à Prophetis novis sancitur, omnes præter Biblia libri flammis abolentur, Scholæ abrogantur, immò & conventus Ecclesiastici publici, Prophetis crebrò ingeminantibus, *beatum illud tempus adesse, quo omnes docendi sint à Deo.* Et cùm ab Episcopo obsideretur Civitas, Prophetæ novi vim parant, munimenta excitant, campanas in machinas bellicas conflant, & distributis operis plebem non tantum fictis logis circumducunt, verùm etiam insanis laboribus atterunt, & authoritatem suam sævitia & crudelitate in contradicentes firmant. *Joanne Matthia*, qui temerè se ex Urbe in confertum hostium globum cum exigua manu effuderat, paulo post sublato, & turbatis civium animis, *Joannes Leidensis* rem restituendam ratus, ejus mortem, ut & genus mortis, sibi jam dudum prædicta fingit, omnes ad spes novas & miraculosam ab obsidione liberationem cum *Rotmanno* erigit, & propulsato hostium aliquoties infeliciter muris succedentium impetu prædictionibus suis fidem conciliat. Inde velut in ecstasin raptus, & triduo elinguis, tandem Duodecim-Viros factiosos, velut jussu Patris cœlestis *novo Israëli* præficiendos clamat, ipse sibi, ut Dei vates, authoritatem singulis mandata divina edicendi servat, polygamiam, adulteriis & libidinibus

suis

ſuis velandis, ſancit, in diſſentientes ſævit, & multis cædibus tyrannidé ſuam munit, ita ut ex hominis iſtius flagitioſi arbitrio non fortunę ſolùm, ſed capita etiam & vitæ civium omnium penderent, qui Prophetas vel verbo illuderet, Majeſtatis poſtulatus hominum nequiſſimorum libidini victima fieret, & divina humanaque jura omnia proculcarentur. Quin etiam eò uſque hominis nefarii prorupit veſania, ut aurifabri cujuſdam Warendorpiani, enthuſiaſmum & revelationem mentiti, ac ab eo ſubornati, aſtu, & inſanientis populi ſtupore, in thronum Regium terræ filius evaderet, & regnum Hiſtrionicum in oppreſſa Urbe exerceret, Regium apparatum, ſupellectilem, ac ſatellitium ſibi compararet, promiſcuis ſtupris, cœdibus, & inaudita tyrannide ſæviret, Principatus & Ducatus inter ſuos pro arbitrio diſtribueret, & per emiſſarios ſuos *Regnum Sionis* promulgaret, paſſimque ad ſeditiones & turbas plebejos homines armaret, immò vix fidem aliquando apud poſteritatem habitura flagitia moliretur, titulo iſto etiam fanatico ſibi adſcripto, *Joannes Rex novæ Hieroſolymæ, Rex juſtitiæ ſuper univerſum orbem.* De quibus prolixè videri poſſunt *Joannes Sleidanus* Comment. libr. x. *Lambertus Hortenſius Montfortius* libro de Tumultibus Anabaptiſtarum, & *Joannes Wigandus* Epiſcopus Pomezatienſis in volum. de Anabaptiſmo publicato. Quæ Hiſtrionia, vel Tragœdia potius eouſque duravit, donec, Civitate ad ſummam inediam redactâ, & Prophetarum ſuorum furores ac credulitatem ſuam ſerò nimis nequicquam agnoſcente, per ſtratagema expugnatâ, & *Joanne Leidenſi* unà cum *Cnipperdollingo* & anteſignanis aliis comprehenſo, poſt colloquia Anno CIↃ IↃ XXXVI. inter illos & *Antonium Corvinum*, ac *Joannem Kymæum* Theologos Haſſiacos ſine fructu inſtituta, uterque juſtiſſimas horrendorum flagitiorum pœnas cum furoris ſui ſociis daret ignitis forcipibus diſcerptus ac variè excarnificatus, ut qui non uno letho dignus eſſet, & hodieque in caveâ ſuſpenſus poſteritatem docet, *Diſcere juſtitiam & non temnere divos.*

XIX. Nec tamen ſive horrendis iſtis Anabaptiſmi fructibus, ſive clade Monaſterienſi Anabaptiſtarum animi in diverſis Belgii Provinciis fracti fuêre, & quamvis Monaſterienſium furores à ſe damnari multi profiterentur, certum tamen, & Doctores eorum præcipuos à Monaſterienſibus Prophetis ſubmiſſos in Provincias fuiſſe, & *Mennonem Simonis*, utut in Monaſterienſibus multa damnaret, eos tamen pro fratribus, quamvis infirmis agnoviſſe, & profeſſum fuiſſe, cladem illorum non obſtitiſſe quo minus Deum haberent propitium Et ſanè *Menno Simonis* ex *Ubbonis Philippi*, iſte è *Bartholomæi Compactoris* Schola prodiit, cujus Apoſtolatus ad *Joannem Matthiam* celebrem Monaſterienſium Prophetam refertur, à quo ille primò cum *Theodorico Cuypero*, *Claſſio Alcmarienſi*, aliiſque emiſſus fuit. Quantoperè verò factioſus ille Spiritus in *Friſia* & *Hollandia* tumultuatus fuerit, quos motus Amſtelodami præſertim, & hic Leidæ, immò per Bataviam paſſim & Friſiam excitarit, & quàm nefarias molitiones in urbium iſtarum perniciem ſtruxerit, docet prolixe *Lambertus Hortenſius* libro citato. Et quamvis tumultus iſti in capita Authorum ſuorum reciderint,

rint, & à Magistratu ac verbi divini Ministris furoribus passim occursum fuerit, ita altas tamen in Provinciis istis radices hoc hominum genus egit, & simulata simplicitatis, sinceritatis, humilitatis & charitatis singularis specie, & peculiari erga sacrum Dei verbum religione plebejorum præsertim animos dementavit, & in hodiernum usque diem dementat, ut homines etiam multi non mali, & pietatis studio flagrantes, Prophetarum istorum partibus accedant, & Reformatorum multorum licentiam in Reformatæ doctrinæ præjudicium vertant; Quin etiam Doctores eorum Confessionibus & scriptis partim *Didascalicis*, partim *Apologeticis*, partim *Elencticis* erroribus suis hodieque patrocinantur, adeò ut omni opera ei rei intercedendum, & solicita cura providendum sit, quî in errorem abreptæ, vel errori innutritæ conscientiæ Deo denuò lucrifieri possint, & à contage simili præservari illi, quos hactenus pestilens illud sidus nondum afflavit.

XX. Ut verò Babelis veteris Architecti linguis inter se confusis, scelus suum pœnamque commeritam ipsi publicavêre: sic pari ratione non scotomate tantùm singulari Deus Anabaptistas percussos, verùm etiam linguas eorum divisas voluit, & justissimo judicio permisit, ut non tantùm Sectarii isti à se invicem discederent, & in partes abirent, verùm etiam ut mutuo infestis animis calamisque, velut Madianitæ novi, inter se concurrerent, & anathematismis mutuis in propria viscera sua grassarentur. Nec tantùm Anabaptistæ Moravi à se invicem abeunt, verùm etiam Belgæ inter se scissi, alii in aliorum familias fulminant, & ob leves etiam causas in se mutuo anathemata stringunt. In Sectarum omnium, in quas hoc regnum divisum est, nomina, ποιότητας & dogmata, quibus à se invicem discedunt, inquirere, tædiosæ admodum indaginis foret, immò vix ulli ἐφικτόν nisi sacris hominum istorum tincto, innutritoque. Id quidem in confesso est, classes multas jam olim numeratas, hodieque adhuc numerari Anabaptistarum, quæ nomen traxêre vel à *Doctoribus*, quorum placita potissimùm sequuntur, vel à *vitæ genere*, quod profitentur, vel à *locis* in quibus receptum habuêre.

XXI. Ad *primam Classem* quod attinet, quidam vocabantur jam olim *Muntzeriani*, qui sub seditioso isto Doctore, immò Duce, nomina sua professi, se impiis ejus dogmatibus, & flagitiosis molitionibus implicuêre. *Huttitæ* dicti alii à *Joanne Hutto*, qui Magistri exemplo, *se corporalem Dei Israëlem* vocabant, *visiones* jactabant & *enthusiasmos*, sed diros & tragicos, *Chananæos omnes gladio exscindendos, judicii diem instare, tubam Angeli audiri.* Hinc multi ex iis facultates suas prodigere cœpere, ut non protuturam seculo futuro sarcinam. Sed qui postmodum spes inchoare longas jussi, se ad extremam inopiam redactos, & Magistri insaniam suamque credulitatem magno sibi constare, serò nimis animadvertêre. Aliis nomen hæsit *Augustinianorum* ab *Augustino* quodam, homine Bohemo, qui animas fidelium à visione Dei, ante ultimum judicii diem, exclusas, & cœlum nondum reseratum esse, præterea dogmata alia fanaticis aliis communia, asserebant.

XXII. Alii

XXII. Alii vocati fuêre *Hoffmanniani à Melchiore Hoffmanno* homine versatili, & facundiâ populari instructo, qui Argentinæ inclarescere cœpit, & ingentem discipulorum turbam post se traxit. Huic Patriarchæ etiam eorum, qui in inferiori Germaniâ succreverunt, Anabaptistarum tradux adscribi solet. Postquam enim Embdam concessisset Anno cIɔ Iɔ XXVIII, & ibidem merces suas multo mangonio, & singulari, quâ pollebat, eloquentiâ fucatas extrusisset, magnus hominum ad novitates prurientium confluxus, & ingens ad novam Sectam accessio facta fuit, ac tanta Euangelistæ illi conciliata authoritas, ut à discipulis suis haberetur pro Eliâ mittendo in terras ante ultimum judicii diem. Argentoratum, ob vaticinium senis cujusdam Frisii, reversus, & Anabaptismum publicè professus, Ecclesiam Argentinensem non parum turbavit. Synodo super eâ re coactâ Mense Junio Anno cIɔ Iɔ XXXII, ad publicam cum Verbi Ministris Disputationem admissus fuit & dogmata ac somnia hominis fanatici confutata. Quum ne sic quidem quiesceret, & Anabaptistæ Argentoratum novam *Hierosolymam* esse jactarent, in qua novum *Christi regnum* erigendum foret, & *Cornelium Poltermannum* velut Enochum Eliæ illi adjungerent, ac res ad turbas spectaret, *Hoffmannus* in carcerem à Magistratu compactus fuit. Ex quo Anabaptistæ eum cum 144000. signatorum egressurum jactabant, qui terram percussuri essent anathemate, & obices omnes sibi objectos perrupturi. Eliam etiam & Enochum suum *duas faces* futuros & *oleas duas*, quibus nemo possit nocere, & siquidem id molirentur homines, igne ex ore eorum consumendos esse. Quum verò nequicquam exspectassent isti Prophetarum filii sui Eliæ liberationem, tempore à Vatibus aliis prædicto, *Hoffmannus*, ne fides sibi periret, vel suis fiducia, è carcere scribere cœpit, suis per biennium quiescendum esse, exemplo Esdræ & Aggæi, quorum opera templo Dei instaurando impensa pari ratione biennio cohibita fuerit, donec Deus excitârit Spiritum Cyri. Additâ itaque erroribus suis pertinaciâ, tandem in carcere fato functus omnes suorum spes elusit. Dogmata *Hoffmanni* præcipua fuêre: *Verbum non assumpsisse carnem ex Maria Virgine, nec ex carne ejus, peccato quippe infectâ & maledictâ: Christum unam tantùm naturam habuisse. Salutis assequendæ rationem esse ἐφ' ἡμῖν, & eam à libero arbitrio vel perfici, vel excuti. Pædobaptismum ab hoste potius Dei hominumque quàm à Deo esse.* Ad hanc classem pertinent etiam *Gabriëlitæ* & *Hutteriani* Anabaptistæ Moravi, à Doctoribus suis ante nominatis his nominibus insigniti. Sic *Mennonitæ* alii ex Anabaptistis jam olim dicti, hodieque dicuntur à *Mennone Simonis* celebri Anabaptistarum Apostolo, qui ex quodam Frisiæ pago propè Harlingam ortus, è Papatu quidem emersit, sed Anabaptisticis erroribus immersus, circa ortum humanæ Christi naturæ, Pædobaptismum, Magistratus officium, & alia id genus dogmata, non tantum Hæreses varias amplexus est, verum etiam eas voce, colloquiis, scriptis passim disseminavit, & quamvis cum *Martino Micronio*, *Wismariæ* Anno cIɔ Iɔ LIV. solenni Disputatione congressus, nullâ sophistica vim veritatis vel eludere posset, vel declinare, in suis tamen erro-

ribus spargendis & defendendis perstitit, donec Lubecam inter & Hamburgum Anno cIↃ IↃ LIX. vel, ut alii volunt, cIↃ IↃ LXI. sexagenario major Oldesloæ obiret. Inconstantiam & contradictiones vertiginosi istius Doctoris, & scripta *Mennonis* docent, & Doctores Orthodoxi satis superque demonstrarunt. Ab hoc *Mennone* plerique Anabaptistæ Belgæ *Mennonitæ* vocari vulgò solent, quamvis non omnes ex iis hujus Doctoris placita sequantur. Propriè dicti *Mennonitæ* in partes etiam ivêre, & alii ex iis *Mennonitæ Veteres*, *Recentiores & Juniores* alii dicti fuêre.

XXIII. His Anabaptistarum classibus, quæ à Doctoribus nomen suum traxêre, accenseri etiam solent à quibusdam I. *Servetiani*. II. *Georgiani*. III. *Swenckfeldiani*, propter Catabaptismum, Anabaptismum, Enthusiasmos, & dogmata multa heterodoxa, quæ cum Anabaptistis communia habuêre. *Servetiani* sic dicti à *Michaële Serveto* Hispano, qui ob execrandas & ἀθέους in S. Trinitatem, & Dei Filium blasphemias, summâ cum obstinatione effusas, & flagitia alia, non solo *Calvini* summi & sanctissimi Theologi impulsu, quod à quibusdam, ex merâ ærugine, spargitur, sed maturo consilio, & re cum Rebuspublicis & Ecclesiis Helveticis communicatâ, Genevæ exustus, impiam animam inter blasphemias in rogo adhuc sparsas effudit, & Pontificiorum æquè ac Euangelicorum judicio dignissimus habitus fuit, qui ultricibus flammis periret.

XXIV. *Davidiani* verò à *Davide Georgio* Delftensi Batavo nomen habuêre, impostore famoso, & horrendarum blasphemiarum æquè ac propudiosarum libidinum Magistro, qui eousque audaciæ & impietatis progredi ausus fuit, ut, præter dogmata quædam alia, in quibus cum Anabaptistis conspiravit, se pro Christo Dei venditare, æterno æterni Dei filio præferre, sibi vaticinia Prophetica de Christo Servatore à Sanctis Dei viris enuntiata applicare, & fanatica ac impia dogmata sua sacrosancto Dei verbo anteferre ausus fuerit, homo ἀλητοειδής, immò portentum & dehonestamentum generis humani. Quas blasphemias cum deliriis aliis in *librum Mirabilium* congessit, ubi etiam docet, Doctrinam in Scripturâ sacrâ traditam, imperfectam, immò puerilem & carnalem esse, & velut in infantiâ mundi traditam. Et quamvis blasphemiæ istæ vix ulli mortalium persuaderi posse videantur, dici tamen satis non potest, quantam hominum multitudinem in partes suas pertraxerit flagitiosissimus mortalium; duobus potissimum mediis: I. Externâ vitæ sanctimonia, & assiduo ac ardenti in speciem preces ad Deum fundendi studio. II. Cauta & versuta dogmata sua dispensandi & instillandi aliis ratione, ab uno sensim sibi gradum struendo ad aliud, miris modis hominum credulorum animos invadendo, & fidem ac authoritatem sibi conciliando, nec horrenda ista mysteria nisi Mystis jam planè sibi obnoxiis, & secretò quidem, tradendo; quibus artibus, accedente decora quadam, & ad Majestatem composita vultus specie, innumeris manum adiit, & per ἐνέργειαν τῆς πλάνης multos per complures annos circumduxit, simulque discipulos suos argento emunxit, donec, blasphemiarum suarum pœnas meritas veritus, cùm

& à *Mennone Simonis* & à *Melchiore Hoffmanno* & ab Anabaptistis aliis graviter perstringeretur, ejurato nomine gentilitio, & nomine sibi novo *Joannis à Bruck* imposito, aliò sibi demigrandum duxit, ubi nec de nomine, nec de facie notus esset. Delegit verò sibi Basileam, Urbem inclytam, quò rerum suarum sedem transferret, & cùm, persecutionibus tum in his Belgii Provinciis in Reformatos passim grassantibus, se ex eorum exulum numero profiteretur, qui Christi causa solum mutare cogerentur, à pientissimo Magistratu, & exulibus ob Dei causam extorribus favente, receptum impetravit, cùm familia & Sectariis aliquot suis. Ubi virus suum texit diu homo sinuosus, & Magistratui fidem obstringendo, Ecclesiasticos cœtus frequentando, officiis variis multorum animos sibi conciliando, & liberali cultu, victu, satellitio etiam composito, suavi quoque ac prudenti conversatione, plebis simul, & illorum qui in dignitate erant constituti, gratiam occupando, tuto & splendidè quidem, suburbano sibi ultra amplas in Urbe ædes comparato, vixit, donec Anno Domini cIↃ IↃ LVI. circa Mensem Septembrem diris conscientiæ morsibus, & supplicii imminentis metu potiùs, quàm morbo contabuit, quum animadverteret & à peregrinis quibusdam Belgis Basileam confluentibus sibi larvam detrahi, & Sectariorum suorum etiam animos nutare. Quod mirum tamen esse possit, triennio demum post obitum istius impostoris, honestè in Æde Leonhardi tumulati, aulæo diducto fabula panditur. Blasphemiæ hominis scelesti deferuntur ad Senatum, Sectarii illius in Curiam accersuntur, quæstio habetur de defuncti nomine, patriâ, vitâ, doctrinâ, *Davidis*, & asseclarum ædes & scrinia excutiuntur, literæ & libri comportantur, Theologis & Jurisconsultis singula discutienda exhibentur. Blasphemiis & fraudibus plani illius detectis, solenni Senatus consulto schedæ & libri ejus omnes flammis ultricibus carnificis manu exuruntur, effigies facinorosi hominis curru ferali per compita circumducta rogo injicitur, cadaver infame in publicum supplicii locum ferretro inclusum deportatur, & in cineres redactum aboletur. Sectariis isti impostori antea familiaribus, qui se à Magistri blasphemiis alienos fuisse, & esse pertendebant, vitæ gratia fit à Senatu, ejusque prudentiâ & pietate obviam itur hæreseos istius contagi, omnes ejus disseminandæ viæ obstruuntur, & ejuratâ publicè in Templo nefarii Doctoris communione, ac dogmatibus, iidem ad sacra admittuntur. Cætera quæ ad hanc historiam pertinent executi fuêre *Joannes Wigandus* Episcopus Pomezaniensis, & Author Historiæ *Davidis Georgii* à Viro Cl. *Jac. Revio* hic publicatæ.

XXV. *Schwenckfeldiani* sic dicti fuêre à *Casparo à Schwenckfeld ab Ossigâ*, Equite Silesio, è Ducatu Lignicensi ex nobilissimo genere orto, qui se veræ Religioni docendæ propagandæque divinitus destinatum profitebatur, & ob singularem morum gravitatem, vitæ compositæ studium, & precum ardorem multorum animos sibi obnoxios habuit, *Valentinum* præsertim *Crautwaldium*, & *Sigismundum Wernerum* Professores & Pastores Lignicenses, quorum operâ in disseminandis dogmatibus suis usus fuit. Anabaptistis

baptistis *Schwenckfeldius* cum sequacibus accenseri solet, ob multas quas sparserunt positiones, Anabaptisticis conformes partim, partim affines. Docuit inter alia: *Naturam humanam Christi non esse creaturam, sed deificatam carnem*, vel *absorptam à divinitate*: Contrariam sententiam tuentes *Creaturistas* esse, *Scripturam literam mortuam esse*, secus docentes *Vocalistas* & *Literalistas* esse, *Illuminationes & revelationes magnifaciendas esse*: Accedunt dogmatibus illis ea quæ de *Pædobaptismo*, *Magistratu*, *Juramentis*, & *Missione* Pastorum commentatus est *Schwenckfeldius* LXXX libris quos de Religione linguâ patriâ publicavit. Quum verò à *Friderico* Lignicensium Duce A. CIↃ IↃ XXVII. proscriptus fuisset, præcipuas Superioris Germaniæ provincias peragravit, & Noribergæ, Augustæ, Ulmæ, Argentorati, aliisque in locis dogmata sua sparsit, & Nobilitatis vel in primis animos suadâ sua, & peculiari quadam sanctimonia sibi conciliavit: & adeò occupavit, ut hodieque in multis Germaniæ locis, præsertim in equestribus familiis, dogmatum istorum παντερπαραδόξων memoria, & occulta quædam veneratio hæreat. Obiit tandem septuagenario major in Suevia Anno CIↃ IↃ LXI. eo elogio cohonestatus, *Caput regulatum illi defuisse, cor bonum non defuisse*.

XXVI. A *vitæ genere & professione* diversa Sectæ variæ etiam inter Anabaptistas denominatæ fuerunt. Alii enim *Apostolici*, alii *Separati* à mundo, vel *Spirituales* merè, alii *Cathari*, alii *Silentiarii*, alii *Euchitæ*, alii *Adiaphoristæ*, alii *Enthusiastæ*, & *Ecstatici*, *Libertini* alii, alii *Hamaxarii* & *Borboritæ* vocari cœperunt. *Apostolici* nomen illud traxerunt ex eo quod se Apostolorum imitatores profiterentur, uxores, liberos, professiones, manuarias artes desererent, absque calceis, perâ, pecuniâ, hinc inde divagarentur, pedes invicem lavarent (unde & *Podonipta* dicti) & omnia juberent esse communia. *Separati à mundo* vel *Spirituales* vocati fuerunt, qui nolebant ulla in re configurari sæculo præsenti, sed in vestitu, cibo, somno, incessu sanctimoniam & singularitatem affectabant, conventus publicos, nuptiarum solennitates, convivia, musicam & alia id genus sæculi oblectamenta horrebant, immò risum omnem ex præscripto Sectæ & vitabant ipsi, & perstringebant in aliis. *Cathari* dicebantur, qui non infantes duntaxat à peccato immunes esse, sed etiam suæ sectæ homines adultos tales esse posse & debere, & ex talibus constare Ecclesiam contendebant. *Silentiarii* dicti fuerunt ii, qui non multiloquium tantùm vitandum censuêre, sed & privatas super religione concertationes, nec concionibus publicis locum esse docuêre, eò quod ostium occlusum esset, & tempora mala, nec mundus dignus, cui prædicetur Euangelium. *Euchitæ* dicti, qui vim omnem mala averruncandi, & bona in se derivandi transcribebant precibus, & illis solis vacandum contendebant, nec media conquirenda ad vitam secularem necessaria, sed à Deo immediate omnia exspectanda censebant. *Adiaphoristæ* illi censentur inter Anabaptistas, qui Pædobaptismum, jusjurandum, Politicorum munerum administrationem, externam verbi prædicationem, sacramentorum dispensationem & usum, fidei confessionem, & alia id genus referebant inter adiaphora,

docendo,

docendo, Spiritum supplere defectum rerum externarum, nec ob fidei professionem ulli de vitâ periclitandum. *Enthusiastæ* & *Ecstatici* dicti illi, qui præ aliis inspirationes divinas, ecstases, & secreta cum Deo colloquia jactant, prophetias suas pro Dei verbo obtrudunt, & eas scripto verbo præferunt, immò istud ex somniis suis dijudicandum contendunt. *Libertini* vocantur illi, qui à divinis & politicis legibus se per Christum exemptos gloriari, & communionem uxorum cum dogmatibus id genus aliis impuris promulgare, & praxi suâ confirmare non sunt veriti. *Hamaxarii* & *Borboritæ* dicti fuêre alii, eò quod, scissione facta à Mennonitis veteribus ob Anathematismorum severitatem, quosvis excommunicatos à Sectis aliis in communionem suam reciperent, & sic quodvis cœnum conveherent. Hujus sectæ authores fuerunt Anno CIↃ IↃ LV *Henricus Naeldemannus* & *Georgius Heyns*. Quid quod ante annos non ita multos *tres Sectæ* novæ inter Anabaptistas Flandros ortæ reliquarum numerum auxerunt, quæ in se mutuo anathematismis variis grassantur. Occasio divortii istius novi fuit subtilitas *Thomæ Beenckes* Franekeranorum Anabaptistarum Episcopi, qui domo quadam venum expositâ, amici eam sibi destinantis consilium elusit, eique callidus licitator arte prævertit. Hanc emptionem ut legitimam & sine dolo malo factam probarunt ex Anabaptistis multi, vel imprimis *Jacobus Petrus vander Meulen* Harlemensium Anabaptistarum Episcopus, improbarunt alii, & non solùm contractum illum, ut dolosum, damnarunt, verùm etiam fraudem illam excommunicatione dignam censuerunt. Et hac occasione à multis in partes itum, nec Sectarii defuêre utrisque. His verò inter se litigantibus intercessit Classis quædam tertia *mediorum* vel *neutrorum*, improbantium quidem emptionem illam ut cum fraude conjunctam, censentium tamen peccatum illud tanti non esse, ut excommunicationis rigorem mereretur. Interea tres istæ Sectæ, ut ut in præcipuis fidei articulis conformes, in se anathemata strinxerunt, & ejusdem communionis contesserationem sibi invicem pertinaciter negarunt.

XXVII. Ad *tertiam Classem* quod attinet, à *locis* etiam & *regionibus*, è quibus vel prodiere, vel in quibus nidulati sunt Anabaptistæ, & receptum habuêre, distributi jam olim fuerunt in *Germanos*, *Helvetios*, *Moravos*, *Belgas*: *Germani* itidem in *Suevos*, *Francos*, *Saxones*, *Monasterienses*: *Belgæ* in *Frisios*, *Flandros*, *Batavos*, *Waterlandos*: *Frisii* itidem in veteres & recentes. Immò & ab urbibus quandoque denominati fuerunt, & vocati *Antverpiani*, *Embdani*, *Franequerani*, *Leovardienses*, *Ziericzeenses* &c. Istorum omnium consensum vel dissensum sigillatim & accuratè percensere nihil attinet, nec verò id fieri facile potest, quum nihil versatilius sit isto hominum genere, & dogmata Theologica ab iis astragalorum instar hinc inde versentur, ipsi quoque ambiguis admodum phrasibus utantur, & mentem suam cothurnis variis involvant, levissimis etiam de causis, ob *excommunicationis* præsertim *dogma* & *praxin*, à se invicem discedant & in partes eant.

XXVII. *His* in antecessum expensis liquet, quibus Sectarii isti insigniantur *Nominibus*, & quâ de causâ iis insigniri soleant: Sunt verò ea vel *generalia* vel *specialia*: *Generalia* sunt *Catabaptistarum*, *Anabaptistarum*, *Enthusiastarum*, *Fanaticorum*, & *Libertinorum*. Patet verò *Catabaptistas* eos vocari, eò quod invehantur in Pædobaptismum, eumquè non solùm ut inutilem, sed etiam ut illicitum ex Dei Ecclesiâ proscriptum, velint: *Anabaptistas* verò, quod baptismum vel infantibus in tenerâ ætate, vel adultis extra coetus suos collatum, repetitum velint; & actu in illis repetant, qui se eorum sectis addicunt. Patet etiam eos *Enthusiastas* vocari ob ἐνθουσιασμοὺς, ἐκστάσεις, raptus & alia id genus, quibus & secretas ac divinas inspirationes affingunt, & ob quas somniis istis sive in Scripturæ expositione, sive in dogmatum fidei definitione, sive in specialium vitæ actuum directione non locum tantùm, sed & authoritatem ἀνυπεύθυνον esse, aliqui saltem ex iis voluerunt. Quâ de causa etiam *fanaticorum* nomen iis hæsit. *Libertinorum* verò nomen, ut patet, multi ex illis habent, sive à dogmatibus tantùm, quæ supra recensita, sive à *dogmatibus & praxi* simul, unde *Libertini* inter Anabaptistas alii *dogmatici* tantùm vocari potuêre, alii *Antitactici*, factiosi & *Epicurei*, quorum aliqui in potestates insurrexêrunt, alii promiscuum conjugum usum, & alia id genus impura & carnalia dogmata praxi suâ expresserunt. Nominibus istis *generalioribus* accedunt etiam *specialia*, alia à *Doctoribus*, à *vitæ genere*, vel *professione* alia, alia ab iis, in quibus sedem fixere, *locis*, quæ ex superioribus à nobis recensitis peti possunt.

FINIS.



DISPU-

DISPUTATIONES VII.

AD

QUINQUE

ARTICULOS

REMONSTRANTIUM.

LECTORI CANDIDO
JOH. CLOPPENBURCH.

Scriptæ ſunt hæ Diſputationes ad Quinque Articulos Remonſtrantium *anno ſuperiori, in uſum Collegii privati, quo ſatisfieret deſiderio præſtantiſſimorum Juvenum, S. Theologiæ Candidatorum, quorum pars magna erat Nationis Vngaricæ, qui flagitabant manuductionem iſtam, quâ penetrarent in cognitionem controverſiarum Belgicarum, quas pepererunt jam dicti Articuli, quos (prout jacent in* Remonſtrantia anno MDCX *exhibita) repræſentamus in calce hujus noſtræ opellæ. In qua hoc egimus & confidimus nos demonſtraſſe* ἀναντιῤῥήτως, *ſub controverſia de Divina Prædeſtinatione & capitibus ei adnexis, contineri illam alteram de Hominis peccatoris coram Deo Juſtificatione; quam non patiuntur nos acceptam ferre Juſtitiæ & Obedientiæ Chriſti nobis imputatæ* Quinque *dicti* Articuli, *ex mente* Remonſtrantium *intellecti. Primi enim Articuli ſententia explicata non poteſt non hæc eſſe,* Salutem ſalvandorum à Deo decretam eſſe, non ex Vocante, ſed ex Opere quo Deo vocanti paretur. *Secundi hæc,* Teſtamento illo, quod morte Chriſti obſignatum eſt, nulli individuo legatam eſſe plenam cum Deo conciliationem & hæreditatem vitæ æternæ: ſed viam tantum patefactam novo fœderi, in quo quilibet, per obedientiam mandatæ à Chriſto Religionis, plenam conciliationem & vitam æternam obtinere poſſit. *Tertii & Quarti hæc;* Nullas in Regeneratione novas qualitates aut habitus ſalvandis à Deo infundi, neque in Intellectum, neque in Voluntatem: ſed parere illos ſuo Marte Deo vocanti, atque eo pacto habitum Fidei & Novæ Obedientiæ acquirere. *Quinti denique hæc;* Nullam eſſe ex Fide Euangelii perſonalem certitudinem, qua ſalvandi ſciant ſe ſalvandos,

sed laudabile esse hic dubitare. *Breviter, Quinque Articulorum summa hæc est: Non posse soli Gratiæ in solidum acceptum ferri illum singularem fructum Electionis divinæ, Donationis Christi in mortem, Vocationis ad salutem, ac Perseverantis Amoris Dei, quo salvandi discernuntur discernenturve à damnandis, sed discerni illos solo usu singulari, universalis, aut saltem cum aliis etiam non salvandis communis, gratiæ Contra, in Ecclesiis Reformatis semper creditum est, hoc plane ad salutem esse necessarium, ut omnia divinæ gratiæ, nihil nobis hic acceptum feramus: & ut non in nobis, (quasi nos ipsos ab aliis discernamus, quod statuunt* Remonstrantes) *sed ut in solo Domino, qui nos solus discernit, humiliter gloriemur.*

Editionem peperit zelus pius Respondentis, qui cum per morbum diuturniorem à commilitonibus abfuißet, reversus typis illas exscribendas, sibique de iis publicè septies respondendum censuit, ut eo pacto & gratum faceret commilitonibus officium, & suam privatarum exercitationum jacturam publicis compensaret. Illum jam hinc peregre abiturientem Typographus monet, flagitari exemplaria, per Bibliopolarum aliunde scriptas literas, in gratiam studiosorum, qui symbolam etiam nostram de hoc argumento legere aveant. Hæc te, Candide Lector, scire volui, ne si quid forte occurrat, in quo prophetandi usi sumus libertate, aliud nobis fuiße propositum credas, quam familiariter, pro modulo nostro, armare in hac palæstra juventutem fidei nostræ commissam, contra communes veritatis hostes; salvo de quæstionibus nonnullis intercurrentibus aliorum judicio, si quid noverunt rectius istis. Vale. E Musæo nostro Franekeræ Frisiorum XXVIII. *Aug. Juliani*, CIↃ IↃC XLVI.

DISPU-

DISPUTATIONES VII.
AD
QUINQUE
ARTICULOS
REMONSTRANTIUM.

DISPUTATIO PRIMA
AD
Articulum Primum
SECTIO I.
DE
Statu Naturæ citra Gratiam Euangelicam.



Ratiæ Euangelicæ accurata meditatio flagitat tractationem tripertitam. Spectantur enim thesauri Gratiæ, vel ut ante vocationem Euangelii in Christo ἀπόκρυφοι, vel ut exhibiti salvandis vocatis. In Christo ἀπόκρυφοι rursum spectantur, vel ut ab æterno destinati salvandis per Dei secundum Electionem propositum, vel ut obsignati & reconditi in Testamento condito in Morte Christi.

II. Tripertitæ isti tractationi debentur Loci Theologici ex ordine quatuor. *I. De Electione gratuita II. De Morte Christi. III. De Vocatione efficaci. IV. De Perseverantia Sanctorum.* Quos, in *Quinque Remonstrantium Articulis* damnatis, à corruptelis vindicavit Synodus Dordrechtana.

III Flagitant autem loci isti Theologici omnes *Collationem Naturæ & Gratiæ*, ut asseratur Deo Gratiæ suæ dispensatio liberrima, quippe indebita homini in statu Naturæ considerato: quod fit ista Hypothesi, quæ facit *in Judicio Synodi Articuli I. Canonem primum. Cum omnes homines in Adamo peccaverint, & rei sint facti maledictionis & mortis æternæ, Deus nemini fecisset injuriam, si universum genus humanum in peccato & maledictione relinquere ac propter peccatum damnare voluisset: juxta illud Apostoli, totus mundus est obnoxius condemnationi Dei. Rom* III. 19. *Omnes peccaverunt & destituuntur gloria Dei v.* 23. *& Stipendium peccati mors est.*

IV. Ha-

IV. Habet hypothesis illa Antithesin contra *Pelagii hæresin*; qui contendebat, uti *Augustinus* refert Ep. CVI. *Adamum sive peccaret sive non peccaret moriturum fuisse*; & *Quod peccatum ejus ipsum solum læserit, non genus humanum*; & *Quod neque per mortem, neque per prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur*. Quam hæresin adoptarunt *Anabaptistæ*, aliique.

V. Vis veritatis cogit *Remonstrantes* invitos fateri; *Peccatum Adami a Deo imputatum dici posse posteris ejus, quatenus Deus posteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit, obnoxios nasci voluit; seu quatenus Deus malum, quod in pœnam Adamo inflictum fuerat, in posteros ejus dimanare & transire permisit*. Verum dimanationem istam seu propagationem mali explicant illa *naturæ conditione, quam ex Adamo peccatores trahunt, quæ privata bono gratiæ & gloriæ, non aliter quam posteros eodem bono privatos proseminare potest. Apologiæ pag.* 57.

VI. Atque ibidem negant *se offendi, si* (scilicet sano sensu) *dicatur, Deum omnes Adami posteros sub morte potuisse relinquere si voluisset*. Verum profitentur *se offendi, quando dicitur illa Mors æterna, ex sensu* apud Euangelicos recepto, *ut scilicet complectatur mortem æternam corporis & animæ cum sensu pœnæ conjunctam*. Ac negant strenue *illam Adamo denunciatam fuisse, verbis istis, morte morieris aut usquam aliis*.

VII. Asserunt autem *denunciatam Adamo* directe *Mortem corporalem, sive dissolutionem animæ & corporis, quam præcedunt mala omnia ad mortem disponentia: & quam deinde æterna pœna damni, id est divinæ visionis sive gratiæ & gloriæ privatio consequitur*. Aliam in hac de Adamo quæstione Mortem æternam se agnoscere negant. Ac porro profitentur se offendi, quando dicitur *Deum non tantum jure id potuisse, sed etiam reipsa voluisse & velle quotidie, relinquere sub æterna morte non paucos*.

VIII. Atqui manifeste hoc quidem dicitur cum Scriptura, quæ affirmat, eos qui non salvantur *manere in morte*. 1 *Joh*. III, 14. *Qui non diligit fratrem manet in morte*. Cum quo loco conferendum illud *cap*. II. 9. ἐν τῇ σκοτίᾳ ἐστὶν ἕως ἄρτι, *in tenebris est usque adhuc*; item, *iram Dei super ipsos manere Joh*. III. 36. cum sint *natura filii iræ, metui mortis per omnem vitam obnoxii. Eph*. II. 3. *cum Hebr*. II. 15.

IX. Refellitur porro *Remonstrantium* ista inficiatio, hac demonstratione ex Scripturarum analogia: quod gratis annunciatur in Euangelio fides per quam credimus in Christum ῥυόμενον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης, *eruentem nos & liberantem ab ira ventura* 1 *Thess*. I. 10. *cum Matth*. III. 7. si nulli relinquuntur sub morte, & sub ira illa quæ Euangelio revelata est, sed nova est per Euangelium denunciatio mortis & iræ venturæ. Neque ex eadem hypothesi verificari potest, quod docet Johannes liberationem salvandorum fieri per μετάβασιν, seu transitum ex morte in vitam. *Nos scimus* ὅτι μεταβεβήκαμεν, *nos transiisse ex morte in vitam*. 1 *Joh*. III. 14.

X. Utramque autem & juris & facti quæstionem, de relictione sub morte æterna cum pœna sensus, odiose per ἀπαγωγὴν trahunt ad *infantes in infantia morientes*. Et profitentur, *se hic æquare infantes Ethnicorum infidelium*,

lium, infantibus fidelium Christianorum, nec tamen à se destrui naturam fœderis gratuiti. Apologiæ pag. 87. Atqui non solos infantes sua ista hypothesi liberant pœna omni sensus æterna, sed omnes quoque adultos Ethnicos morientes in peccatis actualibus, sine vera veri Dei aut Christi notitia. Quia alia ipsos manere non potest mors æterna, quam quæ Adamo denunciata est.

XI. Quidquid sit autem *de Infantium Ethnicorum morte æterna*, an absque an cum pœna sensus futura; saltem Ethnicis adultis damnatis Mors æterna accidere non potest sine pœna sensus. Nisi inficias eant Remonstrantes cum *Socino, post hanc vitam ita per se subsistere Animam sive Animum hominis, ut præmia ulla pœnasve sentiat, vel etiam ista sentiendi sit capax*, atque sic *nihil quidquam immortalis vitæ in homine agnoscant per creationem naturæ. Socinus in Epistolis pag.* 484.

XII. Stabilita enim vera Animarum Immortalitate, homo qui cum conscientia peccati mortuus est, non potest non post hanc vitam sentire iram Dei. *Vermis ille non moritur. Marc.* IX. 44. 46. 48.

XIII. Accedit quod, extra μετάβασιν ex morte in vitam per gratiam Christi, Apostolus affirmat Diabolum habere τὸ κράτος τοῦ θανάτου *imperium mortis Hebr.* II. 14. Jam nullum est illud imperium Diaboli carnificis, nisi ad torturam & carnificinam, & consequenter ad pœnam sensus. Et quidem etiam post mortem corporalem; nisi fingamus, non in solis salvandis per mortem Christi, sed in quibusvis extra Christum in Adamo morientibus, imperium mortis quod habet Diabolus ipsa illorum morte corporali aboleri.

XIV. Omnino autem destruitur natura Fœderis gratuiti, quando hic æquantur *Infantes Ethnicorum infidelium* & *Infantes Christianorum fidelium*. Promissiones enim Fœderis manifeste hos ab illis separant; *ero Deus tuus & seminis tui Gen.* XVII. 7. *Vobis & liberis vestris facta est Promissio hæc. Act.* II. 39. Quæ quidem Promissiones non patiuntur parentes fideles de infantium suorum morientium salute magis dubitare, quam de sua in Christo morientium salute.

XV. Quamvis autem de Infantibus Ethnicorum Infidelium morientibus judicium, ejúsque temperamentum quoad pœnam æternam sensus, ut arcanum, Deo libentes relinquamus: hactenus tamen revelatum habemus Dei verbum, ut cum infantibus fidelium Cœlum illis asserere nefas sit. Non patitur hoc Apostolus, illos pronuncians τέκνα ἀκάθαρτα, *liberos impuros esse* 1 *Cor.* VII. 14. Nec Christus ipse docens cœlum ingressuris nova regeneratione opus esse *Joh.* III. 3. 5. citra quam *Caro* sint, quæ *hæreditatem regni Dei accipere non potest.* 1 *Cor.* XV. 50. Contra, qui vel uno parente fideli nascuntur illos Apostolus pronunciat τέκνα ἅγια *liberos sanctos.* 1 *Cor.* VII. 14. Et illis Christus asserit *regnum cœlorum Matth.* XIX. 14. & *Marc.* X. 14.

DISP. I. SECTIO II.

DE

Vocibus Electionis, Prædestinationis, & synonymis.

INitio de Voce *Electionis* præcognoscendum, an notet principali scripturæ usu æternum Dei de Gratiæ dispensatione decretum? An actualem in tempore exemptionem & segregationem illam, quâ salvandi evocantur ad Gratiæ fruitionem.

II. Sua quidem analogia, & in hoc argumento etiam Scripturæ usu, vox Electionis in significatione propria notat *exemptionem, & segregationem, at sequestrationem* illam. Et hac quidem notione videtur accipiendum illud *Joh.* XV. 19. *Ego elegi vos ex mundo*; & illud quod antecessit *v.* 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*; item *Joh.* XIII. 18. *Ego novi quos elegerim*; & Pauli illud 1 *Cor.* 1. 27. *Sed stulta hujus mundi elegit Deus.*

III. Verum neque perpetua est significatio illa propria, neque illis ipsis locis ita præcisa, ut excludatur consignificatio æterni decreti, quod per actualem illam segregationem in tempore exsequutioni mandatur.

IV. Frequentiori ergo Scripturæ usu à significatione illa propria per metonymiam translata est vox Electionis, ut accipi non possit nisi de Æterno Dei decreto. Quod sine omni exceptione liquet *Ephes.* 1. 4. cum dicitur, *sicut nos elegit in ipso ante jacta mundi fundamenta.* Et habemus hic confitentes *Remonstrantes. Declar. Synod. Art.* 1. *pag.* 3.

V. Hac porro analogia nominat Apostolus ἐκλογὴν τῆς χάριτος *electionem gratuitam Rom.* XI. 5. loquens de reliquiis, sicut olim ita & hoc tempore, salvandis: intelligens Dei consilium æternum, secundum quod in tempore gratiam dispensat. Quod vocat τὴν κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσιν, *Propositum Dei secundum electionem. Rom.* IX 11.

VI. Eodem autem nomine per alteram metonymiam, ipsi salvandi Electi Apostolo dicuntur ἡ ἐκλογὴ *Electio Rom.* XI. 7. Vox autem ἐκλεκτοὶ, *Electi*, exstat passim, ut *Matth.* XX. 16. XXII. 14. XXIV. 24. & 31. *Marc.* XIII. 20. 22. 27. *Luc.* VIII. 7. *Rom.* VIII. 33. *Col.* III. 12. 2 *Tim.* II. 10 *Tit.* I. 1. *Apoc.* XVII. 14. Circa quam vocem inanis est ab *Hubero* olim conficta distinctio, qua *nominaliter* alios, quam *participialiter*, Scriptura vocet ἐκλεκτοὺς; paucos statuens ἐκλεκτοὺς, omnes autem ἐκλελεγμένους. Periphrasis enim Scripturæ ista, *Electi quos Elegit Deus*, hic præscribit. *Marc.* XIII. 20.

VII. *Remonstrantes* magis hoc urgent, locis illis insignioribus, quæ nos accipimus de æterno Electionis decreto, *notari tantum actualem in tempore segregationem.* V. G. 2 *Petr.* 1. 10. *studete vocationem & electionem vestram firmam facere.* Et 1 *Thess.* 1. 4. *Ut qui sciamus, fratres dilecti, à Deo Electionem vestram.* Sed frustra sunt. Est enim in priori quidem loco, non *per exegesin* vocationi adjecta electio; sed *per gradationem*, quæ temere negligitur, fit ascensio à vocatione ad Electionem.

VIII. Ad

VIII. Ad posteriorem autem locum futilis est ista *Remonstrantium* pro sua evasione cavillatio, quasi necessum sit scilicet ex nostra hypothesi, *Apostolum Electionem æternam asserere omnibus Thessalonicensibus ad quos scripsit.* Non magis enim hoc consequens est, quam illud sequitur ex *v.* 5. 6. 7. in omnibus & in singulis ad quos scribitur fuisse exemplarem illam obedientiam fidei, quam Apostolus asserit Thessalonicensibus.

IX. Paradoxon autem est & ἀπίθανον, quod *Remonstrantes* ibidem volunt, *nomen Electorum in Scriptura tribui etiam Judæis jam rejectis. Rom.* XI. 28. *Quod quidem ad Euangelium attinet, inimici propter nos,* κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν, *quod ad Electionem autem dilecti propter Patres.* Est illa Apostoli de Judæis oratio indefinita, eaque partitivè accipienda: suggerente Apostolo ipso illud ἀπὸ μέρους, *ex parte. v.* 25. Parti ergo populi Judaici, non illi cui accidit induratio, & rejectio, & inimicitia, eidem tribuenda dilectio secundum Electionem, sed alteri quæ habuit Patres fideles & nascituros olim & credituros seros nepotes.

X. Vox autem Electionis cum conjugatis suis jam vindicata Decreto Dei æterno duo notat. I. Æternam Dei decernentis actionem. II. Constitutam à Deo decernente ὁροθεσίαν seu positos Gratiæ terminos, quibus in tempore circumscripta esset Gratiæ dispensatio. Æternam Dei decernentis actionem solam directe exprimunt voces aliæ, quæ hic quasi synonymæ censentur. I. προορισμὸς *Prædestinatio* II. πρόγνωσις *Præcognitio.* III. πρόθεσις *Propositum.* Quibus singulis hoc commune est, quod propositio πρὸ *pro* seu *præ* notet præexistentiam æternam decreti divini ante omnem salvandorum existentiam.

XI. *Prædestinatio* προορισμὸς est à προορίζειν, quod est *ante determinare, præfinire, præstituere, prædeterminare Act.* IV. 28. I *Cor.* I. 7. quemadmodum simplex ὁρίζειν, *terminare, definire*, transfertur ad animi propositum *Act.* XI. 29. & usurpatur de divina Christi prædestinatione ad exercendum ultimo die judicium. *Act.* XVI. 42. *&* XVII. 31. Et ab ὁρίζειν Decretum Dei dicitur & simpliciter τὸ ὡρισμένον *Luc.* XXII. 22. & ὡρισμένη βουλὴ *Act.* II. 23. ibi, *quod determinatum est*, hic *determinatum consilium.* Usurpatur autem antonomastice vox *Prædestinationis*, pro gratuita *Electione* salvandorum *Rom.* VIII. 29. *& Eph.* I. 5. quippe quæ illustre est exemplum Prædestinationis divinæ; cum per se prædestinatio notet quodvis æternum Dei decretum.

XII. *Præcognitio* πρόγνωσις legitur I *Petr.* I. 2. & verbum προέγνω *præcognovit. Rom.* VIII. 29. *&* XI. 2. Notat autem hic non simpliciter actum intellectus, sed decretum voluntatis divinæ, quo elegit quos voluit. Ac placet nonnullis ut τὸ γινώσκειν ex Hebræorum idiotismo sit *agnoscere & gratum habere*, ut *Ps.* I. *& Matth.* VII. At secus censet *Beza*; *quia transfertur* πρόγνωσις *ad ea quoque quæ, sicut optima sunt quoad Dei decretum attinet, ita hominum respectu sunt summa maximaque scelera, ut Act.* II. 23. *dicitur Christus* προγνώσει τοῦ θεοῦ *proditus & impiorum manibus crucifixus fuisse.* Existimat ergo rectius τὸ γινώσκειν hic esse *sciscere, id est, scienter ac prudenter sancire & decernere. Beza tractatu in Rom. IX.*

XIII. *Propositum* πρόθεσις *Rom.* VIII 28. *&* IX. 11. *Eph.* I. 11. 2 *Tim.* I. 9. habet analogiam significationis illam, qua verbum simplex τιθέναι est *ponere in animo, statuere, decernere, destinare* 1 *Thess.* V. 9. *&* 1 *Petr.* I. 8. & similiter compositum προτιθέναι *proponere. Eph.* I. 9.

XIV. Ad æternam Dei decernentis actionem (quatenus illa θεοπρεπῶς consideranda venit, convenienter divinæ perfectioni & simplicitati) non autem ad definitam Dei decreto ὁροθεσίαν Gratiæ, spectat Disquisitio inter Orthodoxos controversia de Prædestinationis hominum Objecto, an infra lapsum præciso, an vero ejusmodi ut complectatur etiam hominem creabilem & labilem: adeo ut sine præcisione ulla Deus decreverit complexu unico totam à creatione prima, usque ad terminum vel glorificationis vel damnationis æternæ, seriem vel salutis vel damnationis.

XV. Posterius illud nos censemus esse θεοπρεπὲς, quamvis præcisionem infra lapsum commodam esse censeamus, quando tractandum venit definitum Electionis & Reprobationis subjectum, in ipsa Gratiæ ὁροθεσίᾳ. Censemus inquam illud esse θεοπρεπὲς; propter hypothesin, quam lubet verbis *Clar. Walei* exscribere. *Sicut Deus in scientia si[illegible]cis intelligentiæ omnia quæ fieri potuerunt & non potuerunt unico actu contem[illegible]atus est: ita etiam unico actu ex omnibus illis per unicum suum decretum selegit, quæ fieri voluit aut noluit, quæ facere decrevit, aut permittere atque ordinare.*

XVI. Frustra autem P. *M. in Anatome Arminianismi edit. primæ pag.* 88. *secundæ* 77. se expugnare censet indefinitum illud divinæ Prædestinationis Objectum homines creabiles labiles &c. argumentatione ista, *Si Deus elegit hominem creabilem, quid obstat quo minus dici possit eum aliquos elegisse quos nunquam creaturus est? nam hi quoque sunt creabiles.* Notavimus olim manifestam ἀσυλλογισίαν, quæ palpabilis est isthoc parallelismo, si Deus justificat hominem sanctificabilem, quid obstat quo minus dici possit eum aliquos justificasse, quos nunquam sanctificaturus est? nam hi quoque sunt sanctificabiles. Indefinita quidem illa vera est, Deus elegit hominem Creabilem, sed non universalis illa, Deus elegit omnem hominem creabilem.

XVII. Est autem extra illam sententiarum dividiam, stabilitus in *Synodo Art.* I. *Canone* 7. consensus orthodoxus, de æterna ὁροθεσία, seu de positis divina Prædestinatione terminis Electionis gratuitæ, ad Electorum à Reprobis segregationem, ex communi utrisque statu naturæ miseræ & corruptæ.

XVIII. Est ergo, definitione à Synodo posita, *Electio immutabile Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta, ex universo genere humano, ex primæva integritate in peccatum & exitium sua culpa prolapso, secundum liberrimum voluntatis suæ beneplacitum, ex mera gratia, certam quorundam hominum multitudinem, aliis nec meliorum nec digniorum, sed in communi miseria cum aliis jacentium ad salutem elegit in Christo; quem etiam ab æterno Mediatorem & caput, salutisque fundamentum constituit: atque ita eos ipsi salvandos dare, & ad ejus communionem per verbum & Spiritum efficaciter vocare ac trahere, seu vera in ipsum fide donare, justificare, sanctificare & potenter in Filii sui communione custoditos,*

ſtoditos, tandem glorificare decrevit: ad demonſtrationem ſuæ miſericordiæ & laudem divitiarum glorioſæ ſuæ gratiæ, ſicut ſcriptum eſt. Epheſ. I. 4. 5. 6. & *Rom.* VIII. 30.

DISP. I. SECTIO III.

DE
Electionis gratuitæ Subjecto.

ELectionis gratuitæ *Subjectum* vocamus homines ſecundum voluntatis Dei beneplacitum Electos, quemadmodum *Objectum* Electionis vocamus non actu *Electos*, ſed *Eligibiles* omnes, quos ſi voluiſſet eligere potuiſſet Deus, ex quibus elegit quos voluit, rejectis aliis. Quos utroſque Electos & Reprobos ſtatuimus Subjectum divinæ Prædeſtinationis; quippe quæ utramque tum Electionem tum Reprobationem complectitur.

II. Subjectum ergo divinæ Prædeſtinationis ad vitam & ad mortem commune, eſt Univerſum genus humanum lapſu Adami cum Adamo morti obnoxium, ſine ulla cujuſquam naturalium Adami poſterorum exceptione, qui non ſit vel ad vitam vel ad mortem deſtinatus, aut tertiam claſſem faciat.

III. *Remonſtrantes* contra ſuis hypotheſibus *Prædeſtinationem ad vitam & ad mortem* iiſdem cancellis circumſcribunt, quibus *Electionem ad Gratiam*, quam *ab Electione ad Gloriam perperam divellunt.* Ac ſtatuunt, *illos tantum intelligi poſſe ac debere Prædeſtinatos ad vitam & ad mortem, quibus Gratia divina aut re ipſa jam facta eſt ut credere poſſint, & jam credentes in fide perſeverare ad finem uſque: aut quibus Deus paratus fuit Gratiam illam quæ ad Fidem concipiendam & conſervandam neceſſaria eſt, facere. Ne videlicet quis nobis*, inquiunt, *infantium, ſurdorum, amentium, rabioſorum, Indorum, aliorumque exempla hi alleget. Lex enim non lata aut non intellecta, cum intelligi non poſſit, non obligat. Rom.* x. 14. *Job.* xv. 22. *Declar. Synod. Act.* 1. *pag* 6.

IV. Indignum eſt omnino, quod infantes fidelium morientes ſic æquant infantibus Ethnicorum, ut etiam cum Indorum Gente illos objecto divinæ Electionis excludant.

V. Arcanum autem hoc ſubeſt iſti eliminationi Infantium, Surdorum, Amentium, Rabioſorum, Indorum, aliorumque, extra Prædeſtinationis ad vitam & ad mortem ſubjectum: quod illos omnes, etiam adultos, velint exemptos damnationi ad mortem æternam conjunctam cum pœna ſenſus, infligendam in extremo judicio. Cui fini non verentur *fidelium infantes morientes in infantia* ſtatuere *à Deo derelictos in conditione naturæ privatâ bono gratiæ & gloriæ: damnandos ſaltem morte æterna illa, quam ſola pœna damni definiunt.* Vide *Diſput.* I.

VI. De Indis aliiſque Ethnicis infidelibus, hoc quidem probant loca *Rom.* x. 14. & *Job.* xv. 22. damnandos illos eſſe minori pœnarum gradu,

quam quos sentient contemptores Euangelii. Sed minime efficitur nullam ipsos in morte æterna manere pœnam sensus. *Qui non novit voluntatem Domini sui & fecit digna plagis, cædetur paucis.* *Luc.* XII.48.

DISPUTATIO SECUNDA

In qua

Sectionis III. *Reliqua.*

De *surdis & mutis*, temere fit quod sine distinctione videantur omnes ad Garamantas & Indos relegare, ad æternam pœnam damni, sive sint fidelium sive infidelium liberi. Deinde quod negligatur quoque discrimen, quod dictat experientia, videlicet surdorum & mutorum, qui & nutibus & operibus piis spirant interiorem devotionem; & aliorum in quibus se prodit peccatum regnans per opera carnis. Illos quidni accenseamus Electis fidelibus & fidelium liberis ex promissione fœderis gratuiti? Illos autem dicamus relinqui in peccatis mortuos sub justa per Legem naturæ damnatione?

II. De *Amentibus* quoque *& Rabiosis* cum distinctione loquendum & sentiendum: nec æquandi omnes. Cum dictet experientia, esse quos mala conscientia & sensus reprobus, justo Dei judicio, agat in rabiem, ut canes rabiosos, qui non possunt non reprobis accenseri. Esse rursum alios, qui in amentiam aut rabiem incidunt divina castigatione tantum, homines pios & Deum timentes; quos eliminare extra subjectum Electionis gratuitæ impium esset.

III. Enimvero contradictionem implicat, quod comminiscuntur *actum aliquem Prædestinationis ad vitam & ad mortem, qui non sit prædestinatio hujus vel illius ad vitam aut ad mortem.* Est enim merum Non Ens Prædestinatio Non Entis, seu Individui Vagi, ad vitæ aut mortis terminum.

V. Jam, supposito Subjecto uniformi vero Prædestinationis ad vitam & ad mortem, videlicet universo genere humano, determinamus Subjectum uniforme Electionis gratuitæ, definito personarum illarum numero, quem definite novit solus Deus 2 *Tim.* II. 19. videlicet illis omnibus & solis, qui die novissimo secundum promissionem Euangelii glorificabuntur in vita æterna cœlesti. *Matth.* XXIV 31. & XXV. 34. cum *Rom.* VIII. 30.

V. Remonstrantes (excogitatis extra Scripturas distinctionibus Electionis, ut alia sit *generalis & indefinita*, alia *singularis & definita*, & hæc rursus, vel *incompleta*, *revocabilis*, *non peremptoria* sive *conditionata*, vel *completa*, *irrevocabilis*, *peremptoria*, seu *absoluta*, item, alia *ad fidem*, alia *ad salutem*) non patiuntur, ut Subjectum Electionis gratuitæ sit uniforme, aut complectatur omnes & solos salvandos & glorificandos. Quo facto auream illam salutis catenam dissolvunt, quam connectit Apostolus

Rom. VIII. 30.

Rom. VIII. 30. *Quos praedestinavit eos etiam vocavit, & quos vocavit eos etiam justificavit, quos autem justificavit eos etiam glorificavit.*

VI. Perimunt autem distictiones illæ omne illud τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς θεοῦ, *immutabilitatem consilii Dei*, quod, ut unicam animæ anchoram & consolationis solidæ fundamentum commendat Apostolus *Hebr.* VI. 17. 18.

VII. Deinde destruunt distinctiones illæ omnem in hac vita fidem Electionis immutabilis ad vitam & ad gloriam.

Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremoque funera debet.

Quod adeo illos non pudet, ut (quod infra examinandum erit) asserant Electionis ad vitam objectum non esse uniformiter omnes vere conversos & fideles ex quo conversi sunt & crediderunt: sed *in fide perseverantes aut morientes. Declar. Synod. Art.* I. *pag.* 6.

VIII. Atqui loco jam laudato *Hebr.* VI. 17. 18. Apostolus urget fruitionem solidæ consolationis, per demonstrationem ἐπιδεῖξιν immutabilis consilii Dei ex sensu spirituali Electionis, non demum in morte, sed jam in hac vita. Et confirmat illam Christus paraclesi illa, *gaudete vero potius, quod nomina vestra scripta sint in cœlis Luc* X. 20. & altera illa; *ne time parve grex, nam visum est Patri vestro dare vobis regnum. Luc.* XII. 32. Nec non Apostolus acclamatione illa ad Justificatos, credentes Christum pro se mortuum & excitatum: *Quis intentabit crimina adversus Electos Dei, Quis damnabit? Rom.* VIII. 33. 34. Non patiuntur illa testimonia divortium Electionis ad Gratiam Christi ab Electione ad vitam: quo posito damnarentur multi Electi. Quod suo loco refutandum in loco de Perseverantia.

DISP. II. SECTIO IV.

DE

Electionis Gratuitæ Objecto Formali.

AD uniforme Electionis Gratuitæ Subjectum, quod omnes & solos salvandos continet, disquirendum jam de Objecto Formali: quod naturæ ordine antecesserit ὁροθεσίαν seu positos à Deo Electionis terminos, quibus discrevit à damnandis salvandos, cum utrique essent Prædestinationis divinæ, vel ad vitam vel ad mortem subjectum.

II. Versatur Disquisitio ista circa hoc κρινόμενον, an in salvandis consideratis citra definitam ipsorum à Deo destinationem ad salutem, *prævisa* fuerit à Deo salvandorum *Fides aut opera bona*: qua Fide prævisa tanquam ratione Formali objecti, Deus, non antecedenter sed consequenter, ipsos discreverit à damnandis.

III. Nos minime negamus, esse ab æterno in mente divina prævisam Salvandorum Fidem salvificam, & Fidei fructus bona opera. Neque statuimus nos Decretum Electionis ad vitam æternam præcisum à destinatione me-

ne mediorum ducentium ad vitam. Elegit enim Deus salvandos ad salutem, *per Sanctificationem Spiritus, & Fidem veritatis.* 2 *Thess.* I I. 13. At negamus, Fidem illa methodo prævisam, ut illam prævisam consequenter excipiat præfinitio divina de salute donanda. Affirmamus autem, Deum ex liberrima sua prædefinitione prævidisse, quibus ipse Fidem omniaque ad vitam & pietatem donaturus esset.

IV. De Fide quidem, non illa sed ista methodo prævisa, assertionem nostram confirmat locus illustris. *Act.* X I I I. 48. *Et crediderunt, quotquot erant* τεταγμένοι *ordinati ad vitam æternam.*

V. In loco illo vocem græcam frustra torquet *D. Tilenus in notis ad Canones Synodi*, aliique: quasi τεταγμένοι sint εὔτακτοι *bene dispositi interiori cordis affectu, ac minime* ἄτακτοι *seu* ἀνυπότακτοι, *qui subjici nesciant.* Loci διάνοιαν perimit illa acceptio vocabuli formâ nominis verbalis, neglecta forma participii præteriti. Est enim aperta commendatio benedictionis divinæ quando ad Gentes se converterunt Apostuli, cum Judæorum dedignatione justa. Ut omnino interpretatio peti possit ex verbis aliis *Act.* I I. 47. *Dominus autem addebat quotidie Ecclesiæ qui salvi fierent.* Consentaneus autem est illi interpretationi usus verbi τάττειν pro τεθῆναι, relato ad animi propositum, ubi etiam de destinatione & designatione personarum sermo est. *Act.* X V. 2.

VI. Porro de Operibus, illa quam inficiamur methodo, prævisis, expressa est Apostoli inficiatio illa; *Gratia estis servati, per Fidem, idque non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus ne quis glorietur: nam ipsius opus sumus, conditi in Christo Jesu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis versaremur. Eph.* I I. 8. 9. 10. Et *Eph.* I. 4. *Elegit nos in ipso antequam jacerentur mundi fundamenta, ut essemus sancti & inculpati coram eo per charitatem.* Et 2 *Tim.* I. 9. *Qui servavit nos & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo ipsius proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæculorum.* Et 1 *Joh.* I V. 10. *In hoc est Charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexit nos, & misit Filium suum.*

DISP. II. SECTIO QUINTA.

DE

Sensu Capitis IX. ad Romanos.

MAnifestissime autem tam Fidem quam opera ante Electionem prævisa jugulat Apostolus *Capite IX. ad Romanos.* Ubi in hypothesi gemellorum fratrum Esavi & Jacobi, *nondum natis pueris*, inquit, *cum nihil fecissent boni aut mali, ut propositum Dei, quod est secundum Electionem, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret, dictum à Deo, major serviet minori; & Jacob dilexi, Esau vero odio habui. Rom.* I X. 10. 11. 12. 13. Et in Thesi mox ex Mose asserit, *Deum misereri quorum vult misereri, & indurare quem vult.* Ut electio *non sit volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Ac vindicat Deo, contra quasvis obmurmurationes humani ingenii, liberrimum

berrimum ad Electionem & ad Reprobationem jus illud Dominii, quod habet figulus in lutum, *ut ex eadem massa faciat aliud vas ad dedecus, aliud ad decus. v.* 19.20 21.22.

II. De liberrimo illo Dominii jure, quod habet figulus in lutum, *Seb. Castellio Dialogo II. de Electione edit. Goudanæ pag.* 113. nodum quem solvere non potest desperate secat, pronuncians, *se malle Jeremiæ credere quam Paulo &c.* Qua profana evasione perimitur uniformiter divina Auctoritas Scripturæ sacræ.

III. *Remonstrantes*, in suæ sententiæ *Defensione Synodali*, inter duas capitis istius explicationes fluctuant, quarum discordia est circa objectionem quam Apostolus præoccupat v. 6. verbis illis; *Fieri tamen non potest, ut exciderit sermo Dei*: ex qua Objectione aliter atque aliter accepta fluit alia totius capitis Analysis. Priori explicatione accipiunt objectionem sensu recepto; *Fore ut excidat sermo promissionis Abrahamo factæ, ero Deus tuus & seminis tui, si rejecto populo Judaïco Gentes fiunt populus Dei*: atque hoc saltem largiuntur contineri in resp onsione Apostoli, *à solius divinæ voluntatis arbitrio pendere, quem populum suum facere & habere velit, ac Deum sibi hanc libertatem plenariam atque integram semper reservasse, populum Judaïcum, licet non plus quam Gentes commeritum, rejiciendi & abdicandi, Gentiles vero, non meliores, sed forte etiam pejores & deteriores, vocandi. pag.* 78.

IV. Bene habet illud quidem, quod populi hujus præ illo Electionem in populum Dei, illius autem rejectionem & abdicationem, fateantur auctores istius explicationis, pendere à solius divinæ voluntatis arbitrio, non à prævisis bonis aut malis meritis, quibus hic populus illo melior sit vel deterior. Quod propter Scripturas credendum. *Deut.* VII. 6.7.8 & IX.6. & X.14. *Josuæ* XXIV. 2. & *Jer.* IX.25. *Ezech.* XVI. *Amos* III 2.

V. Enimvero, in illa liberrima electione populi hujus vel illius in populum Dei, vel rejectione & abdicatione, omnino statuit Deus exemplar & exemplum liberrimæ Electionis & Rejectionis, plurium individuorum quæ populum faciunt, ad salutem, vel à spe salutis.

VI. Illa autem plurium individuorum quæ populum faciunt Rejectio, esto, *causam habeat in illis quos primos Deus rejicit & abdicat, ut qui populus erant ultra non sint per suam Apostasiam*, quod nemo negat de Rejectione in tempore. Dato quoque, non concesso, decreto Reprobationis illorum Apostatarum, ex prævisa Apostasia. An statuemus ex primorum Apostatarum prævisa Apostasia eadem, decretam Reprobationis æterno decreto, Rejectionem & abdicationem individuorum aliorum, quæ ab illis Apostatis nascentur in multas generationes, V.G. in illis Gentibus in quibus antiquior est Gentilismus ipsis Reip. incunabulis, hodie in Indis aliisque nationibus, per secula aliquot destitutis omni luce Euangelii, ideoque omni vocatione ad salutem. *Eph.* II 12.

VII. Ex adverso, quem Deus primo Populum facit ex non populo, illum non aliter facit populum, quam per adductionem & collectionem individuorum singulorum ad Ecclesiam, ad Verbi prædicationem à singulis

Nn auditam,

auditam, dans incrementum in singulis 1 *Cor.* 111.6. & sic addens ad Ecclesiam salvandos. *Act.* 11.47.

VIII. Altera explicatione *Capitis IX. ad Romanos*, volunt *Remonstrantes*, *Objectionem illam, quæ est versu 6. non spectare proprie aut directe Judæorum Rejectionem, aut verbum promissionis, quod excidat, si Judæi non manent populus Dei. Sed volunt, ut Verbum Dei illud sit, quo Fœderis secundum Legem conventio olim constiterit, quod irritum fieri existimarint Judæi per doctrinam Apostoli, quæ erat, Justitiam & Adoptionem esse ex operibus Legis.*

IX. Ut, scilicet, summa responsionis Apostoli ista sit, *Doctrinam suam verbum Fœderis non evertere: quia Propositum Dei jam olim fuerit, homines peccatores, & Judæos quoque ipsos, non ex operibus legis, sed ex Fide in Christum justificare, adoptare, & salvare: ac Deum in eo non esse injustum; sed jus habere ac potestatem id faciendi liberrimam. pag.* 103. *&c.*

X. In hac explicatione πρῶτον ψεῦδος *Remonstrantium* est inficiatio omnis Fœderis Gratiæ, & Justificationis, Adoptionis, & Salutis per Fidem in Christum, ante Christum in carne exhibitum. Propositum enim illud Dei de Justificatione peccatorum, non ex operibus Legis sed ex fide in Christum, jam olim quidem fuisse dicunt: sed minime tamen intelligunt homines peccatores jam olim fuisse justificatos non ex operibus Legis, sed ex Fide in Christum. Pronunciant enim in *Apologia Cap. XV. fol.* 151. *verso Præceptum Fidei in Jesum Christum nuspiam in V.T. clare traditum exstare, uti neque in terminis Promissio vitæ æternæ in eo exstat*

XI. Ergo hoc volunt, Paulum Deo asserere jus ac potestatem liberrimam mutandi viam adoptionis & Justificationis veterem, novo præcepto Fidei in Christum. Quod ut tueantur, fingunt, *Apostolum ad id probandum usum testimonio illo, quo dictum est Abrahamo, non in Ismaële sed in Isaaco vocabitur tibi semen, minime in sensu literali, quem verba flagitant, sed in sensu allegorico.*

XII. Atque hic produnt ipsi, quam alienus sit sensus iste allegoricus, cum fatentur *se illum non recte percepturos unquam fuisse, neque quo pacto ex istis Apostolus adversus Judæos concludat id quod probandum erat, nisi divina, scilicet, per Apostolum accessisset interpretatio. pag.* 108.

XIII. Pro interpretatione autem divina dum ingerunt *verba illa, non qui secundum carnem filii sunt, ii sunt filii Dei, sed filii promissionis censentur in semine*; temere præscribunt de verborum illorum vero sensu, dum *Filios promissionis* interpretantur *amatores sectatoresque divinæ promissionis*, & *Filios secundum carnem, eos, qui secundum carnem h. e. ex Lege justitiam & adoptionem sectabantur: quemadmodum*, scilicet, *Rom.* IV. 1. 2. *idem significat secundum carnem, quod ex operibus. pag.* 111.

XIV. Enimvero, id quod Abrahamo dictum fuit, flagitat citra omnem allegoriam ῥητῶς illud, Deum Promissionem Seminis benedicti, in carnali genealogia Abrahami, liberrimo suo beneplacito destinasse lineæ Isaaci, neglecta linea Ismaëlis, atque inde etiam dictum *Deum Isaaci.*

XV. Jam indigitamentum illud, *Deus Isaaci*, secum trahit prærogativam adoptionis in filios Dei, illorum qui nomine Filiorum Promissionis

in Apo-

in Apostoli interpretatione intelligi debent: iidem quippe ut liberrima Dei adoptione in tempore suo segregati, ita Promissione divina designati filii & hæredes.

XVI. Per Filios autem secundum carnem, Apostolus intelligi debet significasse, communi quidem notione omnes qui secundum carnem ex Abrahamo oriundi erant: in antithesi autem illos, qui de sola illa carnis origine ex Abrahamo gloriari poterant, nec erant imitatores fidei aut operum Abrahami.

XVII. *Secundam rationem Apostoli similiter* volunt *allegoricam esse, qua Apostolus producit alterum divinum oraculum de Esavo & Jacobo Gen.* XXV. 21. *confirmatum testimonio Malachiæ* 1. 2. *ad Rom. IX. v.* 10. 11. 12. Et torquent Apostoli verba ad hoc idem πρῶτοι ψ... ; *Olim quidem operarios, nunc autem credentes in Christum Justificari, & in filios Dei adoptari.* Et affirmant, *periculum esse, ne ubivis, tum à proposito Apostoli, tum à scopo ab ipso expresso aberres, si quemcunque etiam proprium & literalem sensum accipias.*

XVIII. Volunt ergo, *sive ipsis gemellis, sive populis ex iisdem oriundis superstruas allegoriam, per majorem & seniorem significari, & præfigurari, populum seniorem, Filios veteris fœderis. Per minorem vero & juniorem, populum juniorem, novi scilicet fœderis filios: ac sensum esse, illos, ut qui ex Lege sunt, non fore hæredes, sed his hæreditatem obtingere oportere, qui ex Fide Euangelii, justitiam, filiationem, & salutem quærunt.*

XIX. Interim non possunt elabi, quin fateantur, *saltem versu* 11. *contineri liberrimum aliquod secundum Electionem propositum, quod tangit personas Esavi & Jacobi.* Verum, quod fateri coguntur, id torquent, ad *specialem aliquam dignationem, & separationem personæ, ad prærogativam aliquam, & dignitatem, sive eminentiam supra alium, citra omnem tamen exclusionem à salute æterna alterius non electi. Declarat, Sent. Artic.* 1. *pag.* 4.

XX. Refellitur vero hypothesis illa de Esavo rejecto à temporali tantum prærogativa, citra omnem tamen exclusionem à vita æterna: ex eo quod Christus ex illa Jacobi prærogativa, quod Deus se nominarit singulariter Deum Jacobi, demonstret Jacobo promissam resurrectionem ad vitam æternam *Matth.* XXII. 23 *cum Hebr.* XI. 16. Aut fatendum est ergo, odio Esavi etiam includi exclusionem ejus à vita æterna: aut negandum est, prærogativam illam, quod Deus se nominavit Deum Jacobi, pendere ab illo secundum Electionem proposito, de Jacobo diligendo.

XXI. Accedit, quod Esavum Apostolus alibi manifeste pronunciat reprobum, eumque facit exemplum iniquitatis, quam odisse debemus. *Hebr.* XII. 16. *Ne quis sit scortator aut profanus sicut Esau.* Quando ergo in persona ejus statuitur typus Rejectionis & destinationis ad odium, non potest non intelligi ejus exclusio à vita æterna, seu non potest esse nudus & umbratilis tantum typus, in ejus Rejectione & Odio quo ipsum odit Deus: sed necesse est, extra allegoriam, ipsum facere verum exemplum Rejectionis à spe vitæ æternæ, seu Reprobationis divinæ, oppositum vero exemplo veræ Electionis ad vitam in Jacobo fratre. Atque ex isto Apostoli

testimonio discenda omnino in exemplis istis methodus vera decreti liberrimi Electionis & Reprobationis.

XXII. Quandoquidem vero methodus vera propositi secundum Electionem, ab Apostolo asserta, hæc est; *non ex operibus sed ex vocante, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*: præscribitur perperam vocantis Dei libero beneplacito, methodo præposterâ, per quodcunque opus prævisum, quo Deo vocanti paret homo currens & volens.

XXIII. Quocirca neque esse potest Electio ex Fide prævisa, quando illam *Remonstrantes* definiunt, opere nostræ obedientiæ, quo Deo vocanti & præcipienti paremus.

DISP. II. SECTIO VI.

DE

Fide Prævisa.

ENimvero, ubi timide olim Fidem tantum prævisam urgebant in Electionis ad vitam objecto formali, cum dissimulatione ista, quasi intactam vellent Justificationis doctrinam receptam, tandem fecerunt Electionis ad vitam Objectum formale ejusmodi, quod necessario supponit Justificationem ex operibus Novæ Obedientiæ, quæ ad vitæ finem usque Novo Legislatori præstatur. Est enim ipsis *in Electionis Objecto Fides & Perseverantia in Fide ad mortem usque consummata per bona opera, conditio prævisa à Deo ut præstita ab homine, ac proinde tanquam causa sine qua non in hoc decreto consideranda. Conditio enim*, inquiunt, *præscripta & præstita necessario causæ alicujus rationem induit &c. Declarat. Synod. pag. 6.*

II. Ea propter non negant hic *Electionem ad gloriam sub ratione præmii & mercedis fidei & obedientiæ ab Electis præstitæ. pag. 7. 8.* Et, ne quid præter solum Meriti nomen desit, exserte dictavit jam olim *Poppius Augustæ Portæ p. 281. Quod Merces vitæ æternæ dabitur nemini, nisi consummaverint, neque* NB. *alio pacto, quam intuitu in illud ipsum plene consummatum opus.*

III. Assertioni isti Remonstrantium (*de prævisa, in Objecto Electionis ad vitam, Fide & Obedientia præstita ad mortem usque, ut Electionis Objectum sint Fideles in Fide perseverantes & morientes*) hoc subest arcanum: quod ne quidem omnes vere conversos, in vera & seria conversione morientes, fateantur uniformiter ad vitam æternam electos esse, sed tantum, illos, juxta Catechesis Socinianæ methodum, qui justo aliquo tempore supervixerint suæ obedientiæ primi illius mandati Christi, *unusquisque resipiscite*. Ut scilicet, ante mortis articulum, veræ conversionis operi impleto, successerit obedientia secundi mandati, *Credite Euangelio*, atque sic moriantur non in Conversionis sed in Fidei opere occupati.

DISP.

DISPUTATIO TERTIA.

IN QUA

Sectionis VI. Reliqua.

NEc tamen de morientibus in Fide id sine trepidatione, sed timide per *Videtur* pronunciat *Poppius*, *Opusculo posthumo de Mandatis Christi.* Hæret enim hic aqua, eo quod videatur isthoc casu (quando post veram conversionem etiam vere credentes ilico ex quo crediderunt, excedunt ex hac vita: ut non possit operi Fidei, in quo est obedientia mandati secundi, successisse justo tempore vita nova ad obedientiam tertii mandati Christi) Fides ante sanctificationem bonorum operum, adeoque sine operibus commortua homini morienti, & consequenter nihil profutura ad promissiones Euangelicas obtinendas, quippe quæ tantum factæ sunt Fidei vivæ per charitatem operanti.

II. Quidquid sit de morientibus in vera fide, sive illi uniformiter omnes, sine brevioris aut longioris vitæ reliquæ differentia, sive tantùm post justi temporis perseverantiam in fide morientes, statuantur ex *Remonstrantium* sententia Electi ad vitam æternam, ipsis definiendum relinquimus.

III. Quandoquidem saltem morientes in vera & seria, sed sera scilicet, conversione, *Poppius* eliminat à subjecto Electionis ad vitam æternam, per Spiritum vertiginis fit, ut, dum ipse cum sociis videri vult *in Prædestinationis objecto* hærere *formulæ Euangelii*, tamen censeat, fieri præter revelatam in Euangelio voluntatem Dei, si vitam æternam divina Electione assequantur, qui operi conversionis seræ, quantumvis seriæ immoriuntur. Atque pronunciet huc facere quod Apostolus dixit, *Capite ad Romanos IX. v. 18. miseretur cujus vult, & indurat quem vult*, nec non verba illa Christi *Matth.* XX. 16. *pauci electi*: adeoque *Deum hic uti libero Dominii jure in salvandis aut non salvandis, sero conversis. Angustæ portæ pag.* 299.

IV. Enimvero dum tueri satagunt *Gratiæ Christi & Promissionum Euangelicarum universalitatem*, hic in istum se conjiciunt labyrinthum, ut fabricent, juxta jam dicta, præter voluntatem Dei in Euangelio revelatam, istiusmodi Electionem & Reprobationem voluntatis arcanæ, propter quam profiteri necesse habent, (& non vererur profiteri *Poppius in praxi Consolationis ægrotantium*, quæ publice legitur) *se destitui adeo universali promissione Euangelica, ut per illam possit certa esse in cœlum migratio morientium in sera, quantumvis seria, & vera, cordis contritione, & resipiscentia: sed esse incertum & dubium, an tales cum Latrone illo sero vere converso migrent in Paradisum Luc.* XXIII 43. *an migrent ad inferos cum iis qui moriuntur in peccatis.*

V. Viderint *Remonstrantes*, annon illa, quæ ipsi nusquam non evomunt in doctrinam orthodoxam, plaustra convitiorum & blasphemiarum *de Deo Tyranno & Hypocrita &c.* rectius conveniant in illam ipsorum extra Euangelium confictam Prædestinationem vere conversorum, hujus ad vitam,

illius ad mortem æternam. Ex hypothesi quidem ista, credendum ipsis, donec morte abripiantur, *se electos ad gratiam, cum affectu ac voluntate communicandi gloriam ac vitam*; post mortem autem experiuntur plurimi affectum ac voluntatem Dei, qua ad inferos damnantur.

VI. Ut autem salva sit doctrina Orthodoxa gratuitæ per Fidem justificationis, Fides prævisa, ut conditio præscripta & præstita, non potest ingredi *Objectum Electionis ad vitam*, atque sic induere rationem causæ Sed contra *in Electionis definito Subjecto* statui debet, donum gratiæ à Deo donandum Electis, secundum Electionis propositum.

VII. Hoc pacto à divina Electione præveniri Fidem Electorum, non à Fide prævisa Electionem, confirmat porro Christi illa affirmatio; *Alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere; & vocem meam audient, fietque unum ovile & unus pastor Joh.* X 17. Similiter illa Domini affirmatio de Corinthiis Pauli prædicatione, nondum credentibus, sed credituris; *Quoniam populus est mihi multus in hac urbe. Act.* XVIII. 10.

VIII. Destruit quoque istam Electionem ad vitam ex Fide prævisa, ut conditione præscripta & præstita, quæ causæ rationem induat, Christus aperte docens, electos sibi à Patre dari in peculium, (prius quam fiant oves Christi per Fidem Euangelii) ut per Fidem Christo inserantur. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet. Joh.* VI. 37. 39. *Patefeci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi è mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti Joh.* XVII. 6. Et mox *v.* 9. *Pro iis rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

IX. Ex locis istis duobus prior aperte loquitur de omnibus: sed neque in posteriori ita ad Apostolos, qua Apostolos, adstrictus est sermo, ut torqueri possit ad nudam illorum *electionem & vocationem ad Apostolatum*, reliquis communem cum Juda proditore: quia Judam Christus excludit, illum contradistinguens omnibus quos ipsi dederat Pater. *v.* 12. Apostolis autem reliquis ad vitam electis associat eos omnes, *qui per sermonem ipsorum in ipsum erant crediturí v.* 20.

X. Flagitat hic vindicationem locus unus & alter insignis quem pro Fide prævisa urgent *Remonstrantes.* Primo quidem locus *Eph.* 1. *v.* 3. 4. & 5. ubi dicitur *in Christo* facta *Electio*: torquent autem ad suam hypothesin voces ἐν χριστῷ, & ἐν αὐτῷ, quas duplici explicatione conantur extorquere orthodoxis. Prior est *ex Collatione Hagiensi, ut* in Christo, *positum dicatur pro* existentes in Christo, *quam ellipsin faciunt* 1 *Cor.* III. 1. & 2 *Cor.* XII. 2. *quia nempe nemo est in Christo nisi per Fidem. Quos Deus elegit existentes in Christo, illi ante Electionem in divina præscientia fuerunt credentes.*

XI. Arqui non patiuntur interpretationem illam invicta Scripturæ loca ista, quæ Gratiam Christi, qua se tradidit pro nobis, faciunt priorem fide nostra; eamque asserunt *nobis datam in Christo ante tempora secularia*, ut peccatoribus per vocationem sanctificandis. 2 *Tim.* 1. 9. *Rom.* V. 8. *Eph.* V. 25. Quod hoc ipso loco expressum; *ut essemus sancti &c.*

XII. Altera *Remonstrantium* expositio est, qua videntur priorem retractare, exponentes *Præpositionem* ἐν *per* διὰ, *quod* affirmant *commodissime fieri & ex usu*

ex usu Scripturarum sacrarum. Verum conantur elabi interpretantes Electionis vocem *de Electione ad Gratiam, sive decreto divino eligendi, id est, eximendi & segregandi aliquando per vocationem Ephesios, ad communionem Gratiæ Euangelicæ; ex affectu illos per Christum salvandi, si modo crederent & officium præscriptum facerent.* Bene habet saltem, quod non fidant expositioni priori, quando *hanc potiorem censent. Defens. Synod. pag.* 60. 61. Retractant hoc pacto, velint nolint, ex hoc quidem loco demonstrationem Fidei prævisæ.

XIII. Extra ergo illam hypothesin, *de Electione ad vitam & gloriam ex Fide prævisa*, quam dictant hic, non docent *Remonstrantes*; ad prioris expositionis refutationem nobis sufficit, quod largiuntur, Præpositionem ἐν per διὰ commodissime, & ex usu sacrorum scriptorum, exponi.

XIV. Alteram autem pro expositione altera hypothesin, *de divortio inter Electionem ad Gratiam, & Electionem ad Gloriam*, refellit id quod præcessit *vers.* 3. *Qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo. v.* 4. *sicut nos elegit in ipso.*

XV. Orthodoxa autem loci interpretatio (ex concessa jam expositione ἐν χειστῷ per διὰ ἰησοῦ χειστοῦ, quod exstat, mox *vers.* 5.) hæc erit; factam in arcano Trinitatis consilio Electionem à Patre per Filium: ut intelligatur ipse quoque Christus, ut Dei Filius, auctor esse Electionis nostræ.

XVI. Thesin hanc ipse Christus docet alibi. *Ego elegi vos ex mundo Joh.* XV. 16. 19. *Non de omnibus loquor, ego scio quos elegerim. Joh.* XIII. 18. Quæ loca ad nudam electionem Apostolorum ad Apostolatum adstringi non patitur, illud maxime quod posteriori loco subnectitur de proditore Juda: *sed ut impleatur Scriptura &c. v* 19. 21. Ubi manifeste Christus sibi asserit arcanæ Electionis aliorum, Juda excluso, scientiam, indicio infallibilis præscientiæ proditionis Judæ, qua se demonstraret reprobum, juxta illud: *Noverat enim Jesus ab initio, quinam essent qui non crederent, & quis esset ipsum traditurus. Joh.* VI. 64.

XVII. Nos breviter negamus verbis illis, *in Christo*, notari *ullam in Christo existentiam, vel per Fidem* ex hypothesi *Remonstrantium, vel* (quod pro mantissa adjicimus) *ante Fidem*, ex hypothesibus Zanchii, *Polani*, aut *Walæi*, qua scilicet ante exstiterint in Christo, quam illos elegerit Deus. Sed *in Christo* notat vel Christum Patris *Coëlectorem*: vel accipienda sunt verba illa Pauli in illam sententiam, ut Deus dicatur in Christo elegisse, quos destinavit Christo inserendos, & per insitionem in Christum salvandos.

XVIII. Contra priorem expositionem à *Remonstrantibus* concessam disputat *Cl. Walæus in Loc. Comm.* tribus illis argumentis. I. *Quia vox Christi adhibita est, quæ respicit munus ejus Mediatorium.* II. *Quia etiam videmur dici eodem modo electi in Christo, quomodo dicimur benedicti omni benedictione spirituali in Christo, quæ quidem nobis confertur per Christum, non simpliciter ut Filium Dei consideratum, sed ut Mediatorem & Redemptorem.* III. *Quia sic etiam dicendi essemus in Patre & Spiritu S. electi: quomodo hic Scriptura non loquitur.*

XIX. Atqui primum quidem illud refellitur ex loco, quem ipse *A. W.* notavit *Col.* 1. 13. ubi dicitur Filius dilectionis Dei: mox autem dicuntur

omnia

omnia esse creata ἐν αὐτῷ in ipso, id est *per ipsum vers.* 16. ut ibidem exponitur δι' αὐτοῦ. Manifeste enim etiam *v.* 19. respexit Regnum Christi Mediatorium, nec tamen intra cancellos regni Mediatorii illa conpingi debent, quæ de opere Creationis *v.* 16. subnectuntur.

XX. Ad secundum respondemus; neminem Orthodoxum hoc velle, ut simpliciter per Christum ut Filium Dei consideratum dicatur confecta Electio. Sed omnino per Filium Dei consentientem destinationi sui ipsius ad Munus Mediatorium: quemadmodum venit Christi illa destinatio seu Electio, etiam nomine illius *Unctionis* à qua *Unctus* dicitur.

XXI. Ad tertium dicimus, nihil obstare quo minus per Præpositionem ἐν etiam dicatur in Spiritu S. facta Electio, id est, à Patre, & à Spiritu S. per voluntatis beneplacitum æternum: sed tantum obstare ordinem Personarum in Trinitate, quo minus reciprocetur phrasis ista, ut, sicut Pater per Filium, sic Filius dicatur per Patrem vel decernere vel operari.

XXII. Tota autem hæc disputatio versatur in hoc cardine, *an electio Christi Mediatoris & Redemptoris ac Capitis nostri prior sit Electione nostri qui per Christum salvamur. Ut scilicet fuerit Electorum aliqua existentia in Christo, etiam antequam crederent.* Cui fini notat A. W. *quosdam hic distinguere inter duos respectus Christi nempe I. Ut Caput est. II. Et Redemptor est.* Priori modo Electionem Christi antecedere ex istorum hypothesi, posteriori modo sequi. Atqui distinctio ista nulla est: quia, exclusa notione Redemptoris, respectus seu notio Capitis non subjacet Decreto seu Prædestinationi divinæ. Est enim Christi, quâ Filius Dei est & Dominus omnium, jure Creationis.

XXIII. Hypothesis autem, de Electione Christi ut Redemptoris nostri, quæ prior sit nostri Electione, refellitur ista sui ipsius explicatione; *antecessisse voluntatem in Patre quosdam eligendi, antequam Filium elegit.*

XXIV. Parum autem feliciter conciliatur explicatio ista, per *distinctionem, inter plenariam Electorum Electionem, quæ sequuta demum sit Electionem Mediatoris, & inter voluntatem seu propositum Eligendi, quod antecessit Filii Electionem, per modum affectus incompleti, & à justitia impediti, donec in Electione Mediatoris supponeretur satisfactio qua Justitiæ Dei cautum esset.* Distinctio illa, voluntatis impeditæ seu incompletæ, & plenariæ, jugulatur ibidem, A. W. concessione; *Deo ante omne decretum fuisse præsentia & finem & media: utrumque vero simul elegisse & finem & media uno Electionis decreto.*

XXV. Superest locus alter, quem urgent Remonstrantes pro Electione in Christo ex Fide prævisa. *Heb.* XI. 6. *Sine Fide impossibile est Deo placere.* Quapropter contendunt non potuisse sine prævisa Fide fieri decretum Electionis divinæ quo nos Deus dilexerit ab æterno. Atqui loquitur Apostolus in hypothesi de Enocho, in cœlum translato; qui priusquam transferretur testimonium obtinuit, quod Deo placuisset. Subjungitur autem, χωρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι, *absque Fide autem impossibile fuisset placuisse.* Ex ista hypothesi sequitur quidem Thesis illa, neminem ex numero adultorum, accedentem ad Deum, actu, in tempore Deo placere, aut à Deo amari,

amari, absque Fide. Nihil tamen inde consequens est contra liberum Dei beneplacitum æternum, quo destinat libere amorem & misericordiam suam quibus vult.

DISP. III. SECTIO VII.

DE *Decreto Reprobationis.*

Connexa est doctrinæ, de libera electione ad vitam salvandorum, hypothesis de libera damnandorum reprobatione, qua ipsos præordinavit Deus ad justam damnationem. De qua Reprobatione sobriè sentiendum & loquendum cum Scripturis. Quæ testantur Reprobos damnandos damnatione justa ob peccata: damnationi autem & naturâ obnoxios esse per Peccatum originis *Eph.* II. 3. *&* *Rom.* III. 19. *&* 23. *Rom.* V. & damnationem illam ætate adulta cumulare per peccata actualia. *Rom.* I I. 5. 8. 9.

II. Enimvero, sicut Deus damnatione illa liberat citra prævisam Fidem aut bona opera pariter reos, & libertime miseretur quorum vult, sic testatur Scriptura, Deum liberrimo suo beneplacito ab æterno quos voluit præordinasse ad derelictionem in peccato ad mortem & ignominiam æternam, sine spe vitæ æternæ.

III. Rejectionem à vita æterna, exprimit Scriptura, per *Non-inscriptionem in libro vitæ ab initio Mundi Apoc.* XVII. 8. *&* XX. 15. & voce illa Christi, *nunquam novi vos. Matth.* VII. 23.

IV. Destinationem seu præordinationem ad terminum mortis & damnationis justæ exprimit Scriptura, *Paratione ignis æterni Matth.* XXV. 41. *Positione ad Iram.* I *Thess.* V. 9. *Creatione ad diem malum. Prov.* XVI. 4. *Coagmentatione ad interitum*, à qua dicuntur etiam, *vasa ad ignominiam facta Rom.* IX. 21. 22. *Descriptione ad damnationem. Judæ* 4.

V. Derelictionem in statu peccati, & sub damnatione per transgressionem Adami accersitâ, demonstrant loca, indicata *Disp.* I. *Joh.* III. 36. *Ira Dei manet super eum.* I *Joh.* II. 9. *In tenebris est usque adhuc.* Et I *Joh.* III. 14. *Manet in morte.*

VI. Cumulatiorem damnationem, cui nonnunquam etiam intercedit arcanum Dei judicium, in cordis induratione, ad exemplarem demonstrationem justitiæ Dei, docet Apostolus ad exemplum Pharaonis, adhibito axiomate generali, *indurat quem vult. Rom.* IX. 17. 18.

DISPUTATIO QUARTA
AD
Articulum Secundum.
SECTIO I.
DE
Reconciliatione per Mortem Christi quæsita.

PEndet demonstratio Gratuitæ Electionis salvandorum, & liberæ Rejectionis damnandorum, vel maxime, à gemino Fine destinato Mortis Christi. Prior est Finis ὅ, cujus gratia, seu fructus mortis Christi Testamento legatus. Alter est Finis ᾧ, cui, Personæ scilicet quibus Testamentum conditum est, ut ad illos redeat fructus mortis Christi. Fructus autem mortis Christi duo sunt principales præsentis considerationis, sub quibus continentur reliqui. Prior est *Plena cum Deo Reconciliatio*, quæsita iis pro quibus Christus est mortuus. Alter est *Hæreditas vitæ æternæ*.

II. Plenam cum Deo reconciliationem intelligimus, minime μονόπλευρον, qualem *Socinus* fingit, obtentu loci 2 *Cor*. v. 20. *Veluti Deo vos precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo*. Quasi ex verbis illis reliquorum omnium Scripturæ locorum solida interpretatio ista fit; non Deum nobis, sed nos Deo reconciliari, nulla scilicet ira Dei placata, sed mente tantum nostra ad amorem Dei allecta.

III. Nos ad solidam *Conciliationis* τῆς καταλλαγῆς expositionem, ex antecedentibus 2 *Cor*. v. 18. & ex reliquæ Scripturæ Analogia illam definimus *liberatione nostri ab ira ventura* 1 *Thess*. 1. 10. & *Dei* pacati *ad nos appropinquatione*. *Jac*. 1 v. 8. Adeo ut in nostra ad Deum appropinquatione non spectetur principaliter nostræ conversionis opus; sed nostra ad Judicem universi προσαγωγὴ *adductio* ut ad Patrem propitium. *Eph*. II. 18. *cum Hebr*. XII. 23. Ut habeamus παῤῥησίαν, & salvum conductum, accedendi ad thronum illum, à quo nos arcebat Deus iratus, ut *ignis consumens*, *Hebr*. XII. 29.

IV. Quamvis ergo Conciliatio seu καταλλαγὴ in terminis illis enuncietur frequentius, ut *nos* dicamur *Deo reconciliati Rom*. v. 10. 11. *& alibi*: semper tamen mutua Conciliatio, per peccatorum nostrorum à Deo condonationem, mortis Christi Sacrificio quæsitam, intelligi debet, ut de nulla apud Deum amplius oblatione pro peccato peccatori laborandum sit *Hebr*. x. 18. 19.

V. Hanc quam contra *Socinum* asserimus sacrificio mortis Christi quæsitam reconciliationem, qua primo & principaliter nobis conciliatus est Deus, *plenam* hic vocamus, id est *plene homini peccatori quæsitam*, ut novo illo Testamento, quod morte Christi obsignatum est, legari potuerit ac debuerit, omnibus & singulis pro quibus Christus mortuus est.

VI. Ple-

VI. Plenitudinem illam reconciliationis tuemur evidentibus scripturæ testimoniis plurimis; *Deus reconciliavit nos sibi per J. C. Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando eis peccata ipsorum.* 2 *Cor.* v. 18. & 19. *Inimicitiis per carnem suam abolitis faciens pacem, utrosque in uno corpore reconciliavit Deo, per crucem peremptis inimicitiis, per eum. Eph.* II. 15. 16. *Deleto, quod adversum nos erat, chirographo, quod nobis erat contrarium, & ipsum cruci affixum è medio sustulit Col.* II. 14. *Si quum inimici essemus reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius. Rom.* v. 10. *In eo placuit Patri ut omnis plenitudo habitaret; & pace per sanguinem crucis ejus facta per eum, reconciliare omnia sibi per eum, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis.... Itaque vos nunc sane reconciliavit in corpore illo carnis suæ per mortem &c. Col.* I. 19. 20. 21. *Unica oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur &c. Hebr.* x. 14. *Ut nulla amplius oblatione pro peccatis opus sit. v.* 18.

VII. Cum istis Scripturæ testimoniis pugnant ista quæ olim contra *Amesium* disputavit ex *Remonstrantibus sex* unus, *Grevinchovius, de Reconciliatione per Mortem Christi universim omnibus impetrata, sed non applicata pariter.*

VIII. Disputationem *Grevinchovii* Scholasticam, habemus populariter explicatam à *Poppio*, qui item ex sex *Remonstrantibus* unus. Tradit ille *Angustæ Parte pag.* 314. distinctionem geminæ reconciliationis, quarum prior contineatur 2 *Cor.* v. *v.* 19. altera *v.* 20. Illam tribuit *Morti Christi*, hanc *Vitæ Christi*. Scilicet *Morti Christi tribuendum, quod Deus se nobis Reconciliabilem præbeat*: nec ultra intelligenda verba illa, *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputans ipsis peccata. Propter mortem nempe & merita Christi Deus toti generi humano gratiam istam facit, ut neminem, quantumvis peccatorem & mortis reum, punire velit in æternum: nisi nova inobedientia se nove reum fecerit.* Verba sunt ejusdem *in Praxi consolationis ægrotorum. pag.* 27. 28.

IX. Quæ ergo est altera Reconciliatio, qua actu Deo reconciliamur per vitam Christi? Illa scilicet; *Qua Deus nobis in Christo viam aperit ad salutem per Fœderis conventionem istam. Se velle nobis dare salutem ea Lege ut nos faciamus id quod à nobis exigitur, atque sic Deo nos reconciliemus juxta illud* 2 Cor. v. 20 *Reconciliamini Deo.* Vide *ibid. pag.* 30. *Debemus*, inquit, *laborare, ut tollamus intergerinum parietem, quo separamur à Deo, scilicet peccata nostra. p.* 100.

X. Plura habet idem in hanc sententiam quorum summa est, *per mortem Christi Deum factum Reconciliabilem. Quod autem actu reconcilietur Deus, id relictum nobis ipsis, operaturis salutem nostram, per obedientiam mandatorum Christi Novi Legislatoris. Atque, hoc* scilicet *est, actu conciliari per vitam Christi.* Vide *ibidem pag.* 27. *num.* 73. 75. 77.

XI. Enimvero perimitur istis assertionibus omnis Novi Fœderis œconomia Testamentaria, quam tantopere urget Apostolus *Hebr.* IX. 16. 17. Quæ constat non hypothetica & incerta conditione Fœderis, quod irritum fieri possit: sed Categorica donatione causa mortis, quæ scilicet intercedente Testatoris morte irrita fieri non potest. *Luc.* XXII. 29.

XII. Neque Hypothetica ista reconciliatio, qua Christus non actu reconciliaverit Deum, sed tantum fecerit reconciliabilem, conciliabilis est

cum interempta inimicitia, & deleto ac cruci affixo & sublato chirographo. *Eph.* II. 15. 16. *cum Col.* II. 14.

XIII. Neque consistere potest, cum ista Hypothetica reconciliatione, mysterium Christi pro nobis mortui, ut Sponsoris nostri, qui loco nostro in morte sua exsolverit debitum nostrum. *Hebr.* VII. 22. Ad quod mysterium Apostolus revocat reconciliationem, quam morte sua Christus impetravit. 2 *Cor.* V. 15. *cum Rom.* VIII. 3.

XIV. Excluduntur quoque necessario per Reconciliationem istam Hypotheticam (quâ reconciliatio cum Deo plena & categorica suspenditur à conditione per nos implenda.) à fructu omni Mortis Christi, quotquot ante Christum mortuum mortui fuerunt.

XV. Denique potuit fieri, ex hypothesi reconciliationis istius hypotheticæ per Christi mortem, ut frustra mortuus esset Christus, atque ad neminem, usquè ad mundi finem, perveniret fructus & applicatio reconciliationis impetratæ. Quod infra tractabitur plenius suo loco.

DISP. IV. SECTIO II.

DE

Hæreditate vitæ æternæ legata in Morte Christi.

ALter fructus Mortis Christi, est *legata salvandis hæreditas vitæ æternæ*, de qua Christus moriturus dixit; *Ego lego vobis, sicut Pater legavit mihi, regnum; ut edatis & bibatis in mensa mea, in regno meo &c.* *Luc.* XXII. 29. 30.

II. Ex *Remonstrantium* sententia, neque plena cum Deo reconciliatio, neque hæreditas vitæ æternæ dici potest ulli individuo legata novo illo Testamento, quod morte Christi obsignatum est, sed dicendum est, viam tantum patefactam novo Fœderi, in quo quilibet per obedientiam mandatæ à Christo Religionis Deo plene conciliari & hæres fieri possit vitæ æternæ.

III. Contra flagitat Testamentariam dispositionem (non autem pactionem ejusmodi hypotheticam mercedis vitæ æternæ, quæ irrita fieri possit, ut fructum solidum Mortis Christi) affirmatio Apostoli ista, Christum *ob id Mediatorem Novi Fœderis esse, ut morte intercedente rata esset promissio æternæ hæreditatis Hebr.* IX. 15. 16. 17.

IV. Et mandatum Patris, cui Christus se obstrinxit moriturus, non fuit hypotheticum, sed categorice definitum, hoc nempe, *ut omnes sibi à Patre datos ultimo die suscitaret ad vitam æternam. Joh.* VI. 39. & 40. & 44.

V. Et flagitabat definitum tale Mandatum Mortis Christi destinatio à Patre ad finem istum, *ut multos filios in gloriam adduceret. Decebat ipsum, propter quem omnia, & per quem sunt omnia, multos filios in gloriam adducentem, Principem salutis ipsorum per afflictiones consecrare Hebr.* II. 10.

VI. Ea

VI. Ea propter, ex Fide Christi pro se mortui certa est, contra mortem & damnationem æternam consolatio. *Quis est qui condemnat? Christus pro nobis mortuus est.* *Rom.* VIII. 34. Quia, *quemadmodum regnaverat peccatum in mortem, ita etiam Gratia regnat per justitiam* nobis donatam in morte Christi *in vitam æternam.* *Rom.* V. 17. 21. *Amen Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à mote in vitam.*

VII. Accedit Christi morituri precatio illa, qua illis, pro quibus se in mortem offerebat, flagitabat vitam æternam. *Pater quos dedisti mihi velim ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut conspiciant gloriam illam quam dedisti mihi &c.* *Joh.* XVII. 24.

VIII. Quin, si Morte Christi non est quæsita illis pro quibus mortuus est hæreditas vitæ æternæ; nulla est in hac vita in Christo Adoptionis Gratia, qua adoptemur in Filios Dei, nullus Spiritus adoptionis, qui *testetur una cum Spiritu nostro nos esse Filios Dei; quod si Filii etiam hæredes, hæredes autem Dei, cohæredes autem Christi.* *Rom.* VIII. 16. 17. *Gal.* IV. 7.

IX. Nulla quoque ne quidem ad Gratiam Electio fingi potest, si Legalis tantum ex Lege nova spes est vitæ æternæ, sine solida Adoptione credentium in hac vita in Filios Dei. Quia προορισμὸς Dei ad Gratiam, est ad υἱοθεσίαν *ad adoptionem* *Eph.* I. 5 Solidam autem ex Adoptione spem vitæ æternæ dictat Apostolus, vocans illam *spem vivam hæreditatis nobis servatæ in cœlis, quæ nec perire potest nec contaminari, nec marcescere.* 1 *Petr.* 1. 3. 4.

X. Hic palpabilis est gangræna distinctionis istius, qua *Remonstrantes Electionem ad Gratiam* divellunt *ab Electione ad Gloriam.* Ista enim distinctione posita, necesse habent negare solidam in hac vita Gratiam Adoptionis filiorum Dei, ut non ante contingat vocatis, quam post vitæ hujus terminum. Quam negationem palliant testimoniis maxime duobus *Rom.* VIII. 23. ubi Apostolus dicit nos *exspectare Adoptionem in futura corporum liberatione.* *Matth.* V 9. *Filii Dei vocabuntur.*

XI. Atqui testimonia illa in futurum tempus rejiciunt, non Adoptionis Gratiam omnem, sed gloriosum tantum Adoptionis complementum. Quod manifeste confirmat locus illustris 1 *Joh.* III. 2. ubi interim *nunc* Apostolus affirmat *nos esse Filios Dei,* νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν. Et *Capitis ad Romanos octavi v.* 16. affirmatur de præsenti tempore testificatio Spiritus S. cum Spiritu nostro, nos esse Filios Dei.

XII. Idem arcanum subest in illa quam notabamus glossa, qua *Remonstrantes nomine Filiorum Promissionis nolunt intelligi Hæredes promissionis, jam Filios Dei per Adoptionis gratiam, sed tantum sectatores Promissionis illius qua Adoptio promissa est.* Secundum quam glossam Nomen Filiorum Dei, contra Scripturæ analogiam, notat non Adoptionis beneficium divinum, sed Imitationis Dei officium nostrum.

DISP. IV. SECTIO III.

DE

Illis, pro quibus Christus sit mortuus.

PRæscribit jam explicatus Finis *cujus*, seu Cujus gratia Christus est mortuus, de Fine *cui*, Cui, seu pro quibus Christus sit mortuus. Ut nequeat pro aliis mortuus esse, quàm quibus morte sua quæsivit plenam cum Deo reconciliationem, & Adoptionem in Filios Dei, qui efficiantur hæredes vitæ æternæ, breviter, pro solis & omnibus per Gratiam salvandis. Quod jam porro explicandum & demonstrandum.

II. Initio, apud illos saltem qui Merito Mortis Christi salvatos credunt fideles ante Christum mortuos, videtur invicta demonstratio illa de præterito tempore, pro solis actu tunc salvatis Christum se obtulisse in mortem, ac morientem effudisse sanguinem suum. Moriturus enim, nec piè, quia contra voluntatem Dei, nec sapienter, quia frustra, potuit mortem suam destinare pro illis in remissionem peccatorum, qui eo tempore jam ob peccata sua sine ulla spe veniæ damnati erant. *Luc.* XVI. 24. 25. 26. *cum* 2 *Petr.* II. 5. 6. *&* *Judæ* 7. Temere ergo *Grevinchovius Dissert. pag.* 46. *Respondeo*, inquit, *quoad actum oblationis, omnium omnino hominum sacerdotem fuisse, etiam Pharaonis &c.*

III. Deinde, nec piè nec sapienter potuit Christus se offerre, pro iis saltem, quos vivens sciebat non paucos in Spiritum S. peccare, ut peccata ipsis remitti non possent. *Matth.* XII. 31. 32. *cum* 1 *Joh.* V. 16. Quos ipse pronunciaverat esse *Filios Diaboli*, nec posse effugere judicium Gehennæ *Joh.* VIII. 44. *Matth.* XXIII. 33. sed *morituros in peccatis suis. Joh* VIII. 24.

IV. Quemadmodum nec sapienter mori poterat pro salute Judæ proditoris; quem ab initio noverat esse *Filium perditionis*, & antequam ipse mortem gustaret jam male periisse. *Joh.* XVII. 12. *cum Joh.* VI. 70. 71. *&* XIII. 10. 11. *& Matth.* XXVI. 24.

V. Quod jam attinet illos qui post Christum mortuum victuri erant; non potest dici mortuus Christus pro aliis, quam pro quibus moriturus sua Oratione apud Patrem intercessit. Indissolubili enim vinculo ista connexa sunt, in Mortis Christi negotio, Sacrificii in mortem oblatio, & oratio: seu velle peccatorum remissionem, ac se pro ea in mortem offerre, & eam velle & petere à Patre.

VI. Atqui negat Christus se pro omnibus & singulis orare. *Non pro mundo rogo. Joh.* XVII. 9. Quin ex *Psalmo* LXIX. *à versu* 23 *ad* 30. manifesta est Christi oratio contra illos, pro quibus negat se orare, si non contra omnes, contra plures saltem.

VII. Accedit, quod neque omnes & singulos Christo salvandos dederit Pater, sed tantum à se electos ex mundo, quod sua oratione testatur Christus *Joh.* XVII. *Ut quotquot dedisti Filio, det eis vitam æternam. v.* 2. *Patefeci*

feci nomen tuum hominibus, quos mihi dedisti è mundo: tui erant & mihi eos dedisti v. 6. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt. v. 9. Quos dedisti mihi ego custodivi, & nemo ex iis periit. v. 12. Mundus eos odio habuit quia non sunt ex mundo. v. 14. Ex mundo non sunt. v. 16. Pater juste, Mundus te non novit. . . . & hi noverunt me à te missum esse. v. 25 Nec potest Christo Pater alios dedisse, quam quorum *nomina scripta sunt in libro vitæ agni mactati. Apoc.* XIII. 8.

VIII. Porro manifesta est Scripturæ affirmatio; pro quibus Deus proprium suum filium in mortem dedit, iis Deum cum ipso donare omnia ad salutem necessaria. *Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam omnia cum eo nobis gratificabitur. Rom.* VIII. 32. Adeoque illi omnes habent ex novi fœderis formula promissionem solidam, morte Christi confirmatam, fore ut mente ac corde sanctificentur. *Pro iis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati per veritatem. Joh.* XVII. 19. *cum Hebr.* VIII. 10. & X. 16. *Unica oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur. Hebr.* X. 14.

IX. Demonstrant autem loca illustria *Eph.* 1. 4. & 2 *Thess.* II. 13. non esse communem Electis & Reprobis, sed omnibus & solis salvandis, sanctificationem illam mentis & cordis, quæ ad salutem utilis est: vindicatur enim illis solis Electis ad vitam solida sanctificatio. Quod ultra liquet ex Christi illa assertione; *Spiritum illum veritatis mundus non potest recipere, quia non videt eum nec novit eum Joh.* XIV. 17.

X. Et aperta est assertio, quando, non omnes & singuli tribuum, populorum & gentium, sed Electæ ex iis & obsignatæ myriades, dicuntur *lavisse stolas suas & dealbasse in sanguine Agni. Apoc.* VII. 3.--- 14. Et profitentur salvati hoc suum privilegium; *Mactatus es; & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Apoc.* III. 9. Confer *Act.* XX. 28.

XI. Hinc est quod Scriptura Christum non damnandorum bono & loco mortuum significat, per *Multorum* a reliquis discretam nominationem. *Notitia sui justificabit justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse bajulabit Esai.* LIII. 11. *ipse peccatum multorum tulit ibid. v. 12. Venit ut daret animam suam redemptionis precium pro multis. Matth.* XX. 28. *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Matth.* XXVI. 28. *Oblatus ad tollenda multorum peccata. Hebr.* IX. 28. Illa autem multorum à reliquis discretio circumscribitur ab Apostolo manifeste, numero *Filiorum Dei* sanctificandorum ad salutem, & salvandorum. *Hebr.* II. 10. 11.

XII. Nec aliud patiuntur loca Scripturæ, quæ nomen & officium Jesu Servatoris definiunt, expressa populi electi discretione à reliquo mundo. *Vocabis nomen ejus Jesus, ipse enim servabit populum suum à peccatis ipsius. Matth.* I. 21. *Prophetavit Cajaphas, fore ut Jesus pro ea gente moreretur, nec tantum pro ea gente, sed ut filios Dei dispersos cogeret in unum. Joh.* XI. 51. 52. *Unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum agenda, ad expiandum peccata populi. Hebr.* II. 17. *Ut morte intercedente*

vocati

vocati promissionem accipiant æternæ hæreditatis. Hebr. IX. 15. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea; ut eam sanctificaret, purgans lavacro aquæ per verbum.* Atque sic est σωτὴρ τοῦ σώματος *Servator corporis Ecclesiæ, cujus caput est* Eph. V. 23. 25.

XIII. Illustrat idem ac confirmat Christus, docens se *animam suam ponere pro ovibus suis, quas agnoscit, & a quibus agnoscitur,* quibus *vitam æternam daturus est.* Joh. X. 14. 15. 27. 28. Neque patitur Officium Pastoris ovium in anima ponenda, ut pro aliis quam Ovibus, puta hircis aut lupis Ovium inimicis capitalibus, aut pro furibus & latronibus, quos ibidem *versu* 8 & 12. notat, animam posuerit Christus

XIV. Antequam vindicemus loca alia ἐναντιοφανῆ, illud in præsens ἐναντιοφανὲς solvendum; quomodo non pro mundo oraverit Christus in morte sua, Deum orans pro eorum reconciliatione, qui crucifixionis ipsius erant auctores; *Pater remitte iis, nesciunt enim quid faciant.* Luc. XXIII. 34. *cum Esai.* LIII. 12. Respondemus esse orationem indefinitam, quæ ad mundum impiorum non pertinet.

XV. Si orationem illam indefinitam facias universalem, consequens erit, Christum pro quibus oravit non esse exauditum: quod est contra affirmationem Christi illam, *ego sciebam me semper à te exaudiri.* Joh. XI. 42. Exauditus autem revera hic fuit Christus, quandoquidem ex eorum numero, qui Christum sua flagitatione adegerant in crucem, circiter octo millia sunt conversi, duabus Petri concionibus *Act.* II. 41. & IV. 4. *cum Act.* II. 23. & III. 13. 14. 15.

DISPUTATIO QUINTA

SECTIO IV.

QUA

Vindicantur loca Scripturæ ἐναντιοφανῆ *de Christo mortuo pro Mundo, & pro Omnibus*

LOca ἐναντιοφανῆ, seu quæ videntur pugnare in contrarium, sunt primo illa, in quibus se offert vox *mundus*; V. G. quando Christus dicitur *agnus Dei tollens peccata mundi* Joh. I. 29. *missus in mundum, ut servetur mundus per eum.* Quod *Deus sic dilexerit mundum* Joh. III. 16. 17. *Servator mundi* Joh. IV. 42. *Panis cœlestis dans vitam mundo, dans carnem suam pro mundi vita,* Joh. VI. 33. & 51. *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians.* 2 Cor. V. 19. Respondemus autem; non pati nec rem subjectam, nec circumstantias locorum, ut universus ille mundus intelligatur, qui dicitur Rom. III. 19. *Deo obnoxius ad condemnationem.*

II. Responsionis vulgatæ plenioris summa est; esse mundi nomine intelligendam (cum de Mortis Christi fine ac fructu agitur) Electorum universitatem, ob excellentiam dignitatis: sicut opposita Synecdoche reproborum turba ob numeri excellentiam *Mundus* nominatur. *Joh.* XIV. 17. & XVII. 9. 2 *Petr.* III. 6. & *Totus Mundus*. 1 *Joh.* V. 19. Qui etiam *mundus impiorum* 2 *Petr.* II. 5. Ut scilicet, in duos hosce mundos quasi particulares facta distributione mundi universi, Scriptura etiam totum mundum nominet trifariam. I. Absolute hominum omnium & singulorum universitatem. *Rom.* III. 19. II. Reproborum turbam. 1 *Joh.* V. 19. III. Universitatem Electorum. 1 *Joh.* II. 2.

III. Nobis solidius videtur, ut non ipsa vocis mundi notione, adstrictum sit beneficium reconciliationis per mortem Christi ad solam Electorum Universitatem; sed propter ipsius plenæ reconciliationis definitionem, quæ ad alios extra Electorum universitatem se extendi non patitur.

IV. Vocis autem mundi notione rectius intelligetur in locis indicatis status miser communis universitati electorum cum turba reproborum: ut mundus breviter notet, peccatores in concreto, quemadmodum alibi etiam in Abstracto videtur *mundus, & ea quæ in mundo sunt*, notare vanitatem & peccatum. 1 *Joh.* II. 15. 16. 17.

V. Hac quam ponimus notione accepta voce mundi pro peccatoribus, universitas electorum partem facit mundi universi qui *condemnationi est obnoxius Rom.* III. 14. Et qua talis nominatur mundus κατὰ μνήμην ad recordationem peccati & miseriæ, ex qua redempti sunt electi, adeoque ad meditationem Gratiæ Dei liberrimæ, qui illos Christo dedit ex mundo electos *Joh.* XVII. 6. *cum* XV. v. 19. Ut emphasis vocis mundi in locorum istorum explanatione ista sit, *nos Deo reconciliatos, cum inimici essemus, cum adhuc essemus peccatores. Rom.* V. 8. 10. *Venisse Christum ut servaret peccatores.* 1 *Tim.* 1. 15.

VI. Ex illa jam communi notione, qua mundus notat communem electis & reprobis statum peccati, pendent reliquæ acceptiones vocis mundi; ut κατ' ἐξοχὴν nominentur mundus, qui κατ' ἐξοχὴν nominantur peccatores; qui in peccatis derelicti moriuntur in peccatis, scilicet mundus impiorum. 1 *Joh.* V. 19. Quod passim obvium est.

VII. Ea autem Analogia, speciatim nominantur Mundus olim rejecti Gentiles: quod liquet, si conferatur illud, *nos natura Judæi & non ex Gentibus peccatores Gal.* II. 15. *cum Rom.* XI. v. 12. & 15. ubi Gentium olim rejectarum vocatio nova dicitur *opulentia mundi*, & *reconciliatio mundi*.

VIII. Hinc porro se offert vera expositio loci singularis 1 *Joh.* II. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis*, ut totus mundus significet & Judæos & Gentiles ex omni tribu, populo, natione & lingua.

IX. Urgentur porro loca illa, in quibus per Christum dicuntur *nova facta omnia* 2 *Cor.* V. 17. & *ipse mortuus esse pro omnibus* 2 *Cor.* V. 15. *pro omnibus mortem gustasse. Hebr.* II. 9. Responsio vulgata est, Christum pro omnibus mortuum esse, sufficienter, sed non efficaciter.

X. Atque sic etiam loco jam vindicato 1 *Joh.* I I. 2. vulgo respondetur, Christum dici expiationem pro peccatis totius mundi, quantum ad dignitatem & sufficientiam λύτρου attinet, juxta illud; *Qui semetipsum dedit precium redemptionis pro omnibus* 1 *Tim.* I I. 6. Quam reconciliationem, ex *Augustino de Artic. falso impactis Art.* I. *ex Lombardo libr.* I I I. *Dist.* 80. *ex Thoma Summa de Verit. art.* X X V I. *quæst.* 6. plures adoptarunt, etiam *in Ursini Catecheticis Pareus*: sed retractavit idem ut minus solidum, *in Editione posthuma ad Domin.* X V I. *Quæst.* 40.

XI. Et certe, quamvis ob Personæ Christi infinitam dignitatem mortis illius precium valoris sit infiniti, adeo ut vel mille mundis servandis abunde sufficeret: interim tamen, quia, pro quibus Christus affirmatur mortuus esse, intelligendus est illorum loco ac bono mortuus, tanquam Sponsor novi fœderis ac Testamenti, ipsis à Patre donatus, ad plenam cum Deo reconciliationem, ac hæreditatem Filiorum Dei; & quia, ex illa hypothesi, pro quibus sufficienter mortuus est Christus, illorum nomine satisfactum est justitiæ Dei per mortem Christi; non patitur conciliatio illa vulgata rigidum examen, Non potest enim fieri per justitiam Dei, quin sequatur redemptio efficax illorum, pro quibus à Sponsore λύτρον sufficiens est persolutum.

XII. Solidior ergo locorum illorum conciliatio est, ut omnia & omnes, nuncupetur salvandorum universitas. Quemadmodum 2 *Cor.* V. τὰ omnia non patitur se applicari ad irregenitos, sed manifeste adstringitur *v.* 17. ad regenitos, qui *in Christo sunt nova creatura*. Et similiter *v.* 15. illud *pro omnibus* adstrictum est ad omnes ζῶντας *viventes*, postquam una cum Christo censentur fuisse mortui. Et loco ad *Hebræos Cap.* I I. qui *versu* 9. dicuntur *omnes*, ilico *v.* 10. definiuntur *multi Filii à Patre in gloriam adducendi* & *v.* 11. *qui sanctificantur*.

XIII. Eadem expositione concilianda vox *omnes Rom.* V. 18. ubi adstricta est manifeste ad Justificationem vitæ, hoc est, ad donandam vitam æternam, propter imputatam Christi justitiam; confer *vers.* 21. Item 1 *Cor.* X V. 22. *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*: omnes οἱ χριστοῦ, *qui sunt Christi, in adventu ejus. v.* 23.

XIV. Intra illam electorum universitatem similiter accipiendum illud, omnes homines. 1 *Tim.* I I. 4. *Qui omnes homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.* Qui locus infra vindicandus erit, suo loco: estque intelligendus specialiter de omnis generis & conditionis hominibus, ut preces fiant etiam pro Regibus, omnibusque in eminentia constitutis.

XV. Similiter in loco 2 *Petr.* I I I. 9. quod dicitur *Deus nolle ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere*, ad eandem Electorum universitatem adstrictum est, verbis antecedentibus, *longanimis est erga Nos*; & explicandum collatione loci *Joh.* X V I I. 6. 12.

XVI Inesse autem illam emphasin in τῷ *Nos* (ut exclusis aliis extra universitatem Electorum, Gratia morte Christi quæsita vindicetur solis Electis, quando de illa sermo est) evidens est *Esai.* L I I I. 6.

omnes

omnes Nos ut ovis erravimus, quisque in viam suam nos convertimus, & Jebova fecit ut incurrat in eum iniquitas omnium nostrûm. 2 Cor. v. 21. *Illum enim qui non noverat peccatum, fecit pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* Eph. v. 2. *Christus dilexit Nos, & tradidit semetipsum pro Nobis.* 1 Ioh. I V. 10. *Manifesta est Charitas Dei in Nos, quod Filium suum &c.*

XVII. Excludi autem Reproborum turbam, manifestum facit collatio locorum. 1 *Ioh.* I I. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex Nobis: nam si fuissent ex Nobis, mansissent utique Nobiscum: sed ut manifestum fieret non omnes esse ex nobis.* Et *Hebr.* x. 39. *At nos non sumus qui nos subducamus ad exitium &c.*

XVIII. Locus maxime ἐναντιοφανὴς est 2 *Petr.* I I. I. Quo loco etiam illi qui sibi exitium accersunt dicuntur *à Domino empti*, etiam *Dominum qui mercatus est abnegantes.* Conciliatio autem est ista; quod Empti hic dicuntur non à *Domino* Filio, sed ab *Hero*, quem vocat Apostolus τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην. Appellationem enim δεσπότου *Heri*, distincte à voce κυρίου *Domini*, Patri soli in sacris literis attributam, & quasi propriam esse censet *Fr. Gomarus*, ex *Luc.* I I. 29. *Act.* I V. 24. 2 *Tim.* I I. 21. *Judæ* 4.

XIX. Ad hanc responsionem F. G. nostra ἐπίκρισις esto; obscurius esse nec satis liquidum *Iudæ* 4. an Patri an Filio nomen δεσπότου tribuatur. Et forte rectius esse ut etiam locus 2 *Tim.* I I. 21. non minus de Filio, quam de Patre, accipiatur. Interim non est inanis observatio distinctionis inter δεσπότην *Herum* & κύριον *Dominum*. Ut verorum Ecclesiæ membrorum Christus dicatur κύριος *Dominus*, dicatur autem *Herus* omnium, quos in visibilem Ecclesiam quomodocunque adsciscit: seu, tanquam in magna domo, ut vasa pura ad decus, seu impura ad dedecus, seu Filios atque hæredes, quos κατ' ἐξοχὴν agnoscit suos 2 *Tim.* I I. 19. ut speciatim precio singulari sanguinis sui emptos 1 *Cor.* v I. 20. & v I I. 23. & *Apoc.* v. 9. seu generatim tantum emptos, hoc est acquisitos servos, qui in domo non manent, sed exhæredes sunt *Ioh.* v I I I. 34. 35. *Gal.* I V. 30. qui dicuntur, empti, ut mercede conducti *Matth.* x x. 1. 2. 3. &c. vel ἀργυρώνητοι argento empti.

XX. Ex loco *Rom.* x I V. 15. *Ne esca tua illum perdito pro quo Christus est mortuus; & v.* 20. *Ne tibi causa destrue opus Dei*; non efficitur perdi posse illum pro quo Christus est mortuus; adeoque mortuum esse Christum etiam pro iis qui pereunt, sed ostenditur tantum, quid faciant quantum in se est, qui scandalum dant infirmo: minime autem quid efficiant actu, sicut non potest actu effici ut iterum crucifigatur Christus, quamvis sint qui id facere censeantur justo Dei judicio. *Hebr.* v I. 6.

XXI. Ex verbis jam istis *Hebr.* v I. 6. *Qui iterum crucifigunt sibi ipsis Filium Dei*, non efficitur pro illis desperate ruentibus in perniciem, Christum crucifixum semel fuisse, ipsorum bono: sed intelliguntur illi semel atque iterum quantum in ipsis est Christum crucifigere suo damno, ut semel iterumque super se accersant sanguinem Christi, juxta illud: *sanguis ejus sit super nos & liberos nostros. Matth.* x x v I I. 25.

XXII. Ex loco *Hebr.* x. 29. verbis illis, καὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος, ἐν ᾧ ἡγιάσθη; *& sanguinem Fœderis profanum qui duxerit, per quem fuerat*

sanctificatus: secundum interpretationem videtur prima facie consequens, pro reprobis etiam sanguinem fudisse Christum, quia scilicet fuêre sanctificati sanguine illo. Sed non videtur largiendum, ut verbo ἡγιάσθη, sanctificatus fuisse dicatur sanguine Fœderis, qui sanguinem Fœderis profanum ducit.

DISPUTATIO SEXTA.

AD

Articulum III. & IV. de Vocatione Efficaci.

SECTIO I.

DE

Verbo Vocationis.

HActenus fuit consideratio thesaurorum Gratiæ Christi, prout in Christo sunt ἀπόκρυφοι ab æterno, donec actu exhibeantur salvandis; quæ exhibitio fit per *Vocationem efficacem*. De qua hæc sunto præcognita. Primo; nullam esse vocationem quæ vel sufficiens vel efficax sit, ad fœderis spiritualis societatem cum Deo per Christum, absque Verbo supernaturaliter facto.

II. Verbum illud supernaturaliter factum (tam ante Christum exhibitum, quam post illum exhibitum, & mortuum, atque ex mortuis excitatum & exaltatum) non fuit unquam per solam Legis catechesin sufficiens Pædagogus hominibus ad Christum Servatorem adducendis. Sed institutioni in Lege comes semper fuit in Ecclesia Promissio Gratiæ Christi prædicata Traditione Prophetica; ante Mosem non scripta, post Mosem scripta.

III. Verbo illo prædicato Gratiæ Christi promissæ constitit olim Fœdus Dei cum Ecclesia Patriarcharum vetustissima ab Adamo ad Mosem, & veteri à Mose ad Christum. Habuitque Fœdus illud connexam Verbo prædicationis religionem & cultum Sacrificiorum divinitus imperatum, & in eo Sacramenta sacrificialia, ac tandem Circumcisionem, ad communem & ordinariam salvandorum vocationem per Verbum Fidei, & obsignationem Justitiæ Fidei.

IV. Consequenter non tantum illis nobiscum communis fuit Salus per Gratiam Christi, sed etiam communis revelatio Gratiæ Christi, & vocatio efficax ad Fidem in Christum, salva tamen differentia inter revelationis aliam atque aliam mensuram: quam cumulatiorem habet Novi jam Testamenti Ecclesia, quæ iam fruitur, post Christum mortuum & excitatum, plene quæsito jure suæ cum Deo reconciliationis.

V. Post hæc præcognita, de Verbo Vocationis sciendum; non ex solo per se Verbo foris prædicato, efficacem censeri vocationem divinam ad Gratiam Christi & salutem, sed ex concursu Revelationis externæ Euangelii per Verbum, & Benedictionis internæ, qua Spiritus S. eos qui Verbum Vocationis audiunt perducit ad Vocationis metam. Quod confirmandum & illustrandum atque ante omnia vindicandum ab adversariorum criminatione de Enthusiasmo.

VI. Verbum Euangelii se habet ad modum causæ exemplaris & canonis necessarii audientiæ & obedientiæ Fidei. *Quomodo credent de quo non audiverunt? Fides ex auditu est, auditus autem per Verbum Dei. Rom.* X. 14. 17.

VII. Ab externa autem revelatione Euangelii per Verbum, communiter omnes verbi auditores etiam in quibus non est efficax Vocatio, *Vocati* dicuntur. *Multi vocati pauci electi. Matth.* XX. 16. & XXII. 14.

VIII. Vocationis autem per Verbum appellatione non præcise intelligimus publicam vocationem in visibili Ecclesia omnibus obviam: sed communiter revelationem Euangelii, à prima Apostolorum prædicatione propagatam, & Scripturis comprehensam, per quam, etiam præter ordinem constitutum divinitus in Ecclesia instituta, vel remoto publice candelabro, divinitus excitari possunt plures vel pauciores, ad discendum privata lectione vel auditione Euangelium, & sic perduci divina benedictione ad fidem, & Ecclesiæ invisibilis communionem.

IX. Hoc quoque notandum, vocari quidem per Verbum Euangelii ad audientiam solos adolescentes & adultos, non surdos, nec infantes: tamen adsciscí & accenseri adultis vocatis, & per Verbum vocationis ad Baptismi usum sanctificari adultorum infantes. Ut de illis in infantia morientibus judicandum sit, illos juxta Verbum Euangelii per Christum intus illuminatos in excessu ex hac vita, & productos ad vocationis metam.

X. Interim non obstante Infantium & surdorum perductione ad metam vocationis præter ordinem: manet tamen illa necessitas Verbi scripti, ut causæ exemplaris & canonis unici, ut data etiam præter ordinem, sine externa lectione vel auditione Verbi, revelatione divina & Fide salvifica, ipsa tamen revelatio & Fides ad Verbum scriptum sit examinanda, nec habenda pro divina revelatione aut vera fide, quæ aliquid dictat præter aut contra Verbi scripti Canonem. *Gal.* I. 8.

XI. Est ergo Anathemate damnandum Verbum internum non scriptum Papistico-Enthusiasticum, per quod carere possint illi qui Deum intus loquentem audiunt, Verbo scripto, tanquam parvulorum lacte, & litera mortua.

XII. Quamvis enim non tribuenda sit literæ scriptæ Euangelii, vel auditæ vel lectæ, principalis vitæ efficientia, sed Spiritui sancto Euangelium cordibus inscribenti 2 *Cor.* III. 3. tamen in genere causæ exemplaris, habet Perfectionem sufficentissimam illam, ut nihil Spiritus S. intus cordibus inscribat, præter id quod Verbo Euangelii scripto docetur foris; ab eodem Spiritu: quia *nihil ille loquitur à se ipso Joh.* XVI. 13. id est nihil pri-

varim intus docet, quod non publice foris doceat. Ut hoc criterio explorari debeat, loquaturne intus in corde verus Dei Spiritus, an spiritus deceptionis & mendacii.

XIII. Monstrose autem ab Enthusiastis cum Verbo Euangelii confunditur, circa Vocationem per Verbum, Verbum Æternum Filius λόγος, qui Verbi Euangelii autor est. Intelligi enim hic debet ὁ λαληθεὶς λόγος, sermo quem Deus Pater ipseque Filius loquutus est *Hebr*. I. I. *&* II. 2. *Joh*. XII. 48. *&* XV. 3. Adeo ut hic relative opposita sint, *Sermo Christus Joh*. I. I, *Apoc*. XIX. 13. & *Sermo Christi*.

XIV. Indocte autem hic voces confundunt ex *Anabaptistis*, qui in controversia de Verbo vocationis, ne *Socinianis* accedant scilicet, Enthusiasmo velificantur, quando ad Verbum λόγον rapiunt loca pene omnia N. T. in quibus etiam vox ῥῆμα occurrit *Rom*. X. 17. *Eph*. VI. 17. I *Pet*. I. 25. quæ etiam in plurali promiscue usurpatur de Verbo vocationis. *Joh*. III. 34. *&* VIII. 47. *Apoc*. XVII. 17. Quæ quidem vox si ad Sermonem Christum approprietur, phrasis hæresin Anti-Trinitariam sapiet. Neque est ullus Scripturæ locus, qui in plurali nominans τοὺς λόγους Sermones numero plurali, complectatur ipsum Christum λόγον Sermonem loquentem, una cum verbis & Sermonibus Dei seu Christi.

XV. De cætero Verbum Euangelii, quod sufficientissimam vocationis causam exemplarem dicimus, vel notat universum Canonem ministerii, mandati prædicatoribus Euangelii, adeoque etiam Legis Pædagogiam complectitur, quâ via paranda est & munienda prudenter Euangelicæ exhibitioni Christi, ne *detur sanctũ canibus, & obiiciantur margaritæ porcis. Matt*. VII. 6. Qua notione manifeste accipitur Euangelium *Rom*. II. 16 *In die quo judicabit Dominus de occultis hominum, secundum Euangelium meum per Jesum Christum*.

XVI. Vel notat Verbum Euangelii præcise Verbum consolationis de Reconciliatione cum Deo, sive de remissione peccatorum, regeneratione Spiritus, & vita æterna gratis danda & donata per & propter Christum.

XVII. In hoc autem ipso Verbo consolationum Euangelii subest demonstratio justitiæ divinæ in Christo, facto sub lege, quæ confirmat, *Legem non inanem reddi per Fidem, imo stabiliri. Rom*. III. 31. Atque hinc fit, ut Gratiæ Christi doctrina explicata (per hypothesin, de obedientia à Christo plenissime præstita, ad implendam Legis justitiam, absque qua non potuerit fieri peccatoribus gratia) doceat cumulatius & in Christi exemplo ob oculos ponat Legis δικαίωμα. *Rom*. III. 25. 26. *cum* I *Pet*. III. 21.

XVIII. Denique considerandum est, in ipso Verbo consolationum Euangelii, quod externa concio seu prædicatio consolatoria, quæ humano ministerio relicta est, propter impervestigabiles cordis humani recessus, non potest categorica assertione asserere auditoribus singulis internam consolationum efficaciam: sed necessario est hypothetica, nihil affirmans determinate de singulorum salute, nisi secundum charitatis judicium, fide habita exteriori oris confessioni I *Cor*. II. II. relicta unicuique exploratione interiori sui ipsius I *Cor*. X. 28. *&* 2 *Cor*. XIII. 5.

XIX. Hinc

XIX. Hinc ipsum Verbum consolatorium prædicatum habet etiam schema conventionis Legalis. Ut sub conditione veræ resipiscentiæ, & doloris secundum Deum, Christi gratia hominibus quibusvis offeratur, & jubeantur πάντες credere & sperare. Adeoque à Legali illo schemate Euangelium *Lex Fidei* appellatur *Rom.* III. 27. revera obligans omnes & solos vere resipiscentes. Quamvis ipsam conditionem resipiscentiæ, & Fidem imperatam Deus ipse promittat ac donet.

DISP. VI. SECTIO II.

AN Promissiones Euangelii sint Universales.

EX superioribus pendet quæstio, *An & quatenus Promissiones Euangelii sint Universales?* Ad quam respondemus, primo; Universales dici posse promissiones Euangelii in N. T. quatenus, ex mandato Christi, promiscue nullo populorum delectu aut discrimine Judæis & Gentibus toto orbe dispersis annunciantur ac prædicantur, neque ulla gens excipitur aut excludirur, cui nefas sit prædicare Euangelium; secus quam in V. T. œconomia Mosaïaca.

II. Universalitatem istam confirmat hypothesis, de discrimine Judæorum ac Gentium, & universim omnium populorum per Christum abolito & sublato. *Eph.* II. 14. 15. 16. *Col.* III. 11. *Gal.* V. 6.

III. Quo discrimine Judæorum & Gentium sublato, Christus Apostolis mandavit profectionem ad omnes Gentes, in mundum universum, ut *prædicarent Euangelium omni creaturæ, usque ad ultimas terras. Mat.* XXVIII. 18. 19. 20. *Marc.* XVI. 15. 16. *Luc.* XXIV. 48. *Act.* I. 8. Cui mandato obsequuti Apostoli egressi Hierosolymis ac Judæa, toto orbe prædicarunt Euangelium. *Marc.* XVI. 20. *Rom.* XV. 18. 19. & XVI. 25. 26. *Col.* I. 23.

IV. Interim quamvis, mandato illo Christi universali, nulli jam genti nefas sit prædicare Euangelium, nec genti aut populo ulli singulari privilegio donata sint & concredita eloquia Dei, sicut olim Judæis *Rom.* III. 2. Attamen arcana divinæ providentiæ dispensatione factum, ut nulla unquam ætate N. T. universis ac singulis hominibus per totum terrarum orbem prædicatum sit Euangelium. Sed quemadmodum initio cum Judæorum rejectione facta est plenior Gentium vocatio *Rom.* XI. 12. 15. sic neque ad illas cunctas simul & semel pervasit prædicatio Euangelii: sed temporum momenta successiva moderatus est pro arbitrio Spiritus S. *Act.* XVI. 6. 7.

V. Eapropter, contra experientiam etiam historiæ Apostolicæ, torquent loca sequentia *Act.* XVII. 30. *Deus nunc denunciat omnibus ubique gentibus ut resipiscant*: & *Rom.* X. 18. *Sed inquam ego, an non audierunt? Imo vero in omnem terram exivit sonus eorum & in fines orbis terrarum verba eorum.* Et

Col. I. 23. *Euangelium prædicatum omni creaturæ quæ sub cælo est.* Quicunque inde voluerint exprimere universalissimam aliquam, omnium & singulorum hominum in toto mundo, vocationem ad resipiscentiam & fidem per prædicationem Apostolorum.

VI. Et post Apostolorum excessum testis est Historia sacra & Ecclesiastica; & ob oculos est experientia, candelabri translati à Gente una in aliam *Apoc.* II. 5. Ut plurimis Gentibus, maxime per Asiam, Africam, & Americam, quibus Euangelium prædicarunt Apostoli & viri Apostolici, illud desierit prædicari, jam à multis retro annorum centuriis.

VII. Universalitas ergo Promissionum Euangelii, necessario limitata & restricta est, saltem ad solos per Verbum Euangelii vocatos, juxta illud: *Vobis & liberis vestris facta est promissio, & Omnibus qui procul sunt, Quoscunque advocabit Dominus Deus noster. Act.* II. 39.

VIII. Enimvero, quamvis Verbum prædicatum commune sit omnibus per Verbum vocatis, non tamen in solidum communis est omnibus & singulis desipita consolatio per promissiones remissionis peccatorum, & plenæ cum Deo reconciliationis ac hæreditatis vitæ æternæ, sed hæc contractiori quadam Universalitate, intra visibilem Ecclesiam, tantum est salvandorum: qui consequenter, ut juxta propositum Electionis divinæ vocati, *Electorum* nomine segregantur, à communiter per Verbi prædicationem vocatis. *Multi vocati, pauci Electi. Matt* XX. 16. & XXII. 14. Quia etiam illi Vocatorum nomine à reliquis auditoribus verbi discernuntur, propria & singulari notione Vocationis interioris efficacis. *Rom.* VIII. 28. & I. *Cor.* I. 24.

IX. Commune ergo est Verbum prædicatum auditoribus etiam non salvandis, spectata concione resipiscentiæ, & Pædagogia Legis illa, quæ gignit Spiritum servitutis ad metum nec non schemate illo legali, quo hypothetice sub conditione veræ resipiscentiæ, annunciantur promissiones Euangelii, relicta unicuique interiori applicatione illorum, post probationem sui ipsius; & vere resipiscentibus mandatur opus Fidei *Joh.* VI. 28. 29.

X. Communi illa exteriori vocatione, absolute omnes verbi auditores jubentur serio resipiscere: nec non fide divina sine fluctuatione credere, Jesum esse Christum Filium Dei, qui omnes vere resipiscentes redemit suo sanguine. Adeoque juste cumulatur illorum damnatio, in quibus, vel per neglectum & contemptum Euangelicæ veritatis, manet ἀγνωσία τοῦ θεοῦ *Dei ignoratio* I. *Cor.* XV. 34. vel non obstante illuminatione à Spiritu S. *cor* ἀμετανόητον *resipiscere nescium*, seu καρδία πονηρὰ ἀπιστίας. *cor malum infidele*, generans Apostasiam. *Hebr.* III. 12, *Rom.* II. 5. *cum* 2. *Tim.* III. 7. 8. & *Tit.* I. 13. 16.

XI. Verum non pariter omnes prima instantia jubentur de se quisque credere, Christum pro se mortuum esse, atque se per mortem Christi Deo plene reconciliatos esse; juxta illud Pauli, *qui dilexit me & tradididit se ipsum pro me Gal.* II 20. Hoc enim certo & absolute de se credere jubentur soli serio & vere resipiscentes.

XII. Quin;

XII. Quin ne intempestive illam Fidem, & consolationem de Christo pro se mortuo illotis manibus quisquam usurpet, cautum est à Christo, & generali interdicto, *ne detur sanctum canibus &c. Matt.* VII. 6. & institutione disciplinæ Ecclesiasticæ, ad excommunicationem, in usu clavium. *Matt.* XVI. 19. *Joh.* XX. 23. Adeo ut nonnunquam annunciandum sit illud; *Non est tibi pars neque sors in hoc negotio: cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu. Act.* VIII. 21.

XIII. Quotquot tamen vere resipiscunt audita prædicatione Euangelii, (quamvis nihil se exserat præter contritionem & dolorem ob peccata ἀνυπόκριτον, in praxi seu opere spirituali τῆς μετανοίας resipiscentiæ) illis omnibus & singulis Lege Euangelii imperatur, non tantum καταφυγὴ seu refugium ad Christum, & propositam spem Gratiæ Christi: verum etiam Fides illa, non frustra fore τὴν καταφυγὴν, propter immutabilitatem consilii Dei, de qua fidejussit jurejurando ad solidam consolationem *per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut Deus mentiatur*. Imperatur quippe mandato Fidei, ut *testimonium accipientes obsignent Deum veracem esse. Joh.* III. 33. Atque hoc pacto obligantur Verbo seu lege Euangelii seu lecta seu audita, (ut credant Christum pro se mortuum esse, atque se morte Christi Deo plene reconciliatos, sibique Testamento, quod morte Christi obsignatum est, legatam hæreditatem vitæ æternæ) omnes & soli vere resipiscentes: ut contrarium teneantur de se credere non resipiscentes, quatenus & quantisquer tales.

XIV. Ut autem solis vere resipiscentibus propriæ sunt, cum illa ad Fidem particularem obligatione, Promissiones & Consolationes Euangelicæ, non autem communes, communi omnibus & singulis auditoribus verbi sententia & lege seu præcepto Euangelii, ita rursus omnibus vere resipiscentibus universales sint.

XV. Estque ita Universalitas vera Gratiæ Christi in eo sita, quod neque ulla temporis præscriptione, aut vitæ brevioris vel longioris limitatione, seu præfinitione, quisquam vere resipiscens verbo consolationis destituatur. Spondet enim Christus consolationem solidam universim *omnibus fatigatis & oneratis Matth.* XI. 28. ac pronunciat beatos, *pauperes spiritu, lugentes, esurientes ac sitientes justitiam Matt.* V. 3. 4. 6. ac fidem dat, *ex iis qui ad ipsum veniunt, se neminem ejecturum foras. Joh.* VI. 37.

XVI. Negatur, non citra impietatem, vera hæc Gratiæ Christi & promissionum Euangelii Uuiversalitas, per illam Remonstrantium Theologiam practicam in consolatione morientium, quam notavimus *Artic. I. Sect. VI.*

XVII. Est ergo inanis consolationis πρόφασις tantum, in illa quam ipsi tuentur Promissionum Euangelii Universalitate: quandoquidem negant illam Universalitatem Promissionum, quæ Verbo & juramento divino confirmata est. *Psal.* LI. 10. *Matt.* XII. 18. *ex Esai* XLIV. 2. *Ezech.* XVIII. 32. *cum* XXXIII. 11. *Rom.* XIV. 7. 8. 9 1 *Cor.* III. 21. 22. *Rom.* VIII. 38. 39. Quibus locis omnes & singuli vere conversi in vita &

 in morte,

in morte, eriguntur in certam spem vitæ æternæ: & abunde cautum est contra scrupulum de sera in morte conversione, modo sit seria.

XIX. Pro alia præpostera Universalitate promissionum Euangelii, qua scilicet teneantur omnes credere, Christum pro se mortuum esse, saltem quotquot per Verbum Euangelii vocantur ad audientiam, Achilles adversariorum est locus illustris *Tit.* II. 11. *&c. Illuxit enim Gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & juste & pie vivamus in præsenti sæculo &c.* Enimvero non est sermo illic de Gratiæ Dei salutiferæ Promissione aut promissionis universalitate: sed de Religionis Christianæ evidenti apud quosvis adversarios & obvia omnibus Apologia, ut sermo sanus damnari non possit, & nihil illi habeant quod de illa male dicant, siquidem Christiani ambulent convenienter doctrinæ Servatoris & Gratiæ Dei salutiferæ, ne sermo Dei blasphemetur. *v.* 5. 8. *&* 10.

DISP. VI. SECTIO III.

DE

Vocationis per Verbum Successu.

DE vocationis per Verbum successu, quæritur hic, an tribui debeat efficaci operationi divinæ, an hominis operi quo Deum vocantem sequitur? Intelligitur autem in hac quæstione non successus qualiscunque, qui & Electis & Reprobis communis esse solet, per illuminationem à Spiritu S. & naturæ vitiosæ refrenationem ac repressionem, vitiis tamen non exstinctis: quæ in Reprobis est *πρόσκαιρος temporaria*, sine Perseverantia, quia non radicata. *Hebr.* VI 4. 5. 8. *cum Luc.* VIII. 13. 14.

II. Verum intelligitur successus vocationis solidus, quo solida cordis ad Deum fit conversio, & creditur in Deum per Christum Fide salvifica, radicata, electis propria. Hunc autem solidum successum tribuimus non homini resipiscenti & credenti, nec operi resipiscentiæ & fidei humano, sed efficaci operationi Dei hominem regenerantis; qui & *cor circumcidit* ipse, & *donat cor novum*, adeoque & *τὸ resipiscere, & τὸ credere. Eph.* II. 8. *Phil.* I. 29. *cum Deut.* XXX. 6.

III. Et in hac, & in altera (quæ sequetur *Art. V.*) de Perseverantia sanctorum controversia, *Remonstrantium πρῶτον ψεῦδος* est; non posse fieri per Dei sapientiam & naturam Fœderis, ut quod nobis mandatur tanquam opus nostrum, idem Deus in nobis operetur efficaciter & gratis nobis donet, aut se operaturum & daturum promittat.

IV. Hinc putant se elabi posse ejusmodi responsione ad locum *Phil.* I. 29. *Vobis gratis datum est τὸ credere in ipsum, quin etiam pro ipso pati. Non posse inde effici, quod datio hæc significet efficientiam determinantem; quod contrarium satis inde liqueat, quod Apostolus diserte Philippenses monet, ut lubenti ac forti animo afflictiones omnes tolerent, & propter illas ab instituto suo dimoveri se nullo modo patiantur.*

tiantur. *Monere autem*, inquiunt, *serio aliquem, ut in tolerando perseveret, & eidem indicare, quod Deus per determinantem efficaciam in eo operetur ut perseveret in tolerando, sapientem monitorem non decet. Apol. Confess. cap.* XVII. *fol.* 168. 169.

DISPUTATIO SEPTIMA

AD

Articulum III. & IV.

IN QUA

Sectionis III. reliqua.

NOs asserimus flagitare omnino naturam Fœderis Novi Testamentariam, ut mandatam fidei & resipiscentiæ conditionem salvandis Deus donet ac conservet. *Hebr.* VIII. 7 ---- 13. *cum Ezech.* XI. 19. 20. Quia Testamentum Fœderi intercedens non patitur, ut denuo irritum fiat Fœdus novum, sicut irritum fuit Vetus. Atque hoc unum est, propter quod Apostolus affirmat quæsitum locum novo illi fœderi, (quod præstantius esset, & præstantioribus promissis sancitum) quod confœderati non perstiterint in illo Veteri fœdere.

II. Remonstrantes autem illa sua assertione necesse habent saltem illud retractare, quod in medio relinquunt *Declar. Synod. Artic.* V. *de Persev. pag.* 190. *An non aliquando Deus fideles quosdam dono perseverantiæ indefectibilis remuneretur.* Hoc enim quomodocunque fiat, etiamsi, quod illi volunt, ratione quadam extraordinaria, cessat illa criminatio; donationem perseverantiæ indefectibilis non decere sapientem monitorem.

III. Demonstrabimus autem apertissimo Scripturæ testimonio, insipienter illos pronunciare illud, non decere sapientem monitorem, ut per efficaciam determinantem Deus in nobis operetur Fidem & resipiscentiam nobis imperatam. *Marc.* XIII. 11 ---- 13. sic discipulis suis loquitur Christus: *Quum autem vos traditos duxerint, ne ante soliciti estote, quid dicturi sitis: neque meditamini, sed quidquid datum vobis illo momento id loquimini: non enim estis vos qui loquimini sed Spiritus S.* Et mox *vers.* 13. *Qui perseveraverit ad finem usque is servabitur.*

IV. Non potuit Christus magis efficaciter, & independenter ab homine operantem gratiam Spiritus S. in homine & per hominem promittere, & donandam oris apertionem ad loquendum; quam ut vetet etiam ante momentum illud ipsos solicitos esse aut præmeditari quid loquuturi sint, quia non ipsi sint loquuturi sed Spiritus. Attamen exserte monet & mandat, ut, quod illis datum fuerit eloqui, illud eloquantur, τῦ το λαλεῖτε; nec non hortatur ad perseverantiam & invitat.

V. Huc spectat historia *Act.* II. collata à Petro cum promissione facta *Joël.* II. De qua ista est *Remonstrantium* evasio; *Non agi de donatione seu effu-*

 sione

sione Spiritus quæ Fides efficitur, sed de donatione donorum istorum miraculosorum Spiritus, quæ Deus in servos & ministros suos effusurus erat, ut idonei & apti redderentur ad prædicationem Euangelii intrepide faciendam &c. Apparet autem, inquiunt, *ex historia, dona illa Spiritus data non fuisse nisi jam credentibus & adsentientibus Euangelio, uti Act. v. 32. diserte affirmatur.*

VI. Non elabuntur evasione ista. Etenim argumenti nostri robur in eo situm est; non implicare contradictionem, qualis non deceat sapientem monitorem, ut Deus promittat se daturum & donet, vel efficaci miraculo, id quod mandat, & monet. Hoc autem circa illam historiam *Act.* II. jam confirmatum ex *Marc.* XIII.

VII. Dato itaque non concesso isthoc *Remonstrantium* postulato, non nisi jam credentibus & assentientibus Euangelio donationem apud Joëlem promissam, miraculosa effusione præstitam: tamen certissimum est, miraculosa illa effusione Spiritus S. Apostolorum qui crediderant Fidem περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, de communi salute, auctam & confirmatam, ad obeundum intrepide & perseveranter martyrium pro Christo. In quo martyrio constituti loquebantur ex Spiritu Fidei, per quem omnes credentes ut credunt ita loquuntur, 2 *Cor.* IV. 13. Atque ea propter Spiritus in Apostolos effusus die Pentecostes à Christo fuerat promissus nomine παρακλήτου *Consolatoris*, *Joh.* XIV. 16. 26. & XV. 26. & XVI. 7.

VIII. Confirmatur porro, fieri posse per sapientiam Dei donationem Fidei & resipiscentiæ, ipsa experientia in conversione Pauli, quem contra ruentem, & persequentem fideles, Deus efficacissima operatione interiori donavit vera contritione & Fide infusa. *Act.* IX. In qua Pauli conversione (quantumvis illa esset miraculosa in solidum) ipso miraculo *intercedente* confirmatum est, non implicare contradictionem cum Dei sapientia nostram assertionem: quia nunquam impingunt miracula in Dei sapientiam, sed illam vindicant.

IX. Enimvero in Pauli quidem conversione fuit miraculosa exterior vocatio per verbum cœlitus factum, & pulsatio hominis exterioris. Sed vocationis exterioris successus ille, quod sequuta sit cordis contritio & infusio habitus Fidei, fuit eadem illa Spiritus Dei efficacia in Paulo, quæ Fidem & resipiscentiam operatur in cordibus salvandorum. Fuit enim in Pauli conversione edita ὑποτύπωσις seu exhibitum exemplum operationis Gratiæ efficacis, qua se consolarentur in Christum credituri, 1 *Tim.* I. 16.

X. Similiter censendum est de donata Apostolis aliisque, qui miraculose acceperunt Spiritum S. certitudine salutis, ad solidam consolationem contra futuri temporis Apostasiam *Rom.* VIII. 38. 39. non posse illam vindicari solis illis, quibus miraculose confirmata est revelatione extraordinaria, exclusis aliis fidelibus. Quandoquidem dictat Apostolus exserte, omnes Apostolis donatas consolationes de communi salute, usu communes esse ex Dei consolantis intentione omnibus credentibus. 2 *Cor.* I. 4.

XI. Deinde, dato non concesso, extra ordinem Paulo aliisque Apostolis donatam certitudinem Perseverantiæ, hoc saltem habemus, quod

Thesi VI.

Thesi VI. vidimus vi veritatis *Remonstrantibus* expressum ; *Perseverantiæ, quam Deus mandat & monitionibus urget, certitudinem divinitus sapienter donari posse: in qua Perseverantia est Vocationis per Verbum successus solidus & plene consummatus.*

DISP. VII. SECTIO IV.

DE

Infusione Habituum Spiritualium.

Est hoc in Pontificiorum schola vestigium veteris orthodoxiæ in loco de Vocatione efficaci, quod Fidem, Spem, Charitatem faciunt *Habitus*, & quidem non *Acquisitos*, sed *Infusos*.

II. *Remonstrantes* contradicunt; *Episcopius Disput. XIV. de Fœdere Novo Thes. III. Conditio*, inquit, *quam stipulatur Deus continetur Præceptis Fidei & Resipiscentiæ: Ineptos autem esse credimus illos, qui hæc duo conditiones N. T. esse negant, sed ea aut sub Promissis N. T. comprehendunt, aut Habituum vel qualitatum Infusarum nomine definiunt: cum habitus & qualitates infusæ sub præcepto nullo modo cadere possint.*

III. Nos auctoritate Scripturæ confirmamus, primo, Fidem *Habitum* esse. Quia affirmat Scriptura nos illam habere *Matth.* XVII. 20. 21. 22. *Marc.* IV. 40. *Luc.* XVII. 6. *Rom.* XIV. 22. 1 *Tim.* I. 19. *Phil.* I. 5. *Jac.* II. 1. 14. 18.

IV. Quod ne existimetur in loco Jacobi accipiendum univocè de Fide & de Operibus, dicente Jacobo, *tu fidem habes, & ego opera*: habemus limitatè explicatum modum habendi Fidem, per *habitationem in nobis* 2 *Tim.* I. 5. ἥτις ἐνῴκησε. *Quæ inhabitavit primum in avia tua Loïde, & matre tua Eunice: persuasus autem sum, quod etiam in te.*

V. Inhabitat autem Fides in nobis, ut charisma Spiritus S. ut æquipolleat habere fidem *& habere spiritum* Fidei. 2 *Cor.* IV. 13. Quare etiam Fides vocatur *Unctio in nobis manens, nos docens omnia.* 1 *Joh.* II. 20. 27.

VI. Deinde consequenter asserimus Fidem esse *Infusum* habitum: quia Spiritus S. Unctio & charismata ejus quibus regeneramur & renovamur, *effunduntur in nos Tit.* III. 6. atque sic *Charitas effunditur in corda nostra per Spiritum S.* quando *Deus per Fidem purificat corda. Matth.* III. 11. *Act.* XV. 9.

VII. Quamvis autem *sub præcepto non cadat actus Dei infundentis & ingenerantis habitum*, adeoque *nec existentia habitus infusi ratione istius determinatæ originis*: attamen non uno modo habitus sub præcepto cadit, & antequam divinitus infundatur, quando à Lege Pædagogo præcipitur tantisper ut labore & exercitatione resipiscentiæ acquirendus, donec experiatur homo τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου &c. *Rom.* VIII. 3 & Spiritus sublevans infirmitatem nostram infundat cum Resipiscentia Fidem.

VIII. Postquam autem infusa est à Spiritu Fides, rursus sub præceptum cadit, quatenus conservandus & fovendus est habitus Fidei meditationibus perpetuis & jugi exercitatione. Ut applicari possit illud Pauli,

Depositum serva. 1 *Tim.* v i. 20. *& Ne negligito donum quod in te est.* 1 *Tim.* i v. 14. Hoc respectu exserte præcipit Christus, ἔχετε πίστιν Θεοῦ, *habete Fidem in Deum Mart.* xi. 22. & Jacobus vetat habere fidem ἐν προσωποληψίαις. *Jac.* ii. 1.

IX. Minime autem contradictionem implicant ista, neque uno affirmato alterum negamus, esse τὸ *Credere* & τὸ *Resipiscere* conditiones N. T. nobis præscriptas, & esse charismata seu dona gratis data Habitus Spirituales Fidei & Charitatis, quin ipsas ex habitu elicitas actiones, quia, ut primum illud, ita posterius pariter affirmat Scriptura. *Phil.* 1. 29. & ii. 13.

X. Conciliatur autem Enantiophanes, per Euangelici fœderis differentiam istam, quod in Euangelico fœdere, secus quam in Legali, salutis dispensatio divina, & jus ad hæreditatem promissionum, non sit à Conditionibus istis ut ab opere nostro suspensa.

XI. Adeo ut hanc ob causam Apostolus in ipsa Salvifica Fide removeat, ab opere nostræ obedientiæ, efficaciam salutarem in antithesi ad Gratiam Dei, qua nobis datur τὸ *Credere. Eph.* ii: 8. 9. 13. *Gratia salvati estis per Fidem, non ex vobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus opus, creati in Christo Jesu ad opera bona.*

XII. Est ergo de præcepto, πιστεύετε *credite*, sic censendum; Operi nostro normam & modulum præscribere Legem, non Euangelium præcise intellectum: secundum quam normam Legis Fides judicatur robusta aut imbecillis, & urgetur debita operis Fidei perfectio; adeoque hic etiam Præceptum ipsum materiam ministrat non spei sed desperationi, estque sicut reliqua Lex, Litera occidens.

XIII. Euangelio autem ancillatur & spem ministrat salutis, ut Pædagogus ad Christum: quatenus vocat Præceptum istud ad propriæ Justitiæ abnegationem, & ejusmodi exhibet objectum operationis Fidei nostræ, in quo præexstitit solidum consolationis fundamentum, etiam contra ipsam Fidei imbecillitatem.

XIV. Hinc omnium vere credentium, tam infantium quam adultorum in Fide, Fides in justitia Dei nostri & Servatoris nostri Jesu Christi est ἰσότιμος 2 *Petr.* 1. 1. Quod locum non haberet, si æstimatio fieret ad mandatam perfectionis normam: aut appreciatio operis perfecti, ad salutem ut operis mercedem.

XV. Euangelicè ergo accepta vox illa, *Crede & Fidem habe*, æquipollet consolationi, qua datur resipiscenti πληροφορία ista, ut tuto recumbat anima ipsius in Gratiam Christi, quando verè salutem sitit; juxta illud, μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε, *Ne metue, solummodo Crede. Marc.* v. 36.

XVI. Ad hanc analogiam, juxta præceptum veræ resipiscentiæ & bonorum operum, sunt expressæ in Scriptura illæ Novi Fœderis formulæ, per quas ipsa resipiscentia ad peccati mortificationem & bonorum operum studium promittitur tanquam donum Dei, quod ipse operaturus sit in nobis: ut isthoc signo & argumento cumulatior sit & solidior Fidei consolatio *Jer.* xxxii. 40. *Esai.* lix. 2. 1 *Petr.* 1. 4. 2 *Petr.* 1. 3. 1 *Joh.* iii. 9. & v. 18.

XVII. Est

XVII. Est ergo à Lege quidem, non ab Euangelio præcise intellecto petenda in resipiscentiæ praxi bonorum operum norma, & ipsa interior conscientiæ directio in Odio peccati & Amore justitiæ: sic tamen ut Jus ad vitam æternam Euangelio promissam, non pendeat à Legali perfectione resipiscentiæ, & bonorum operum, ut acquirendum demum.

XVIII. Pendet enim nobis jus illud totum ut jam quæsitum à Christo, ex divina nostri insitione in Christum, in se arcana, nobis autem revelata per fidem, quæ per bona opera fructificat ad gratitudinem nostram. Nam qui credit, habet vitam æternam, (per arrhabonem Spiritus) tanquam παρακαταθήκην seu depositum, quod ipsi servatur in cœlis *Joh.* III. 36. v. 24. VI. 40. 47. 54. I *Joh.* v. 13. 2 *Cor.* I. 22. 2 *Tim.* I. 12. I *Petr.* I. 4.

DISP. VII. Ad ARTICULUM V.

DE

Perseverantia Sanctorum.

SECTIO I.

DE

Subjecto Perseverantiæ.

Controversia de Perseverantia Sanctorum, certa an incerta, pendet initio à determinatione Subjecti, cui certitudinem Perservantiæ vindicamus secundum Scripturas, quod *Sanctorum* nomine continetur. Intelligimus autem initio Personas Sanctorum singulares: non autem populum sanctum per externam visibilis Ecclesiæ ex mundo segregationem; qualiter *Populus sanctus* dictus fuit Ecclesia Judaïca *Deut.* VII 6.

II. Nam ut Ecclesiæ visibilis permansio non dicitur in singulorum perdurατione, sed in perpetua aliorum successione, sic Perseverantia sanctitatis continetur sola similitudinis successione: adeo ut necessario sancta esse desinat, si sanctis singularibus paulatim in cœlum sublatis, residui maneant & subnascantur posteri profani.

III. Hanc Ecclesiarum visibilium possibilem Apostasiam, sine præjudicio Perseverantiæ singularium sanctorum, nemo orthodoxus negat: ac de illa, non autem de Sanctorum singularium Apostasia accipienda sunt loca, de vitis generosæ & fertilis defectione in degenerem & noxiam *Jes.* V. 2 & de ramis naturalibus sua incredulitate detractis ex spirituali oleâ Christo. *Rom.* XI.

IV. Sanctos autem singulares porro intelligimus, non quosvis quocunque modo in Ecclesiis visibili sacrorum consortes, aut donorum Spiritus S. participes, ad mentis illuminationem per fidem dogmaticam, quin etiam, aliquam affectuum mutationem, aut pristinarum cupiditatum refrænationem, per agnitionem veritatis, ad externam vitæ correctionem.

V. Sed

V. Sed intelligimus Sanctos, vere interna regeneratione sanctificatos, & à Spiritu regenerante donatos fide salvifica vera, ad Justificationem Euangelicam, & vitæ spiritualis interioris novitatem: breviter qui non humano secundum charitatem judicio Sancti censentur, sed qui Dei, & fidem & conscientiam ipsorum pernoscentis intime, judicio secundum veritatem Sancti sunt, & imputata Sanctitate Christi perfecta, & inhærente ipsis sanctitate inchoata.

VI. Hujus loci est plenior vindicatio loci *Hebr*. x. 29. quem tangebamus *Thesi* XXII. *Disput. V. Sect. IV.* Diximus illic non videri largiendum, ut verbo ἡγιάσθη *sanctificatus* fuisse dicatur sanguine Fœderis, qui sanguinem Fœderis profanum ducit. Quid ergo? Verbum ἡγιάσθη *sanctificatus est* accipiendum videtur non de hoste Filii Dei, sed de Filio Dei ibidem nominato, atque exponendum ex verbis Christi *Joh*. XVII. 19. *Pro ipsis me sanctifico*, hoc est consecro me corporis & sanguinis mei sacrificio. Cujus quidem expositionis optionem faciunt lectori ipsi *Remonstrantes. Defens. Synod. Art. V. pag.* 237. *&* 238.

VII. Posset autem, quod mallemus nos, accipi τὸ ἡγιάσθη de ipso Fœdere, *in quo sanctificatum est*, Latine in neutro genere: ut sanctificatum sit *sancitum*, ut synonyma sint ista Fœdus sanctificatum, & fœdus sancitum, in sanguine.

VIII. Hos autem, quos definivimus, omnes & solos facimus Subjectum illius quam asserimus Perseverantiæ: hoc sensu, ut quum à cœtibus aut populis ingratis & contumacibus, propter Apostasiam à Fidei & Pietatis Professione, & praxi extereriori, justo Dei judicio etiam ministerium Euangelii omnino aufertur, (quod necessarium est regenerationis ac sanctitatis propagandæ semen atque Instrumentum) singulares tamen sancti & regeniti non deficiant, sed his paulatim in cœlum sublatis, & profanis manentibus residuis, & similibus subnascentibus posteris, sanctus populus esse desinat. *Rom*. XI. 2. 5. 7. *cum* 17. 19.

IX. Subjectum autem Perseverantiæ facimus illos omnes & solos, pariter quidem ratione veritatis essentiæ, non pariter ratione integritatis ac mensuræ: ut laus Perseverantiæ non ex homine perseverante sit, sed ex Deo conservante, & perficiente virtutem suam in infirmitate. 2 *Cor*. XII. 7. 8. 9. *Rom*. III. 7.

X. A perseverantis ergo subjecti infirmitate varia varias quidem eclipses habet Perseverantiæ vigor & virtus ac consequenter etiam consolationum divinarum sensus interior. Et posset carni, Satanæ, & Mundo sibi relictus homo etiam regenitus viribus cedere ac victus succumbere non minus, quin magis, quam tentationi succubuit Adamus primus. Non accidit tamen nec evenit aut totalis aut finalis Sanctorum Apostasia: quia subvenit laborantibus promissum Spiritus S. subsidium, per jugem & semper vivam pro illis Christi intercessionem, juxta id quod Petro dictum à Christo. *Luc*. XXII. 31. *&c.*

DISP. VII.

DISP. VII. SECTIO II.

DE
Impossibili Sanctorum Apostasia propter Fœdus Gratiæ æternum.

EX præsenti instituto sufficiet Perseverantiæ sanctorum Euangelicè justificatorum demonstratio, ex Fœderis novi Gratiæ Æternitate, quæ contradictionem implicat cum eorundem Totali aut Finali Apostasia.

II. Æternitatem illam novi Fœderis Gratiæ confirmamus primo, ex illorum testimoniorum classe, quibus commendatur præstantia & excellentia Promissionum Novi Fœderis supra Promissiones Veteris Fœderis legalis, hoc nomine, quod Vetus Fœdus factum sit irritum per Apostasiam. *Hebr.* VIII. *à v.* 6. *ad finem Capitis*, *& Hebr.* X. 14 — 17. *ex Jer.* XXXI. 31. 32.

III. Hoc enim Veteris legalis Fœderis ἀτοπεῖς corrigitur ista Promissione nova; fore ut Deus *Leges suas* mentibus & *cordibus inscribat*, *& peccatorum atque iniquitatum ipsorum non recordetur amplius Jer.* XXXI. 33. 34. atque ut *indat illis cor unum & viam unam ad timendum Deum omnibus diebus*: quo nomine Deus inquit, *pangam ipsis Fœdus perpetuum*, *quia non avertam me à prosequendo ipsos*, *benefaciendo ipsis*, *& timorem mei indam animo ipsorum*, *ne recedant à me. Jer.* XXXII. 39. 40. Quam promissionem confirmat & illustrat testimonium *Ezechielis* XXXVI. 25. 29.

IV. Non corrigeretur certe illud Veteris Fœderis ἀτοπεῖς, quod corrigendum erat, Deo illis verbis expressum; *isti non perstiterunt in illo meo Fœdere*, *& ego despexi eos*: si (quod contendunt *Remonstrantes*) in Novo Fœdere etiam hoc fit, ut confœderati non perstent in Novo Fœdere, & Deus tandem illos despiciat.

V. Quod fieri asserunt hoc pacto, ut Deus, tentato sine successu illo Gratiæ apotelesmate, quod locis jam indicatis se moliri velle testatur, (puta ut indat cor novum, amoveat cor lapideum, indat timorem animis ipsorum, ne ab ipso recedant, servet ipsos ab inquinamentis) victus ipsorum cordis duritie, non persequatur ipsos benefaciendo sed peccatorum postliminio recordetur; quod ubi fit fœdus antiquatur.

VI. Deum non tentare unquam sine successu illud Gratiæ Perseverantis apotelesma, confirmant expressæ affirmationes Scripturæ in contrarium. 1 *Cor.* 1. 8. 9. *Phil.* 1. 6. 1 *Thess.* V. 23. 24.

VII. Atque indubitatum Perseverantis Gratiæ apotelesma promittit Deus, ultra Novi melioris Fœderis titulum, adhibita nomenclatura expressa *Fœderis perpetui Gen.* XVII. 7. *Jer.* XXXII. 39. quæ flagitat benignitatem sempiternam, qua Deus sic misereatur semel, ut non denuo effervescat, contra illos quorum misertus est, increpatione & indignatione æterna. Quod non fore Deus jurat, ex Fœderis Noacho jurati typo, addens porro, *quamvis hi montes recederent*, *& hi colles dimoverentur*, *attamen*

benignitas mea à te non recedet, & Fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Jehovah. *Esai.* LIV. 8. 9. 10.

VIII. Benignitatis illius æternæ, perpetui Fœderis titulo olim juratæ Abrahamo, illam quam urgemus Perseverantem efficaciam, explicat Pater Johannis Baptistæ, asserens *Deum jurejurando jurasse Abrahamo patri nostro, se daturum nobis, ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, serviremus ipsi cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ nostræ.* Atque hoc vocat *Fœdus* seu *Testamentum Dei sanctum.* *Luc.* I. 70 --- 75.

IX. Eandem illustrat celebris illa ter inculcata promissio, communis omnibus viva fide Christo insitis, *Desponsabo te mihi, desponsabo te mihi in sæculum, justitia, judicioque, ac misericordia & miserationibus: & desponsabo te mihi in fide.* *Hos.* II. 19. 20.

X. *Ex versu ibidem* 23. collatione facta cum *Rom.* IX. 24. 25. & 1 *Pet.* II. 30. nihil certius est, quam accipiendum esse Hoseæ testimonium de spirituali Ecclesiæ conjugio cum Deo, quo ex non populo efficitur populus, ejusque miseretur Deus, cujus non erat misertus. Desponsatio autem in sæculum justitia, judicio, misericordia, & miserationibus Dei, in Fide, dicit vinculum conjugii, quo Deus agglutinatur Ecclesiæ, indissolubile.

XI. Alteram Classem testimoniorum faciant loca illa, quæ docent, in Desponsatione illa, qua novo fœdere Deo agglutinantur credentes, illos *obsignari Spiritu adoptionis*, qui *testatur ipsos esse filios Dei*, quique est *arrhabo hæreditatis ipsorum, ad diem redemptionis*, id est ultimum diem gloriosæ & plenæ liberationis. *Rom.* VIII. 15. 16. *Eph.* IV. 30. 2 *Cor.* I. 22. *Gal.* IV. 6.

XII. Atque Spiritus ille dicitur dari in *Consolatorem, qui maneat nobiscum in æternum.* *Joh.* XIV. 16. *Et per illum dari nobis consolatio æterna* 2 *Thess.* II. 16. Et ex illa consolatione *spes* bona; quæ *non pudefacit*, sed est *animæ anchora* ἀσφαλής τε καὶ βεβαία, *infallibilis ac firma.* *Rom.* V. 5. & IX. 33. *Hebr.* VI. 18. 19. Quæ etiam dicitur *spes viva hæreditatis nobis servatæ in cœlis, quæ nec perire potest nec contaminari nec marcescere. Qui ipsi virtute Dei custodimur per Fidem, ad salutem, quæ parata est patefieri tempore ultimo* 1 *Petr.* I. 3 4 5.

XIII. Tertio loco argumentamur ex absoluta & minime dubia promissione, qua Pater Christo promisit æternum Sacerdotium, & Regnum immutabile, in Ecclesia stabiliendum: & propagandum generatione liberorum spiritualium, quos introduceret in gloriam. *Ego unxi Regem meum super Sion montem sanctum meum* *Ps.* II. 6. *Juravit Jehovah, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedek.* *Ps.* CX. 4. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit Semen longævum, & voluntas Domini per manum ejus prosperabitur; ex labore animæ suæ fructum videbit, & saturabitur: cognitione sui justificabit justus servus meus multos.* *Esai.* LIII. 10. 11. Et fertilitatem Ecclesiæ, admirabilem futuram sub regno Christi, prædicat Propheta *Capite seq.* LIV. & Psaltes. *Ps.* LXXXVII.

XIV. Ex hypothesibus *Remonstrantium* de Prædestinatione & capitibus annexis, quorum postremum est Sanctorum Apostasia, seu dubia & lubrica Perseverantia Funambulorum salutis, (ut olim loquutus est practice

P. Bertius)

P. Bertius) quia tenuissimum filum vocationis divinæ lapsabundo gradu insistunt, carnem Spiritu Christi liberantes, animam fide fulcientes, oculum lege temperantes, non aliter ad salutem æternam & patentes beatitudinis campos transmittendi: consequens est potuisse fieri, ut nec subditos nec membra haberet Christus, qui ei obedire vellent, aut in Fidei obedientia perseverarent: atque ut eo pacto nulli per Christum salvarentur. *Grevinchovius Dissert. contra Amesium pag.* 14. *Remonstr. Declar. sent. in Synodo, Art.* I I. *pag.* 285. *& Apol. Conf. cap.* I X. 103. 104.

XV. Atqui ex promissionibus Christo factis, quas jam *Thesi* X I I I. produximus, omnino necessarium fuit, ut plurimi fierent subditi Regis, & membra Capitis Christi, & manerent. Etenim oraculum illud *Psal.* I I. de uncto Rege super Sion monte sancto Dei, flagitat ut non dominetur Christus, ex hypothesi, tantum puniendo rebelles & apostatas: sed ut habeat fideles subditos, qui Spiritu Christi ducantur, ut unctionis ipsius consortes, & perducantur ad vocationis metam: alias enim tantum haberet regnum in monte Sinaï, ex legali fœdere. Confer *Gal.* I V. 24 --- 31.

XVI. Porro ex jurata promissione æterni Sacerdotii *Ps.* C X. concludit Apostolus ad *Hebr. cap.* V I. *&* V I I. hanc solidam nostram consolationem; quia non potuit frustra susceptum esse hoc juramentum divinum, necessarium fuisse ut plurimi essent, quos juxta immutabilitatem consilii divini Christus servaret εἰς τὸ παντελές. Quos Apostolus jam ante *Capite* I I. 10 --- 13. definiverat divina Prædestinatione ad adoptionem in filios, quando dixit; *Decebat enim ipsum, propter quem sunt hæc omnia, & per quem sunt hæc omnia, multos filios in gloriam adducentem, principem salutis ipsorum per afflictiones consecrare.*

XVII. Non ergo potuit fieri, ut per æternum Christi Sacerdotium, nulli Filii Dei adducerentur in gloriam: aut ut nullum haberet Regiæ potestatis exercitium Christus, quam in puniendis rebellibus & perduellibus.

XVIII. Atque ex indicatis jam locis *Esai.* L I I I. *&* L I V. idem planissime confirmatur: promittitur enim Christo absolute *Semen*, id est Filii spirituales multi, quos prænunciatur sui cognitione justificaturus; & promittitur Christo *satietas*, quæ significat expletionem desiderii illius, ex quo susceptures esset laborem animæ suæ; estque ipsissimus laboris animæ fructus, quem spondet Deus Christum visurum, illa, quæ *Capite* L I V. prænunciatur, numerosissima Ecclesiæ proles.

XIX. Hæ promissiones non potuerunt non habere in Christo τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμὴν ad Dei gloriam. 2 *Cor.* I. 20. Excidissent autem prorsus, si, ex hypothesi *Remonstrantium*, quæ locis indicatis legitur accidere potuisse, nemo meriti ejus particeps esse cupivisset, saltem non perseveranter. Nisi dixerint, quod cogitare blasphemum est, eo casu Christum sanguine rebellium & perduellium, quem sitiisset, satiendum fuisse.

XX. Postremæ hæ demonstrationes confirmant solidissimè, & Gratiam conversionis salvandorum irresistibilem, quam *Remonstrantes* impugnant *Art.* I I I. *&* I V. & Sanctorum Perseverantiam, quam impugnant hoc Articulo quinto.

Ne pagellæ vacent, repræsentantur

REMONSTRANTIUM FAMOSI QUINQUE ARTICULI,

Prout jacent in Remonstrantia, Anno cIↄ Iↄ cx. Mense Julio Illustr. Hollandiæ Ordinibus oblata, quæ legitur initio Collationis Hagiensis, interprete P. Bertio.

Testantur ergo de divina Prædestinatione & capitibus ei adnexis, hanc suam esse sententiam. pag. 8. 9. & 10.

DEum æterno & immutabili decreto in Christo Jesu filio suo ante jacta mundi fundamenta statuisse ex genere humano in peccatum prolapso, eos in Christo, propter Christum & per Christum salvare, qui per gratiam Spiritus Sancti in eundem Filium suum Jesum credituri, inque ea ipsa fide & obedientia fidei per eandem gratiam usque ad finem essent perseveraturi, contra vero contumaces & incredulos, sub peccato & ira relinquere & condemnare, tanquam à Christo alienos: juxta verbum Euangelii Joh. III. 36. Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui verò Filio non obtemperat, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum. *Cui alia quoque Scripturæ dicta respondent.*

II. Proinde Jesum Christum Mundi Salvatorem pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse: omnibusque per mortem crucis promeritum reconciliationem & remissionem peccatorum: ita tamen ut nemo remissionis illius reipsa particeps fiat, præter credentes; idque etiam secundum verba Euangelii Joannis III. 16. Ita Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Et Epistola priore Johannis Cap.* II. v. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius Mundi peccatis.

III. Hominem salvificam fidem non habere a se, neque ex liberi sui arbitrii viribus: quandoquidem in statu apostasiæ & peccati nihil boni (quod quidem vere bonum sit, cujusmodi in primis est fides salvifica) ex se & à se potest cogitare, velle aut facere: sed necessarium esse ut à Deo in Christo per Spiritum ipsius Sanctum regeneretur atque renovetur, intellectu, affectibus seu voluntate, omnibusque viribus: ut verum bonum recte possit intelligere, meditari, velle, atque perficere, sicut scriptum est Joh. XV. 5. Sine me nihil potestis facere.

IV. Hanc Dei gratiam esse principium, progressum & complementum omnis boni: adeo quidem ut ne ipse quidem regenitus absque præcedente, sive præveniente ista, excitante, prosequente, & cooperante gratia, bonum cogitare, velle, aut peragere possit, nullisve ad malum tentationibus resistere: ita ut omnia bona opera actionesque quas quis cogitando potest adsequi, gratiæ Dei in Christo adscribendæ sint. Cæterum quod ad modum operationis ejus gratiæ attinet, non est ille irresistibilis

bilis, quandoquidem ſcriptum eſt de multis, quod Spiritui Sancto reſtiterint. *Act.* VII. *Et alibi locis compluribus.*

V. Eos qui Chriſto vera fide inſiti, ac per conſequens vivificantis ejus Spiritus participes facti ſunt, abunde inſtructos eſſe viribus quibus adverſus Satanam, peccatum, Mundum, ſuamque carnem poſſint pugnare, atque adeo etiam victoriam ab iis referre: ſemper tamen (quod cautum volumus) auxilio gratiæ Spiritus Sancti: & Jeſum Chriſtum ipſis per Spiritum ſuum in omnibus tentationibus adſiſtere, manum porrigere, ac eoſdem (ſi modo ad pugnam ipſi parati ſint, ejuſque opem depoſcant, ſibique ipſis non deſint) fulcire ac confirmare, ita ut nulla fraude aut vi Satanæ ſeduci, aut ex Chriſti manibus eripi poſſint, juxta dictum Chriſti *Joh.* X. Oves meas nemo rapiet ex manu mea. *Cæterum, utrum iidem non poſſint per ſocordiam* τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως χριστοῦ καταλείπειν, *& præſentem mundum iterum amplecti: à ſancta doctrina ipſis ſemel tradita recedere, bonam conſcientiam amittere gratiamque negligere: eſſet prius accuratius ex ſacra Scriptura inquirendum, quam nos illud poſſemus alios cum* πληροφορίᾳ *animi noſtri docere.*

F I N I S.



COMPENDIOLUM SOCINIANISMI CONFUTATUM.

Præmissa est

PRÆFATIO HISTORICA,

DE

Origine & Progressu

SOCINIANISMI.

Illustrissimo ac Generosissimo Domino,

Dn. GUILIELMO FREDERICO COMITI NASSOVIÆ, &c. Gubernatori Frisiæ, Groningæ, Omlandiæ, & Drenthiæ, Domino suo Gratiosissimo,

NEC NON

Nobilissimis ac Amplissimis Novem-Viris, Deputatis Frisiæ Ordinibus,

D. DOMINICO ab AYLVA.
D. CAROLO à ROORDA.
D. JOHANNI ab AYLVA.
D. EELCONI GLINSTRA.
D. TINKONI ab ANDRINGA.
D. FREDERICO à ROORDA.
D. EPEO OOSTERZEE, J.U.D.
D. ALLARDO van BURUM.
D. JACOBO HILLEBRANDO J.U.D.

Eorumque Fiao Secretario,

D. LAMBERTO BEIMA, J. U. D.

Dominis suis omni observantiâ colendis,

JOHANNES CLOPPENBURCH precatur Gratiam & Pacem, à Beato & solo Dynastâ, Rege Regum, & Domino Dominantium, Deo Trino & Uno.

ILLUSTRISSIME COMES;

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI;

LOquuntur Annales Belgici, ad vestram & Patrum vestrorum felicem memoriam apud seros nepotes, gestum feliciter cum Hispano, & primum illud Bellum, quod exceperunt duodecennales Induciæ, & secundum istud, quod anno CIↃ IↃ CXLVIII. *Pace terminatum: quæ ut fida sit, & Patriæ salutaris, Deum Pacis veneramur; ne aut recrudescant in Pace illa dissidia intestina, per quæ in induciis collabebatur & nutabat Respublica regionum Fœderatarum; nec eveniat unquam Fœderatis regionibus calamitas talis, qualis, post altam & securam pacem, affluxit eheu, atque affligit etiamnum Germaniam, Angliam, & Scotiam.*

Loquentur iidem Annales, in Frisia, Batavorum exemplo, in mediis Bellorum fluctibus, liberali sumptu excitatam almam Academiam, quam etiamnum fovetis, & vobis caram esse, aucto nuper Professorum numero, testati estis. Inter *quos cum jam septennium nomen meum profitear, duxi esse officii mei, sic Exc. & N. A. V. reddere rationem villicationis meæ, ut non lateant Exc. & N. A. V certamina doctrinæ, quæ hodie flagrant, suscitata ex* Serveti *cineribus, quibus ne conflagrent Ecclesia & Respublica incendio involvantur, vigilandum Fidei Defensoribus: & à nobis ex officio subministranda militanti Ecclesiæ, & expolienda arma spiritualia.*

Hoc agimus ante quinquennium exorsi nostrum, quem, si Deus volet, brevi edituri sumus, Anti-Smalcium, *ad* librum, *quem edidit* Racoviæ 1608. Valentinus Smalcius, Gothanus, de Divinitate Jesu Christi: *qui dum sub prælo sudat, natum nobis est, semestri jam elapso, hoc quod nunc offerimus* Compendiolum Socinianismi confutatum, *majoris Operis* πρόδρομον.

Non morabor prolixâ interpellatione. Comes Illustrissime, *Excellentiam tuam; tantum verbo dicam, gratulari nos in præsens gaudia instantis augusti matrimonii, cum magnorum Auriacorum Principum,* Friderici Henrici *Filia,* Guilielmi *Nepte; ac Deum venerari humillime, ut jubeat esse illud auspicatum & felix domui utrique Auriacæ & Nassovicæ, (cui libertatis suæ vindicias debet Fœderatum Belgium, & Fidei defensionem Ecclesia & Academia Belgica) ac cumulet omni è cœlo benedictione, donec venerit, nemini pio non exspectanda, annorum hujus vitæ satietas.*

Cunctos autem vos, Patriæ Patres, *hoc unum flagito, ut per ocium faciatis cura vestra lustrationem hujus opellæ nostræ, in quâ agimus causam*

Religionis

Religionis & Fidei, cujus ut vos prabetis hactenus Defensores, ita futuros porro confidimus: ac fiducia illa vestra secundum Deum protectionis Academia & Ecclesiarum, nos consolamur, quando animum subit cogitatio illa, nunquam desituram, nec pace ulla terminabilem esse Diaboli cum Ecclesia Dei belligerationem, donec illum sub pedibus Ecclesia conterat Deus Pacis, Pax nostra Christus Iesus, in illustri adventu suo.

Illius magni Dei & Servatoris nostri protectioni, vos Illustrissimi, Nobilissimi atque Amplissimi Frisia DECEM-VIRI, *Patria Patres, commendo: adprecatus vobis, vestrisque pro tuenda Reip. Ecclesiarum & Academia salute consiliis, omnia felicia & fausta. Dabam Franekera, è Musao meo, Kalendis Iulii.* MDCLI.



JOHANNI CLOPPENBURGIO,

DAVID BLONDELLUS.

24 Junii. 1651. *Amstelodami.*
4. Julii

UTinam Refutationem Compendioli Sociniani, cujus copiam mihi pro tua humanitate fecisti, studiosè legant, quotquot doctrinam sanam sibi subduci nolunt. Et ut se rudes & imperitos haberi velint, fieri non poterit, ut ancipites hæreant, & principia Christianismi subvertere conatos, pudendo molimine, publicum odium meritos, non videant. Te enim ductore, & facem præferente, caliginem suam & mentis tenebras ne imperitissimis obtendere deinceps integrum fuerit.

AD COMPENDIOLUM SOCINIANISMI CONFUTATUM,

JOH. CLOPPENBURCH Lectori Christiano S. P. D.



Eculum est, & quod excurrit, ex quo à *Serveto* editi Anno M D XXXI. *Libri VII. de Erroribus Trinitatis*, non admodum clam, in Italia circumlati fuere: adeo ut virus illud haurirent ex illis multi, qui secessionem à Papatu meditabantur, mox facti extorres Itali: adeo ut de *Serveti* hæresibus iparsis *Senatum Venetum* per Epistolam sibi monendum censuerit *Philippus Melanchton*, scribens *ex Lipsia Anno* MD XXXIX. Videsis *Epist. libr I. pag.* 365.

Inter istos Serveti discipulos non infimus fuit *Lælius Socinus Senensis*, natus Anno MD XXV. qui ab Anno MD XLVII. ætatis XXII. peregrinatus in Gallia, Anglia, Hollandia, Germania, Polonia, & contractâ cum variis amicitiâ, anno MDLI. juvenis annorum viginti sex Tiguri consedit: ubi utens hospitio *Pellicani*, quâ coram, quâ per Epistolas, amicitiam coluit, sed non ἀνυπόκριτον, cum *Melanchtone*, *Brentio*, *Musculo*, *Bullingero*, *Zanchio*, *Martyre*, necnon *Calvino*, inter cujus Epistolas una exstat ad ipsum scripta.

In peregrinatione ista perhibetur ipse *Francisco* illi *Lismanino Corcyrensi*, qui erat Minoritarum Provincialis, in Polonia, persuasisse secessionem à Papatu, & effecisse ut cucullam exuerit circa Annum MDLI. unde ille initio Ecclesiarum Polonicarum recens tunc à Papatu emergentium alumnus factus, & in precio habitus.

Incidit in Annum illum MDLI. Regiomonti in Prussia, inter Collegas Professores Theologos, *Osiandrum*, & *Franciscum Stancarum Mantuanum*, infelix illud certamen, in quo disputationis χειρόμαχον initio fuit, de imputatâ in nostri Justificatione Justitiâ Christi, an Divinâ, an Humanâ. Factum est autem, ut pro Humana Christi Justitia imputata disputans Stancarus, per τὸ ἀμετρον τῆς ἀντιλογίας, cum stare videretur pro veritate, caderet: asserens *Christum Mediatorem nostrum esse* TANTUM *secundum humanam naturam*. Quod ille

 pomum

pomum Eridos, migratâ Prussiâ, Regni Poloniæ incola factus, in Poloniam intulit.

Non potuit *Lælius Socinus* ita reprimere, Tiguri vivens, calorem juvenilis ingenii, ut non, ad *Calvinum* scribens, in se provocaret Calvini severiorem censuram: quam *Kalendis Januariis Anni* MDLII scriptam repræsentavit ex autographo *Anonymus Vitæ Fausti Socini Scriptor*; scilicet in Calvini opprobrium.

Anno MDLIII. mense Junio, habita est in Poloniâ, *Synodus Mordensis*: in qua *Fr. Lismaninus* (conquestus quod traduceretur quasi esset Arianus, eaque de causa ipsi alimenta negarentur à Nobilitate) obtinuit 9. Junii testimonium; Illum nunquam in ulla re fuisse Arianum. Quo munitus, & ipse Tigurum migravit.

Eodem anno, mense Novembri, sumptum est Genevæ de *Serveto* supplicium; quod adeo *Lælium Socinum* male habuit, ut ab ipso prodierit, (post editam Anno MDLIV. à *Castellione* farraginem illam, quæ præ se fert *Martini Bellii* præfationem *de Hæreticis an sint persequendi*) eodem anno excusum, & libro *Calvini* (post Serveti mortem de Servetano negotio edito) oppositum, acerbissimum scriptum, forma *Dialogi inter Vaticanum & Calvinum*: quod (in Hollandia Latine recusum, nec non vernacule editum, Anno cIↃ IↃ CXII.) vulgo tribuitur *Castellioni*.

Annus MDLIV. *Lælio* erat vigesimus nonus: erat tunc annorum quindecim adolescens, *Faustus Socinus*, *Alexandri* fratris *Lælii filius*: de quo traditur apud amicos non semel prophetasse *Lælius*; *Faustum*, omnia plenius & felicius mundo expositurum & explanaturum ad Solem, scilicet lampada ipsi traditurus ad Servetismi instaurationem.

Anno MDLV. Tiguro in Poloniam revocatus est, per literas ex *conventu Pinczoviensi*, Ministrorum omnium & nobilium nomine, *Franc. Lismaninus*: qui rescripsit 11. Novembris, se constituisse, antequam reverteretur, Bernatem, Lausannensem, & Genevensem Ecclesias, ante à se visas, denuo adire, formam doctrinæ & disciplinæ & cæremoniarum, sacramentorum administrationem in singulis observare, & colloqui ac consilia communicare cum ministris, quo auxilio & consilio eorum instructior veniret ad Ecclesiam. Hinc est quod hoc anno exeunte exstant *ad Polonos scriptæ à Calvino Epistolæ* variæ, ad promovendum opus Reformationis Ecclesiæ, & porro anno MDLVII.

Intra id triennium, in Ecclesia Italica apud Genevenses, gliscebant *Serveti* errores: quod occultum virus cum subolfecissent Ecclesiæ seniores, detegendum censuerunt, edita *confessione de S. Trinitate* 18. *Maji* MDLVIII. cui inter primos *Valentinus Gentilis* subscripsit. Contradicentibus vero aliis, inter quos principes fuere *Joh. Paulus Alciatus*, & *Georg. Blandrata*, ipse *Valentinus* eidem contradictioni se implicuit, neglecta subscriptione: ob quam perfidiam primus in judicium vocatus à Senatu Genevensi, simulata pœnitentia, non sine perjurio profugit: & dilapsi sunt similiter *Alciatus* & *Blandrata*. Gesta hæc mense Augusto & Septembri.

Valentinus

Valentinus Gentilis Geneva elapsus, quia metu mortis potius, quam quod serio ita sentiret, doctrinam suam damnasset, & animus ei supererat ad eam tuendum, multâ cum sociis istis, domi *Matthei Gibraldi* in pago Fargiarum, collatione confirmatior & animosior redditus, discedente in Poloniam *Blandratâ*, Lugdunum petiit: ubi copiâ librorum adjutus novis argumentis & rationibus se armavit; inde Grationopolin commeavit, & hinc inde in Delphinatu oberravit.

Eo ipse tempore Anno MDLIX. Lugdunum venit, extorris factus ex Italia, *Faustus Socinus*, annos natus viginti, ibique hæsit triennium: quo anno in cadaver *Davidis Georgii* hæresiarchæ, triennio post mortem demum cogniti, exemplum statuit Magistratus Basileënsis.

Anno MDLXII. 16. Maji Tiguri mortuus est *Lælius Socinus*, de quo hæc scribit *Beza in Epistola* 81. *Favit quoque (Serveti Blasphemiis) Lælius Socinus Senensis, incredibiliter ad contradicendum & varios nectendos nodos comparatus: nec nisi post mortem cognitus, hujusmodi periculosissimis hæresibus laborare. Zanchius, in Præfatione libri de Tribus Elohim*, ipsi perhibet hoc testimonium. *Quum refutarem Lælii Socini impiam interpretationem in primum caput Euangelii secundum Johannem: idcirco subticui ejus nomen, & nebulonem tantum vocavi: propterea quod neque certo sciebam, hunc fuisse illius commentarioli auctorem, neque tum legeram ejus nomen in libris adversariorum expressum. Nunc quia res est nimis manifesta, & illum Servetiani in numerum suorum sanctorum piorumque (scilicet) doctorum retulerunt, ego quoque id tibi, Lector, notum facio. Fuit is Lælius, nobili honestaque familia natus, bene Græcè & Hebraicè doctus, vitæque etiam externæ inculpatæ: quarum rerum causâ mihi quoque intercesserat cum illo non vulgaris amicitia. Sed homo fuit plenus diversarum hæresium: quas tamen mihi nunquam proponebat, nisi disputandi causa, & semper interrogans, quasi cuperet doceri. Hanc vero Samosatenianam in primis annos multos fovit, & quoscunque porro potuit in eundem pertraxit errorem: pertraxit autem non paucos. Me quoque diversis, ut dixi, tentavit rationibus, si eodem possit errore, simul & æterno exitio, secum involvere: quemadmodum fecerat etiam antea Matthæus Gribaldus & alii &c.*

Lælii morte nunciatâ, *Faustus Socinus* Tigurum advolavit ocyus, ut sequestraret relictam à Lælio supellectilem librariam: veritus, ne Tiguri idem eveniret Lælii manibus quod Basileæ *Davidis Georgii*. Confirmat mysterium illud *Faustus Socinus*, ad *Andream Dudithium* scribens, mense Martio MDLXXXIII. de Lælio mortuo; *In medio vitæ cursu anno ætatis* XXXVII *eo ipse tempore, cum amicorum precibus tandem permotus constituisset, atque etiam cœpisset, saltem inter ipsos, nonnulla in apertum proferre: breviter, cum fructum aliquem tantorum tamque laboriosorum in Theologia studiorum videre debuisset: quem fructum alii postea, ac fere statim ab illius morte viderunt; videntque etiam nonnulli, qui longe plures illo annos habent.* Patrui vero librorum compos factus, juvenis annorum XXIII. Italiam repetiit: ubi duodecennium transegit in aula Florentina Magni Ducis Hetruriæ.

Scindebantur interim importunitate *Francisci Stancari*, per Controversiam *de Christo mediatore*, Ecclesiæ Polonicæ: qui hoc inprimis objiciebat, *Mediatorem non posse dici Christum secundum divinam naturam, quin Patre minor cum Arianis statuatur.* In quo nodo solvendo quum nutarent quidam, cœpit *Stancarus* omnes Arianos vocare, & inprimis *Franc. Lismaninum* iterum hujus criminis reum agere, & editis libellis traducere. Qui *Stancaro* & aliis quibusdam opposuit, præmissa *ad Regem Sigismundum* Epistola apologetica Kal. Junii MDLXIII. Cracoviæ scripta, *Brevem explicationem Doctrinæ de sanctissima Trinitate*: cui cum ipso subscripserunt *Felix Cruciger* Superintendens Ecclesiarum in minori Polonia, aliique circiter triginta Seniores & Ministri. Erat inter Seniores illos, *Gregorius Paulus Senior in ditione Cracoviensi*; quem *Beza* notat cum *Petro Statorio* suscepisse certamina *contra Pædobaptismum* excitata, & ad *Tritheismum* prolapsum.

Schismati illi ad propagandum Servetismum invigilabat, præ aliis, ille Geneva profugus *Blandrata*: qui insinuante illum in illustrissimi & præstantissimi Principis cujusdam gratiam *Fr. Lismanino*, *Valentino Gentile* etiam ad se advocato, ita fascinavit variorum animos, ut fidelibus, Calvini præsertim, admonitionibus, inhiberi non possent, quin ruerent in Arii vel Tritheitarum abyssum. Ut tandem etiam expugnatus, an detectus & sero convictus, *Lismaninus* se ipsum in puteum abjecerit.

Exeunte anno MDLXIII. 29. Decembris mortuus est anno ætatis suæ XLVIII. *Sebastianus Castellio*; postquam jam prodiissent ex Italico translati in Latinum, ipso interprete, *Dialogi Bernhardini Ochini*, *Senensis*: quibus inter varia, duo magna mysteria Fidei, de S. Trinitate, & Satisfactione Christi, ita scepticè disputando luxantur, ut profiteatur *Faustus Socinus*; *sententiam suam de Christo Servatore aperte expressam in illis esse & inculcatam*, scribens *ad Martinum Vadovitam*. Pro se respondit *Castellio*; *Quod Bernhardini Ochini Dialogos transtulerim, non puto id mihi fraudi esse debere. Transtuli enim (sicut & alia ejusdem opera transtuleram) non ut judex sed ut translator, & ex ejusmodi operâ ad alendam familiam quæstum facere solitus.*

De *Bernhardino Ochino* operæ precium erit exscribere hic porro *H. Bullingeri* Anno MDLXVIII. mense Augusto scriptum Testimonium. *De Bernhardino Ochino paucis, hoc dicimus habitasse illum aliquot annis apud nos Tiguri, posteaquam rediisset ex Anglia, Ecclesiarum doctorumque præcellentium ornatus testimoniis: at toto illo tempore, quo apud nos vixit, concordiam in doctrina & ritibus, palàm cum omnibus Tigurinæ Ecclesiæ ministris professum, & professionem illam suam jurejurando interposito publicè attestatum esse: tandem verò clancularia adjutum Italorum quorundam, quemadmodum & ipse Italus erat, opera, suos illos lingua Itali a scripsisse Dialogos, quos conversos in linguam Latinam, opera Italorum, ut ajunt, quorundam, inscijs Tigurinæ Ecclesiæ ministris, Basileæ, per Italum quendam ipsi admodum familiarem & amicum, excudi curavit. Quod quam primum hic innotuisset, admonitus est ejus rei Amplis. Basiliens. Reip. Senatus. Is protinus cum typographo expostulavit, & ne ulla amplius Dialogorum exempla distraherentur mandavit. Quæ alibi quoque, lo o admodum celebri, igne sunt concremata. Expostolatum est Tiguri quoque à pastoribus*

floribus Ecclesiæ cum Ochino authore, & aliquot errores ei sunt indicati: oblata est item collatio, totumque negotium ad Ampliss. Tigurinæ Reip. Senatum est relatum. Cæterum cum ille quo se legitimè & honestè excusaret, non haberet, neque de iis quæ evulgarat, disputare vellet, dimissus à Senatu, ac solum vertere cum omni sua familia jussus est. Hinc verò ejectus, rectà in Poloniam ad suæ farinæ homines se recepit, quos ille sciebat non esse nobis amicos vel socios, sed hostes infensissimos.

Anno MDLXV. typis excusa fuit illa Stancaro opposita apologia *Franc. Lismanini* de S. Trinitate, de qua diximus: quo eodem anno exeunte, perscriptæ sunt, ab *Andr. Fricio, Modrevio, Sigismundi Regis Poloniæ Secretario, Sylvæ* IV. aperte Anti-Trinitariæ: qui, per Epistolam manu propria scriptam & subscriptam 26. Martii MDLXIII. ad Fr. Lismaninum, videri voluit approbasse Confessionem Fidei orthodoxam de Trinitate. Typis excusæ sunt Sylvæ MDXC.

Anno MDLXVI. *Valentinus Gentilis*, à Blandrata reversus, Bernæ sibi accersivit perfidiâ suâ capitis supplicium, quod luit mense Septembri. Ex illo tempore à Blandrata & sociis in Transsylvania *Albæ Juliæ* emanarunt mense Augusto MDLXVII. varia illa fragmenta variorum, in blasphemanda Fide S. Trinitatis, & in oppugnando Pædobaptismo consentientium, in Sarmatia & Transsylvania; in duos congesta libellos; *de Unius Dei Patris Filii & Spiritus Sancti cognitione falsa & vera.* In quibus, *Libri secundi Caput XI.* est *Brevis explicatio in primum Johannis caput*, quam diximus, teste *Zanchio*, esse *Lælii Socini:* quæ exstat à *Fr. Junio* edita, in Defensione tertia Trinitatis: una cum explicatione altera, quæ est *Fausti Socini.*

Deinceps Anno MDLXVIII. & MDLXIX. ibidem *Albæ Juliæ*, editis similibus blasphemis scriptis grassabantur, qui se nominabant *Ministros & Seniores Ecclesiarum de Uno Deo Patre consentientium in Transsylvania.*

Circa Annum MDLXX. *Faustus Socinus* in Italia Italice conscripsit opusculum anonymum *de S. Scripturæ Auctoritate*, de quo mox plura: postea Anno MDLXXIV. Aulæ valedixit, & Basileam venit: ubi triennium & ultra se totum impendit excolendæ illi, quam à *Lælio* patruo hauserat, Theologiæ: & elaboratas dedit Anno MDLXXVII. & MDLXXVIII. prolixas Disputationes duas, quarum prior est illa *de Jesu Christo Servatore, habita cum Jacobo Coveto Pastore Ecclesiæ Gallicæ Basileensis*: altera est *de Statu primi hominis ante lapsum, contra Franciscum Puccium Florentinum.*

Edidit quoque MDLXXVIII. posthumos *Seb. Castellionis Dialogos, de Prædestinatione, Electione, Libero Arbitrio & Fide.* Est enim *Faustus Socinus*, ille qui præfationem scripsit, *Felix Turpio Urbevetanus*, & promittit suum aliquando spicilegium post messem *Castellionis*, immaturâ morte præventi.

Scindebantur eo anno illi in blasphemanda Trinitate & Pædobaptismo consentientes Cadmæi fratres, Serveti discipuli, *Albæ Julienses & Claudiopolitani*; flagrante inter *Blandratam & Franciscum Davidis* controversia, *de Christi*, (qui naturâ homo sit non Deus) *Invocatione. Blandrata*, Medicum agens in aula Transsylvaniæ Principis, favore & opibus pollens, *Faustum Socinum* evocavit, hyperaspistem futurum certaminis: atque curavit

ut apud ipsum *Franciscum Davidis* qui Claudiopoli concionabatur habitaret, cujus hospitio usus fuit, à medio Novembri MDLXXVIII. usque Aprilem MDLXXIX. impensas itineris & commorationis ferente Blandrata.

Intra paucos istos menses habita est illa, quæ demum Anno MDXCIV. excusa prodiit *De Jesu Christi Invocatione Disputatio*. Quam disputationem vix finitam secuta est *Francisci Davidis*, jussu Transsylvaniæ Principis incarcerati, mors incarcere. Unde *Fausto Socino* nata exprobratio, quod ipse cum *Blandrata* Transsylvaniæ Principi istius persecutionis auctor fuisset.

Ad exprobrationem illam usus est *F. Socinus* ista, ad Transsylvanos Franc. Davidis asseclas scripta, apologia; Franciscum Davidis ipsum sibi calamitatem istam accersivisse, *quod contra datam ipsi & Blandratæ aliisque fidem, quædam constitui ac decerni curasset, in Synodo Thordanâ, Christi invocationi plane adversantia; ac die quodam Dominico, cum de more in majore Templo ad populum concionaretur, diserte tantundem esse affirmasset, Jesum Christum invocare, atque Mariam Virginem, & alios sanctos mortuos.*

Post mortem ergo *Francisci Davidis*, cum judicio Ecclesiarum Polonicarum (quibuscum antea conspiraverant, contra S. Trinitatem & Pædobaptismum facto syncretismo) se opponerent libris editis, non sine ista Blandratæ & Socini criminatione, unâ cum *Davide Francisci filio*, *Palæologus*, *Glirius*, *Sommerus*, aliique Christum *non invocantes* Transsylvani; Faustus Socinus quadragenarius, relictâ Transsylvaniâ, in Poloniæ Regnum secessit: ibique deinceps cœtibus illorum adhæsit, qui Serveti exemplo, invocant Christum Æterni Dei Filium, minime vero Æternum Filium: *qui in Polonia & Magno Ducatu Lithuaniæ Ariani & Ebionitæ vocantur.*

Quomodo autem illis adhæserit, ut cognoscatur, audiendus est ipse, *ad Nobilem fœminam* Sophiam Siemichoviam, Apologiam istam scribens. *Quod mihi objicis, me communionem cum fratribus & Christi fidelibus spernere, nec curare, ut una cum ipsis Cœnam Domini celebrem, quam tamen celebrare ab ipso Domino omnes jubemur. Respondeo; me, postquam in Poloniam veni, nihil antiquius habuisse, quam ut me quam maxime cum fratribus conjungerem; licet invenissem illos in non paucis religionis nostræ capitibus à me diversum sentire, quemadmodum hodieque multi sentiunt: & Deus novit, quæ & quanta diu propter hanc causam sim passus, & adhuc patiar: nullos unquam interea labores, etiam cum maximo veni, periculo & damno conjunctos, refugiens, quos vel fratres ipsi mihi imposuerant, vel ego pro cœtu nostro mihi subeundos censuerim, id est, ei utiles fore speraverim. Quod si nihilominus Aquæ Baptismum una cum illis non accipio, hoc propterea fit; quia id bona conscientia facere nequeo: nisi publice antea protester, me, non quod censeam baptismum Aquæ mihi meique similibus ullo modo necessarium esse, sed ut cum fratribus arctius conjungar, id facturum esse. Id quod fratres nullo pacto mihi concedere volunt. Quomodo enim id aliter possim bona conscientia facere, cum non modo sentiam, fratres graviter, licet per imprudentiam, errare, qui neminem ad mensam Domini admittere velint, nisi prius aqua in ipsorum cœtu baptisatus fuerit: sed etiam hac de re, ipsis rogantibus, plenam disputationem scripserim, & sententiam meam plurimis aliis nostris fratribus, in diversis multis regionibus habitantibus, jam diu patefecerim? Quod si interim tenam*

nam Domini, ut ii qui baptisati sunt, non celebro, hic mea nulla culpa est, sed potius illorum, qui id mihi concedere nolunt: nisi id faciam, quod cum mea conscientia maxime pugnat: nec interim me hac in re errare, vel ostendunt, vel ostendere serio curant.

Inclaruit interim, editâ *pro Racoviensibus Apologia contra Palæologum, de Magistratu Politico* MDLXXXI. item *Disputatione de sententia Capitis* VII. *ad Romanos* (cujus *Defensionem* edidit Anno MDXCV.) nec non altera *Disputatione de Invocatione Christi, contra Christianum Francken habita, in aula Christophori Paulicovii* XIV. *Martii Anno* MDLXXXIV.

Anno MDLXXXVIII. editum fuit Latinè opusculum supra commemoratum, *de Sacræ Scripturæ Auctoritate*, minori forma excusum in 12. Titulus præ se fert Autorem *R. P. Dominicum Lopez Societatis Jesu*: fingitur excusum *Hispali, apud Lazarum Ferrerium*, cum permissu superiorum. Memini fuisse, qui ex typorum indicio assererent Amstelredamensi Typographo, satis celebri olim Blibliopolæ, *Cornelio Nicolai.*

Racovienses qui anno MDCXI. editionem dederunt iteratam, illam priorem notarunt hac censura, postquam libellum Auctori Socino vindicarunt: *Dolus*, inquiunt, *latere non potuit: talis enim præfatio libello huic præfixa erat, quæ contrarium plane ejus, quod in eo disputatur, continebat. Affirmabat enim præfatio, dari naturalem Dei cognitionem, quod libellus prorsus negat.* Libellum autem commendant hoc nomine, & nova sua editione *omnibus Theologiæ Professoribus, & studiosis, suorum cœtuum nomine, offerunt, & dedicant, quod ejus intelligentiam existiment tacitam esse* εἰσαγωγὴν ad religionem quam ipsi profitentur.

Forte non caret mysterio synchronismus ille, quod eopse A MDLXXXVIII. incidit vocatio *Jacobi Arminii Veteraquinatis* ad Ministerium Ecclesiasticum Amstelredamense, quo functus est annos XV. Et quod *Arminii* in Academia Leidensi Anno MDC X. designatus successor, *Conradus Vorstius* Anno MDCXI. suæ Professioni Leidensi videtur viam munire voluisse, adornata Steinfurti nova ejusdem Opusculi editione, mense Julio, quando illum jam præverterant sua editione Cracovienses, Mense Aprili. Ut nec iste dolus latere posset, affectatæ tacitæ εἰσαγωγῆς ad Socinianismum.

Neque hoc tacendum, quod primum cum *Arminio* certamen Ecclesiæ Pastoribus fuit Amstelodami, super expositione *Capitis VII. ad Romanos*, in qua velificabatur sententiæ illi, quam Cracoviæ Anno MDLXXXIII jam edita Disputatione tuebatur *Prosper ille Dysideus Socinus*, pro qua ægre anno demum MDLXXXIX. in *Synodo Lublinensi*, post prolixam concertationem à suis fratribus assensum impetravit. Amstelodami lis composita fuit inter Arminium & Collegas, evocatis arbitris, ex Franekerensi Facultate Theologica *Martino Lydio*, & ex Amstelodamensi Ecclesia Gallo-Belgica, Pastore *Johanne Taffino.*

Ab Anno MDLXXXVII. claruit Claudiopoli in Transsylvania, Anno MDXCVII. 24. Novembris mortuus, *Georgius Enjedinus*, Superintendens Ecclesiarum, & Gymnasii Claudiopolitani moderator, cujus sunt posthumæ *Explicationes locorum Veteris & Novi Testamenti, ex quibus Trinita-*

tis dogma stabiliri solet; cujus crebra est in Commentariis *D. D. Parei* mentio, & confutatio. Exstat ad illum *F. Socini Epistola*, Anno MDXCVI. qua illum Fratrem in Christo salutat, & illi respondet de controversia cum *Francisco Davidis*, super invocatione Christi.

Eo pacto (quo ante dictum *Socini* verbis) sine contesseratione per Baptismum aut Cœnam Dominicam, Socinus adhæsit cœtibus illorum qui *Ariani & Ebionitæ* vocantur: hoc unice satagens, (quandoquidem *perpauci cum ipso sentirent* in plurimis quæ fovebat privatis paradoxis) ut, quod serius ipsi successit, plures discipulos ipse faceret qui ipsi adhærerent, atque ipse fieret illius voti etiam compos, quod his verbis in Epistola jam indicata expressit: *Se vehementissime cupere, ut cœtus noster*, inquit, *unicuique liberum faciat, Baptismum Aquæ, prout conscientia illi dictaverit, nec ne, accipere; quippe qui*, inquit, *alioqui & Euangelii cursum retardari, & multa incommoda & scandala indies emergere videam.*

Post editam typis Anno MDXCIV, *Disputationem de Jesu Christo Servatore*, qua post *Bernhardinum Ochinum* ex inferis suscitavit veterem *Petri Abailardi* hæresin, cum quo certamen fuit *Bernhardo Abbati Clarevalensi*, super quo exstant Bernhardi Epistolæ; publici odii in Academia Cracoviensi victima factus est, ac tandem, factione studiosorum, insigniter male habitus, vix elabi potuit vivus Anno MDXCVIII.

Quæ afflicto forte occasio fuit peregrinationis intimorum ipsius discipulorum, & adventus *in Hollandiam & Frisiam* nominatim, *Christophori Ostorrodi* Germani, & *Andreæ Voidovii*, Poloni: qui, cum *libro* illo *de Servatore* excuso, varios ejusdem farinæ, quâ manuscriptos, qua excusos, libellos, ad propagandum Socinianismum destinatos, intulerunt, exploraturi, quam possent in Belgio sementem facere: & num sedes ipsis quietiores, hic quam in Polonia, fata ostenderent. Detecti fuerunt conatus isti, Dei providentia: & delata sunt librorum exemplaria ad Ordines Generales Fœderati Belgii: qui illa jusserunt exhiberi Facultati Theologicæ, in Academia Lugduno-Batava. Cujus facultatis Rescriptum, unâ cum D. D. Ordinum Decreto, operæ precium duximus hic typis exscribere. Posterius Latinum ex Belgico ipsi ediderant.

COPIA RESCRIPTI.

Amplissimi Domini; Exemplaria quæ nostræ Facultati jussistis exhiberi modo destrinximus, ut quorum partem aliquam jam ante vidimus, & alia ejusdem argumenti esse comperimus. Ne longiores simus, censemus scripta illa ad Turcismum proximè accedere; & veram æternamque Deitatem Christi Filii Dei, & Spiritus Sancti, Officium Christi, beneficia ejus salutaria, & Baptismi sancti institutionem, & nostrum Religiosum erga eum officium, evertere: quum eum coli atque invocari, ut Deum æternum & verum Creatorem, oportere negant. Exempli causa, in Libro de Servatore, hæc ipsa habentur verba; Nullam Dei Justitiam omnino postulasse, ut peccata nostra punirentur. Item; Falsam esse sententiam istam, quod Christus morte sua Deo sive ejus justitiæ pro peccatis nostris satisfecerit. Item; Christum pœnarum, quas nos ex lege Dei subire tenebamur, solutione, divinæ justitiæ pro nobis

pro nobis satisfacere non potuisse. Item; Christum, eorum quæ nos ex lege Dei facere debebamus, præstatione, divinæ Justitiæ pro nobis satisfacere non potuisse: & similia multa, adeo blasphema, ut sine gravissima impietate, nec credi, nec in vulgus spargi, nec inter Christianos ferri possint. Quæ cum ita sint, Amplissimi Viri, speramus A. V. piè sapienterque despecturas, cum, ut homines illi, qui scripta ista circumferunt, non diu apud vos hæreant, tum ut scripta ipsa non veniant in cujusquam manus, cui deinceps fraudi, per imperitiam aut curiositatem, esse possint.

Amplissimi viri, Deum oramus, ut vos spiritu veritatis ac prudentiæ donet magis ac magis, & vobis, tum in rebus omnibus, tum in hac ipsa causa, quæ ad Dei veritatem & communem salutem pertinent, adsit è cœlo: ut quæ pia, sancta, & justa sunt, per vos commode procurentur, perficianturque in Domino. Actum Lugduni Batavorum, die Mercurii. XII. *Augusti Anno* CIↃ. IↃ XCVIII. *V. A. studiosissimi. Decanus & Facultas Theologica Lugdunensis Academiæ.*

EXTRACTUM

Ex Regesto Resolutionum Dominorum Statuum Generalium, Fœderatarum Provinciarum Belgii. Martis D. III. Septembris, Anno Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Octavo.

STatus Generales Unitarum Provinciarum Belgii informati, quod penes certas personas, hic in Haga Comitis præsentes, quæ non ita pridem ex Regno Poloniæ discesserunt, & in has Fœderatas Provincias venerunt, quarum prior nominetur Christophorus Ostorrodus, altera Andreas Voidovius, reperti sunt quidam libri, qui, in Universitate Leydensi à Facultate Theologica visitati, inventi sunt concordare cum doctrina Turcica, negantes Divinitatem Christi Filii Dei & Spiritus Sancti: & quod dictæ personæ eandem doctrinam haud obscure profitentes in has Provincias venerint, ut eam in illas introducant, atque ita Statum Ecclesiæ hic eo magis perturbent: Volentes ergo hisce in tempore, pro conservatione honoris Dei, & commodi atque emolumenti Statuum Unitarum harum Provinciarum, occurrere, decrevimus, ut prædicti libri, in præsentia duarum illarum Personarum, cras ante meridiem, in Camera Generalitatis, comburi debeant. Deinde, ut duæ istæ prædictæ personæ onerari debeant, iisque præcise mandari, quemadmodum præsentibus onerantur, ipsisque mandatur, ut intra spacium decem dierum proximè sequentium ex Fœderatis Provinciis discedant, sub pœna, si postea in iis Provinciis deprehensi fuerint, arbitraria; quæ aliis in exemplum, propter quietem Ecclesiæ Christi, & supra dictum commodum & emolumentum Statuum Fœderatarum Provinciarum, existimata fuerit irrogari debere: arbitrantes bene esse, ut Provinciæ de hoc moneantur, ipsisque exemplum transmittatur attestationis, quæ hic prælecta fuit, Facultatis Theologicæ Leydensis suprascriptæ, de prædictis libris: in eum finem ne prædictæ personæ in his Provinciis diutius tolerentur, & doctrina ista inde arceri possit

Concordat cum Regesto.
A. AERSENS.

Infra scriptum fuerat & signatum erat

Descriptum exemplum ex autographo, concordat cum vero suo originali, die hodierna octava Martii Anno M. D. XCIX.

Quod attestor ego

SCHULENBURGIUS.

Quamvis hoc decreto proscripti ab Ordinibus Generalibus, tamen non excesserunt è fœderato Belgio; &, si verum dicit historiam scribens *Joh. Uytenbogardus*, substiterunt in Frisia, atque ibi clam curarunt *Apologiam ad Decretum Ordinum* typis excusam, quæ Latinè & Belgicè prodiit, Anno *M DC.* mense Februario, scripta Anno MD XCIX. mense Augusto.

Eopse Anno MD XCIX. Mense Julio in agro *Luclaviciano Abrahami Blonscii*, conscriptus est à *F. Socino* libellus hoc titulo; *quod regni Poloniæ & magni Ducatus Lithuaniæ homines, vulgo Euangelici dicti, qui solidæ pietatis sunt studiosi, omnino deberent se illorum cœtui adjungere, qui in iisdem locis falso atque immerito Ariani atque Ebionitæ vocantur.* Qui libellus sicut plures alii, vivente *F. Socino*, typis non fuit excusus. Mortuus autem est an. M DC IV. annorum 65.

Interea temporis *Conradus Vorstius*, ab Anno MD XCVII editis, & ad *D. D. Pareum* missis Steinfurto, Thesibus, de *Servatore Jesu Christo*, quamvis fraterne *D. Pareus* dehortaretur, ita perrexit ex Socino θεολογεῖν; ut ad amicos scriberet 15. Martii MD XCVIII *Diligenter aliquot scripta Samosatenianorum, quos vocamus, perlegi & expendi Unde scrupuli nonnulli, circa quedam fidei capita, præsertim illud de ratione salutis nostræ per Christum partæ, animum meum occuparunt, ut non dubitem, vulgo de iis non satis saltem prudenter in Ecclesiis nostris doceri.* Exstat *D. D. Parei ad D. Vorstium* censura Epistolica, scripta Anno MD XCVIII. 27. Junii. Et *Epistola Basileensium* ad Pastores & Fratres Comitatus Benthemici super causa D. Vorstii, scripta 28. Februarii MD XCIX. & *Acta reconciliationis D. Vorstii* cum Heidelbergensibus, quando ad ipsos jussu Arnoldi Comitis Benthemiensis missus erat ad se à Socinianismo expurgandum, signata 26. Septemb. MD XCIX.

Hic synchronismus effecit, ut per *Ostorrodum & Voidovium*, in Frisia commoratos, ad C. Vorstii discipulos, Franekeræ & alibi in Frisia commorantes, manarit manuscriptus *F. Socini libellus* jam dictus, quem illi anno M DC X. post editum *Conr. Vorstii librum de Deo*, cum ipse Leidam vocaretur, prælo Franekerano excudendum curarunt, hac inscriptione insignitum. *De Officio hominis Christiani in hodiernis istis de Religione controversiis, hoc est, cui potissimum cœtui, inter omnes de Religione dissidentes, homo Christianus adhærere debeat. Libellus hoc tempore utilissimus, ab anonymo quodam veritatis patrono conscriptus. Cum gratia & privilegio Summi Pontificis & Regis Catholici excusus, Irenopoli. Typis Theophili Adamidis.* M DC X.

Cum vigilantiâ *D. D. Sibrandi*, & *Pastorum Leovardiensium*, nominatim *Bernhardi Fullenii & Joh. Bogermanni*, suppressa esset editio illa, iterarunt editionem anno sequenti, typis *Seb. Sternatii*, *Racovienses*, & sine dissimulatione Auctori vindicarunt inter varia F. *Socini* Anno M DC XI. edita opuscula.

Ex latino

Ex latino vernaculum fecerunt, & Belgicis typis excudi curarunt, qui jam ab annis triginta, & ultra, spretâ omni censurâ, Belgium impleverunt, atque etiam implent, vernaculè excusis *Socini*, *Smalcii*, *Crellii*, *Volkelii*, & similium operibus, Anno M DC XXX. cum anno proxime sequenti M DC XXXI. mense Martio Lipsiæ celebrandus esset conventus ille, quo tentata fuit, inter Saxonicas & Brandeburgicas atque Hassiacas Euangelicas & Reformatas Ecclesias, Conciliatio Religionis Lutheranæ & Reformatæ. Cui ut intercederent Sociniani, & Socinianismum obtruderent, præmissa est, à titulo versa pagina, admonitio ad lectorem, de admodum difficili futura conciliatione diffidentium Euangelicorum, nisi ex hoc opusculo discant *Officium hominis Christiani.* Cui fini editus est, super tentatâ Lipsiæ conciliatione, brevis discursus Germanicus M DC XXXI. continens, post ἐπίκρισιν ad Acta Lipsiensia, indè à paragrapho XII. breves stricturas in Articulos Confessionis Augustanæ XIX. Ad istius vernaculi, *de Officio hominis Christiani*, libelli F. Socini calcem adjecerunt interpretes Belgæ præsens *Compendiolum:* cum hac inscriptione; **Kort begrijp van de Leere der Socinianen.**

Cum jam à nobis, hoc anno ineunte, flagitarent Nationis Ungaricæ plures studiosi privatam nostram institutionem, qua haberent in synopsi Elenchum Socinianismi, schedas nostras excussimus, & venit in manus nostras appendicis istius Latinum manuscriptum, quod Anno M D XCVIII. Amstelredami excussum manibus *Ostorrodi & Voidovii*, ante annos circiter XXVII. nobis relictum fuit, insignitum hac inscriptione Latinâ; *Compendiolum doctrinæ Ecclesiæ Christianæ nunc in Polonia potissimum florentis.* Arbitrati autem sumus, non posse nos rectius institutionis Elencticæ compendium facere, quam si compendiolum illud subjiceremus exercitationibus extraordinariis privatis & publicis; quibus illud nunc confutatum edimus, ad publicam ædificationem, brevi, si Deus vitam dederit, pertexturi telam nostri *Anti-Smalcii* ad *Librum quem edidit Racoviæ* M DC VIII. *Valentinus Smalcius Gothanus, de Divinitate Jesu Christi.* In quo jam attigimus *Caput* XXII ut & nobis & Typographo sit affectus labor; cui ut benedicat Deus, votis & precibus tuis nos juva, & Vale. Dabam Franekeræ. cIↃ IↃ CLI. Kalendis Julii Juliani.

De SERVETO Genevæ exusto,

APOLOGIA
H. BULLINGERI
Tigurini MD LXVIII

Exustus est quidem Genevæ Michael Servetus Hispanus, *sed non citra consilium reliquarum Rerumpub Helveticarum, Euangelium profitentium, ab Amplis. Genevensi Senatu petitum Et multa jam secula non viderunt nec audierunt unquam, usque adeò fœdas, atroces, prodigiosasque & abominandas in Dei majestatem fideique veræ sinceritatem blasphemias,*

mias, atque spurcissimum hoc hominis monstrum propudiumque libro edito in medium profudit, & in mortem usque impie, procaciter & pertinaciter defendit. Nam quicquid annis plus minus XXV *hausit ex omnibus Iudæorum & Turcarum scholis, quicquid item ex omnibus hæreticorum execrandis blasphemiis, ceu ex sentinis & cloacis infernalibus collegit, hoc totum transfusum in detestandum opus typis excusum, ceu poculum Circeum, imo tartareum, populis & gentibus propinavit. Iubent autem omnes leges, divinæ pariter & humanæ, Imperatoriæ, principum, urbiumque, & populorum saniorum, de blasphemis sumere supplicium. Quod cum Ampliss. Genevens. Senatus fecit, pro pio suo officio, quod debuit fecit. Unde ejus factum judiciumve sanctum nunquam accusavimus, neque nunc quoque accusamus, multò minus cogitavimus, nedum diximus unquam (quod Servetanis in ore est) urbem illam novæ instauratæ crudelitatis Papisticæ officinam esse. Quin potius fidem & integritatem ejus urbis candidè laudamus, ac approbamus. Quod etiam* Philip. Melanchton, *Vir pius magnique judicii scriptis literis fecit.*

De SERVETISMO, per Lælium Socinum, & Blandratam, aliosque, instaurato, Prognosticum JOSIÆ SIMLERI Tigurini MDLXVIII.

EQuidem cùm de causa religionis agitur, non libenter res civiles admisceo, neque temere velim ulli homini malè ominari, sed tamen si de futuris, ex his quæ olim evenerunt, judicium faciendum est, metuo, ne hæc doctrina Muhametanismo aditum struat, & exitium portendat florentibus rebuspublicis, quæ errores hos ferunt. Etenim Satan ab ipsa quidem Apostolorum ætate miris & variis artibus Unigeniti Filii Dei gloriam oppugnavit, per Simonem Magum, Menandrum, Ebionem, Cerinthum, Cerdonem, Marcionem, Appellem, Carpocratem, Valentinum, Praxeam, Noëtum, Sabellium, Samosatenum, & alios: sed tamen omnium vehementissimè ab Arii exortu, quo tempore Arianismus in multas species distractus Ecclesiam vexavit: mox Nestorius, deinde Eutyches, exorti sunt; per quos Satan, naturas in Christo vel dividendo vel confundendo, eodem tendebat, ut Ecclesiæ verum Christum eriperet. Secuti sunt Eutychem alii, Theodorus, Pharanius, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Petrus, Paulus, Constantinopolitani, Macarius Antiochenus, qui mutato nomine eandem causam agebant, omissa de naturis quæstione, unam in Christo voluntatem & energiam asserentes: tandem vero omnis hæc colluvies errorum in Muhametanismi sentinam confluxit. Ac credendum est complures hujusmodi errorum contagiis infectos, apud quos Christi Deitas ante in dubium vocata erat, avidius Muhameti deliria arripuisse: præsertim cum Sergii monachi & Iudæorum quorundam consilio, ea delecta essent, & Alcorano à Muhameto comprehensa, quæ in tanta opinionum varietate maximè videbantur popularia. Quare hoc exemplo commotus, cùm veteres illæ controversiæ omnes nunc renoventur, interea autem undique circumsonent arma Mahumetana; cur non dicam, vero Christi timore & amore excusso ex animis (quem enim Deum verum non agnoscis eum

nunquam

nunquam solidè timebis & amabis) aditum parari & viam sterni tyrannidi Mahumetanæ? Quis enim religionum animis exempta retinebit in officio plebem, quò minus victorias Mahumetanorum cruci & servituti durissimæ anteponat? Qui verò Christum tantùm hominem credit, cum Samosatenianis, is non existimabit se à Christo deficere, si audiat Mahometum tam præclare de Christo scribere, ut plus illi ipsis Samosatenianis tribuat. Quare ut & Ecclesiæ & Respublicæ salvæ conserventur à tanta tyrannide, Deum precor, ut hos furores arrogantium & impiorum hominum reprimere, & veram sui cognitionem in Ecclesiis purum Dei verbum sonantibus conservare velit.



COMPENDIOLUM SOCINIANISMI CONFUTATUM.

CAPUT PRIMUM.

De Deo, & Jesu Christo, deque Spiritu Sancto.

§ I.



iunt, Unum esse æternum à se ipso Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi: idque probare solent ex Deut. VI. Esai. XLV. 1 Cor. VIII. 1 Tim. II. Joh. XVII. Ephes. I v[illegible]

I. Crypticæ [illegible] affirmationis mysteria sunt ista. 1. Credendum esse, Deos esse multos veros, præter unum; alioquin unum illum non posse esse Deorum Deum: & Paulum non tantum ex mente aliorum loqui, sed etiam ex sua, dum ait, *Quemadmodum sunt multi Dii.* 1 *Cor.* VIII. 5. *Smalcius de Divinitate Christi Cap.* XII. 2. Locos illos Scripturæ, in quibus dicitur Deum unum esse, & nullum alium esse (1 *Cor.* VIII. 4. *& parallelos*) sobrie intelligendos esse. *Smalcius contra Smiglecii Nova Monstra. pag.* 50. 3. Duos esse Deos omnium illorum multorum verorum Deorum, qui sive in cœlo sive in terra fuêre aut sunt; Unum æternum à se ipso Deum, Patrem Domini Jesu Christi, alterum à Patre factum in N. T. Deum, Jesum Christum. *Smalcius eodem Cap. XII. jam indicato.* 4. Cultum divinum sub novo fœdere esse, præter unum naturâ Deum, alium etiam colere, qui non sit naturâ Deus: seu unâ colere & Creatorem & Creaturam. *Smalcius contra Smiglecium de novis monstris. pag.* 77. 78. 79. Et parum hic curandum esse, quid dicat de cultu Dei Propheta Veteris Fœderis *Jeremias Cap.* X. 11. anathemati devovens, ut *exterminentur è terra & de sub cœlo, Deos qui non fecerunt cœlum & terram. ibidem pag.* 79.

II. Contra asserimus nos, credendum esse contra quoscunque, id quod graviter dixit *Tertullianus* contra τὴν πολυθεότητα, seu Deorum pluralitatem; *Veritas Christiana destrictè pronunciat, Deus, si non unus est, non est. Contra Marcion. libr.* I *edit. Rhenani pag.* 153. Nullo ergo temperamento, aut castigatione ad sobriam intelligentiam, opus esse, quando dixit Apostolus 1 *Cor.* VIII. 4. *Scimus, quod nullus est Deus nisi unus.* Sed expressum satis esse

Apostoli

Apostoli monitum, ut sobrie illud accipiatur, quando alii, præter unum qui naturâ Deus est, in cœlo vel in terra dicuntur Dii, quando expressit illud λεγόμενοι θεοὶ *Dicti Dii*: quod in subjecta ilico parenthesi ὥσπερ εἰσὶ repetendum, hoc schemate (*sicut sunt* [*dicti*] *Dii multi, &* [*dicti*] *Domini multi.*) Hoc enim pacto aperte illud confirmavit, nullum esse in cœlo aut in terra alium quam Unum sui nominis Deum & Dominum verum, κατὰ τὸ εἶναι *secundum esse*: quia omnes alii tantum sint Dii κατὰ τὸ λέγεσθαι *secundum dici.* Sicut *Plutarchus* περὶ πολυφιλίας dixit πολλοὶ φίλοι λεγόμενοι, *multi amici dicti*, notans falsi nominis amicitiam, in sphæristeriis & popinis conciliatam.

III. Sunt autem in Novo Testamento, non minus quam in Veteri, damnati characteres idololatriæ Gentilium, unâ colere Creatorem & Creaturam, λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα *Rom.* I. 25. & præter unum natura Deum alium etiam colere, qui non sit natura Deus. *Gal.* IV. 8. Ut absolvi non possint à damnata idololatia, qui Dominum Jesum Christum, ut alterum Deum Deorum, colunt, quem non credunt esse Unum cum Patre æternum naturâ Deum, sed ἑτερόωσιν, atque ipsum exclusum volunt, illis quæ hic indicant testimoniis, quæ probant Unum esse æternum à se ipso Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi. Non potest exclusus esse hic, qui *cum Patre Unum est Joh.* X. 30. & qui nos jubet credere, *se in Patre & Patrem in ipso esse. Joh.* XIV. 11. & XVII. 21.

IV. Neque juvat ipsos exclusiva adjectio in loco *Joh.* XVII. 3. ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν, *ut cognoscant te (esse) solum verum Deum.* Non enim dixit Christus, ἵνα γινώσκωσί σε μόνον τὸν ἀληθινὸν θεόν, *ut cognoscant te solum (esse) verum Deum.* Est ergo non, *Pater solus*, Subjectum enunciationis solitarium, cui tribuitur quod sit verus ille Deus; sed ὁ μόνος ἀληθινὸς θεός, *Solus ille verus Deus*, Prædicatum est, & Patri attributum, & illi quem misit Jesu Christo.

V. Et præscribit ille προσδιορισμὸς adjectus nominationi veri Dei, ut exclusi sint ab illa nominatione omnes præter Unum naturâ Deum λεγόμενοι θεοὶ *Dicti Dii*, quorum ille Deus est: ut, si ingerantur in Fidei aut cultus religiosi Objectum, juxta unum illum verum Deum, idolis accenseri debeant, ut fictitium Non Ens; quæcunque alias sit nominis quo dicti sunt Dii verificatio in mundo, quæ hic non attenditur.

§. II.

Jesum Christum docent esse Hominem illum, à Spiritu Sancto conceptum, & natum ex B. Virgine. Extra vel ante quem, nullum agnoscunt esse, (aut) fuisse re ipsa existentem unigenitum Dei *Filium.* Matth. I. Luc. I. & II. Gal. IV.

Porro hunc Deum ac Filium Dei *unigenitum esse docent, tum ratione Conceptionis à Spiritu sancto: tum, propter Sanctificationem ac Missionem in mundum Joh.* X. *v.* 36. *tum denique Exaltationem ad* Dei *Dexteram* Psal. II. Act. XIII. Rom. I. *Adeo ut factum Dominum ac Deum nostrum affirment.* Act. II. & V. Phil. II. *Qui divino honore ac cultu sit à nobis afficiendus.* Joh. I. Hebr. I.

I. Jesum Christum esse Hominem illum, à Spiritu Sancto conceptum ex B. Virgine, [illegible] est. Sed in reliqua assertione ista cryptis est dogma-

tis *Ebionitici*, quo negatur existentia Filii Dei unigeniti, ante conceptum à Spiritu sancto & natum ex B. Virgine Jesum Christum: & traducitur Fides Catholica orthodoxa, quasi, extra personam Jesu Christi, credatur alterius Unigeniti Filii Dei existentia: cum credatur Unius Personæ, secundum naturam æternam existentia æterna, & secundum alteram naturam in tempore assumptam, existentia in tempore cœpta.

II Inficiamur autem Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα merum hominem, ex homine factum Dominum ac Deum nostrum; quamvis, propter naturam humanam, personæ divinæ hypostatice unitam, dicamus etiam, in concreto, hunc Hominem Jesum Deum ac Filium Dei unigenitum esse, per Communicationem idiomatum, ac divino honore ac cultu à nobis afficiendum.

III. Ex loco *Joh.* x. 36. negamus hoc effici posse, Jesum Christum Deum ac Filium Dei unigenitum dici aut esse, aut ratione conceptionis è Spiritu Sancto, aut propter Sanctificationem ac Missionem in mundum, tanquam Deitatis aut Filiationis ratione Formali, quâ seu per quam factus sit Deus aut Filius Dei. Ratione quidem conceptionis à Spiritu sancto, Filius Dei qui in principio erat apud Deum Patrem, & Deus, factus est Caro seu Homo, sed ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως sine ulla Deitatis mutatione, aut confusione, assumpta carne. Sanctificatio autem & Missio, qua Pater Filium sanctificavit & misit in mundum, nec Deitatem Filii nec Filiationem fundat, sed fundatur in illa, atque illam demonstrat à posteriori. Quia ad Munus Mediatorium sanctificari & mitti in mundum non poterat, qui non esset coæternus & coessentialis Patri mittenti Filius.

IV. Ad eandem analogiam revocamus in exaltatione ad dexteram Dei, impletum illud ex *Psalmo* II. *Filius meus es tu, hodie genui te. Act.* XIII. 33. *&* *Rom.* I. 4. Ut non sit in Exaltatione ratio formalis, per quam Christus sit factus Dei filius, sed evidens declaratio, qua definite & determinate hic homo & filius hominis, exaltatione ista, cognoscatur esse idem ille Dei Filius.

V *Capite Actorum* II. 36. Petrus quidem affirmat, *Jesum a Patre factum Dominum & Christum.* At non affirmat eum esse factum Deum nostrum. Neque posterior ista affirmatio ex priori consequens: quia Nomen Deus absolutum est, nomen vero Dominus & Christus Relatum est: quo discrimine, ut de Persona Patris absolute nefas est dicere illum factum Deum, ita potest dici, citra incommodum aut piaculum, tunc factus Dominus, quando fecit ipse creaturam cujus esset Dominus. Eadem analogia, de Persona Filii nefas censemus dicere, illum factum Deum, tametsi dicat Petrus, illum factum Dominum toti domui Israel, quando perfecit ipse redemptionem Israelis, qui ipsum agnosceret, & Dominio ipsius vindicaretur, ut populus redemptus. Consequenter dicimus τὸ ποίημα Petro intellectum per verbum ἐποίησε *Fecit*, non esse, aut definitionem Nominis Θεὸς Deus, aut definitam Nomine Θεότητα Deitatem Christi: sed Deitatis demonstrationem, per gloriosam Dominii vindicationem, in collectione Ecclesiæ N. T. Catholicæ, inchoatâ die illo Pentecostes.

VI. Simili-

VI. Similiter *Phil.* II. 9. *Datum Jesu Christo Nomen supra omne Nomen*, non dicit ipsum novicium Deum, factum ex Homine: sed gloriosam Nominis Dei, & Formæ Dei, à qua se ad tempus exinaniverat, vindicationem jam dictam. Nec patitur illam depreciationem Christi nominis, ut dicatur Factus Deus, affirmatio Apostoli illa, antequam se ipse exinaniret Christus, sumpta forma servi extitisse ipsum *in Forma Dei æqualem Deo versu* 6. 7. Item Christi ipsius illa assertio, *gloriam illam*, qua ipsum glorificaturus erat Pater, *se habuisse apud Patrem, priusquam hic mundus existeret. Joh.* XVII. 5.

VII. Divino honore ac cultu esse à nobis afficiendum Jesum Christum; ut verum Deum ac Filium Dei, bene habet quod confirmari sentiant ex *Joh.* V. 23. *Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem; qui non honorat Filium non honorat Patrem, qui misit eum. Et ex Capite* I. *ad Hebræos*; ubi, quod debebant meminisse, sicut Filius Dei, ita in casu recto definitive ὁ Θεὸς nominatur, ex *Psal.* XLV. *Hebr.* I. 8. 9. quæ observatio infra nobis usui erit: ubi hoc, à cultu & honore divino, argumentum pro æterna Jesu Christi Deitate, vindicandum erit.

§. III.

Spiritum Sanctum docent esse virtutem illam sive efficaciam Altissimi Luc. I. *Qua res aliquo modo sanctificantur: imprimis autem Christus ejusque fideles* Rom. I. & VIII. 2 Cor. I Eph. I. & IV. *Negant esse personam aliquam subsistentem; licet per prosopopoeïam sæpe ut persona introducatur.* I Cor. XII.

I. Si *Lucæ Capite* I *versu* 35. δύναμις ὑψίστου & πνεῦμα ἅγιον idem sunt, *Virtus Altissimi & Spiritus Sanctus*, (quod nolumus inficiari) schema dictionis improprium non erit in nomine Spiritus sancti, sed in nomine Virtutis Altissimi: denominatione Spiritus sancti ista resolvenda in hanc, *Altissimus* (Spiritus Sanctus) *Virtute* seu efficacia sua *te inumbrabit.*

II. *Spiritus Sanctificationis Rom* I. 4. non efficaciam illam Patris notat, qua sanctificantur Christus ejusque fideles, sed distinctam à natura humana naturam spiritualem sanctissimam Deitatis Christi, secundum quam ipse est ὁ ἁγιάζων nos *sanctificans. Hebr.* II. II. Est enim in verbis Apostoli aperta antithesis formulis istis expressa κατὰ σάρκα *secundum carnem*, & κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης *secundum spiritum sanctificationis*: ex priori formula, asserit Apostolus, *Christum factum ex semine Davidis*, ex posteriori, *Filium Dei esse.* Conferantur *versus* 3 & 4. *Rom.* VIII. *Capite*; non potest ad efficaciam illam, Christum & nos sanctificantem, illud saltem referri, quod *versu* II. Apostolus pronunciat, de futura *mortalium corporum nostrorum vificatione per inhabitantem Dei Spiritum in nobis.* Similiter quod Apostolus dicit *Eph.* I. 23. *Obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto.* 14. *Qui est arrhabo hæreditatis nostræ &c.* Uterque enim locus confirmat, à persona Spiritus sancti, nobis expectandam esse corporum nostrorum vivificationem ex mortuis, quia nunc illa inhabitat (ut sint *Templa Dei* I *Cor.* III. 16. 17.) ipse Unus cum Patre & Filio verus Deus.

III. Temerè autem negant adversarii, Spiritum vivificaturum mortalia corpora nostra, atque interim arrhabonis instar exspectationem illam obsignantem, sua in nobis habitatione, ut in Templis suis, esse personam aliquam subsistentem: sed tantum ut personam introduci per prosopopoeïam seu personæ fictionem: istam enim minime admittit hic subjecta materia: in qua & Sanctificationi præsenti, & Vivificationi futuræ, unus assignatur efficaciter operans Deus, ipse Spiritus sanctus.

IV. Neque locus qui adnotatur 1 *Cor.* XII. patitur, nedum flagitat, istam Personæ fictionem, quando dicit Apostolus *versu* 11. *Sed omnia hæc efficit Unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis prout vult.* Ubi enim varia privatim singulis distributa charismata Spiritus sancti accipiunt, per prosopopoeïam, seu Personæ fictionem, Nomen *Spiritus*, ibi πνεύματα dicit Apostolus, in plurali numero; ut hoc ipso capite *versu antec.* 10. & *& cap.* XIV. 12, & 32. 1 *Joh.* IV. 1. Quorum Spirituum omnium & singulorum hic facta ἀνακεφαλαιώσει recollectione, ad τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται, *Unum illum eundem Spiritum distribuentem privatim singulis* Spiritum suum *prout vult*, manifeste fiunt ἀντικείμενα τὰ πρός τι relativè opposita, singulorum spiritus, sic dicti per prosopopoeïam, (de singulis in singulari, de cunctis in plurali numero) & Unus ille & idem Spiritus, spirituum diribitor, à cujus persona sumitur personæ fictio.

§. IV.

Negativæ Theses. Negant igitur tres esse distinctas personas in una Dei essentia.

Negant etiam Jesum Christum esse æternum vel à se ipso Deum, eundem scilicet qui Pater est. Imo negant Jesum Christum ante N. T *tempus exstitisse.*

Denique negant Spiritum sanctum esse divinam aliquam hypostasin, et si increatam rem fateantur.

Rationes contra Trinitatem & ὁμοουσίαν *has in summa adferunt.* 1. *Quia nusquam in sacris literis quidquam de ea re traditur. Quæ enim de Patre & Filio & spiritu sancto adferri solent testimonia, deque eorum unitate, ea aliter, quam vulgo fieri solet, exponunt, ut postea dicetur.*

2. *Quia multa passim in sacris literis traduntur, quæ Trinitatem illam evertunt. V.G. Quæ de uno* Deo *dicuntur, deque* Dei *Patris singulari prærogativa, supra Christum & Spiritum Sanctum: quæ nullo modo cum doctrina Trinitatis consistere possunt: nisi rationem ipsam abjicere velimus: idque faciendum esse negant: cum nihil contra rationem manifestam sit credendum.*

3. *Quia Christus omnia quæ habet ad* Deum *Patrem auctorem refert, atque adeo suam divinitatem: ut videre est* Joh. V. 8. *&* 10. *Seque nil nisi jussu & virtute Patris sui, cujus legatus sit, agere testatur: Itemque non obscure negat se eundem cum Patre* Deum *esse: cum negat sibi diem judicii esse cognitum* Marc. XIII. *cum Patrem vocat* majorem Joh. XIV. *&* solum bonum *videlicet à se ipso.* Matth XIX. *Quem Patrem ipse pronus adoravit passim: & cui tandem regnum est traditurus* 1 Cor. XV. *adeo ut prærogativam Altissimi* Dei *soli Patri asseruerit.*

Ad Objectiones pro Trinitate sic in summa respondere solent. Quod Matth. III. & XXVIII. 1 Joh. V. 2 Cor. XIII. *commemorantur tres, videlicet Pater Filius &*

lius & Spiritus sanctus: ut etiam videtur Apoc. 1. *fieri Resp. Hinc non sequi Tres esse Unum & eundem Deum: etsi Filius & Spiritus Sanctus cum Deo recte conjunguntur. Et nominatim de loco* 1 Joh. v. 7. *ajunt, de tribus testibus in cœlo videri adulterinum, cum male cohæreat cum reliquis. Porro, in Christum nos baptisari, ut in Dei Legatum, atque Deo inferiorem, Deum tamen nostrum; quomodo etiam* in eum credimus, *videlicet, ut causam secundariam salutis.* 1 Petr. 1. Joh. xii. & xiv. 1 Cor. x. *In Spiritum sanctum vero velut in Dei virtutem: sicut illi in Baptisma Johannis.*

I. Negativæ Theses Orthodoxæ. 1 Nulla est θεία φύσις Divina natura seu Essentia, nisi Unica æterna. 2. Personæ divinæ Uni nulla esse potest æqualis in forma Dei, nisi ὁμοούσιος in Una essentia. 3. Nulla potest esse Res increata, quæ non sit ipse ille Unicus naturâ Deus, Creator universi. Hinc fluunt Rationes, pro Trinitate & ὁμοουσίᾳ trium personarum, istæ. 1. Quia Deus in Scriptura, absolutè, definitivè, & in casu recto, nominatur, non solus Pater Domini nostri Iesu Christi, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus. 2. Quia nominatim Filius, qui ὁμολογουμένως est Persona alia à persona Patris, ante assumptam naturam humanam dicitur extitisse in Forma Dei Deo æqualis. 3. Quia (confessione adversariorum hic expressa) Spiritus sanctus non est res creata; qui tamen est à Patre & à Filio *Alius consolator. Joh.* xiv. 16. 4. Quia consequenter, nulla est alia conciliatio Scripturarum, nisi ista, quam ipsa dictat, ut hi tres sint Alia atque Alia persona divina, at Una sit Trium essentia & natura divina: secundum quam non sint Aliud atque aliud Ens, sed Unum.

II. Rationes contra Trinitatem, & ὁμοουσίαν, quas se adferre jactant, nullæ sunt. 1. Quæ enim prima hic numeratur, mera est inficiatio, cui fatentur ipsi multa nos objicere testimonia Sacrarum literarum, vulgo nota. Ad quæ quid excipiant postea considerabimus.

III. Pro ratione secunda, qua Trinitatem evertant, obtendunt illa, quæ passim in Sacris literis de Uno Deo dicuntur: & connectunt, quasi pariter traditam, singularem Dei Patris prærogativam supra Christum & Spiritum Sanctum. Vis autem argumenti ab ipsis collocatur, in hoc scilicet demonstrationis principio; Rationem ipsam non esse abjiciendam, & nihil contra rationem esse credendum. Nos asserimus etiam captivandam esse Rationem ipsam, in iis, quæ ipsa non potest φυσικῶς naturali scientia cognoscere, ne blasphemet contra revelationem supernaturalem Verbo Dei traditam, hoc solo argumento, quod sit ἀνεξερεύνητον καὶ ἀνεξιχνίαστον *inscrutabile & impervestigabile mysterium* quod credendum est. 2 *Cor.* x. 5. *Rom.* xi. 33.

IV. Illi vero nobis videntur Rationem ipsam rectam abjicere, &, in iis quæ etiam φυσικῶς intelliguntur, se corrumpere, qui locos istos Scripturæ, in quibus dicitur Deum unicum esse & nullum alium, non agnoscunt destruere τὴν πολυθεότητα seu pluralitatem verorum Deorum; pariter in Novi Testamen[to] [Re]ligione Christiana, ut olim in V. T. Religione Judaica. Et qui, odio mysterii Trinitatis personarum in Uno vero Deo, colere se profitentur

fitentur duos multorum verorum Deorum Deos, Unum æternum, alterum in tempore Factum.

V. In tertia ratione, exsequuntur id quod pro secunda ratione dixerunt, de Dei Patris singulari prærogativâ supra Christum: quam satagunt confirmare ex testimoniis *Joh.* v. VIII. *&* x. in quibus Christus omnia quæ habet ad Deum Patrem auctorem refert, atque adeo suam divinitatem, seque nil nisi jussu & virtute Patris sui, cujus legatus sit, agere testatur. Verba Christi ista sunt *Joh.* v. 30. *Non possum ego à me ipso facere quidquam, prout audio judico, & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Hunc solum versiculum notarunt Belgici interpretes. De ipsa divinitate, *Auctor Compendioli* magis videtur intendisse *versiculum* 26. *Sicut Pater habet Vitam in se ipso, sic dedit & Filio habere vitam in se ipso.*

VI. De *versiculo* 26. respondemus, nos quidem intelligere verba Christi de Gratia Unionis, qua datum est individuæ naturæ humanæ Christi, habere in se, ut in Templo, habitantem Deitatem, quæ est αὐτοζωὴ ipsa Vita, in Patre & Filio & Spiritu S. una. Ut non possit, supra hanc Vitam Filii, ulla esse prærogativa Patris: sed tantum supra naturam ejus humanam, cui Gratia illa Unionis facta est.

VII. Et, secundum illam Analogiam fidei, *versu* 30. expressa supra Christum prærogativa Patris, qua ipsius jussioni & mandato obediit Christus, & voluntati Patris subjecit, in natura humana, non destruit æqualitatem Filii cum Patre, in natura & voluntate divina unica. Similiter quicquid in eandem sententiam dixit Christus *Joh.* VIII. *& Capite* x. Et quod Patrem etiam pronus adoravit passim. Ut verum sit utrumque illud effatum Christi; *Ego & Pater unum sumus Joh.* x. 30. &, *Pater major me est Joh.* XIV. 28. prius secundum naturam divinam, posterius secundum naturam humanam.

VIII. Secundum humanam naturam quoque negabat in diebus carnis suæ, sibi diem judicii esse cognitum. *Marc.* XIII. 32. At minime id absolute de Persona Filii secundum divinitatem ipsius interpretandum est.

IX. Neque Christus *Matth.* XIX. 17. verbis illis (*cur me dicis bonum? nullus est bonus nisi unus Deus*) soli Patri voluit asserere hoc indigitamentum Boni, exclusa Persona sua. Sed contrarium intendit, ut doceret se jus habere & in nomen Magistri boni, & in rem, respuens nomen à juvene illo ipsi inaniter attributum, citra meditationem mysterii illius, quod ipse esset verus *Deus manifestatus in carne.* 1 *Tim.* III. 16.

X. Quod Christus Patri tandem regnum est traditurus 1 *Cor.* XV. 24. & *Patri subjicietur v.* 28. eo non asseritur tamen prærogativa Altissimi Dei soli Patri. Sed tantum notatur ἀχωρέιςως assumpta forma servi, non auferibilis à natura humana in æternum. Non enim ullis fidiculis hoc exsculpi potest; quia etiam ipse Filius subjicitur Patri, ergo subjicitur Patri quâ Filius. Sed nominatio Filii flagitat, ut oratio Apostoli resolvatur in Axioma discretum, simile illi, *quamvis Filius esset, tamen in iis quæ passus est didicit obedientiam. Hebr.* v. 8.

XI. Regnum

XI. Regnum autem quod Patri traditurus est Christus, non censemus esse regnantis potestatem, quasi illam à se abdicatam Patri relicturus, non regnaturus ultra; credimus enim annunciationi illi Gabriëlis, *regnabitque supra domum Jacob in æternum*: *& regni ejus non erit finis. Luc.* I. 33.

XII. Quid ergo? intelligimus nomine Regni, populum Christi seu Ecclesiam Catholicam glorificatam: ut explicandus sit hic locus, ex altero illo *Eph.* IV 27. Ut Regnum tradere Patri sit Ecclesiam Patri sistere gloriosam, sicut illam etiam sibi ipsi sistet gloriosam. Significatur autem non finis regnandi futurus; sed finis œconomiæ Regni mediatoriæ & mandatariæ, non ultra necessariæ, quando Deus erit omnia in omnibus.

XIII. Responsiones ad Testimonia pro Trinitate, quibus elabi conantur, inanes sunt. I. Nam loca *Matth.* III. & XXVIII. I *Joh.* V. 2 *Cor.* XIII. & *Apoc.* I. ubi commemorantur tres, videlicet Pater Filius & Spiritus Sanctus, minime cum Deo unico conjungunt, aut Personam Filii, ut alterum Deum factum, aut Spiritum Sanctum, ut rem increatam, quæ non sit Persona Divina. Utrumque enim illud est ἀνάλογον, contra Scripturæ Analogiam.

II. Capite quidem *Matth.* III. 16. 17. Persona Christi, baptisati ad Jordanem, declaratur esse Filius Dei, de quo mox dicendum erit. Testimonium perhibet Pater, voce e cœlo delata. A Patre alius testis accedit Spiritus Sanctus, descendens quasi columba, & veniens super Christum. Duo illi testes necessariò sunt personæ duæ, tertiam obsignantes, alter verbo audibili, alter visibili è cœlis signo.

III. Neque descendentis columbæ εἶδος σωματικὸν tribui potest Spiritui Sancto, illo dictionis schemate, quo dicitur descendisse Spiritus Sanctus quasi columba; nisi intelligatur Spiritus sanctus esse Persona utens isto personalis præsentiæ suæ invisibilis, & testificationis è cœlo, visibili in terris symbolo.

IV. Et *Matth.* XXVIII. 19. dedicatio Baptismi aquæ, *in Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, omnino flagitat, ut Personæ Patris, & Personæ, Filii, non aliter quam ut persona tertia, jungatur Spiritus Sanctus. Personæ vero illæ tres sint Unus ille Dominus, cujus imperio, cum nominis ipsius invocatione super baptisandos, celebrandus sit Baptismus, juxta illud; *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptisma. Eph* IV 5.

V Iniquissima vero illa est Critice, de loco I *Joh.* V. 7 quâ ajunt, istud de tribus testibus in cœlo videri adulterinum, cum male cohæreat cum reliquis. Contrà liquet contextum ita cohærere, ut absque versu septimo sequentes, nimirum 8. 9. 10 11. nisi violenter subsistere possint. Nam ut *vers.* 7. allegantur tres testes cœlestes, ita *vers.* 8. tres terrestres. Unde Apostolus *vers* 9. 10. 11 infert: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, nam hic testimonium est Dei &c.* respiciens necessario ad testes cœlestes. Et consentaneum est, quod in Euangelio *Johannis Cap* VIII. 17 18. testes duo constituuntur, & *Cap.* XV. 26. testis tertius Spiritus Sanctus: *ille Testimonium perhibebit de me.*

VI. Nihil ergo hic est adulterinum servato *versu* 7. sed contra adulterati codices illi sunt, in quibus versus ille expunctus est, contra probatissimorum exemplarium fidem, & allegationem antiquissimam *Cypriani*, qui sub Decio Imperatore floruit, circa annum Christi 240. *Libro de simplicitate Prælatorum, seu Unitate Ecclesiæ Edit. Erasmi* MDXX. *pag.* 164. *Dicit Dominus; Ego & Pater unum sumus: & iterum de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est, & Tres unum sunt.* Et non sine triumpho veritatis est, quod non ausi sunt versum illum septimum, in sua versione Germanica Anni MDCXXX, expungere Racovienses.

VII. Ex vi veritatis est, quod fatentur in Christum nos baptisari, ut in Deum nostrum, in quem etiam credimus. At à spiritu contradictionis est, quod ajunt nos baptisari & credere in Christum, ut Deo inferiorem Deum nostrum, & ut causam secundariam salutis: sic enim destruetur illud Apostoli effatum; *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptisma. Eph.* IV. 5.

VIII. Neque ullum contradictioni præsidium est, in testimoniis allegatis. Non 1 *Petr.* I. 12. ubi dicimur *per ipsum credere in Deum*: ubi non discriminatur à Patre Filius, ut aliud Fidei Objectum inferius & salutis caussa secundaria, sed tantum distinguitur, ut Persona Trinitatis secunda à primâ. Nec obstat τῇ ὁμουσίᾳ & uni individuæ causalitati salutis nostræ, ab una causa efficiente prima & principali, præpositio *Per*, cum per illam etiam Patris efficientiam enunciet Scriptura. *Rom* XI 35. *Hebr.* II. 10.

IX. Locum *Joh.* XII 44. facillimè conciliamus: quod etiam dicit Christus, *qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, omnino explicandum expressione suppressi adverbii, *qui credit in me, non credit in me tantum* &c. Ratio manifesta est, in eo quod dixerat Christus, *Ego & Pater unum sumus Joh.* X. 30 & quod hic subnectit immediate; *et qui videt me, videt eum qui misit me. vers* 45 Neque ab hac Analogia fidei recedit quidquam à Christo dictum, *Johannis Capite* XIV.

X. Quorsum notatus sit locus 1 *Cor.* X. divinandum nobis est: existimamus spectari id quod *versu* 2. Apostolus dicit, *Patres in Mosem baptisatos esse*; ut scilicet similiter intelligamus, in Christum nos baptisari, ut in Dei legatum. Verum non est idem *in Mosem & in Nomen Mosis* baptisatos esse, sicut nobis idem est in Christum, & in Nomen Christi baptisari: nec prius illud de Mose dicitur alio sensu, quam illo, quem Interpretes *Syrus & Arabs* expresserunt, ut εἰς τὸν Μωσῆν sit בּיד מושא / *in manu* h. e. *per ministerium Mosis*: posterius vero illud, in Nomen Mosis baptisari, nusquam dixit Scriptura, nisi de Baptismi Domino loquens, eique ut servos & ministros subjiciens, quotquot baptisant aqua, ut liquet ex Pauli Apostoli illa contestatione iterata; *An in Nomen Pauli baptisati fuistis?* 1 *Cor.* I. 13. *Ut ne quis dicat me in meum nomen baptisasse. vers.* 15.

XI. Eadem Analogia, baptismus in Nomen Spiritus Sancti, dicit Spiritus Sancti personam, Unum cum Patre & Filio Baptismi Dominum. Et dissimillimum est, quod ingeritur de illis qui baptisati fuisse dicuntur *in Baptisma Johannis. Act.* XIX. 3 Ubi, *in baptisma*, nihil est aliud quam per

Baptisma

Baptisma Johannis, sicut *Act.* VII. 54. εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *per dispositionem Angelorum.*

§. V.

Quod Christus passim appellatur Deus, *ut* Joh. 1. & XX. Rom. IX. Hebr. 1. *in eo dicunt Æquivocationem esse: non enim vocari absolute* τὸν θεὸν. *sed vel Deum nostrum, vel Deum ab illo summo Deo constitutum.*

Posse etiam dici Jehovam, quia sit ejus legatus, ut Angeli & Judices. Joh. X.

I. In eo quod *Joh.* I. 1. dictum θεὸς ἦν ὁ λόγος, *ille Sermo erat Deus*: item *Joh.* XX. 28. ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου, *Domine mi & Deus mi*: item *Rom.* IX. 5. ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *qui est super omnes Deus benedictus in secula*: denique *Heb.* 1. 9. *thronus tuus*, ὁ θεὸς *Deus, in sæculum sæculi*: & *vers.* 10. *propterea unxit te*, ὁ θεὸς, *O Deus*, *Deus tuus &c.* temere fingitur esse Æquivocatio in nomine θεὸς Deus, & omnino ponitur nomen illud absolute, definitive, & in casu recto. Et sole clarius est, quod supra attingebamus, *Hebr.* 1. 9. 10. bis vocari etiam expresso articulo τὸν θεὸν: sicut etiam cum articulo dixit Thomas *Joh.* XX. ὁ θεός μου.

II. Neque ex istis locis indicatis ullis fidiculis quis expresserit, alterum ab illo summo Deo factum vel constitutum Deum: neque illud ullam æquivocationem parere poterit, si Dominus Jesus dicatur Deus noster, sicut dixit Thomas, *Deus mi.* Alias dicendum erit, etiam æquivocationem habuisse illud *Deut.* VI. 5. *Audi Israël, Jehovah Deus noster, Jehovah unus est.*

III. Neque ex *Joh.* X. ullo schemate hoc efficitur unquam, Angelos & Judices fuisse appellatos nomine *Jehovæ* in V. T. Contra ostendit Scripturarum analogia, Deum verum Israëlis ita zelotem esse Nominis illius Jehovah, ut contestatus sit, illud sibi proprium nomen esse, cujus gloriam nolit dare dicto Deo alteri, h. e. qui sit ἑτερούσιος alius essentiæ. *Esai.* XLII. 8. & XLVIII. 2. & 11.

IV. Adeoque asserimus, nullum posse monstrari Scripturæ locum in V. T. ubi aut creatis Angelis, aut ulli omnino rei creatæ, tribuatur nomen Jehovah, definitivè, in casu recto, vel proprio vel improprio dictionis schemate. Et censemus imprudenter nimis liberales esse ex nostris, qui concedunt, nominatim tribus locis, creaturæ tribui per metonymiam: quæ breviter lustranda.

V. *Exod.* XVII. 15. Moses vocavit Altare quod ædificavit יהוה נסי / *Jehovah Nissi.* At neutiquam hoc dicto Altare nominavit Jehovam, sed insignivit, nomine facto ex *Iehova* & *Nissi*, quod est si interpreteris, *Iehova est vexillum meum.* Non est ergo nomen simplex, sed integra enunciatio, serviens pro nomine: sicut nomina etiam fuêre Latinorum Patrum scriptis celebria, *Deus dedit*, *Quod vult Deus &c.*

VI. *Num.* X. 35. imperata fuit Mosi, ad elevationem Arcæ portandæ, dicenda acclamatio illa, קומה יהוה / *ascende* vel *exurge Iehovah &c.* Hinc existimatur istic & *Psal.* LXVIII. 1. & parallelis locis, nominato Jehovah intelligenda *Arca Iehovæ.* At liquet, servari sartum tectum & illibatum ipsi Deo nomen suum, communicari vero Deo & Arcæ analogicè tan-

tum prædicatum, seu verbum קום *surgere*, *ascendere*, ex *Psalmo* CXXXII. 8. קומה יהוה למנוחתך אתה וארון עזך / *surge*, *ascende Iehovah ad requiem tuam*, *Tu*, *& Arca roboris tui*. Potest ergo esse ἀπόδοσις attributionis, ut modo Jehovæ modo Arcæ dictum sit, surge, ascende, nulla vero necessaria est metonymia per quam Arca dicatur Jehovah.

VII. Denique *Ezech*. XLVIII. 35. dicitur fore nomen civitatis יהוה שמה / *Iehovah schamma*, h. e. si interpreteris, *Iehovah illic*. Atqui hæc rursus est integra enunciatio, qua resolvitur nomen civitatis necessario sic, ut manere nequeat nomen Jehovah in casu recto, sed migret in genitivum, hac paraphrasi; *& nomen civitatis ex illo die erit*, *Habitatio Iehovæ*, *vel locus habitationis Iehovæ*.

VIII. Ubicunque ergo in V. T. idem qui Jehovah etiam Angelus Jehovæ appellatur, invicta nobis est demonstratio, non esse intelligendum Angelum aliquem creatum: sed designari Deum filium, schemate illo apparentem Patribus, quo illis fiebant Angelorum apparitiones. Et censemus merito contemnendum quod ad locum *Gen*. XVI. 13. *Engedinus* vel maximè urget, hac forma argumenti syllogistici; Ille est Christus cui Deus Pater dixit, Filius meus es tu &c. Sed nulli unquam Angelorum, teste Apostolo, dixit hæc Pater. Ergo nullus unquam Angelorum, teste Apostolo, est aut fuit Christus.

IX. Nec elenchum facit conclusio, nec facere potest, donec obtineat, ut Apostoli interrogatio quæ urgetur ex *Hebr*. I. 13. *cui enim dixit aliquando Angelorum*, *Filius meus es &c*. per contrapositionem migret in istam; Ubi unquam Filio dictum, Angelus es. Atqui tunc in promptu est responsio, Filium Dei Christum mittendum à Patre nominatum *Angelum Fœderis Malach*. III. I. & dictum *Angelum faciei Iehovæ*. *Esai*. LXIII. 9.

X. Porro quod ad nomina alia Dei attinet, quibus ornantur illi λεγόμενοι θεοὶ *dicti Dii*, de quibus sermo est *Ioh*. X ex *Psal*. LXXXII. sive Angeli sive Judices, asserimus nemini illorum unquam, ut singulari Dei legato, dictum esse, *Tu es Deus*. Illustrat & confirmat assertionem nostram observatio *Clariss Vossii* ista, *de Vitiis sermonis libr*. I. *cap*. 15. *pag* 63. *Non*, *quia Patres de Senatoribus dicimus*, *eo Patrem*, *vel Patrem conscriptum*, *dicimus*: *ut monitum antiquo Persii Scholiastæ*. Quia ergo Filius in singulari dicitur Deus, Scripturæ affirmatione, secus quam omnes Angeli aut Judices, confirmari omnino credimus ὁμουσίαν Filii & Patris.

§. VI.

Quod Christo passim tribuitur divina Potentia, *seu Majestas*, *item Scientia vel Scrutatio cordium*, *item Potentia in universa Ecclesia*, *nec non divinus Cultus*; *ut videre est* Matth. XI. & XVIII. XXVIII. Joh. V. & XIV. Act. VII. Apoc. I. & II. Phil. II. Hebr. I.

Resp. *Hæc non esse idiomata unius & solius æterni Dei*, *quæ nulli rei creatæ communicari possunt*: *sed dona creata*, *Christo ex Dei liberalitate concessa*, *quibus præcipue ipsius ἐξουσία continetur*. Joh. V. Eph. I.

I. Non

I. Non vacat læsæ Majestatis crimine assertio ista, *Divinam Potentiam seu Majestatem non esse idioma unius & solius æterni Dei*, quod nulli rei creatæ communicari possit. Cum affirmatione Apostoli, unus ille Deus sit ὁ μόνος δυνάστης *solus Dynasta*, cujus est honor & robur æternum 1 *Tim.* VI. 15. 16. & dicat ipse, *gloriam meam alteri non dabo. Esai.* XLII. 8. & XLVIII. 11.

II. *Divina etiam scientia & Scrutatio cordium* omnino character est Unius & solius æterni Dei, nulli creaturæ communicabilis. Affirmatione illa Regis Salomonis, *quoniam tu nosti, solus tu, cor omnium filiorum hominis* 1 *Reg.* VIII 39. & Dei ipsius contestatione; *supplantatrum est cor præ omnibus & perversum est, quis cognoscet illud? Ego Jehovah scrutans cor, probans renes &c. Jer.* XVII. 9. 10.

III. *Potentia* porro *in universa Ecclesia* non habet subjectum ἐκτικὸν ullum, extra Unum & solum æternum Deum, à quo agnominatur *Ecclesia Dei viventis* 1 *Tim.* III. 15. *Populus Dei, quem præcognovit Rom.* XI. 2. omnesque Ecclesiæ Filii, *ex Deo geniti* censentur *Joh.* I. 13. & esse *Dei ποίημα Eph.* II. 10. qui ipse *addit quotidie Ecclesiæ eos qui salvi fiunt. Act.* II. 47. Idemque qui in principio creavit Lucem è tenebris, creat in credentibus novum lumen Fidei. 2 *Cor.* IV. 6.

IV. Neque sine sacrilega idololatria communicabilis statuitur creaturæ *cultus divinus*, quippe qui Lege divina vindicatur uni & soli æterno Deo, quam Legem Christus protestatur se non venisse solvere *Matth.* V. 17. 19. Nec potuit ipse, *factus ex muliere & factus sub Lege Gal.* IV. 4. non esse, justo Legis zelo, juste adjudicatus occisioni ex hypothesi (si ipse, ψιλὸς ἄνθρωπος existens, sibi cultum divinum asseruit, præter & contra primum Decalogi præceptum) præscriptione illa divina, contra Prophetam, quamvis θαυματούργον, qui doceret Apostasiam ab unius & solius æterni Dei cultu: quæ legitur *Deut.* XIII.

V. Monstrosa ergo hæresi transformatur Gratia Unionis Hypostaticæ, qua sibi naturam humanam univit Persona Filii divina, in meri hominis ἀποθέωσιν seu Deificationem creaturæ, qua acceperit dona creata, ex Dei æterni liberalitate ipsi concessa, propter quæ cultum ipse divinum cum Deo æterno divisum habeat in N. T. qui solus colebatur in V. T. juxta Legem Mosis.

VI. De Gratia Unionis quomodo interpretandum censeamus locum *Joh.* V. 26. supra exposuimus. Locus *Eph.* I loquitur de Christi Exaltatione gloriosa; quæ non dicit etiam ex homine factum Deum, sed æternæ Deitatis gloriam potenter assertam, in Ecclesiæ N. T. collectione, post eclipsin humiliationis intercurrentem.

§. VII.

Quod Creatio & Conservatio rerum omnium Jesu Christo tribuitur; item Remissio peccatorum & Beatificatio nostri Joh. I. & III. IV. V. & VI. Hebr. I. Col. I.

Resp. Illic agi de secunda, non de prima rerum creatione h. e. mundi innovatione, quoad Religionem & Regnum Christi: item de Conservatione Electorum: & Dominatione Christi inter medios hostes.

Denique hæc divina opera sic esse comparata, ut per rem creatam, tanquam secundariam causam, præstari possint, virtute & potestate à Deo accepta Matth. II. Joh. XVII.

I. De prima rerum creatione agere Euangelistam Johannem *Cap.* I. 3. (quando aït, *omnia per ipsum facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum est*) demonstrant antecedentia *vers.* 1. & 2. in quibus asseritur, in primo creationis principio præsens apud Patrem, coæterni Filii existentia: pariter ut illam sibi ipse asserit *Prov.* VIII. 22 — 31. illic Sapientia hic Sermo dictus.

II. Et sequentia *versu* 10. non patiuntur assertionem Johannis trahi ad secundam creationem; *in mundo erat*, inquit, *& mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non agnovit*. Neque hic elabi possunt adversarii, quin novam creationem statuant sine nova creatura; sive ut loquitur *Smalcius, in Refut. Smiglecii de Verbi incarnati natura pag.* 76. *tantum reformantis studium, etiam sine effectu reformationis.* Quod reformantis studium sine successu, scilicet, expresserit Euangelista, dicens, *mundus per ipsum factus est.*

III. Similiter locus *Coloss.* I. 16. non patitur se torqueri ad secundam creationem: quoniam ita universalis est sermo, ut complectatur omnes tam malos quam bonos quâ Homines quâ Angelos, ut non possit nisi de prima creatione, quâ in principio cuncti creati fuerunt boni, loquutus esse Apostolus. Neque hic rursus elabi potuit *Smalcius* sine monstrosissimo paradoxo, libri jam indicati *pag* 73. & *ad Nova Monstra pag.* 226. *Dæmones etiam factos esse Novam creaturam.* Hæc mysteria sunt crypticæ affirmationis, de Mundi innovatione quoad Religionem & Regnum Christi.

IV. Verba porro illa *Hebr.* I. 2. *Per quem etiam sæcula condidit*, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, non sunt accipienda aliter, quam ista *Hebr.* XI: *Per Fidem intelligimus* κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι τοῦ Θεοῦ *sæcula condita esse Verbo Dei*: ut utrobique sermo sit de prima rerum creatione per Dei omnipotentiam, & de rerum creatarum conservatione per eandem omnipotentiam fiat sermo sequens *Heb.* I. 3. quando dicitur Dei Filius ille, per quem Pater sæcula condidit, etiam φέρειν τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, *ferre cuncta Verbo potentiæ suæ.*

V. *Conservationem Electorum*, ab omnipotenti rerum omnium conservatione, nolumus quidem exclusam, sed ad illam censemus minime adstringendum sermonem Apostoli, exclusa creaturarum reliquarum conservatione, & sustentatione Universi. De ipsa autem Electorum conservatione judicamus *Auctores Compendioli* verba dare; & illam tribuere, non verbo potentiæ efficaciter operanti effectum perseverantiæ Electorum, sed tantum verbo Euangelii, de promisso vitæ æternæ. Ut hic quoque intelligant tantum conservantis studium, etiam sine effectu conservationis.

VI. *Dominatione Christi inter medios hostes*, de qua *Psal.* II. & XLV. & CX. non potest explicari, remissio peccatorum & beatificatio nostri: de qua adnotata

adnotata erant loca *Joh.* III. IV. V. *&* VI. Saltem non tollitur, sed confirmatur per illam demonstratio veræ Deitatis Christi. Quia nec protectio Ecclesiæ contra hostes efficax, nec Ecclesiæ beatificatio per justificationem aut glorificationem, in hoc vel in futuro sæculo, ab alio Servatore esse potest, quam à Jehova uno & solo æterno Deo. *Esai.* XL. v. 15. *&* 17. *&* 21. *&* XLIII. 25. *&* XLIV. 22. *Hos* XIII. 4.

VII. Et magnum hoc est πρῶτον ψεῦδος, (quod credere nos omnino vetant loca ista indicata ex Esaja & Hosea) divina ista opera *sic esse comparata, ut per rem creatam tanquam secundariam causam præstari possint, virtute & potestate à Deo accepta.* Hoc pacto enim aut nulla Deo relinquitur in nostri beatificatione ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως *eminentia potestatis*, ab Apostolo magnifice prædicata 2 *Cor.* IV. 7. *Eph.* I. 19. 20 quæ non sit communicabilis rei creatæ: aut omnino inanis est magnifica illa virtutis & potestatis divinæ prædicatio; ut quæ non ponat, ex Deo, novæ Creationis effectum, sed tantum Creatoris studium, & aliquando irritum desiderium.

VIII. Neque ex verbis Christi *Matth.* IX. 6. ἐξουσίαν ἔχει, *potestatem habet Filius Hominis in terra remittendi peccata*, effici potest, ut sibi tanquam rei creatæ & causæ secundariæ, divinum opus remissionis peccatorum tribuerit Christus. Appellatio enim illa Filii hominis resolvi debet hic, in axioma discretum illud; Ego, quamvis Filius hominis sum versans in terra, tamen Potestatem habeo remittendi peccata. Causa subintellecta est, quia Dei Filius sum, *Unum cum Patre Joh.* X. 30. habens *potestatem omnem in cœlo & in terra. Matth.* XXVIII. 18.

IX. *Joh.* XVII. 2 de se loquens Christus, verbis istis, *sicut dedisti ei* ἐξουσίαν πάσης σαρκός, confirmat magis id quod intendimus: quia *versu* 1. iterato se nominat Filium Patris, & *versu* 5 subnectit petitionem istam; *nunc igitur glorifica me tu Pater apud temet ipsum, ea gloria, quam habui apud te, prius quam hic mundus existeret.* Unde necessario consequitur, Potestatem & Gloriam vel in terris ante exaltationem, vel in cœlo vel in terra cum exaltatione, datam Homini Christo, dici quidem posse in concreto propter Gratiam Unionis: sed proprie loquendo ipsi, quâ Filio Dei, non datam, sed assertam & vindicatam, ut qui unum erat cum Patre, hoc ipso *Capite* XVII. *vers.* 22.

§. VIII.

Quod speciatim Spiritui Sancto tribuuntur Actiones & opera divina.

Resp. Id fieri metonymicè & per prosopopoeïam: quatenus vel ipse per Spiritum suum agens intelligitur: vel etiam homo aliquis Spiritu illo Sancto præditus: quomodo sæpe Charitas, Lex, Peccatum, velut personæ agentes, introducuntur.

I. Jam ante ad *Paragraphum* III. ostendimus, non posse locum esse Prosopopoeïæ, ubi pluribus multorum credentium Spiritibus, sic dictis per Prosopopoeïam, contradistinguitur, oppositione Relativa, Unus & idem ille Spiritus, Spirituum diribitor, *distribuens illos privatim singulis prout vult.*

II. Est ergo evidens ex 1 *Cor.* XII. demonstratio, esse unam Spiritus Sancti Personam, à qua sumitur Personæ fictio, quando donis Spiritualibus, nomen Spiritus Sancti tribuitur. III. Per-

III. Persona vero illa Unius & ejusdem Spiritus non potest non intelligi, quando illum promittit Christus, ut *Paracletum* seu *Consolatorem alium Joh.* XIV. 16. & ipse ut alius à Patre & Filio exhibetur, vel in corporali specie columbæ *Luc.* III. 21. 22. vel in specie similiter corporali linguarum super Apostolos in die Pentecostes. *Act.* II. 3. Item quando dicitur rapuisse Philippum, & localiter transtulisse Azotum. *Act* VIII. 39. 40. Item quando ipsius mandato ipsi cum precibus & jejunio sistuntur operarii, ut ab ipso messis Domino mittantur in messem. *Act.* XIII. 1.---4.

IV. Ex quo postremo loco observamus, sicut actionem & opus divinum, quod necessario Personam arguit aliam à Patre & Filio, ita etiam cultum divinum & adorationem religiosam cum precibus & jejunio Personæ Spiritus S. attributam διακριτικῶς: ut personæ fictioni nullus sit locus.

V. Nec personæ fictionem admittit locus *Act* V. in quo per epexegesin quod *versu* 3 dicitur, *mentiri Spiritui Sancto*, mox *versu* 4. dicitur *mentiri non hominibus sed Deo.* Et frustra hic *Enjedinus* vexat in *versu* 3 syntaxin Græcam, cum ipso fatente τὸ ψεύδεσθαι cum Accusativo junctum significet *fallo, decipio.* Nos malumus, ut hic petatur interpretatio ex analogia sermonis, quo, in *Sophoclis Ajace Lorario*, Teucer Ulissem compellat, ... ἐψεύσας ἐλπίδος πολύ, *& me mentitus es* (h. e. mentiendo fraudasti) *spe mea multum.* Breviter falso asserit *Enjedinus*, propter diversam constructionem argumentum esse ex quatuor terminis constructum: cum idem terminus alterata syntaxi ἰσοδυναμικώτερον sit expressus.

CAPUT SECUNDUM.

De Statu primi hominis ante lapsum.

§ I.

D*Ocent illum fuisse creatum à Deo bonum quidem & absque vitio* Gen. I. Eccl. VII. *non tamen cum aliqua originali justitia: cum hæc sit perfectio voluntaria, non naturalis, quam homo poterat quidem, si voluisset, obediendo comparare, sed re ipsa tamen non habebat.*

I. Haud sincere isthæc dici, mox liquebit, ubi de Imagine Dei agetur: de qua si consensus esset, posset sano sensu accipi id quod de originali justitia dicunt; quia sæpe Justitia notat Jus quæsitum Justificationis coram Deo, ad quod opus continuo est Justitiæ perfectione ultra naturalem voluntaria illa, quam homo poterat quidem perseveranter obediendo comparare, sed re ipsa tamen non habuit.

II. Interim animadvertimus, sub illa æquivocatione in vocabulo justitiæ negari omnem originalem naturæ Bonitatem λογικὴν rationalem, qua potuerit homo Deo præstare cultum spiritualem. Et naturalis perfectionis nomine velle illos nihil intelligi, præter Physicam naturæ integritatem, à qua

hominem

hominem ψυχικὸν *Animalem* vocat Scriptura: adeoque docere, hominem creatum à Deo bonum & absque vitio, sed in puris naturalibus, citra naturæ ἔμφυτον quicquam Bonitatis aut rectitudinis spiritualis.

III. Hoc animadverso, asserimus; præter impressum homini vestigium divinæ bonitatis, qua creatus est animal φυσικῶς bonum absque vitio, cum creatione ipsi insitam fuisse Sanctitatem illam, quæ Justitiæ universalis pars est prima, & principium, sine cujus perfectione in natura non potest in oculis Dei mundis *Hab.* I. 13. bona esse creatura rationalis, neque ulla exspectari potest, neque obediendo comparari, perfectio voluntaria.

§. II.

Deinde eum fuisse creatum Mortalem. Cum 1. *Primo fuerit Caro & sangis.* 2 *Generationi obnoxius.* 3. *Animali & terrestri tantum vita præditus, cibi ac potus indigens.* Gen. II. 1 Cor. XV. Luc. XX.

I. Possemus etiam hoc largiri, hominem fuisse creatum mortalem; si nihil subesset aliud, quam eum non accepisse vitam, quæ cum morte commutabilis non esset, nec fuisse ἀχωρίστως unitam corpori suo animam viventem. Verum intelligunt illi, mortalem creatam etiam hominis Animam. Quod mysterium, in *Disputatione adversus Puccium*, dissimulavit *Socinus*, ab ista quæstione de immortalitate animæ abstinens; tandem professus, se *in ipsa creatione nihil quidquam immortalis vitæ in homine agnoscere*, de quæstione illa rogatus à Johanne Volkelio *Epistola ad Volkelium V.* Nihil dissimulabunt *Auctores Compendioli*, infra dicturi *de statu Animarum*.

II. Interim (spectata Morte propriè dicta, qua destruitur Unio corporis naturalis cum anima vivente) non hoc tantum volunt, quod verba præ se ferunt. Sed illud intendunt, Mortem esse sequelam naturæ, adeo ut moriendum fuerit Adamo etiamsi non peccasset: cui fini militant tribus quæ connectunt argumentis ex *Gen.* II. I *Cor.* XV. *Luc.* XX. quorum facilis est discussio.

III. Primum illud, quod *fuerit caro & sanguis*, discutiendum erit infra: sed videntur spectare hic etiam non adnotatum testimonium illud *Gen.* III. *vers.* 19. quo militare solent: ubi illa fertur in Adamum sententia, *pulvis es & in pulverem reverteris.* Verum indicant verba ista sequelam, non naturæ integræ, sed jam peccato morti obnoxiæ, istam, quod per mortem corpus non resolvatur in aliam materiam, quam ex qua factum est. Alias, re integra, sine Creatoris arbitrio, non magis in terram & pulverem revertendum est carni & sanguini, formatis ex terra & pulvere, quam universim omnibus creaturis revertendum est in nihilum, quia ex nihilo creatæ sunt.

IV. Neque ex usu matrimonii, & cibi ac potus, in vita animali & terrestri, cessaturo in vita spirituali cœlesti, probatur quod probandum erat, eum fuisse, ipsa creationis lege, morti & corruptioni obnoxium, cum in ipso cibi & potus usu, ordinarit Deus vitæ conservationem non destructionem, & in usu conjugii, multiplicationem numeri viventium, non diminutionem.

V. Neque Antithesis, qua utitur Apostolus, Vitæ Animalis terrestris, & Spiritualis cœlestis 1 *Cor.* XV. 44. 46. sic accipi debet, quasi per vitam spiritualem cœlestem Apostolus extinctam velit vitam animalem, quam hic vivimus per animam corpori unitam, eamque unionem naturalem non ultra futuram. Verum ostendere voluit, quomodo nil ultra vitam animalem terrestrem Adamus primus propagare potuerit ad hæredes suos: adeoque non nisi à secundo Adamo descendat, ad liberos quos ipsi dedit Deus, Vita spiritualis cœlestis, quæ animali superinduetur, relicta terrestri habitatione.

§. III.

Imaginem Dei, ad quam ille conditus fuit, dicunt fuisse positam in Dominatione illa supra reliquas creaturas Gen. I. Psal. VIII. *quæ adhuc reliqua est in omnibus hominibus* Gen. IX. Job. III. (*legendum* Jacob. III.) *Loca autem illa* Eph. IV. Col. III. *de Imagine Christi seu novi hominis intelligenda esse contendunt.*

I. Hinc nos contendimus ex ipsorum sententia, in §. I. fuisse μηδὲν ὑγιὲς nihil sani: quia dicunt quidem creatum bonum & absque vitio, sed auferunt creationem ad Dei illam imaginem, absque qua non potuit creari natura rationalis in oculis Dei bona, & sine vitio, quippe inepta ad τὴν λογικὴν λατρείαν ad cultum rationalem.

II. Dominatio illa supra reliquas creaturas, quæ commemoratur *Gen.* I. *Ps.* VIII. non potest censeri prima & principalis κυρίως dicta Imago Dei, vel hoc ipso argumento, quod adhuc reliqua sit in natura hominis etiam mala & vitiata, sine bonorum & malorum discrimine, & sæpius Dominatio sit penes impios, quam penes justos. Unde cum emphasi videtur tribui dominatio in naturas creaturarum naturæ humanæ τῇ φύσει ἀνθρωπίνῃ. *Jac.* III. 9. *cum versu* 7.

III. Asserimus vero Imaginem Dei principalem in homine creatam, per quam bonus fuit & absque vitio, de qua *Gen* I. *&* *Eccl.* VII. sermo est, non esse aliam quam de qua loquitur Apostolus *Eph.* IV. *&* *Col.* III. Nec absque illa constare potuisse Naturæ integritatem, qua non opus habebat animæ Medico, ex morbo aut languore, qui nullus erat.

IV. Quod autem tribuitur Imago Dei in locis illis Christo seu Novo homini nobis induendo, hoc ipso indicatur illius in primo Adamo amissæ imaginis nova creatio seu reproductio, in secundo Adamo Christo, & recuperatio, per regenerantem nos Spiritum Christi. Brutum enim est, illa interpretatione creationis ad imaginem Dei defungi, *qua homo, haud aliter atque Deus quisquam, omnes res creatas cœlo subjectas imperio suo complecteretur*; (verba sunt *Volkelii libr.* III. *cap.* II.) exclusa illa interpretatione, qua fundari possit imperium Dei intus in homine, ad imitationem Dei piam & sanctam, & agglutinationem ad Deum. Cui, quia ipse Spiritus est, quicunque agglutinatur, spirituali conformitate ad Imaginem Dei, dicitur *Unus Spiritus.* 1 *Cor.* VI. 17. *Joh.* IV. 24. *cum Amos.* III. 3.

§ IV.

Spem vitæ æternæ negant primo homini propositam fuisse: imo nec ulli alii ante Christi Euangelium.

I. Bimem-

I. Bimembris est hæc inficiatio, prius membrum est hujus loci: sed sequemur κατὰ πόδα. Animadvertemus primo, ex ante dictis, supponi Adamum mortalem, & moriturum, etiamsi non peccasset: intelligi ergo hoc, spem vitæ æternæ primo homini propositam fuisse omnino nullam, nec vitæ æternæ Animalis in Paradiso, nec vitæ spiritualis æternæ in cœlo degendæ. Atqui secundum Apostolum, character ille est calamitatis lugendæ illorum, qui sunt ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ *Athei* seu *Dei expertes in mundo*, quod sint ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, *spem non habentes Eph.* I I. 12. & hujus vitæ jacturam faciunt sine spe & exspectatione vitæ futuræ melioris. I *Thess.* I V. *vers.* 13.

II. Aut ergo spem habuit vitæ æternæ à Deo propositam, qua saltem, ex hypothesi, morienti non esset lugendum, sicut iis, qui spem non habent. Aut fuit ἐλπίδα μὴ ἔχων ἄθεος ἐν τῷ κόσμῳ, *Spem non habens Atheus in mundo.*

III. Ad membrum inficiationis posterius notamus, eidem lugendæ calamitati (quam de Ephesiis & Thessalonicensibus Ethnicis, tempore œconomiæ Veteris Mosaïcæ, commemorat Apostolus) ex inficiatione ista spei vitæ æternæ propositæ ab Adamo ad Christum usque ulli mortalium, involvi non minus populum Deo fœderatum, quam extraneos à fœderibus: quod nempe, lugentes mortuos, spem non haberent. Tractanda hæc erunt ad *Cap. V.*

§. V.

Fatentur tamen Arborem Vitæ Gen. I I. *Symbolum quoddam vitæ æternæ fuisse, sed obscurum.*

Et probabile esse, Deum daturum fuisse homini, si in obedientia perseverasset, cœlestem & perennem vitam; intercedente vel morte vel saltem mutatione.

I. Arborem vitæ *Gen.* I I. 9. *&* I I I. 22. asserimus non quoddam tantum obscurum (h. e. ex mente illorum, Adamo non intellectum) symbolum vitæ æternæ fuisse; sed verbo promissionis in Fœdere operum adjectum Sacramentum. Nulli enim usui fuisset Symbolum visibile Adamo propositum, si citra Fœderis conventionem voluisset Deus hominem sibi subjicere, eumque solo imperio regere. Et histrionicum erit, quod posteriori loco legitur, de hominis lapsi prohibitione ab accessu aut contrectatione & manducatione istius symboli vitæ æternæ; nisi intelligatur Deus, hoc symbolo externo repræsentasse, & exsecutus esse visibiliter, Fœderis sui cum Adamo spiritualis antiquationem, & interdictionem Sacramenti, quo firmata fuerat & obsignata promissio Fœderis principalis de Vita æterna cœlesti.

II. Censemus ergo, quod obscurius (ad repræsentandum veteris Fœderis ἀφανισμὸν seu abolitionem) & in ænigmate scripsit Moses, Adamo fuisse explicatius revelatum; & revelationis analogiam discendam, ex illis Christi verbis *Apoc.* I I. 7. quibus, sub illius primi Sacramenti symbolo, quod erat manducatio ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei, promittit credentibus vitam æternam cœlestem: volens ostendere, nos per

ipsum, ut secundum Adamum, accipere postliminio primæ illius promissionis verbo & Sacramento confirmatæ τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμὴν etiam atque amen.

III. Deum ergo daturum fuisse homini, si in obedientia perseverasset, cœlestem & perennem vitam, non tantum probabile est, sed apodicticè demonstrabile ex tota Scripturarum analogia. Spem enim vitæ & beatitudinis melioris æternæ cœlestis non propositam verbo Dei, neque ulli innixam promisso, relinquere homini in obedienita perseveranti, revera est methodus spei δαιμονιώδης, qua Evam vetus ille serpens seduxit, suggerens, ut nullo nixa verbo Dei sperare auderet, & affectaret non promissam, Deo invidendam, quam Deus sibi habebat, beatitudinem. *Gen.* III. 5.

IV. Cœlestem vero & perennem vitam Deum non daturum fuisse, nisi intercedente morte, vel saltem mutatione, hoc est illud πρῶτον ψεῦδος, quod cœpimus tangere §. II. & quod discutiendum erit infra *Cap. VIII.* ubi per hujus erroris gangrænam negatur Resurrectio Carnis, & Caro nostra coelo excluditur, in vita æterna.

CAPUT TERTIUM.

De Lapsu hominis; & Peccato Originis.

§. I.

PEr Lapsum hominis docent contractum esse reatum æternæ ac necessariæ mortis Gen. II. Rom. V. & VI. *Ita scilicet, ut deinceps necessario omnibus in morte sit manendum (absque tamen æternis cruciatibus) nisi ex gratia* Dei *contingat liberatio.*

Et hunc reatum agnoscunt in omnes Adæ posteros transiisse, nulla ipsorum propria culpa interveniente. Sic tamen ut hic reatus respectu posterorum nullam habeat pœnæ rationem, sed tantum necessariæ conditionis, cum ipso genere naturaliter attractæ.

I. Quandoquidem, ex hypothesi, quam audivimus, mors statuitur adeo necessaria naturæ sequela, ut non, nisi intercedente morte, vel æquipollente mutatione naturæ, Deus homini daturus fuisset cœlestem & perennem vitam, si in obedientia perseverasset; non sincere docent, per lapsum hominis contractum esse reatum necessariæ mortis. Quid enim reatus ille superaddit debito illi naturæ?

II. Ergo *æternæ ac necessariæ mortis* nominatione intelligunt non ipsam moriendi necessitatem, sed quod deinceps necessario in morte sit manendum in æternum, nisi ex gratia Dei contingat liberatio. Æternam porro illam mansionem in morte quia fingunt absque æternis cruciatibus, revera definiunt, per *Infernum non existentiæ.* Et liberationem, per Gratiam Dei, ex Morte & Inferno, definiunt, nova reproductione existentium ex non existentibus. Quæ similiter discutienda erunt infra *Cap. VIII.*

III. Ex

III. Ex vi veritatis, quæ solis radiis scripta est *Rom.* v. agnoscunt, volentes nolentes, Reatum mortis in omnes Adæ posteros transiisse, nulla ipsorum propria culpa interveniente, & mox agnoscent iterum, Reatum in omnes derivari.

IV. At à Spiritu contradictionis est, quod nolunt, hunc reatum habere ullam pœnæ rationem, respectu posterorum, sed tantum necessariæ conditionis cum ipso genere naturaliter attractæ. Non potest enim non respectu omnium habere pœnæ rationem, quod in omnes transiit seu pervasit, eo quod in uno omnes peccaverunt.

IV. Verba Apostoli sunt; ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον *Rom.* v. 12. quæ, sive verteris illud ἐφ' ᾧ, *eò quod*, sive, *in quo*, non constat mens Apostoli, si non dicat peccasse omnes homines, eo argumento, quia in omnes mors pervasit, ut peccatum sequatur pœna, & morientibus sit peccatum imputatum, ut in illos mors regnet, *etiam in eos qui non peccaverunt, ad similitudinem transgressionis Adami. vers.* 12. 13. 14.

V. Nihil autem cogit nos deserere receptiorem interpretationem, *in quo omnes peccaverunt.* Analogum enim est ἐπὶ cum Dativo pro *in Hebr.* IX. 15. ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ, *in priori Testamento v.* 17. ἐπὶ νεκροῖς, *in mortuis* I *Thess.* III. 7. ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ἡμῶν, *in omni afflictione & necessitate nostra Apoc.* XXII. 16. ἐπὶ ταῖς ἐκκλησίαις, *in Ecclesiis.*

§. II.

Nullam vero agnoscunt naturæ corruptionem aliam, quam quæ frequentibus vitiorum actionibus comparatur; & diversa in diversis reperitur. Atque ita re ipsa Peccatum Originis, *prout vulgo creditur, negant.*

Ad loca illa Psal. LI. Gen. VI. & VIII. Rom. v. *sic respondent, ut de voluntaria corruptione illic agi putent, vel simpliciter, & figurate, vel hyperbolice. Nisi quod* Rom. v. *agnoscunt reatum supra dictum in omnes derivari.*

I. De testimonio *Rom.* v. dictum jam. De *Psal.* LI. 7. non elabuntur, neque quod dictant, docent, hyperbolicè scilicet extravagari Davidem, cum aït; *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato concepit* seu *fovit me mater mea.* Respuit hyperbolicam exaggerationem, quæ vera non sit, ingenua Davidis αὐτοκατάκριτος exomologesis peccatorum: qua suam immunditiem sub onere peccati gemens luget, & à Deo mundari flagitat.

II. Loca *Gen.* VI. & VIII. non inficiamur continere querelas, de comparata etiam frequentibus vitiorum actionibus corruptione, eaque diversa in diversis: adeoque de Peccatis actualibus, saltem cogitationum cordis malarum. Veruntamen recta & solida est ex iis querelis demonstratio corruptionis naturæ quæ actionum est principium. Etenim emphasin habent ista, quod in loco uno est plurale illud מנעוריו / *à pueritiis ejus;* ut ne infima quidem pueritiæ ætas excipiatur: & in altero istud, *tantummodo malum omni die.* Ut hoc indicetur; etiam primoprimos fructus cogitationum, qui unquam ex corde humano pullulant, in infima pueritia, & qui deinceps subnascuntur, omnes jugiter tantum malos esse: adeoque testari, ma-

 ri, ma-

ri, malam esse radicitus ipsam arborem, & nasci cum homine nascente thesaurum cordis malum, juxta verba Christi *Matth.* VII. 16 — 19.

III. Et apertissima est de cætero exomologesis Apostoli Pauli, lugentis in se ipso, minime comparatam frequentibus vitiorum actionibus, sed à peccato innato reliquam corruptionem, etiam post regenerationis divinæ gratiam, ipsi hærentem. *Peccatum occasione sumpta genuit in me omnem concupiscentiam. Rom.* VII. 8. *Ego carnalis sum venditus sub peccato. vers.* 14. *Peccatum in me habitat. Novi enim non habitare in me, id est in carne mea, bonum vers.* 17. 18 — 20. *Video aliam Legem in membris rebellantem Legi mentis meæ & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo &c. Servio carne legi peccati. vers.* 23 — 25.

IV. Quamvis ergo illa sit in reprobis corruptio voluntaria, qua etiam se ipsos magis corrumpunt: neutiquam tamen nascuntur sine corruptione illa, qua dicuntur communiter omnes, tam electi quam reprobi, citra regenerationem, *mortui in peccatis.* Qua emphasi dicuntur tandem reprobi, *arbores bis emortuæ Judæ* 12. *postquam voluntarie corrupti sunt. Judæ* 10.

CAPUT QUARTUM.

De Libero Arbitrio & Gratia.

§. I.

STatuunt in homine liberum esse arbitrium quoad Religionem, h. e. obedientiam vel inobedientiam, quæ ex perfecta voluntate, non ex factis externis, solet & debet æstimari.

Hunc igitur ordinem describunt. 1. *Deus ex gratia, curat nobis annuntiari Euangelium: ex cujus auditu nascitur Fides.* 2. *Deinde in manu nostra (est) assentire, vel refragari; ac porro voluntati Dei obedire vel non obedire.* 3. *Post fidem Euangelio adhibitam, sequi obsignationem Spiritus S. Unde colligunt, Fidem quidem esse Donum, propter facultatem credendi, nobis à Deo datam.* Eph. II. Rom. I. & III. Matth. XIII. *Et tamen à nostro etiam arbitrio pendere; ita ut, si pii, credamus facile: sin impii, difficulter, aut nunquam, ad fidem perveniamus.* Joh. III & VII. VIII. & X.

I. In assertione ista liberi arbitrii quoad Religionem, non caret sacrilega præsumptione series trium illarum propositionum talis, qua excluditur necessitas majoris gratiæ Dei nos prævenientis, quam qua facit nobis annunciari Euangelium, ex cujus auditu nascitur Fides: relinquens totum hoc in manu nostra, ut Euangelio audito assentiamur vel refragemur, ac porro voluntati Dei obediamus vel non obediamus.

II. Destruunt præsumptionem illam sufficienter loca adnotata quatuor, nobis sigillatim vindicanda, contra illud σοφὸν φάρμακον, Fidem esse Donum propter facultatem credendi nobis à Deo datam. Præcognoscendum illud,

illud, quod facultatis nomine non intelligunt ullam subministrationem virium interiorem, quæ comitetur exteriorem Euangelii annunciationem, sed tantum promulgatam credendi licentiam, & assecurationem de remuneratione obtinenda per obedientiam novam: breviter, propositam spem vitæ æternæ.

III. Primus est locus *Eph* II. 8. *Gratia estis servati per Fidem, idque non ex vobis, Dei donum est.* Series & ductus orationis Apostoli (qui versibus primis quinque asseruit nos per Christum *vivificatos esse, cum essemus mortui in peccatis*) aperte flagitat, ut Fidem asserat Dei donum esse, propter datas nobis in illa vivificatione spirituali ex mortuis novas vires, & infusum Fidei habitum, citra quam donationem divinam nec efficax nec sufficiens esset ad nos servandum data tantum facultas seu licentia credendi cum proposita spe.

IV. Cum loco isthoc conferendus alter locus Apostoli *Phil.* I. 29. *Vobis datum est*, ἐχαρίσθη, τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ οὐ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν, *in causa Christi, non tantum* τὸ *credere in ipsum, sed etiam* τὸ *pati pro ipso.* Apertissime loquitur Apostolus, non de licentia seu facultate credendi annunciata antequam credidissent: sed de benedictione divina, qua *cœptum in ipsis bonum opus ipse perficiebat vers.* 6. ut qui dederat τὸ credere, daret etiam τὸ pati h. e. cum patientia perseverare in fide.

V. Alter est locus *Rom.* I. 16. ubi Apostolus affirmat, Euangelium Christi esse *Potentiam Dei ad salutem cuivis credenti*, δύναμιν Θεοῦ εἰς σωτηρίαν. Alienum est à mente Apostoli, Potentiam Dei ad salutem interpretari tam dilute, ut intelligi possit citra efficacem benedictionem ad salutem, sola licentia promiscue data omnibus ad audientiam Euangelii vocatis, proposita salutis spe, si crediderint.

VI. Omnino intellexit Apostolus successum illum, quo non erat laborantium in verbo Euangelii inanis labor, quamvis non crederent omnes Euangelio audito. Estque hujus sermonis paraphrasis petenda ex I *Cor.* I. in quo *vers.* 23. *&* 24. sunt isthæc parallela; *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam, ipsis autem vocatis, Christum* Θεοῦ δύναμιν, καὶ Θεοῦ σοφίαν, *Dei potentiam & Dei sapientiam.* Manifestè Vocatos dicit, cum successu efficaciter vocatos, quos alibi dicit *Vocatos secundum propositum. Rom.* VIII. 28.

VII Nec ab illa analogia abit Apostolus *Cap. ad Rom.* III. ubi asserit *Justitiam Dei per Fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt vers.* 22. *& deinceps*: ne γὰρ quidem locutus in sequentibus vel antecedentibus, de facultate credendi ista, qua in manu hominis sit relictum τὸ credere vel non credere.

VIII. Neque de ista facultate seu licentia libero arbitrio hominis relicta Christo in mentem venit, quando *Matth.* XIII. II. dixit discipulis suis; *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis vero non est datum.* Aperte enim illos, qui ipsi adhærebant in Fide ad salutem animarum, quando plures ipsum deserebant, & sequebantur cœci cœcos ductores suos, vocat ad me-

ad meditationem Gratiæ Dei, quæ ab istis, quibus non proderat auditus sermo, ipsos discernebat; quod data esset ipsis & porro danda efficaciter, salutaris intelligentia mysteriorum regni Dei.

IX. Et pugnat hic contra omnem Scripturarum analogiam assertio illa, Fidem ita à nostro arbitrio pendere, ut, si pii, credamus facile, sin impii, difficulter aut nunquam ad fidem perveniamus. Exclusa est illa gloriatia, toto *Capite ad Rom.* III. *&* IV. stabilita assertione illa, nos *credere in Deum qui justificat impium. Rom.* IV 5. *Quis te discernit? Quid vero habes quod non acceperis? si vero etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* I *Cor.* IV. 7.

X. Nihil autem præsidii est pro gloriatione illa de pietate illorum, qui needum crediderunt, per quam facile sint credituri, in locis adnotatis *Joh.* III. *&* VII VIII. X. *Johannis Cap.* III. ista dixit Christus, *versibus* 19. 20. 21. *Quisquis perverse agit,* ὁ φαῦλα πράσσων *odit lucem, nec venit ad lucem ne arguantur opera ipsius. Qui vero facit veritatem,* ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, *venit ad lucem, ut manifecta fiant facta ipsius, quod secundum Deum facta sint.* Loquitur Christus manifeste, de pietate illorum qui jam crediderunt, qui antequam crederent erant sicut reliqui *iræ filii Eph.* II. I. 3. *&c. tenebræ. Eph.* V. I. *impii*, & quidam etiam *facinorosi* I *Cor.* VI. 9 10. II. at ex quo crediderunt, facti sunt *Lux in Domino, & ambulant ut Filii Lucis in Luce. Eph.* V. 8. *cum* I *Joh.* I. 7.

XI. *Capite Johannis* VII. spectant *versum* 17. ubi sic ait Christus; *Si quis voluerit ejus voluntatem exsequi, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* At neque hinc probatur quod probandum erat; jam velle Dei voluntatem exsequi, adeoque pietati operam dare, qui necdum sunt per regenerationem hominis interioris facti ad pietatem. Hoc tantum affirmat Christus, non esse idoneos censores, quibus deferatur discretio veri à falso in examine doctrinæ Euangelii, qui non student pietati, nec Deum timent.

XII. Enimvero animadvertendum hic, quomodo humanæ rationi, non tantum citra naturæ regenerationem, crasso *Pelagianismo*, asserant rectitudinem judicii de doctrina Christi, verum etiam citra scriptum doctrinæ typum seu Canonem Propheticum, adeoque nullum agnoscant τὸ περισσὸν Judæorum, quo facilius fuerit pios & in Deum credentes Judæos facere discipulos Christi, quam Ethnicos religiosiores δεισιδαιμονεστέρους revocare à sua δεισιδαιμονίᾳ seu cultu dæmonum ad Fidem in Christum: modo apud hos & illos locum inveniret principiorum Theologiæ, quæ ipsi φυσικῶς scirent, evidens in doctrina Christi Pietas & Æquitas.

XIII. Non constant ergo hæc mysteria iniquitatis, sine iniquissima depreciatione veritatis quæ secundum pietatem erat in Religione Judaïca: quasi nullam haberet Scriptura Prophetica manuductionem ad Christum, per quam, Christo exhibito, illi propinquiores essent regno cœlorum quam Gentes. Contrarium clamat, & Christus ipse sua provocatione ad Doctrinæ suæ examen ex Mose & Prophetis *Joh.* V. 39. 46. 47. & Apostolus protestatus de prædicato à se Euangelio, *nihil se loquutum aut docuisse, extra Mosem & Prophetas.*

XIV. Nec

XIV. Nec vero abire potest hæc liberi arbitrii assertio, sine impio Paradoxo isto; non defuisse tempore Apostolorum, nec deesse hodie in Judaïsmo numerum piorum hominum; qui tamen difficulter aut nunquam vel pervenerint vel perventuri sint ad Fidem Euangelii. Cujus rei nullam aliam esse causam pronunciat *Smalcius de Divinitate Christi Cap. XIII. quam quod S. literæ nimus obscurè de D. Jesu gloria testentur; adeo ut nemo Judæorum hoc mysterium ex S. literis perfecte percipere potuerit.* Et ultra hanc Scripturarum accusationem, Deum ipsum incusat *Idem Cap. X.* refutaturus, scilicet, calumnias Judaïcas de Miraculis Christi; *In qua*, inquit, (*stupiditate*) *tam pertinaciter hærere, & eam pro vera defendere nulla ratione possent: nisi divina eos ultio hactenus persequeretur, & in cœcitate invitos detineret.*

XV. *Joh.* VIII. 43—47. non venit Christo in mentem, ut illis, quos dicit *ex Patre Diabolo esse*, & nunquam ad fidem perventuros, sed *morituros in peccatis suis*, tribuat liberum illud arbitrium, quo possent etiam credere, & obedire voluntati Dei: cum illis contra tribuat servum arbitrium, per quod *serviant* peccato & diabolo. *versu 34. & deinceps.*

XVI. *Joh.* X. 26. 27. nihil quoque est quod confirmet assertionem liberi arbitrii, per quod in manu hominis non regeniti sit, credere Euangelio. Verum, contrariâ sententiâ, Christus asserit, totum hoc à Patris sui donatione esse, quod, ubi plures non credunt, credant oves, quas dedit ipsi Pater. *Sed*, inquit, *vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis. Oves meæ vocem meam audiunt; & ego eas agnosco, & sequuntur me.* Sequitur *versu* 29 *Pater meus* (*eas*) *dedit mihi.*

XVII. Post fidem Euangelio adhibitam sequi obsignationem Spiritus S. per se quidem (extra ductum & seriem aphorismorum antecedentium) verum est. Quis enim non credat Apostolo dicenti? *In quo etiam* πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε. *ex quo credidistis obsignati estis, Spiritu illo promissionis Sancto. Eph.* I. 12. 13. 14.

XVIII. At hoc præposterum est, & contra omnem Scripturæ analogiam, quod in illa obsignatione credentium postquam crediderunt, constituitur initium operationis Spiritus Sancti, ut tantum sequatur ipse Fidem nostram, illam obsignando, non vero præveniat, prima mentium illuminatione ad Fidem.

XIX. Distincti sunt actus & operationes Spiritus Sancti, *Unctio & Obsignatio.* Prior est Unctio, quæ est prima donatio Fidei, à qua potissimum dicitur *Spiritus Fidei*, πνεῦμα τῆς πίστεως 2 *Cor.* IV. 13. quia *splenduit in cordibus nostris ad lumen cognitionis in facie Jesu Christi, ibidem versu* 6. Ut Spiritus Fidei, idem sit quod Spiritus auctor & donator Fidei, & Fides sit τῆς ἐνεργείας h. e. *efficientiæ ipsius*: quod aperte asserit Apostolus. 1 *Cor.* XII. 9. 11.

XX. Unctionem illam, qua donatur Fides à Spiritu S. gratiâ præveniente, excipit deinde Fidem consequens Obsignatio, quæ facit ut Fides sit rerum quas in futurum speramus assecuratio, ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων *Hebr.* XI. 1. Unde dicimur per Spiritum Sanctum ut datum arrhabonem, *obsignati esse in diem redemptionis. Eph.* IV. 30. *cum* 2 *Cor.* I. 21. 22.

§ I I.

4. *Deinde docent, & Fidem & Spiritum Sanctum simul posse iterum excuti, si nolimus in doctrina Christi perseverare: ut ad* Rom. x i. Hebr. v i. & 2. Petr. i i. *& passim alibi significatur.*

Posse tamen relapsos adhuc denuo restaurari, sed admodum difficulter, cum id non sit amplius in ipsorum potestate, sed à sola Dei voluntate & gratia pendeat. Adeo ut merito semper cum timore vivendum sit. Phil. i i. 2. Petr. i.

I. Non est fides radicata salvifica, neque cum salute connexa; *χάρισμα τῆς πρώτης* distributio Spiritus Sancti, quæ totaliter & finaliter excutitur: neque qui Fidem & Spiritum sanctum sic excutiunt, unquam Unctionis nec Obsignationis ad salutem à Spiritu S. verè compotes fuerunt, sed participarunt tantum dona illa, quæ aliis magis quam ipsis essent utilia in opere ædificationis Ecclesiæ.

II. Nec doceri potest vere credentium Sanctorum Apostasia, totalis aut finalis, quæ non contradictionem implicet: cum dicta jam Obsignatione Fidelium per Spiritum Sanctum, ex quo crediderunt, *usque ad diem Redemptionis*, h. e. Resurrectionis corporum ex mortuis. *Eph.* i v. 30. *cum Rom.* v i i i. i i. & 23.

III. Locus quem primum adnotant *Rom.* x i. sic habet *vers.* 20. & 21. *Per infidelitatem defracti sunt, Tu vero per fidem stas; ne efferor animo, sed time. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide, ne tibi quoque non parcat:* At noluit Apostolus ista dicens, destruere id quod docebat *hoc ipso Capite versu* 2. *Non abjecit Deus populum suum quem præcognovit.*

IV. Quid ergo? ductus & series sermonis Apostoli (qui dixit *vers.* 5. *Reservatio secundum Electionem gratuitam facta est; & vers.* 7. *Electi assecuti sunt, reliqui vero occalluerunt:* & porro dicturus erat *vers.* 29. *Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα*) flagitat, ut loquutus sit ista, non ad Electos verè Christo insitos in mystico corpore Ecclesiæ Catholicæ, eosque jusserit timere suam Apostasiam, qua ex Electis fiant reprobi & defringantur: verum ad Ecclesiam visibilem particularem Romanam, eamque veret securam esse de sua Apostasia, à qua Spiritu Prophetico monet ipsam non magis olim immunem futuram, quam fuerat visibilis tunc rejectus Judæorum populus.

V. Jam non negamus nos, imo asserimus contra quoscunque, posse ab Ecclesiis particularibus, initio sanctis, & Fidem & Spiritum Sanctum excuti, quando cœtus illarum non perseverant in doctrina Christi. At fieri hoc credimus, manente sartâ tectâ perseverantiâ omnium & singulorum vere sanctificatorum fidelium: ubi his vere piis & sanctis ex hac vita sublatis, residua manet fæx hominum profanorum & hypocritarum.

VI. In loco altero *Hebr.* v i. 4 5. 6. agnoscimus describi Apostatas non perseverantes in doctrina Christi: sed nullos ex numero illorum quorum corda fuerant purificata per Spiritum Fidei. Hos enim Apostolus sejungit ab illis Apostatis, ut terram bonam à Deo benedictam, à *terra reproba, quæ*

maledictioni

maledictioni est vicina, & cujus exitus est ad exustionem. *verf.* 7. 8. Ac convertit se ilico, ad illos consolandos, ista Epanorthosi sermonis prioris *verf.* 9. 10. *Sed persuasi sumus de vobis, dilecti, quæ meliora sunt, & cum salute connexa, etiamsi ita loquamur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri & laboriosæ charitatis, quam exhibuistis ipsius nomini, ut qui ministraveritis sanctis, & ministretis.*

VII. Afferit ergo Apostolus apertissimè, ἀδύνατον esse in Euangelio, ut Deo constet sua justitia, si detur Euangelicè Justificatorum & Sanctificatorum, vere fidelium, Apostasia vel totalis vel finalis, in qua apud Deum nulla sit recordatio prioris justitiæ ipsorum. Consequenter liquet (ut hoc obiter moneamus) neque *Ezech.* XVIII. 24. de Justo Euangelicè justificato Deum loqui, sed de tali, qui justitiæ suæ confisus, tenetur nexu Fœderis legalis, & rigore illic expresso: conferendum enim ex *Cap.* XXXIII. 12. illud: *si confisus in justitia sua fecerit iniquitatem.*

VIII. Tertius locus *Hebr.* X. 26. 29. non patitur quoque se applicari iis, qui vere fuerunt unquam sanctificati, in fide, per sanguinem Christi: alias enim dicendum erit, hoc ipso capite esse sui oblitum Apostolum, qui vere credentibus dictavit *verf.* 38. & 39. gloriationem istam, qua se consolentur; *At nos non sumus qui nos subducamus ad exitium, sed qui credimus ad animæ salutem.* Quibus verbis Apostolus aut dedit sine mente sonum, aut docuit, certam esse, aliis deficientibus cum exitio animarum suarum, perseverantiam vere credentium, cum certitudine salutis: quia sunt ἀσύστατα habere hodie fidem veram salvificam, & cras Apostatam esse.

IX. Enantiophanes, quod urgeri solet ex verbis illis *verf.* 29. *Qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem Fœderis profanum duxerit*, ἐν ᾧ ἡγιάσθη, veram contradictionem non habet. Si manendum est in recepta interpretatione ista, *per quem sanctificatus est*, dicemus non intelligi illum qui Filium Dei conculcat, sed Filium Dei ipsum, qui proprii sanguinis effusione, pro nobis sanctificavit se ipsum *Joh.* XVII. 19. Et in eandem sententiam dicitur Pater ipsum διὰ παθημάτων τελειῶσαι *per perpessiones consecrasse. Hebr.* II. 20.

X. Verum jam olim nobis rectius visum est, nec pœnitet, ut illud, ἐν ᾧ ἡγιάσθη, vertamus in genere neutro, *per quem sanctificatum est*, h. e. sancitum, nempe ἡ διαθήκη Fœdus seu Testamentum: ut sit epexegesis ejus quod antecessit, τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, *Sanguinem Fœderis* seu *Testamenti.* Sive hæc autem sive altera interpretatio placeat, quadrant omnia minimè in alios quam illos, qui ex hypocritis professoribus evadunt profani contemptores & hostes Euangelii.

XI. Denique locus 2 *Petr.* II. sic habet *verf.* 1. de venturis falsis doctoribus; *Qui subintroducent hæreses exitiales, etiam Dominum qui illos mercatus est abnegantes, accersentes sibi ipsis velox exitium.* Maxime hic vexantur verba illa, τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι. Verum nihil illa continent, quod non conveniat servis mercenariis seu ἀργυρωνήτοις argento emptis, quorum Christus tradidit characterem illum, quod *non manent in domo in æternum. Joh.* VIII. 35.

XII. De Filiis autem qui manent in æternum ἰμφατικώτερον loquitur Scriptura; illos *emptos precio*, h. e. *non auro nec argento, sed precioso sanguine Christi*. 1 *Cor*. VI. 20. 1 *Petr*. I. 18. Accedit altera observatio, quod Filiis illis in domo Dei Scriptura non præficit Christum δεσπότην *Herum*, ad herile δεσποτικὸν imperium, quod servos spectet, sed κύριον *Dominum*: quod nomen convenientius est Patrifamilias in conjugem & liberos. 1 *Petr*. III. 6. Reliqua ad 2 *Petr*. II. 20. 21. 22. dicenda vide infra.

XIII. Assertio ista, posse relapsos adhuc denuo restaurari, sed admodum difficulter, recurret infra, citra finem *Capitis VI*. verbis istis exposita; *Si Justificati prolabamur, nos non posse instaurari ad pœnitentiam, si ipsi velimus, sed si Deus ex singulari gratia concesserit*. *Hebr*. VI. *Solum denique Peccatum in Spiritum Sanctum nullam habere spem veniæ*.

XIV. Censent ergo, si ductum & seriem sequamur hujus *Compendioli*, de Peccato in Spiritum Sanctum non agi pariter utroque loco hic adnotato *Hebr*. VI. & X. sed tantum loco posteriori *Hebr*. X. At vero aperte nimis parallela est descriptio utrobique τῶν παραπεσόντων *relabentium*. Quod enim Apostolus dicit *Hebr*. X. 26. *Si ultro peccaverimus post acceptam agnitionem veritatis*, & *vers*. 29. *qui Spiritum gratiæ contumelia affecerit* (unde petitur character peccati in Spiritum Sanctum) illud etiam majori cum emphasi repræsentat *Hebr*. VI. 4. 5. hac hypothesi; *Qui semel fuerint illustrati, gustaverintque donum cœleste, & participes facti fuerint Spiritus Sancti, gustaverintque bonum Dei verbum ac virtutes futuri sæculi*.

XV. Enimvero nosse hic oportet concordiam *Socinianorum* discordem, in definitione partim τῶν παραπεσόντων *relabentium*, partim peccati in Spiritum Sanctum. Exstat incerti Auctoris ex schola illa, edita anno MDXCI Disputatio de Peccatore & peccatorum remissione, in qua hæc legimus ad locum 1 *Joh* III. 4. *Peccata ad mortem vocat ea quibus lex Dei sine exceptione denunciat mortem: ut sunt idololatriæ, cædes, adulterium &c. Peccata non ad mortem sunt quæ fiunt ex ignorantia, non destinato consilio, aut contra conscientiam: qualia sunt quæ David vocat occulta Ps*. XIX. *Item pollutiones, quæ à Mose describuntur, & alia quæ lex Dei non punit: pro qualibus erant in Lege sacrificia instituta, quæ Christus jubet remittere invicem Matth* XVIII. *pro quibus Johannes jubet orare*. 1 *Joh* V &c. *Hæc remittuntur Deo benigne indulgente nostræ infirmitati, cum sciat nos esse carnem: illa vero puniuntur in tertiam & quartam generationem*. *Exod* XX. *Seu ut Christus loquitur nec in hoc nec in futuro sæculo remittuntur; quia sunt in Spiritum Sanctum Matth*. XII. *Per illa Deus quem ore confitemur, re ipsa abnegatur: per illa sanguis Testamenti conculcatur pedibus* Hebr. X.

XVI. *Socinus* in Commentario suo ad 1 *Joh*. V. 16. vult, *peccatum illud, quod Apostolus vocat ad mortem, non idem esse cum peccato seu blasphemia in Spiritum*: neque Apostolum intelligere actum aliquem peccandi, seu *peccatum aliquod unum*, sed *peccandi assuetudinem*: & *Hebr*. VI. ac 2 Petr. II. similiter *agi de iis, qui post Christum agnitum non uno aliquo peccato se denuo involvunt, sed qui generatim ad priora peccata revertuntur, & vitam ut antea impuram vivunt*. Interim determinat; *Tamen propter magnam convenientiam quæ est inter illud*

(quod

(quod ipse censet dicendum Peccatum in Spiritum Sanctum) *& inter* lapsus, quibus aliqui post Christum agnitum uni alicui graviori peccato denuo involvuntur (qualia recenset Paulus Apostolus 1 *Cor.* VI. 9. *& Eph.* V. 5.) *non minus quam à peccato in Spiritum Sanctum, ex uno aliquo peccato graviore proficisci reatum æternæ mortis, sive exclusionem à regno Dei & Christi: & difficillimum esse sese inde eximere, atque exsolvere, sine peculiari Dei auxilio: neque in ejus potestate positum esse, ut renovetur per pœnitentiam, quemadmodum*, inquit, *ex fine secundi Capitis posterioris Petri Epistolæ, & ex sexto capite Epistolæ ad Hebræos paulo post principium colligi aperte potest.*

XVII. Est ergo illud *κρινόμενον* hujus loci principale, (quicunque tandem sint illi quos Apostolus dicit *παραπεσόντας relapsos*) quid illud sit quod ipsis denunciat, esse *ἀδύνατον πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, impossibile denuo renovari ad resipiscentiam.* Nos omnino accipimus in rigore, juxta ipsius Christi denunciationem parallelam; *non remittetur* peccatum illud, *nec in hoc nec in futuro sæculo. Matth.* XII. 31.

XVIII. Animadvertimus, in ætiologia illa quam dictant *Auctores Compendioli*, quare admodum difficulter possint restaurari relapsi, ut, si non omnino, tamen quasi *ἀδύνατον* sit, aliud subesse mysterium. Verba illorum ista sunt; *Cum id non sit amplius in ipsorum potestate, sed à sola Dei voluntate & gratia pendeat.* Socinus gratiam illam vocat peculiare Dei auxilium, & loco jam indicato adjicit ista: *& ob hanc causam, si quis in tali sane quam deplorando statu fuerit, qui eum apud Deum precibus juvare velit, necesse esse videtur, ut à Deo petat, ut isti det, quo possit sui peccati pœnitentiam agere ac resipiscere, adidque faciendum vires & modum illi subministret ac præbeat.* Bona verba. Cave tamen existimes, *Socinum*, vel hujus *Compendioli Auctores* intelligere, à lapsu in peccatum gravius, prostratas in lapsu vires liberi arbitrii, ut ipsi libero arbitrio medicina fieri debeat in homine interiori.

XIX. Quid ergo? Subministrationem virium definiunt sola excitatione, per verbum foris prædicatum, de promisso vitæ æternæ: & peculiare Dei auxilium intelligunt dignationem divinam illam, qua, paucis tantum relapsis, quorum vult misereri, extra ordinem gratificatur hoc, quod resipiscentiæ locum inveniunt, aliis quamvis pariter resipiscentibus, exclusis à misericordia.

XX. Censent ergo, non destitui quidem relapsos viribus liberi arbitrii, per quas possint resurgere seu resipiscere iterato: sed non dari, ex Universali seu communi verbo Euangelii, facultatem h. e. veniam seu licentiam, cum iterata resipiscentia accedendi ad thronum gratiæ Quam iteratam fidelium lapsorum resipiscentiam si acceptet Deus, faciat præter voluntatem revelatam in Euangelio.

XXI. Mirabili *μεθοδεία τῆς πλάνης*, dum videri possent, (molliori interpretatione vocis istius *ἀδύνατον*,) eripere *Catharis & Novatianis* præsidium quod collocant in hoc loco *Hebr.* VI. dum lapsis veniam negant, ipsi cum *Novatio* eodem Spiritu acti à regno Dei & Christi exclusos faciunt ilico in gravius aliquod peccatum lapsos; adeo ut nemo illos, quamvis serio ite-

rum resipiscentes, consolari possit verbo Euangelii. Quo eodem loco habent, in termino vitæ ultimo sero quantumvis serio conversos peccatores; quibus non datur conversioni & resipiscentiæ suæ supervivere, ad fructificationem fidei, per continuatam justo tempore praxin obedientiæ mandatorum Christi.

XXII. Nos asserimus, etiam à peccatis gravioribus & scandalis admissis, toties promissam in Euangelio Dei gratiam lapsis & instaurationem ad salutem, quoties vere & serio testantur resipiscentium & cor vere contritum. Neque ullam esse, contra vere resipiscentium solidam consolationem in vita & in morte, præscriptionem in Scriptura Veteris aut Novi Testamenti.

XXIII. Difficultatem ergo omnem statuimus sitam esse, in impetranda lapsis à Deo ipsa vera resipiscentia: ad quam vires liberi arbitrii nullæ sunt ante efficacem naturæ sanctificationem, neque in ipsis regenitis relapsis sufficientes, sine interioris novi hominis nova instauratione. At quamvis hac consideratione fiat ut etiam *justus μόλις vix servetur* 1 *Pet.* IV. 18. tamen pernegamus difficultatem illam, quæ *Novatiana* hæresi, fingitur sita esse, in impetranda resipiscentibus peccati gravioris in quod post acceptam primam gratiam lapsi sint venia & condonatione divina.

XXIV. Enimvero difficultatem etiam illam, impetrandi ipsam resipiscentiam, asserimus non ita vexandam esse, quasi sic laboret novi fœderis gratia, qua semel Deo fœderati sunt fideles justificati, & possit irritum fieri fœdus; sed comparatam esse tantum ad castigationem, per quam exquisitior esse possit *dolor secundum Deum, qui operetur* μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον, *resipiscentiam non pœnitendam ad salutem.* 2 *Cor.* VII. 10.

XXV. Neque testimonia illa duo, quæ nos jubent *operari salutem nostram* μετὰ φόβου καὶ τρόμου *cum timore & tremore Phil.* II. 12. *& conversari* ἐν φόβῳ *cum timore* 1 *Petr.* I. 17. docent, semper cum illo timore vivendum esse, ne id nobis eveniat, ut semel justificati involvamur alicui tam gravi peccato, à quo resipiscentia etiam vera non habeat ullam in Euangelio propositam spem iterandæ à Deo remissionis gratuitæ, ex vi Fœderis Gratiæ æterni. Nihil enim per timorem & tremorem commendatur aliud, quam humilis reverentia, quæ decet τέκνα ὑπακοῆς *Filios obedientes*: ut liquet collatis 1 *Petr.* I. *versibus* 14. *&* 17. Filios autem obedientes Christus liberat timore & metu illo servili: quando affirmat servum non manere in domo in æternum, *Filium manere in æternum.*

XXVI. Quandoquidem *Socinus* 2 *Petr.* II. remittit nos ad finem capitis, ubi hæc legimus; *Itaque si, postquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi effugerint, his rursum implicati superentur, facta est ultima eorum conditio deterior priore. Satius enim fuisset non cognovisse viam justitiæ, quam cognita illa regredi à sancta doctrina ipsis tradita. Sed accidit iis, quod vero proverbio dici solet; canis reversus est ad suum vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni. vers.* 20. 21. 22. Respondendum, Apostolum apertè loqui de reprobis, quos canes & sues nominat, in antithesi tacita, ad oves Christi, quas ipse agnoscit & à quibus agnoscitur vera Fide. XXVII. Ta-

XXVII. Tales vero canes & sues *loti* dicuntur, & ab inquinamentis mundi elapsi, quin ὄντως *vere* effugisse eos qui in errore versantur *versibus* 18. 20. & 22. non quod ita sint abluti, ut etiam sint *sanctificati & justificati per nomen Jesu & per Spiritum Dei nostri*, sicut illi quibus id tribuit Paulus 1 *Cor*. VI. 11. Sed quod professione oris sordes quasdam eluerint, cum pristinæ dissolutæ vitæ externa correctione, se subjicientes Christianæ disciplinæ, & sectantes vitæ honestatem illam, quæ in Ecclesia visibili meretur judicium charitatis, & jus ad Sacramentorum communionem.

XXVIII. Atque hi sæpius etiam se ipsos decipiunt *Matth*. VII. 22. *Luc*. VIII. 18. Jac. II. 20. æstimantes resipiscentiam veram, istud qualecunque sine charitate honestè vivendi studium, & detestationem crassiorum illorum inquinamentorum mundi, quæ in Gentilismo & Anti-Christianismo regnant: & Fidem ἀνυπόκριτον, quæ veros Christi discipulos constituit, metientes zelo aliquo non simulato pro veritatis agnitæ professione, sine exstirpatione innatæ, & quam intus fovent vitiositatis, ut coram Deo canes & porci esse non desinant, juxta illud, *generatio est quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis Prov*. XXX 12. quia ista Fide veritatis, non radicata, corda non purificantur. *Act*. XV. 9.

XXIX. Breviter ergo concedimus quidem, excuti Fidem & Spiritum Sanctum ab Ecclesia particulari visibili, quando illam occupat Apostasia à doctrina veritatis & pietatis, & regnant hæreses Anti-Christianæ exitiales. At pernegamus, unquam personas singulares vere sanctificatorum & justificatorum Fidem & Spiritum Sanctum excutere posse, aut totaliter aut finaliter.

CAPUT QUINTUM.

De Veteri & Novo Fœdere, sive de Lege & Euangelio.

§ I.

D*Ocent, Vetus & Novum Testamentum seu Fœdus differre. I. Promissis. II. Præceptis.*

Nam in Lege erant Promissa externa ac corporalia, ad hanc vitam placidè ac splendidè degendam pertinentia Lev. XIX. & XXVI Deut. XXVII. & XXVIII. *Nisi quod agnoscunt, sub illis umbris fuisse piis præbitum aliquem gustum veræ ac perennis felicitatis in N. T. promulgandæ. Aperte & palam & omnibus negant vitam æternam tunc fuisse promissam.* Hebr. XI. 1 Petr. 1.

I. Primo animadvertendum, quod destituunt statum primi hominis ante lapsum, non tantum Fœdere legali, quod promisso vitæ æternæ sancitum fuisse jam asseruimus *Cap* II. §. 5. sed etiam illa Lege naturæ spirituali, quæ habet duo illa præcepta Charitatis, de diligendo Deo & proximo, sine

mo; sine quibus non potuit, nec potest unquam, Deo præstari à creatura rationali λογικὴ λατρεία cultus rationalis.

II. Deinde pariter post lapsum destituunt cunctos (qui ab Adamo ad Mosem, seu ante seu post diluvium, vixerunt, seu pii fuerint, seu impii, usque ad Legem latam in monte Sinaï) omni Lege & Fœdere spirituali, quod ipsis utile esset ad spem vitæ æternæ. Quo posito necessario statuunt, omnem Religionem, qua vetustissima illa antiquitas Deum coluit & cum Deo ambulavit, fuisse ἐθελοθρησκείαν cultum voluntarium. Quod repugnat Apostolo, qui omnem ἐθελοθρησκείαν proscribit, ut contrariam Fidei qua placetur Deo, & qua ipsi placuerunt Patriarchæ, quos recenset *Hebr.* XI. *cum Col.* II 23.

III. Porro confundunt Fœdus Vetus, cum Testamento Veteri: ut omnem vocis Testamenti emphasin tollant, quam tamen magno serio urget Apostolus *Hebr* IX. 15 — 18. adeo ut *versu* 18. contestetur, ne prius quidem, seu Vetus illud quod dicitur Testamentum, habere potuisse Testamenti nomen, si absque sanguine dedicatum fuisset; ὅθεν οὐδ' ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισται, *unde ne prius quidem illud absque sanguine dedicatum fuit.* Intendit & contendit Apostolus, morte illa & sanguinis effusione constitisse Veteris Testamenti rationem: qua figurabatur vera & solida, per mortem cruentam Testatoris perficienda, peccatorum expiatio, per quam rata esset futura promissio æternæ hæreditatis: quæ facta fuerat ilico post lapsum, & in sacrificiis obsignata, testimonio divino, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. *Hebr.* IX 26.

IV. Isthoc quem indicamus loco apertissima sunt verba Apostoli, oportuisse Christum sæpius passum fuisse, ilico à jactis mundi fundamentis, si non potuisset in sæculorum consummatione semel facta oblatione tollere peccata mundi. Aliena vero erit & omnino falsa consequentia illa, retro acta ad mundi fundationem, si nihil ad primos parentes & Patriarchas spectat Testamentum illud cujus Testator est Christus; & si non promissa ipsis quæ in Christi morte consummata est, peccatorum expiatio, & si non illa interim sanguine veterum sacrificiorum fuit obsignata.

V. Confirmant idem loca illustria duo *Apoc* XIII. 8. *&* XVII. 8. in quibus, si non satis liquida est affirmatio illa, *Agnum* (Christum) esse *mactatum inde à jactis mundi fundamentis*, videlicet in typis agnorum & pecudum mactatarum in Sacrificiis Patriarchalibus: at hoc solis radiis scriptum est, salutem adeptos ab initio mundi mortuos, omnes & solos *qui inscripti fuerunt libro vitæ agni*, nunc demum quidem mactati, sed ilico à fundatione mundi Adamo lapso promissi, & præordinati ante mundi fundationem. I *Petr.* I. 19 20.

VI Promissa illa externa ac corporalia, ad hanc vitam placidè ac splendidè degendam pertinentia, quæ in Lege Mosaïca leguntur *Levit.* XIX. *&* XXVI *Deut.* XXVII. *&* XXIX. præpostere accipiuntur ut Fœderis Dei cum Ecclesia V. T. principalis διαθήκη, seu dispositio & pactum. Cum tantummodo accipi debeant ut τῆς διαθήκης προσθήκη, seu adjectio ad fœdus, de benedi-

benedictione accessoria, juxta verbum Christi illud *Matth.* VI. 33. *Quærite primo regnum Dei & justitiam ejus: & ista omnia adjicientur vobis.*

VII. Ex vi veritatis est, quod profitentur se agnoscere, sub illis umbris fuisse piis præbitum aliquem gustum veræ ac perennis felicitatis, in N.T. promulgandæ. Atqui gustus ille piis præbitus unde? Audiant Christum affirmantem, quod gustum illum habuerint ex Scripturarum scrutatione; *Scrutamini*, inquit, *Scripturas*; *nam* ὑμεῖς δοκεῖτε *videmini vobis in illis vitam æternam habere. Joh.* V. 39.

VIII. Non notavit Christus, verbo δοκεῖτε, erroneam δόκησιν, sed veram δόξαν seu δόγμα, ex genuino Scripturæ lectæ intellectu haustam: quandoquidem dissentientibus Sadducæis ingerit censuram istam, *erratis, nescientes Scripturas, neque potestatem Dei: de Resurrectione mortuorum, non legistis, quod vobis dictum est à Deo. Matth.* XXII. 29. 31.

IX. Contra veritatem ergo luctantur, & pro *Sadducæis* contra Christum loquuntur, aperta cavillatione, quando subnectunt exceptionem istam; *Aperte & palam & omnibus*, *Vitam æternam tunc non fuisse promissam Hebr.* XI. 1 *Petr.* I. Apertum promissum vocantes demum illud, quod pari perspicuitate traditum sit in Scriptura utriusque & Veteris & Novi T. Et quod citra omnem ἐρευνᾶν τῶν γραφῶν h. e. *scrutationem Scripturarum*, non adhibita ad Mosem intelligendum aliorum Prophetarum collatione, etiam oscitans & aliud agens, ac labori parcens intelligat. Quam *clavem scientiæ* illos in hoc argumento auferre, videre est, in *Libro Smalcii de Divinitate J. C. Cap. VII.*

X. Nullum ipsis præsidium est in testimonio *Heb.* XI. 39. 40 *Atque omnes isti*, inquit Apostolus, *testimonium adepti per Fidem, non obtinuerunt promissionem: quod Deus de nobis melius quiddam providisset, ne absque nobis consummarentur.* Neque juvat illos locus parallelus. 1 *Petr.* I. 12. *Quibus* (*Prophetis*) *patefactum fuit, eos non sibi sed nobis ea administrare, quæ nunc annunciata sunt vobis &c.* Verba enim ista minime torqueri debent ad promissionem vitæ æternæ in solidum: quasi spem vitæ æternæ nullam intellexissent propositam, sed tantum nobis olim proponendam.

XI. Verum ista est utriusque loci sententia; patefactum illis fuisse, quod adventum Messiæ reservaret Deus temporibus ultimis, qui in adventu suo demum conficeret τελείως, ipsorum & nostræ, communis salutis animarum negotium: ac præstaret, quæsitum & plene perfectum, jus vitæ æternæ cœlestis, quod ipsis tantum dabatur pendens ab exspectatione illius qui venturus erat.

XII. Interim autem, quamvis ante illam quam exspectabant & sperabant promissam τελείωσιν illis moriendum esset, asserit tamen illis Apostolus Fidem, in qua vixerunt & mortui sunt, (quæ ipsis fuit ἐλπιζομένων ὑπόστασις, *rerum speratarum hypostasis*; h. e. apprehensio solida, qua non quiescebant in typis & umbris, sed in ipso corpore umbrarum adventante, quod erat Christus) & Fidei illam ὁμολογίαν, qua palam faciebant, se post peregrinationem brevem in terra sperare & exspectare requiem beatam in patria cœlesti. *Hebr.* XI. 1. 10. 13. 14. 15. 16.

§. II.

Cum hæ partes fuerint solius Christi, qui Mediator est præstantioris Fœderis I Joh. I. & II. Hebr. VII. & VIII. *quem etiam veteres fideles propterea solicite exspectarunt.* Matth. XI. Luc. X. Joh. VIII.

I. Solicita exspectatio veterum fidelium, quam commemorat Christus *Matth.* XIII. *Luc.* X. *Joh.* VIII. non fuit, aliorum ἐλπιζομένων, seu aliarum rerum speratarum, quam vitæ æternæ, ab initio ante lapsum in primo Veteri Fœdere operum promissæ, deinde vero novo Fœdere Gratiæ post lapsum solidius promissæ, ac auctæ promissione nova, de venturo Fœderis sponsore, per & propter quem non fieret denuo irritum Fœdus, sed acciperet suum τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμήν, eo quo jam dictum est modo. Neque, secundum Scripturas, alia vera assignari potest causa, exspectati solicitè adventus Christi in carnem.

II. Ex locis indicatis illustris maxime est ille *Joh.* VIII. 56. *Abraham Pater vester gestivit ut videret diem istum meum, & vidit & gavisus est.* Cum quo conferendus alter I *Petr.* I. 10. 11. 12. quem jam attigimus; *de qua inquisierunt, & quam scrutati sunt, Prophetæ, qui venturam in nos gratiam prædixerunt; scrutantes, in quem aut cujusmodi temporis articulum, prænuncius ille qui in ipsis erat Spiritus Christi declararet eventuras Christo perpessiones, & gloriam illas consecuturam; quibus patefactum est &c.*

III. Accensemus Abrahamum videntem olim dictis *Videntibus* Prophetis: quia vocavit illum Deus *Prophetam, Gen.* XX. 7. At non potuit cœca esse, videntibus Prophetis data, exspectatio venturi Christi; ut cœci exspectarent promulgandam ab ipso promissionem Vitæ æternæ, ipsis non intellectam nec speratam. Et bona fides videntium Prophetarum, nominatim Abrahami, à Deo ipso commendata *Gen.* XVIII. I --- 19. in eo sita erat, ut ex ipsis, seu ipsorum traditione, disceret Ecclesia visiones, quas ipsis dederat Deus, ut ipsis essent utiles, ad institutionem in communi fide Promissionis, de communi salute & Servatore exspectando.

IV. Quamvis in autographo legamus, quod exscripsimus, *Matth.* XI, *Luc.* X. hariolamur tamen *Auctores Compendioli* voluisse cum *Luc.* X. 23. 24. conjungere parallela *Matth.* XIII. 16. 17. male autem hariolatum Interpretem Belgicum, qui pro *Matth.* XI. substituit *Matth.* II. Quidquid sit, videntur non usque adeo feliciter cum *Joh.* VIII. copulasse *Luc.* X. quia non similiter ut de Abrahamo dicit Christus, *& vidit & gavisus est*, non, inquam, similiter dicit *Luc.* X. sed quod in speciem contrarium est; *nec viderunt, nec audiverunt. versu* 24. Non sunt ergo loca parallela sed ἐναντιοφανῆ: quæ conciliari debent, hoc pacto, ut (ultra simplex desiderium videndi diem Christi eminus cum πληροφορίᾳ rerum speratarum, quod Prophetis & Regibus, & nominatim Abrahamo Deus explevit, juxta affirmationem Christi *Joh.* VIII. & Apostoli *Hebr.* XI. 13.) notarit Christus *Luc.* X. desiderium vivendi usque ad Christi adventum in carne, & videndi illum exhibitum; quod indultum legimus fuisse singulariter Simeoni *Luc.* II. 26. ante ipsum vero mortuis minimè indultum Christus commemorat.

V. Quæ

V. Quæ ergo fuerint partes solius Christi, quâ Mediator est præstantioris fœderis, mala ἐγχειρίσιον exponitur per factam demum cum promulgatione Euangelii promissionem vitæ æternæ, ante inauditam. Fit autem non sine lucta contra veritatem, quod postquam exserte pronunciarunt *Cap. II. §. IV. Nec primo homini, nec ulli alii, ante Christi Euangelium propositam fuisse spem vitæ æternæ*; hic, mutato schemate dictionis, videantur loqui magis sobrie; *Non palam, aperte, & omnibus vitam æternam tunc fuisse promissam.*

VI. Nos asserimus credendum, Christum esse *Mediatorem præstantioris Fœderis, quod præstantioribus promissis sancitum est Hebr.* VII. 22. *&* VIII. 6. minime illam ob causam, quam inficiamur, quod non esset, neque in primo fœdere operum primo homini, neque in V. T. ulli deinceps, facta promissio aut proposita spes vitæ æternæ. Sed vera ratio ista est, quod sicut in primo fœdere operum primo homini proposita spes vitæ æternæ revocabilis erat, utpote suspensa à mutabili & mutata conditione obedientiæ hominis: ita post lapsum (quamvis irrevocabilis ex Fœdere Gratiæ ante in Christum confirmato) nondum tamen confirmationem illam Testamentariam nacta fuit, quam adepta est per mortem Testatoris.

VII. Hac ergo analogia, (ut melius fœdus & promissiones meliores dixerit Apostolus, Fœdus irrevocabile, & Promissiones confirmatiores in Novo Testamento, per Testatoris mortem, quam esse potuerunt in V. T. quando sola intercedebat mors & sanguis victimarum typicarum) porro accipimus verba illa 1 *Joh.* 1. 2. *Et vita patefacta est, & vidimus, & testamur & annunciamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud Patrem, & patefacta est nobis.* Ut includatur vitæ æternæ patefactæ appellatione, persona Christi Filii Dei exhibiti in carne, & defuncti immolatione illa sui ipsius, qua Ecclesiæ quæsitum est plenè perfectum jus ad vitam æternam, ab initio promissam: cujus spe proposita primus Adamus exciderat, & cujus postliminio spes Patribus fuerat προωμολογημένη per anticipationem confirmata in Christum: ut in V. T. viventium & morientium Fides, esset illius speratæ ὑπόστασις. *Hebr.* XI. Manifestè de persona Christi se explicat Johannes, dicens; *Hic est verus Deus & vita æterna.* 1 *Joh.* V. 10.

§. III.

Deinde Præcepta Legis crassa & corporalia fere fuerunt: utpote pleraque Cæremonialia: quæ per Christum abrogata fuerunt. Eph. II. Col. II.

I. Legem Cæremonialem, & mandata illa carnalia (quæ unquam Deum auctorem habuerunt à Mundo condito) asserimus non habuisse ex se nucleum obedientiæ, per quam accedentes ad Deum Deo placere possent, vel à Deo testimonium adipisci, quod justi essent. Quare sic censemus, de primo illo mandato carnali, quo ante lapsum interdixit Deus fructu arboris scientiæ boni & mali, non potuisse illud esse θεοπρεπὲς seu Deo legislatore dignum, nisi intelligatur fuisse lex symbolica, hominem obligans in symbolo illo carnali ad universalem justitiam, charitate in Deum & proximum implendam; juxta Legem naturæ spiritualem, secundum

 quam

quam facta erat principalis conventio Fœderis operum, cum promissa μισθαποδοσίᾳ seu retributione mercedis vitæ æternæ; quam supra asseruimus, Sacramento Arboris vitæ significatam & obsignatam.

II. Post lapsum vero, seu ante seu post Mosem, carnales leges sacrificiorum ancillabantur τῇ λογικῇ λατρείᾳ cultui rationali & spirituali Veteris Testamenti: quod in morte victimarum repræsentabat mortem Testatoris exspectandam. Adeo ut cortex religionis visibilis carnalis haberet hunc nucleum, quod jugi ministerio mortis illo (quod *literam occidentem* vocat Apostolus 2 *Cor.* III.) repræsentaretur Mors per peccatum ingressa in mundum: attamen typicâ per victimarum mortem peccatorum expiatione foveretur spes & exspectatio veræ purificationis peccatorum, in morte Christi venturi, qui moriens novum faceret & ratum Testamentum fœderis gratiæ *Hebr.* IX. *&* X.

III. De cætero fuerunt cuncta exercitia obedientiæ symbolica, ad Pædagogiam comparata: quibus intendebatur, sub carnali γυμνασίᾳ seu exercitatione per se inutili, formatio ascetica ad odedientiam interioris hominis, ex Fide in Messiam venturum.

IV. Quod ergo per Christum abrogatæ sunt Leges Cæremoniales *Eph.* II. *Col.* II. non factum est istam ob causam, quod olim fuissent, sicut nunc sunt, cortex religionis nucleo cassus: sed quod enucleatum sit in præfinito tempore seu τῇ προθεσμίᾳ *Gal.* IV. 2. salutis mysterium, per mortem Testatoris, atque sic deinceps factæ sint cortex sine nucleo relinquendus, & umbræ non sectandæ illis qui nucleum habent, & quibus sistitur corpus verum, & chirographum inutile post exsolutum debitum. *Col.* II. 14. *&* 17.

V. Enimvero animadvertendum, *Auctores Compendioli*, quia nucleum illum auferunt à vera veteri religione Mosaïca, non dicere ista, de crassis & corporalibus legis præceptis, quæ per Christum abrogata sunt, absque crasso *Marcionis* spiritu; qui volebat, *Christum ex supernis descendisse propter animarum salutem; & ad redarguendum Deum Judæorum, legem & Prophetas.* Quandoquidem abrogationem legis cæremonialis non patiuntur tribui mysterio satisfactionis in morte Christi consummatæ, sed tantum divinitati & præstantiæ Regni Christi in Ecclesia N. T. præ regno Dei Patris in Ecclesia V. T. quod scilicet decuerit novum Regem nova melior Lex.

§ IV.

Moralia autem docent magis in N. T. fuisse explicata, ac perfectè imperata Matt. V. 6. 7. 9. *Adeo ut multa nunc illicita sint, quæ tunc licita erant, nunc etiam non pauca imperata sint, quæ vel non potuerunt imperari (obstante forma Reip. Mosaicæ, & promissionibus æternæ felicitatis) vel saltem non præcise requisita fuerunt, e. G. inimicorum, odium hostium, salutatio, compotatio, aliæque voluptates carnales; si non nimium essent dissolutæ. In N. T. Angelica vita requiritur, propter cœlestia promissa. Ita proportio fuit utrobique inter promissa & præcepta.* 2 Petr. I.

I. Mora-

I. Moralia præcepta Legis si concesserimus magis in N. T. esse explicata: nihil tamen id derogabit, de perfectione sufficienti ad usus necessarios institutionis in religione & sapientia spirituali, qua colendus est Deus. Neque τὸ ἀδύνατον legis moralis, quod ex ea non potuerit justificari ulla caro, perfectiori explicatione legis in N. T. tolli potuit, sed auctum magis magisque est, ad magis vivam peccati agnitionem, & abnegationem nostri ipsius, à Christo imperatam *Matth* XVI. 24. quæ sita est in pia desperatione de justificatione obtinenda ex justitia nostra. *Phil.* III. 9.

II. Quin si concesserimus, etiam magis perfecte imperata esse in N. T. moralia, non obtinebunt tamen quod intendunt; magis in Novo quam in V. T. datam esse legem quæ possit vivificare, & ex qua sit Justitia: ut scilicet veteris tantum legis imperfecto imperio hoc tribuendum sit, quod Apostolus in illam sententiam pronunciat. *Gal.* III. 10. & 21. Satis enim aperte Apostolus hoc tribuit *carni* h. e. hominis peccatoris imbecillitati. *Rom.* VIII. 1.

III. Extra illam hominis vitiosam imbecillitatem, Legis moralis perfectionem sufficientissimam testatur Scriptura N. T. ut quæ, re integra, potuerit vivificare, adeo ut servanti legem, conventione utili Fœderis operum, merces imputanda fuerit, *non ex gratia sed ex debito Rom.* IV. 4. & X. 5. *Gal.* III. 10. Quod ipsa etiam Christi affirmatione confirmatum est; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata Matth.* XIX. 17. *Hoc fac & vives. Luc.* X. 28.

IV. De cætero temere illud asseritur, magis perfecte in N. T. imperata esse moralia, adeo ut multa nunc illicita sint, quæ tunc licita erant, & contra. Est enim Lex Decalogi moralis ipsa per se immutabilis juris divini, quatenus charitatem in Deum & proximum præscribit, ejusque officia determinat in foro conscientiæ: adeo ut Christus protestatus sit, (*indicato Capite* 5. *Matthæi versu* 17. 18.) *se non venisse dissolvere legem*, aut ut *præteriret vel jota vel apex unus*. Quæ Christi protestatio fuerit contraria facto, si vel per se vel per Apostolos solverit vel minimum legis mandatum. V. G. si primo Decalogi præcepto negativo (quod universaliter vetabat, alium Deum haberi præter unum Deum Israëlis) adjecit præceptum novum affirmativum, ut ipsum habeamus pro altero Deo N. T. adeoque duos colamus Deos: quæ affirmatio isti negationi contradictorie opposita est,

V, Perfectio doctrinæ Christi, traditæ *Matth.* V. VI. VII. elenchum habet non Legis Mosaïcæ moralis, ut minus perfectæ, sed Traditionum Pharisaïcarum, & malæ ἐγχειρήσεως in docenda Lege; qua vexabant illi τὸ ῥητὸν; neglecta διάνοια, & consectabantur ad superstitionem cæremonialia; non curantes illa quæ erant τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου *graviora legis, judicium, misericordiam, ac fidem. Matth.* XXIII. 23.

VI. Adnotant unà *Caput Matthæi* XVIII. in quo, si spectant illa quæ tractat Christus, rogatus respondet, de libello repudii à *versu* 3. *ad* 12. perperam confundunt forensia cum moralibus, & imperfectioni Legis mo-

talis tribuunt, quod Christus exserte imputat τῇ σκληροκαρδίᾳ, *duritiei cordis* Judæorum, quam tolerarit Moses in politico regimine quod exteriorem hominem coercet.

VII. Sin etiam illud spectarunt, quod adolescenti illi *versu* 21. dixit D. Jesus; *Si vis perfectus esse, abi, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo* &c. frustra sunt. Cum nullo schemate queant dicere, esse illam omnibus Christianis in N. T. datam Legem perfectionis necessariæ. Quid ergo? aperte satis liquet, Christum illi adolescenti loquutum πειραστικῶς, ut tentaret ipsum, ac retunderet nimiam suæ justitiæ fiduciam, quâ totus turgidus Christum accesserat. Nulla est ergo in istis Christi verbis, aut Lex cunctos obligans, aut consilium perfectionis Christianis traditum, ad æmulationem inter illos excitandam.

VIII. Quod ajunt, non pauca nunc imperata esse, quæ vel non potuerunt imperari, vel saltem non præcise requisita fuerunt obstante forma Reip. Mosaïcæ & promissionibus externæ felicitatis; id in thesi dabimus haud inviti, sed hac lege, ut eo ipso illa non pauca, à præcise dicta Lege morali, quæ ab initio est ipsa Lex naturæ, comprehensa duobus illis mandatis de dilectione Dei & proximi, & deinde explicatius in Decalogo exposita, discernantur, ut determinationes officiorum particularium, mutabiles varie pro varia Fœderis œconomia, Dei legislatoris arbitrio, non alterato Decalogi τῷ ῥητῷ, nedum τῇ διανοίᾳ.

IX. Quidquid enim asseratur in contrarium, arguetur impiè Deus legislator non sufficienter imperatæ pietatis minus accurata legislatione morali; quin incusabitur, de minus prudenter instituta & formata Rep. Mosaïca, & datis promissionibus non convenientibus, adeoque de posito gemino obice pietati accuratiori, tandem à Christo prudentius imperatæ.

X. In hypothesi, recensent primo Polygamiam: de qua consequenter respondemus. 1. Non primo demum in N. T. vetitam esse Christi nova lege: sed revocasse nos Christum ad vetustissimum jus divinum, quod *fuit ab initio Matth.* XIX. 4. quo jure etiam notatus infamia primus Polygamus *Lemechus*, unus ex fratricidæ Caïni posteris. *Gen.* IV. 19.

XI. 2. Si jam concesserimus, quod videntur velle *Auctores Compendioli*, ex intentione Dei promittentis Abrahamo Patriarchæ semen multiplicandum secundum innumerum stellarum numerum *Gen.* XV. 5. non potuisse præcisè imperari monogamiam, sed propter externam felicitatem promissam τῆς πολυτεκνίας fuisse, durante illa promissione, permissam τὴν πολυγαμίαν, ut nullum in illa esset peccatum, si non nimium esset dissoluta: hoc tantum inde efficitur, Deum sub œconomia Mosaïca, Legem moralem de conjugali castitate ad tempus non adstrinxisse ad Monogamiam; similiter ut ab initio minime vetuit, nec vetare potuit (imperata per conjugii primam institutionem generis humani multiplicatione ex uno sanguine) copulam carnalem fratrum & sororum, quam deinceps, genere humano multiplicato, incestam haberi voluit.

XII. Ab

XII. Ab illa concessione non abhorrent ex nostris magni nominis Theologi, *Petrus Martyr in 2 Sam* XXV. 48. *Zanchius de Oper. Creat. libr.* 4. *cap.* 1. *Rivetus in Genesin, Exerc.* 45. Dissentiunt *Beza, Perkinsius* & plures: ac censent fuisse Polygamiam Patriarcharum, malis moribus gentium inolitum peccatum Tolerantiæ, in quo Deus populum Judaïcum ἐπεγνωσμένως, non redarguens severe, nec vindicans, quod tamen redargui & vindicari jure poterat. Fatemur nos ἐπέχειν, & magis inclinare in posteriorem hanc sententiam.

XIII. Utrumlibet autem hic sentias, frustra sunt qui Legislatorem Deum incusant de data per Mosem lege morali imperfectiori quam est Lex Christi in N. T. quandoquidem existimamus non alterari legis moralis & juris naturæ perfectionem, vel mutata particularis officii determinatione, vel tolerata prudenter & non vindicata, pariter quovis tempore, omni legis transgressione. Et credimus nihil hic Deo Patri tribui posse, quod non tribuatur Filio, qui cum Patre Unus est Deus & Legislator Israëlitici populi, Mosis Dominus *Hebr.* III. 2. 3.

XIV. Quin porro dicemus, nihilo fore etiam hodie imperfectiorem doctrinam Euangelii, si incideret casus ille, optandus etiam, ut rejecto Mahumetismo Christianismum amplecteretur urbs Constantinopolitana, & cæteræ urbes & regiones sub imperio Turcico, non posset autem, cum illa conversione Turcarum universali ad Fidem veram, ilico hoc obtineri, ut qui nomen darent Christo, Polygami uxores suas dimitterent, vel quæ dimissionem à maritis non impetrarent, ad Christum conversæ, se illis subducerent. Foret autem adhibenda prudentia illa à Christo præscripta, de non colligendis zizaniis, quando evidens periculum est simul cum zizaniis triticum eradicandi. *Matth.* XIII. 28. 29. 30 Sicut praxi illius prudentiæ tribuendum censemus, quod Apostolico Canone 1 *Tim.* III. 2. Episcopis Ecclesiæ prohibetur Polygamia, ut sint irreprehensibiles. Unde videtur, reliquis initio nascentis Christianismi non quidem concessa fuisse, ita ut irreprehensibiles essent, attamen in reliquis fuisse tolerata, donec magis essent in doctrina pietatis confirmati, & accuratiori reformationi Deus daret tempora meliora.

XV. Odium hostium absolute licitum fuisse in V. T. aut absolute illicitum in N. T. inficiamur. Neque id demonstratur ex illis Christi verbis *Matth.* V 43 *Audistis dictum fuisse, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Non asserit Christus hoc dictum fuisse à Mose, aut ex illo ipsis auditum. Dictum quidem à Mose est *Levit.* XIX. 18. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Verum istud, *odio habebis inimicum tuum*, assumentum erat Pharisaïcum, quod castigat Christus, ut non audiendum.

XVI. Tam ergo in V. T. quam in Novo illicitum erat privatum odium inimici, & animus vindictæ cupidus in privata injuria. At odium sancto Dei zelo susceptum in causa Dei contra eos qui Deum oderunt, de quo gloriatur David *Psal.* CXXXIX. 21. 22. videtur etiam in N. T. à Christo mandari. *Si quis*, inquit, *venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem*

& uxorem,

& uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeo etiam animam suam, non potest meus esse discipulus. Luc. XIV 26.

XVII. Saltatio, compotatio, aliæque voluntates carnales, in V. T. non tantum illicitæ fuêre, si nimium dissolutæ essent, sed omnino si dissolutæ essent: & plane est apocrypha illa quæ fingitur dispensatio divina cum dissoluta saltatione compotatione aliisque voluptatibus carnalibus, si non nimium essent dissolutæ.

XVIII. Dicunt porro μετὰ πολλῆς φαντασίας, seu magno pietatis schemate, in N. T. vitam requiri Angelicam. At subest Pharisaïcum fermentum illud, quo præsumitur non esse nobis viventibus in hoc mundo ἀδύνατον vivere vitam Angelicam: deinde Lex divina moralis, quam Apostolus asserit *spiritualem* esse *Rom.* VII. depreciatur indignè, ut quæ tantum ad vitam animalem, minime ad vitam spiritualem, utilis fuerit.

XIX. De cætero, quod causam dicunt (cur in N. T. vita Angelica requiratur) propter cœlestia promissa, atque ita utrobique proportionem esse inter promissa & præcepta, difformem intelligunt proportionem, scilicet carnalium mandatorum in V. T. ad promissam felicitatem externam, & imperatæ vitæ Angelicæ in N. T. ad promissionem vitæ æternæ. Præstruxerunt autem illam hypothesin, non potuisse illam vitam Angelicam in V. T. imperari, quia obstabant promissiones externæ felicitatis, scilicet quæ proportionem non habebant ad vitam Angelicam. Ista vero non carent mysterio iniquitatis: quod iniquum æstiment Dei imperium fore, si mandans ut fiat voluntas ejus in terra sicut in cœlo, non una dederit promissa cœlestia.

XX. Velificantur ergo (velint nolint id apertius profiteri) chimærico isti somnio, de proportione inter vitam nostram, quam Deo vivere jubemur in Euangelio, & promissa cœlestia, breviter *Papistarum* Merito de Condigno: quod jugulavit Apostolus dicens, *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII. 18. Et Christus contestatione ista usus; *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, nam quod debuimus facere fecimus*: Luc. XVII. 10.

XXI. Neque pro illa proportione condigna, quicquam præsidii est in testimonio Petri 2 *Petr.* I. 4. Quod *maxima nobis & preciosa promissa donata sint, ut per hæc efficiamur* θείας κοινωνοὶ φύσεως *divinæ consortes naturæ, elapsi ex corruptione, quæ est in mundo per cupiditatem.* Hoc tantum efficitur, maximis & preciosis promissis nos cumulatius stimulari ad elabendum ex corruptione quæ est in mundo per cupiditatem, quæ mundum separat à divinæ naturæ, id est, Dei consortio, seu à communione cum Deo.

XXII. Minime vero inde consequens est, citra maxima ac preciosa illa promissa, non esse operæ precium, ut corruptionem, quæ est in mundo per cupiditatem, effugiamus, & ambulemus cum Deo: quod si dixerint *Auctores Compendioli*, non effugiunt impiam blasphemiam: si non dixerint, nihil dicunt.

§. V. *Simi-*

§. V.

Similiter differentiam agnoscunt in ipso Mediatore, & populo utriusque fœderis, tum etiam gratiæ amplitudine, & ratione Sacerdotii: adeo ut illic typi & umbræ tantum, hic vero solida verum veritas & substantia habeatur. Sicut videre est Hebr. VII. VIII. IX. & X. Col. II. 14.

Atque ita explicant loca illa de duobus Testamentis Jerem. XXXI. 2 Cor. III. Gal. IV. Hebr. VIII. *Ut proportio quædam inter umbras & corpus ipsum perpetuo observetur.*

Non negant tamen veteres fideles in V. T. fuisse servatos ad vitam æternam: etsi negant eos per fidem in Christum, seu ex vi N. T. fuisse consecutos salutem, cum ex ipso V. T. eaque gratia, quæ tunc contingebat, id factum sit.

I. Dum hic breves esse laborant, obscuri fiunt: auferamus obscuritatis velum. Non agnoscunt Unum esse utriusque Fœderis Veteris & Novi Mediatorem Christum: sed Mosem faciunt Mediatorem Veteris, Christum vero Novi T. Mediatorem Veteris T. Mosem inqui *Hebr.* VIII. 6. expresse autem dici *Gal.* III. 19. ait *Schlichtingius Commentario in Epistolam ad Hebræos. p.* 338. *Mediatorem fœderis esse*, inquit, *nihil aliud est quam Dei esse interpretem, & internuncium in fœdere cum hominibus pangendo; per quem scilicet & Deus voluntatem suam hominibus declaret, testatamque faciat; & illi vicissim divinæ voluntatis notitia instructi ad Deum accedant, cumque eo reconciliati pacem in posterum colant.* Ut illa definitione nominis Moses dicatur fuisse Mediator Veteris T. per nos licet. Esse vero intra illam definitionem nominis coarctandum officium Christi Mediatorium pernegamus nos.

II. Enimvero nihil cogit nos, verba Apostoli *Gal.* III. 19. ἐν χειρὶ μεσίτου, in manu Mediatoris, accipere de Mose; & nihil vetat, nomine Mediatoris ipsum Christum intelligere, qui non alio sensu se dixit esse *Dominum Sabbati Matth.* XII. 8. quam quod per ipsum esset lata lex quarti præcepti de Sabbato, & consequenter tota lex Decalogi.

III. Et omnino videtur flagitare istam de Christo interpretationem *versus* 19. id quod antecessit *versu* 17. ubi dixit Apostolus, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, *Fœdus ante confirmatum à Deo in Christum.* Ut per epexegesin dixerit εἰς Χριστὸν & ἐν χειρὶ μεσίτου, *in Christum*, seu *per Christum*, & *in manu*, seu *per manum Mediatoris.* Atque sic nusquam erit expresse dictus Mediator alius, quam unus Jesus Christus, *idem heri* (in V.T.) & *hodie*, & *in sæcula* (in N. T.) *Hebr.* XIII. 8.

IV. Differentia in populo utriusque fœderis seu Testamenti veteris & novi, quæcunque ex Scripturis demonstrabilis est, minime tamen perimit Unitatem Ecclesiæ Catholicæ inde ab initio mundi ad finem usque sub uno Capite collectæ & colligendæ: quam ut unum ovile novissimo die ipse magnus ovium pastor sistet ad dexteram suam. *Joh.* X. 16. *cum Matth.* XXV. 32. 33.

V. Similiter differentia in Gratiæ amplitudine à populo Veteris Testamenti non aufert Gratiam Christi, ut non *per illam servati sint sicut nos Act.* XV. 11. Sed tantum sita est in libertate Christiana, qua liberatio animarum

marum à peccatis, & pleno jure consummata fuit in morte Christi, & cumulata est liberatione Ecclesiæ à jugo onerosæ & operosæ legis Ceremonialis. *Ibidem versu* 10.

VI. Consequenter, ratio quidem Sacerdotii veteris, quod lege ceremoniali sancitum erat, abolita est; & palpabilis inde orta differentia, ut quæ illic erant umbræ & typi, jam esse desierint, ac cesserint solidæ rerum veritati & substantiæ. *Hebr.* VII. 8 9. & 10. *Col.* II. Verum non docent nos adnotata ista Scripturæ loca, illic nihil fuisse quam *typos & umbras tantum*: quod etsi nunc vere asseritur de moderna ψευδωνύμῳ falsi nominis religione Judaïca, tamen de veteri vera religione Judaïca affirmari nequit, quin impie asseratur, Deus typum tantum & umbram veræ & solidæ pietatis & Sanctitatis imperasse populo Judaïco, & pro populo Sacerdotibus ad Deum accedentibus, curandam & præstandam.

VII. Hoc vero (sub differentia in Ratione Sacerdotii) occultant mysterium; quod, cum aperte in veteri Testamento Sacerdotes in functione officii agerent nomine populi, quæ agenda erant apud Deum, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν ad obtinendam à Deo peccatorum expiationem *Hebr.* V. 1. inficientur, *Christum nunc revera aliquid circa Deum agere, aut conditionem aliquam præstare, qua præstita ex Dei decreto consequatur peccatorum purgatio, quemadmodum olim in Pontifice legali usu veniebat*; verba sunt *Schlichtingii in Hebr.* IV. 14. Qui ibidem ita se explicat; *In modo, quo peccata nostra expiat Christus summus noster Pontifex, magna est inter ipsum & Pontificem legalem diversitas: sicut Christus hac in parte Deo sit similis (imo ejus vices quodammodo obeat) non Pontifici.* Et mox; *Unde apparet Pontificium ejus munus, non tam re, quam ratione tantum quadam, à regio ejus munere distingui.* Et rursus; *Regis nomen proprium est, Pontificis appellatio metaphorica est.* Item; *Quod, post fusum sanguinem, cœleste tabernaculum ingressus est, & hac ratione seipsum Deo obtulit, istud non fuit vera aliqua conditio, sub qua nobis decreta fuerit à Deo peccatorum remissio, quandoquidem ingressus iste & oblatio maximum Dei beneficium est in Christum collatum: sed fuit tantum medium per quod Christus supremam in cœlo & in terra potestatem est adeptus &c.* Negant ergo γυμνῇ κεφαλῇ, similitudinem Sacerdotis Christi cum Sacerdote legali offerente pro populo victimas expiatorias. Quin asserit ibidem *Schlichtingius, non esse putandum, Christum in cœlis habitantem, proprie loquendo pro nobis orare aut interpellare: id enim*, inquit, *pugnaret cum supremo illius in omnia dominatu & imperio.*

VIII. Non potest non ex hac gangræna aliena esse explicatio locorum *de duobus Testamentis*, quæ adnotant *Jer.* XXXI. 2 *Cor.* III. *Gal.* IV. *Heb.* VIII. qua jactant, *se proportionem quandam inter umbras & corpus ipsum perpetuo observare*; cum veram proportionem & analogiam tollant manifeste, eo ipso, quod in ratione Sacerdotii veram nominis definitionem, cum vero apotelesmate expiationis peccatorum per sacrificium Deo oblatum, tribuant Pontifici legali V. T. Christo vero relinquant tantum Pontificis appellationem metaphoricam, sine ullo circa Deum officio, vel immolationis sacrificii expiatorii pro nobis in sanguinis sui effusione, vel post fusum sanguinem

guinem interpellationis & intercessionis in cœlis. Consequenter (nomine proportionis inter umbras & corpus ipsum) obtrudentes superficiariam & umbratilem in Christo repræsentationem Pontificis legalis: ubi contra veri Sacerdotis Christi, & Sacrificii expiatorii, quod ipse Deo obtulit, superficiaria & umbratilis repræsentatio statuenda est, secundum Scripturas, in Pontifice legali.

IX. Enimvero ita explicant *Auctores Compendioli* differentiam Veteris & Novi Testamenti principalem, (quæ est illa, quod in Veteri Testamento post Fœderis interpretem Mosem Fœderi Dei intercesserint Sacerdotes typici, in Novo autem Testamento Fœderi Dei intercedat Christus Fœderis Mediator idem & Sponsor) ut initio confusa Testamenti & Fœderis appellatione, adeoque nihil in V. T. agnoscentes quam vetus legale Fœdus operum, promissionem Vitæ æternæ cœlestis nullam habens, afferant (id quod dicemus rursus verbis *Schlichtingii in Hebr.* VIII. 9.) *Antiquum illud Fœdus tantarum virium non fuisse, ut populum in officio continere posset. Hinc enim factum esse ut populus ab ea desisceret illudque transgrederetur*: & mox; *Si enim in Fœdere nullus fuisset defectus, nullum vitium, sed tantum in populo, propter solius populi vitium Fœdus ipsum tolli non debuisset.*

X. Si Fœdus illud est Dei non hominis διαθήκη, quod affirmat Apostolus *Gal.* III. 15. 17. non abit ista assertio citra *Martionitic̃am* Dei accusationem, & depreciationem infra Hominem Christum Jesum. Quem constituit idem *Schlichtingius* eo pacto *sponsorem præstantioris Fœderis*, ut non pro nobis spoponderit Deo, sed *nobis pro Deo, sc. promissa divina*, quæ per ipsum nobis exhibet Deus ipsi præstita, *nobis præstiturum*. Ad *Hebr.* VII. 22.

XI. Promissa autem divina, quæ ex *Jerem.* XXXI. Apostolus expressit *Hebr.* VIII. (quibus vitio nostro promittitur à Deo medicina per Christum Medicum qua nos indigemus) ita evacuant, ut nihil ultra promissionem mercedis vitæ æternæ, nobis donandam à Deo & præstandam à Christo Dei sponsore intelligant; per quam scilicet promissionem *Fœdus jam tale est, ut sufficientes habeat causas populum in officio continendi: & leges divinas ipsorum mentibus & cordibus insculpendi*: ideoque *verba illa*, quæ à Deo promittunt ipsam *inscriptionem in mentibus hominum, intra vim & efficaciam accipienda esse, non vero ad ipsum inscriptionis effectum necessariò porrigenda, qui* (inquit *Schlichtingius*) *semper in libera hominis potestate positus est.* Ad *Hebr.* VIII. 10. Atqui est illa contradictio in adjecto, Vis & efficacia, sine effectu, ἐνέργεια μηδὲν ἐνεργοῦσα, operatio efficax nihil efficiens.

XII. Quod denique profitentur, se *non negare tamen, veteres fideles in V. T. fuisse servatos ad vitam æternam, etsi negant eos per fidem in Christum fuisse consecutos salutem, seu ex vi N. T. cum ex ipso V. T. eaque gratia quæ tunc contingebat id factum sit*: id totum non ultra accipi potest, quam de arcano ipsis fidelibus non revelato Dei consilio, quo statuit ipsis dare vitam æternam, non speratam ipsis nec creditam, in novissimo die. Ut viventes & morientes ne quidem spe illa, redemptionis corporum suorum certæ, animas suas Deo commendare potuerint, ignari illius consilii divini.

XIII. Istas tenebras luci Scripturarum offundit *Schlichtingius, ad Heb. xi. vers. 10. & 16.* quando videt se premi affirmatione Apostoli, de exspectatione Abrahami, verbis illis expressa, *exspectabat enim fundamenta habentem civitatem &c.* & de Patriarcharum desiderio, verbis istis, *nunc autem patriam meliorem appetunt, hoc est cœlestem.* Ad *versum* enim 10. sic commentatur; *Si quis historiam sacram consulat, & diligenter legat ac relegat, nihil ea de re scriptum, aut ullo indicio significatum, reperiet. Neque hoc Capite XI. scriptorem alia dixisse & asseruisse, quam quæ Sacræ Scripturæ testimonio niti possent. Voluisse ergo dicere istis verbis, Abrahamum exspectasse illam fundamenta habentem civitatem, hoc est, cœlum ipsum, cœlestemque vitam, magis ratione eventus & consilii divini, quam ratione animi & consilii sui.* Et ad *versum* 16. similiter, hæc est ejus glossa; *Exprimit D. Auctor, ex suo sensu, divini quippe gnarus consilii, quæ sit illa melior patria, quam illi expetiverunt. Non enim est necesse, ut putemus, Patriarchas illos animi sui proposito & intentione patriam cœlestem spectasse, quemadmodum supra vers. 10. demonstratum est: sed sufficit, quod hic futurus sit exspectationis illorum & desiderii, ex Dei decreto, qui etiam, mystico & occulto sensu, hanc patriam illis promisit, eventus: quodque illud hactenus non præter illorum desiderium & vota sit eventurum, quatenus meliorem illa quam relinquerent patriam expetiverunt &c.*

XIV. Initio quidem *Schlichtingius* argumentatur contra Apostolum, provocans ab expressa ejus affirmatione, de exspectatione Abrahami, ad veterem historiam sacram, diligenter legendam & relegendam: asserens, nihil ea de re scriptum aut ullo indicio significatum reperiri. Ad quam provocationem respondere possumus, ipsi cum sociis, id quod Sadducæis respondit Christus; *Erratis, nescientes Scripturas, annon legistis quod vobis dictum est à Deo. Matth. xxii. 29. 31.*

XV. Prævenire se existimavit hanc responsionem exceptione illa, Deum quidem promisisse Abrahamo & Patriarchis Cœlestem patriam, sed mystico & occulto sensu. Atqui sensus mysticus & occultus, dicit promissionem Abrahamo & Patriarchis non intellectam. Jam habemus confitentem *Smalcium in Refut. Smigleci, de satisfactione Christi, p. 272. Promissionem sine intellectu nullam esse.*

XVI. Quod porro *Schlichtingius* ait, scriptorem hoc *Cap. xi.* alia non dixisse & asseruisse, quam quæ sacræ scripturæ testimonio niti possent: vel gratis dicit sine intellectu, vel hoc vult, non esse ἀξιόπιστον, nec per se fidem mereri testimonium Apostoli, de Fide Abrahami & Patriarcharum, & de promissione divina, ipsis intellecta secundum Dei consilium & eventum futurum, sine expresso testimonio veteris historiæ sacræ.

XVII. Quemadmodum vero promissio sine intellectu nulla est, ita porro exspectatio nulla est, sine exspectantis animo & consilio seu intentione: neque analogiam habet ullam in Scriptura sacra Veteris aut Novi Testamenti illa exspectationis interpretatio, ratione eventus & consilii divini occulti, nec revelati illi qui exspectare dicatur.

XVIII. Et aperte contraria est cœca ista rei occultæ nec revelatæ exspectatio, Fidei quam Apostolus *Capite XI.* Veteribus tribuit, illa definitione,

tione, quod fuerit ipsis τῶν ἐλπιζομένων rerum speratarum hypostasis. Nulla est ista, nec esse potest, hypostasis rerum speratarum, ubi nulla est, Fœderis Dei promissione, spes illarum proposita: quod supra asseruerunt *Auctores Compendioli.*

XIX. Neque conciliabilis est, cum rei occultæ nec revelatæ exspectatione, assertio Apostoli; qui exspectationem & desiderium cœlestis patriæ demonstrat, ex eo, quod eminus viderint & crediderint & salutaverint promissiones, & ex ipsorum Fidei ὁμολογίᾳ seu professione edita: in qua fuerit ἐμφανισμὸς animi consilii & intentionis ipsorum, quod intuitu istius μισθαποδοσίας seu mercedis retribuendæ devorarent lubentes tædium peregrinationis in terra. *vers* 13. 14. 15. 16.

XX. Nec potuit Apostolus credentes in Fide V. T. mortuos quos *Cap. XI.* recensuerat, initio *Capitis XII.* vocare περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων, *nubem testium quæ nos circumstat*, si non illi, ex animo consilio & intentione sua, consenserunt in ejusdem cœlestis patriæ exspectationem, ad quam exspectandam nos hortatur Apostolus, post peregrinationem nostram ipsorum exemplo patienter toleratam, ex animo consilio & intentione nostra. Est enim ἀδύνατον, ut sit ἴση ἡ μαρτυρία αὐτῶν, seu cum Christianorum martyrio consentiens ipsorum testimonium, si toto cœlo ipsi aberraverint in exspectatione sua à nostræ exspectationis scopo.

XXI. Quia ergo non potest non esse ἴση ἡ μαρτυρία conveniens testimonium, quo nostram exspectationem munire voluit Apostolus, omnino nubes ista testium nos circumstans testatur unam unius cœlestis patriæ, illis nobiscum communis, exspectationem, ex communi Fide Veteris & N. T. per quam ἰσοψύχως, seu unanimiter nobiscum, aspirarunt in hac peregrinatione ad metam eandem.

XXII. Quod porro dicunt *Auctores Compendioli*, *Veteres fideles servatos ad vitam æternam, non ex vi N. T. sed id factum esse ex ipso V. T. eaque gratia, quæ tunc contingebat*; id quomodo intelligi velint, non satis liquet. An sicut infra statuent in N. T. liberam Dei potestatem, servandi etiam adultos sine Euangelio, *propter qualemcunque præstitam obedientiam*, similiter asserant, contigisse in V. T. illis qui servati fuerunt ad vitam æternam, salutem & gratiam illam, præter Fœderis conventionem, citra rigorem Legis, propter qualemcunque obedientiam. Alias enim videtur ἀκατάληπτον, quo schemate dicant, sub V. T. contigisse gratiam Fidelibus.

XXIII. Enimvero vetat nos in illam sententiam accipere ista, & ostendit, gratis hic Gratiam nominari mercedem imputandam non ex Gratia sed ex Debito, supra dictus *Schlichtingius*, dicto jam *Commentario* ad *Hebr.* XI. 16. verbis quæ thesi XII exscripsimus ista subnectens; *Melior enim hac, quæ illos ex Dei destinatione manet, iisque aliquando obveniet, nempe cœlestis patria, nulla esse potest. Unde, etiamsi cui quidpiam eveniat desideriis ipsius consentaneum, quamvis multo quam speraverat aut cogitaverat majus, id tamen eum quæsivisse aut cupivisse dicere solemus. Præsertim, NB. si vita quoque & consiliorum ratio ita fuerit comparata ut hic exitus MERITO sequi DEBUERIT: quod sane in Patribus istis contigit.*

XXIV. At vero hoc est Deum facere reum debendi, ubi ipse se non obstrinxit ullo Fœderis pacto aut promissione; & hominibus adscribere meritum de condigno, ex operibus supererogatoriis, seu ex accuratiori obedientia, quam quæ Fœderis divini lege fuerit imperata, cui debeatur vita æterna in patria cœlesti, per supererogationem mercedis liberalioris, ultra spem propositam. Erunt hæc discutienda infra ad *Cap. VII. de Justificatione.*

XXV. Enimvero neque hoc satis explicatum est, quid sit, *Veteres fideles servatos esse ad vitam æternam.* Per gangrænam enim Theologiæ Socinianæ, non est affirmare, ipsis in terra peregrinantibus contigisse, aut remissionem peccatorum non revocabilem, aut conservationem divinam infallibilem, qua efficeretur ipsorum certa in pietate perseverantia usque ad hujus vitæ terminum.

XXVI. An ergo dicent morientes in fide servatos esse? Atqui docent illi, Mortuos descendisse in infernum non existentiæ, quod infra manifestum fiet *Capite VIII.* Adeoque hactenus non contigisse illis ullam salutem animarum in vita æterna. Itaque nihil ultra possunt affirmare consentaneum suæ mataeologiæ, quam in morte ipsorum ratum factum Dei decretum, quod ratum non potuerat esse ipsis viventibus, ipsos in consummatione sæculi servatum iri ad vitam æternam.

XXVII. Est ergo ex ipsorum hypothesibus magna in verbis istis catachresis, quando dicunt ipsos servatos esse ad vitam æternam, idque factum esse ea gratia quæ tunc contingebat in V. T. cum exspectandus sit ultimus dies judicii, antequam dici possint servati esse ipsi ad vitam æternam. Nec catachresis illa ex vero aliud quid dicit, secundum mentem ipsorum, quam fidelibus in V. T. Deum arcano consilio, (quod ipsis viventibus minime ratum fuit, sed demum morientibus) reservasse in cœlis hæreditatem vitæ æternæ in diem novissimum.

XXVIII. Pro Epilogo meditandum relinquemus piis, qui reverentur verbum Dei, an absque publica Ecclesiæ Veteris Testamenti Fide Spe & exspectatione vitæ æternæ in cœlis degendæ, secundum prædicatione Prophetica promulgatam Promissionem Dei, in publico cultu jugiter sonuerit decantatum illud, Davidis præscripto, in Psalmis & Hymnis, כי לעולם חסדו *quoniam in æternum misericordia ejus.* 1 *Chron.* XVI. 34. & 41. Quod *Psalmi* CXXXVI. *versiculis* 26. vicies & sexies ingeminatum. Confer *Psalmi* CXVIII. *versus* 1. 2. 3. 4. & 29.

CAPUT VI.

CAPUT SEXTUM.

De Prædestinatione, Electione, & Vocatione.

§. I.

D*Ocent primo Deum ante conditum mundum apud se præfinivisse, eos omnes qui sibi obedivissent servare in æternum, alios autem inobedientes damnare. Atque hoc suum decretum in N.T. clare per Christum promulgasse, in quo omnes credentes eligere decrevit* Eph. I. *sic ut Christo conformentur, tum in cruce, tum in gloria.* Rom. VIII. *Itaque prædestinationem ad vitam factam esse, sub conditione obedientiæ, quam præstare in manu hominis esse volunt, dummodo via salutis ea annuncietur. Quid autem de Infantibus, itemque iis adultis, quibus Euangelium non prædicatur, Deus statuerit, id negant nobis inquirendum esse: nisi quod liberam Dei potestatem agnoscunt, in servandis illis simpliciter si velit, his vero propter quatemcunque præstitam obedientiam.*

§. II.

Porro hanc Prædestinationem à mero Dei beneplacito pendere docent, non à prævisis hominum meritis, seu à præviso bono vel malo usu liberi arbitrii: cum nulla talis prævisio Dei decretum præcesserit, verum ipse simpliciter pro sua εὐδοκίᾳ statuerit in genere servare, sive hi sive illi fuissent: non autem nominatim certos quosdam, reliquis rejectis, elegerit, nisi quod Christum caput Electorum, & fortasse paucos alios, qui reliquorum exemplaria ac duces essent, simpliciter & ad vitam, & ad fidem sive obedientiam, elegit: Alioquin si in genere singulos prædestinasset ad fidem, reliquis diserte ab ea gratia exclusis, nulla ipsius gloria, vel sapientiæ, vel bonitatis ac justitiæ, in hoc opere conspicua foret.

§. III.

Adhæc negant Deum certo præscivisse, quomodo victurus esset homo. Cum futura contingentia non cadant sub infallibilem scientiam: utpote de quibus non est determinata veritas. Ac proinde voluisse Deum explorare cor hominis Gen. II. *sicuti & alibi facit* Gen. XXII & Deut. XIII. Psal. CXXXIX. *Atque hinc esse docent, quod prænotio mysterii redemptionis per Christum tantopere in sacris literis commendetur* I Petr. I. Rom. VIII. *Quia videlicet hæc prænotio pendet à prædestinatione. Quod si igitur omnia futura Deus præsciret, oportebit omnium causas jam ante ab ipso ordinatas esse: atque ita necessario efficeretur auctor peccatorum.*

§ IV.

Negant etiam Deo omnia esse præsentia: cum præterita quidem non sint amplius, etsi Deus ea per memoriam tenet: futura vero nondum sint, etsi Deus quædam eorum præscit, videlicet ea, quæ certo futura esse decrevit. In summa, ajunt Deum scire omnia scibilia: futura autem contingentia, v. g. quæ in arbitrio hominis posita sunt, nullo medio sciri posse, cum ipsa nullo modo sint. Porro negant, admissa infallibili omnium futurorum præscientia, refelli posse dogma Calvini de Prædestinatione, quorundam nominatim ad vitam, aliorum vero ad mortem.

I. Est

I. Est ille insignis quidem triumphus orthodoxi dogmatis Ecclesiarum Reformatarum, quod *Auctores Compendioli dogma Calvini* vocant, de Prædestinatione hominum divina, aliorum ad vitam æternam, aliorum ad justam damnationem: *Non posse* illud, confessione adversariorum, *refelli, admissa infallibili divina præscientia omnium futurorum.*

II. Enimvero qui infallibilem divinam præscientiam omnium futurorum inficiantur, viam sternunt Atheismo, per negationem principii, à quo pendet potissima contra Atheos & infideles demonstratio Divinitatis Scripturarum sacrarum: quæ petitur à Prædictionibus Propheticis & oraculis, quæ exstant, nullis æquivocationum ambagibus involuta, de rebus post aliquot sæcula eventuris; de personis nominatis, nondum natis, sed demum post aliquot generationes nascituris, eventu certissimo confirmata.

III. Alter est etiam veritatis triumphus in eo, quod non audent inficiari simpliciter seu universaliter, (id quod illa negatione principii satagunt destruere) salvandos *simpliciter & ad vitam & ad fidem sive obedientiam electos esse.* Verum universali isti negationi, ipsi contradicunt particulari affirmatione ista, *quod Deus Christum caput Electorum, & fortasse paucos alios, qui vel quorum exemplaria ac duces essent, simpliciter & ad vitam & ad fidem sive obedientiam elegit.*

IV. Obiter non possumus non hic adnotare, ad eundem veritatis triumphum contra Pontificios nec non Ubiquitarios: fuisse inter *Concilii Tridentini* Patres in illa sententia nominatim *Ambrosium Catharinum.* Nempe, *Deum pro sua bonitate è cœtu hominum paucissimos aliquot delegisse, quos omnino salvare decreverit, eosque mediis potentissimis efficacissimis, quæque fallere non possunt, instruxerit: & omnes scripturæ locos, qui dicunt Causam Prædestinationis esse solam divinam voluntatem, & quibus totum opus salutis Deo tribuitur, & infallibile evincitur, intelligendos esse de paucis illis, quorum numerus apud Deum certus est & determinatus, qui singulari gaudent privilegio. Histor. Concil. Trid. edit. Elzevir. libr. 2. pag. 241.*

V. Similiter *Balth. Meisnerus in Anthropologia sacra, de Gratia Dei & Prædestinatione Disp. XI. Thes.* 33. 34. 35. 36. 37. largitur nobis, in exemplis Abrahami & Pauli, *Gratiam (extraordinariam), efficacem infallibiliter & semper, quæ hominem ita vocat, ut quasi necessaria voluntate, & voluntaria necessitate convertatur ad fidem & Ecclesiam: ut rejici non possit hæc gratia, & possit vocari, efficax ex se & semper: quia omnes, qui hac vocantur gratia, semper convertuntur: ejusque præter voluntatem Dei causa dari nulla potest: provenit à simplici & absoluta voluntate, quæ impediri nequit, & ejus effectum nunquam potest interverti, & semper est efficacissima.*

VI. Qui hæc nobis largiuntur, non sine spiritu contradictionis conspirant in obloquutionem istam, hic expressam in Compendiolo; *Si Deus salvandos singulos prædestinasset ad fidem, nulla ipsius gloria, vel sapientiæ, vel bonitatis ac justitiæ, in hoc opere conspicua foret.* Quod Socinus sic expressit *Prælect. Cap 6. Si illa Prædestinatio vera esset, tolleretur omnino Religio universa: quia*

quia manifeste ex ea consequitur, quæcunque ad pietatem pertinent, omnia ex necessitate fieri. Necesse enim habent ut hæc exspuant in Christum ipsum, & paucos illos, quos tali Prædestinatione electos statuunt: cum qua si non conciliabilis est Religio universa, neque illis tribuere queunt Religionem & pietatem, aut ostendere in illis conspicuam gloriam vel sapientiæ vel bonitatis ac justitiæ Dei prædestinantis.

VII. Quod jam §. I. docent, *Deum ante conditum mundum apud se præfinivisse, eos omnes qui sibi obediverint servare in æternum, alios autem inobedientes damnare,* id minime tamen universaliter affirmant de reliquis, præter paucos illos, cunctorum locorum & sæculorum hominibus à condito mundo. Eliminant enim extra illius Decreti æterni subjectum, sicut infantes, ita etiam eos adultos, quibus via salutis non annunciatur, & quibus Euangelium non prædicatur, negantes inquirendum esse, quid de illis statuerit Deus: *agnoscentes,* scilicet, *liberam Dei potestatem, in Infantibus servandis simpliciter, si velit, adultis vero iis quibus Euangelium non prædicatur, propter qualemcunque præstitam obedientiam.*

VIII. Verum neque eos adultos, quibus via salutis annunciatur & Euangelium prædicatur, intelligunt esse decreti illius æterni subjectum præfinitum, de quo Deus aliquid apud se statuerit, quod illis sit eventurum, aut ad vitam æternam aut ad damnationem. Nam quod dicunt, *prædestinationem ad vitam factam esse sub conditione obedientiæ,* hoc flagitat similiter prædestinationem unâ opera factam ad mortem, sub conditione inobedientiæ: & consequenter cunctos indefinite prædestinatos, tam ad mortem, quam ad vitam. Subjectum ergo definite prædestinatum, ex illorum hypothesibus, nullum quidem est personale, sed tantum reale illud, imperanda hominibus obedientia.

IX. Neque tamen credunt uniformiter destinatam seu præfinitam obedientiam aliquam unam hominis interioris, quæ ab initio unâ lege spirituali charitatis erga Deum & proximum, & secundum illam uniformi fœderis operum substantia, definiri possit: quod jam satis manifestum est, ex antecedente *Capite VI.* Consequenter quæ enunciat Scriptura de *Prædestinatione nostri in Christo Eph.* 1. *&* *Rom.* VIII. non patiuntur accipi ut catholicæ veritatis axiomata, quamvis videri possint duo ista loca adnotasse, catholicæ illius veritatis confirmationem, quam præmittunt initio, de omnibus obedientibus servandis in æternum, & aliis inobedientibus damnandis.

X. Quid ergo? Volunt Apostolum Ephesiis *Cap. I. vers.* 4. *&* 5. tantum commendare prædestinationem prædicationis Euangelii, h. e. novæ Legis, reservatæ temporibus ultimis Christo Legislatori, qua prædicatione facta, tantum illius legis novæ obedientia servari possint ad vitam æternam. Similiter ad *Romanos cap.* VIII. 29. 30. Paulum sermonem instituisse, *non de certis personis nominatim, sed generatim de omnibus, quos jam olim* (quod Deum diligerent h. e. Euangelii doctrinam amplexi illi sese audientes præberent, ex eaque vitam instituerent) *approbarit,* & approba-

tos *designarit*, *ut Christo salutis eorum antesignano in sempiterna felicitate similes essent*. Hæc summa est interpretationis quam dictat, non docet, *Volkelius de vera relig. libr.* v. *cap.* 17.

XI. Quandoquidem ergo hic utriusque loci citationi ilico ista subnectunt; *Itaque Prædestinationem factam esse sub conditione obedientiæ*: Conditionem obedientiæ intelligunt in tempore jam præstitam, & à Deo approbatam, sicut, illâ non præstitâ nec approbatâ, personæ ad vitam æternam destinatio nulla sit: & consequenter mox §. II. verborum satyrica allusione illudunt dogmati orthodoxo, quando ajunt; *Porro hanc Prædestinationem à mero Dei beneplacito pendere, non à prævisis hominum meritis, seu à præviso bono vel malo usu liberi arbitrii, cum nulla talis prævisio Dei decretum præcesserit, verum ipse pro sua* εὐδοκίᾳ *statuerit &c.* Atque impudentius §. III. *negant, Deum certo præscivisse quomodo victurus esset homo.*

XII. Quod porro §. I. ajunt, *in manu hominis esse, dummodo via salutis ei annuncietur, conditionem obedientiæ præstare*, sub qua facta sit prædestinatio ad vitam, id jam ante discussimus, in Elencho *Cap. IV.* Hoc loco illud meditandum, quod neque viam salutis illam, quæ in Euangelio annunciatur, credunt esse viam salutis unicam & solam, ut extra illam desperata non sit salus illorum quibus Euangelium non prædicatur, saltem adultorum. In illorum enim gratiam rursus Prædestinationis terminos mutant, ut adultis quidem omnibus Christo obedientibus, sed non solis, agnoscant præfinitam salutem. Volunt enim reservatam *liberam potestatem, etiam adultos quibus non prædicatur Euangelium, servandi in æternum, propter qualemcunque præstitam obedientiam.*

XIII. Quod affirmant §. III. Deum voluisse *explorare cor hominis*, eo quod non *certo præsciret nec infallibiliter quomodo victurus esset homo*, idque ex *Gen.* II. satagunt confirmare, quasi non sciverit Deus ab initio Adamum lapsurum: id non aliunde rectius refellitur, quam ex *prænotione mysterii redemptionis per Christum*, quam, eodem §. III. ipsi asserunt ex I *Petr.* I. 20. Nec elabi hic possunt sine illo paradoxo, quod est contra Scripturarum analogiam; *etiamsi nemo hominum unquam peccasset tamen mittendum fuisse Christum. Socinus in præl. Cap.* X. §. 8. *Smalcius in Refut. Thes Franzii pag.* 123.

XIV. Neque ex tentatione Abrahami commemorata *Gen* XXII. illud effici potest, Deum non scivisse ab initio quid esset in corde Abrahami, donec tentatione illa cor ejus explorasset. Aut ex loco *Deut* XIII. 3. verbis illis, *tentat Jehovah Deus vester vos, ut sciat an diligatis Jehovam Deum vestrum, toto corde vestro & tota anima vestra*, illud concludi; nescire Deum an diligatur ex animo à populo suo, donec surrexerit in medio populi falsus propheta & somniator, editis signis & portentis populum solicitans ad apostasiam. Nec David *Psalmo* CXXXIX. 23. 24. supplicatione ista utens, *explora me Deus & cognosce cor meum: proba me & cognosce cogitationes meas: & vide si via irritationis in me est &c.* in illa hæresi fuit, ut existimaret Deum non intime perspectum habere, citra illam quam flagitabat explorationem, cogitationes ipsius.

XV. Quid ergo? Dicitur per ἀνθρωποπάθειαν Deus nos & cor & cogitationes nostras tentationibus explorare, quando nos manu ducit & stimulat ad praxin illam, qua jubemur singuli *nos ipsos probare*. 1 *Cor*. XI. 28. *Vos ipsos tentate annon sitis in fide; vos ipsos probate; annon agnoscitis vosmetipsos, videlicet Jesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis*. 2 *Cor*. XIII. 5. Et aperta est exomologesis Davidis, *Psalmi illius* CXXXIX. *versibus* 13. primis, qua Deo tribuit cogitationum dictorum & factorum suorum intimam cognitionem & infallibilem, quæ ipsa cogitata dicta & facta prævertat, adeoque ab illorum existentia independens sit.

XVI. Independentiam illam scientiæ divinæ, quæ non alteratur temporis præteriti præsentis & futuri differentia, Scholastici Theologi expressam voluerunt illa locutione, *Deo omnia esse præsentia*. Quam temere negant *Auctores Compendioli* § IV. vexantes τὸ ῥητόν; quod non habet aliam διάνοιαν, quam non esse in Dei scientia discrimen scientiæ præsentis & futuræ (quamvis non sint præsentia ipsa scibilia omnia, imo nulla fuerint præsentia ante mundum conditum) sed Deum infinito simplicique intelligentiæ actu ab æterno scivisse cuncta futura. Contra illi ex numero scibilium, imo ex numero futurorum expungunt illa quæ dicuntur futura contingentia; etenim *Socinus* γυμνῇ κεφαλῇ inficiatur; *quidquid fit id futurum esse antequam fiat*: asseritque, *Futura* (*quæ vocamus*) *Contingentia, antequam fiant, nec futura esse, nec esse non futura, adeoque fallere regulam illam, de qualibet re est affirmare vel negare*. *Prælect. cap*. 8. Ex qua erroris efficacia *Idem Cap*. XII. §. 8. locum ipsum 1 *Petr*. 1 20. (quo *Auctores Compendioli* dicunt, commendari *prænotionem mysterii redemptionis per Christum, quæ pendet à Prædestinatione*) ita torquet, *ut neget, à Petro affirmari, ante mundum conditum, aut decretum fuisse ut Christus mactaretur, aut Christum à Deo præcognitum ut mactandum*. Atqui nulla est prænotio mysterii redemptionis per Christum, sine prænotione Christi ut mactandi: *ναὶ καὶ οὔ*.

XVII. Ad illam inficiationem, qua tollunt universam futurorum contingentium præscientiam divinam infallibilem, retundendam, ut resorbeant ipsi quod hic evomunt, (*quod si igitur omnia futura Deus præscivit, oportebit omnium causas jam ante ab ipso ordinatas esse; atque ita necessario efficeretur auctor peccatorum*) meditandæ in timore & tremore ex Dei verbo, prædictiones divinæ ἀναντιῤῥήτως infallibiles de futuris contingentibus, quæ non evenerunt tantum pie à piis, sed etiam ab impiis hominibus impiè, ipsisque accersiverunt judicium & maledictionem prænunciatam.

XVIII. Illustre est oraculum infallibile factum Abrahamo Patriarchæ, de cleruchia terræ Canaan post annos demum CCCCLXXVI. plus minus, danda posteris ex ipso nascituris *Genes*. XII. 12. *cum Act*. VII. 2. 3. & prænunciata mox *Genes*. XV. 13 14. servitus Ægyptiaca, & ex eadem futura eductio & vindicatio gloriosa: nominata etiam gente Amoræorum, quæ prima experta est manum Dei, quando Israëlitæ transito Jordane ingressi fuerunt terram Canaan. *Josuæ* V. *cum Gen*. XV. 6.

XIX. Similiter eventu confirmata legitur 1 *Reg.* XVI. 34. regnante Achabo, ante annos supra quingentos à Josua facta prædictio maledictionis, illi eventuræ qui reædificaturus esset Jerichuntem *Josuæ* VI. 29. *In diebus ejus (Achabi) Hiel Bethelita ædificavit Jericho: in Abiram primogenito suo fundavit eam: & in Segub minimo suo statuit portas ejus: juxta verbum Jehovæ, quod locutus fuerat per manum Josuæ filii Nun.*

XX. Item legitur. 2 *Reg.* XXIII. 15. 16. 17. eventu confirmata prædictio infallibilis, Jeroboamo annunciata per virum Dei, qui dixit; *Altare Altare, sic dixit Jehovah, ecce filius nascetur domui Davidis, cujus nomen Josias, qui immolabit super te, & ossa hominum comburent super te.* 1 *Reg.* XIII. 2. Antevertit prædictio illa annos circiter trecentos quadraginta, expresso Josiæ olim nascituri nomine.

XXI. Item prædicta fuit oraculo infallibili futura solutio captivitatis Babylonicæ *Jerem.* XXV. 11. 12. bis apud Esaiam expresso nomine Cyri Persarum regis olim nascituri, cujus edicto solvenda esset. *Esai.* XLIV. 28. & XLV. 1. Confer *Dan* IX. 2. Josephi quoque Patriarchæ historia plena est prædictionibus futurorum contingentium talibus, quæ demonstrant abunde illorum apud Deum prædeterminatam veritatem. Sed ista & alia plura congerere supersedemus.

XXII. Unum istud adjicere visum est. Si audiendi hic, *negantes Deum certo præscivisse quomodo victurus esset homo*, quod futurorum contingentium non sit apud Deum determinata veritas, non erit audiendus Johannes Euangelista, affirmans, Christum *scivisse ab initio, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Joh.* VI. 64. Utpote qui ista affirmatione prænotionis ab initio, ipsum Christum efficeret auctorem sceleris istius, quo ipse à Juda proditore traditus est: est enim hæc ipsissima, quam ipsi de Deo nectunt, blasphema consequentia.

XXIII. Neque hunc nodum solvit *Volkelius de vera Relig. lib. V. Cap.* 17. de Judæ Iscariotæ reprobatione præfinita sic disputans, ut ad objectionem istam (*cum scelestum illud nefariumque factum, tum quod ex eo consecutum fuit exitium, ante designatum fuisse: cum Christus apud Johannem eum periisse dicat, ut quod scriptum erat impleretur Joh.* XIII. 18. & XVII. 12.) respondeat; *Hoc Judæ tum facinus, tum supplicium, singulare quiddam continere; & porro ad communem generalemque salutis humanæ rationem, in disputatione de Prædestinatione nihil pertinere.* Et ad *specimen atque exemplum summæ patientiæ Christi, nequaquam mirum videri debere, Deum hac singularissima ratione impulsum, multo ante decrevisse, ut hoc aliquando eveniret.*

XXIV. Data enim, non concessa, responsione ista, de singulariter decreto, & præscito, ac in scripturis multo ante prænunciato Judæ tum facinore tum supplicio, contradictoria tamen oppositio est singularis istius affirmationis, contra universalem inficiationem prænotionis seu præscientiæ infallibilis futurorum contingentium, maxime vero scelerum & facinorum, quorum Deus Auctor esse non potest. Et jugulatur necessitas illius consequentiæ, de Deo peccati auctore, si vel unum illud peccatum infallibiliter

infallibiliter præsciverit futurum, quod Deo vel Christo auctori tribuere, singularissimam haberet veterum hæreticorum blasphemiam qui *Caini* dicti; vide *Augustinum de hæresibus cap.* 18. Quam blasphemiam ex inferis resuscitarunt nuperi in agro Groningano Anabaptistæ, dicti *Ucco-Wallistæ*.

§. V.

Electionem dupliciter accipiunt. 1. *Pro ipsa Prædestinatione ad vitam sub conditione.* 2. *Pro separatione eorum, qui jam fideles sunt. Itaque Electi dicuntur primum in genere omnes prædestinati, quibus videlicet Euangelium annunciatur.* 2. *Speciatim ii, qui fideles ac selecti.* 1 Petr. 1 1. Matth. xxi. *Unde colligunt etiam eos qui actu sunt Electi fieri posse reprobos, si deficiant à fide, cum tota Electio sub conditione perseverantis fidei facta sit* 1 Cor. 1 x. *ita ut merito nos jubeat Apostolus Electionem ac Vocationem per bona opera firmam efficere.* 2 Petr. 1.

§ VI.

Similiter dupliciter accipiunt Vocationem. 1 *Pro invitatione externa ad gratiam amplectandam, sine effectu.* Matth xx. 2. *Vocati dicuntur ipsi fideles, & actu Electi: quia hi cum effectu, sive eventu vocantur.* Rom. v i i i. 1 Cor. 1. *Docent autem, ante conversionem cum vocamur in manu nostra esse oblatam Dei gratiam amplecti, atque ita Electorum numero accenseri. Sed si justificati prolabamur, nos non posse instaurari ad pœnitentiam, si ipsi velimus, sed si Deus ex singulari gratia concesserit.* Hebr. v i.

§. V I I.

Solum denique Peccatum in Spiritum sanctum nullam habere spem veniæ Heb. x. *Videlicet cum quis agnitam veritatem contra conscientiam, ex mera malitia blasphemat, ut est* Marc. i i i. *non autem quatenus ex infirmitate carnis blasphemat.*

I. Electionem quidem dupliciter etiam accipimus ex Scripturæ usu. 1. Pro ipsa Prædestinatione ad vitam. 2. Pro separatione & segregatione prædestinatorum ad vitam, in tempore præfinito. At Prædestinationem ad vitam, (sub conditione, quam nequidem ab æterno præviderit Deus aut præsciverit futuram, adeoque) per quam ad vitam ab æterno Electus sit nemo, jam rejecimus: & rejiciendam convincit male consentanea illorum glossa, qua corrumpunt textum illustrem. *Eph.* 1.4. *&* 5. *Sicut elegit nos in ipso (Christo) ante fundationem mundi: ut essemus nos sancti & inculpati coram ipso in charitate: qui prædestinavit nos ad adoptionem ad filios per Jesum Christum.*

II. Conferendum est id, quod *versu* 11. sequiter; ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, *In quo etiam sorte lecti sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ. Vulgatus* vertit, *sorte vocati. Castellio, in sortem asciti. Racovienses,* In welchen wir auch erbschafft erlanget haben h. e. *in quo etiam hæreditatem consecuti sumus.* Est ergo consensus ille de verbo ἐκληρώθημεν, significare Apostolum, sorte distribuendam hæreditatem vitæ æternæ. Jam ἀναντιῤῥήτως liquet, vindicare Apostolum distributionem illam prædestinatis secundum propositum Dei. Est ergo ἀδύνατον ut Prædestinationem aliam intellexerit Apostolus, aut Electionem, quam certarum illarum personarum, quibus futura esset pars & sors in hæreditatis distributione.

 III. Nec

III. Nec conciliari potest illa acceptio altera Electionis, pro *separatione eorum qui jam fideles sunt*, cum κληρώσει hæredum vitæ æternæ; quæ nulla est, si non ostendat Deus, quos ipse independenter à libero arbitrio humano elegerit arcano suo beneplacito. Quod illustratur luculenter, ex κληρώσει Matthiæ Apostoli *Act.* I. 21 -- 26. Ubi soli Deo delatum est arbitrium vocationis personæ certæ, an Josephi, an Matthiæ, ista precatione Ecclesiæ, *tu Domine, qui corda omnium nosti, ostende, utrum elegeris ex his duobus.*

IV. Temere ergo asserunt *Auctores Compendioli*, *Electos primum in genere dici omnes quibus Euangelium annunciatur*: & frigida est ac nulla probatio quam insinuant, *eo quod omnes illi sint Prædestinati ad vitam sub conditione obedientiæ*: quia pariter dici possunt omnes prædestinati ad mortem sub conditione inobedientiæ. Observamus autem, destitui illos ad assertionem istam omni Scripturæ testimonio, quod obtendere potuerint.

V. *Electos dici eos qui fideles sunt*, quis negat? At inficiamur illam vocis notionem, qua ipsorum Electio & separatio divina ex mundo sequatur demum non præveniat illorum Fidem. Non patitur præposteritatem illam Christi illa affirmatio; *alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere: & vocem meam audient: fietque unum ovile & unus pastor. Joh.* X. 16. Neque illi affirmationi gemina illa Dei ad Paulum alloquutio, de Corinthiis non qui jam fideles erant sed demum credituri erant, audita prædicante Paulo prædicatione Euangelii; *Quoniam populus est mihi multus in hac urbe. Act.* XVIII. 10.

VI. Et nulla est demonstratio istius præposteritatis, ex istis quæ adnotant testimoniis. Nam I *Petr.* II. 9. illi quidem qui jam fideles erant dicuntur γένος ἐκλεκτὸν *genus electum*: & similiter *electi* ἐκλεκτοὶ *Matth.* XXII. 14. (mendum est in M. S. *Matth.* XXI.) At non intellexit, aut Christus, aut Petrus, electos post Fidem habitam Euangelio, sed ad Fidem habendam. Atque hoc planum est ex eo, quod commendat Petrus aperte illam Dei misericordiam, qua ipsos, quondam non populum, fecit populum suum & genus electum, per vocationem è tenebris in lucem. Vocatio è tenebris in lucem neutiquam est segregatio eorum qui jam crediderunt, sed eorum qui non credunt, ut efficiantur credentes.

VII. Neque ex testimonio Apostoli I *Cor.* IX. 27. confirmari potest, eos qui actu sunt Electi posse fieri reprobos. Verba Apostoli ista sunt; *sed contundo corpus meum, & in servitutem redigo, ne quo modo, cum aliis prædicarim, reprobus fiam.* Si hoc credidisset Apostolus se posse ex Electo fieri Reprobum, abstinuisset *versu proxime antecedenti* 26. à gloriatione illa fidei, *ego igitur ita curro*, ὡς οὐκ ἀδήλως, *ut non in incertum; sic pugilem ago, ut aërem non cædens.* Omnino ἀδήλως currit, qui in metu est, ne metam assequatur. Apostolus vero, ne hoc cogeretur metuere, affirmat se sibi cavere piâ cura, ac carni suæ, à qua id metuendum esset, fibulam imponere, atque sic, Deo juvante, illo metu liberari.

VIII. Fru-

VIII. Frustra quoque, pro *infirma* illa *Electione*, quæ cum Reprobatione commutabilis sit, illud urgent, quod nos jubeat Apostolus *Electionem ac Vocationem* per bona opera *firmam* efficere. 2 *Pet.* I. 10. Minime enim jubet Petrus fideles de Electione & vocatione, tanquam infirma, ambigere quasi citra ipsorum bona opera non constet ac nullum sit *firmum fundamentum Dei, habens sigillum hoc, novit Dominus qui sunt ejus.* 2 *Tim.* II 19 Sed vult illos satagere, ut per demonstrationem vivæ fidei ex fructibus bonorum operum ipsi habere possint consolationem firmam & solidam: breviter, ut quod per se firmum est ipsis fiat confirmatum ad conscientiam, per experientiam spiritualem.

IX. Contraria assertio Vocationem nudam externam, quæ successu caret, confundit cum Electione, contra omnem Scripturæ analogiam, & contra intentionem Petri Apostoli: qui non dixit electionem ac vocationem, per epexegesin, sed ad electionis πληροφορίαν voluit nos ascendere, ab explorato Vocationis successu. Sed quod magis alienum est trahit hoc paradoxon, quod dicemus verbis *Volkelii de vera relig. libr. V. cap.* 17. *Ex eventu*, inquit, *Vocatio illa* (*sub certa conditione, ad vitam sempiternam*) *hominum Electio evasit.* In scala ergo salutis non à Vocatione ad Electionem ascendendum erit, sed descendendum; præpostere.

X. Quod ergo subnectunt § VI. de duplici acceptione Vocationis. 1 *Pro invitatione externa ad gratiam amplectandam, sine effectu Matth.* XX. 2. *Pro Vocatione cum effectu sine eventu, Rom.* VIII. 1 *Cor.* I. Si corticem verborum spectes, ἐξαγώνιοι est. At falsissimum est, accedente ista assertione; quod *ante conversionem, cum vocamur, in manu nostra est, oblatam Dei gratiam amplecti, atque ita Electorum numero accenseri.*

XI. Vocationis enim successus ille, quod oblatam Dei gratiam amplectamur, non tum demum efficit ex Vocatione Electionem, qua Deus nos Electorum numero accenseat: sed à Deo vocante efficitur, secundum Electionis seu Prædestinationis divinæ propositum æternum, cui Apostolus id totum vindicat, dicens τοῖς κατὰ πρόθεσιν ἐκλεκτοῖς ἐστιν, *iis qui secundum propositum vocati sunt. Rom.* VIII. 28. Et mox, *quos prædestinavit eos etiam vocavit. vers.* 30.

XII. Frustra autem est hic *Volkelius, libr. V. cap.* 17. verba Apostoli sic torquens, quasi *vocatos secundum propositum* dixerit illos, qui annunciatum ipsis propositum Dei ratum faciunt, & secundum illud vitam instituunt, quam approbat Deus: ista enim glossa contradicitur Apostolo, qui *Rom* IX. 11. aperte asserit, *propositum Dei quod est secundum Electionem manere*, seu *ratum esse, non ex operibus, sed ex vocante.* Contraria sunt ergo illa, affirmatione Apostoli, propositum ratum ex vocante Deo, & propositum quod ratum sit opere obedientiæ quo Deo vocanti paremus, quando illam Deus approbat.

XIII. Falsitas vero illius assertionis, *quod in manu nostra sit, ante conversionem, ut convertamur, atque oblatam Dei gratiam amplectamur, atque sic faciamus nos accenseri Electis*, convincitur Scripturæ affirmatione, quæ pronunciat; nos esse, *natura filios iræ, mortuos in peccatis Ephes* II. I 2 3. *Col.* II 13.

Col. II. 13. *non ideoneos* ad intelligendum aut credendum salutariter verbum Dei propter mentis cœcitatem *Rom.* VIII. 6. 7. I *Cor.* II. 14. *Ephes.* IV. 18. *&* V. 8. & hostiliter à Deo aversos voluntatis perversitate. *Joh.* III. 20. *Rom.* V. 10. *&* VIII. 7. *Col.* I. 21. Adeoque apud homines impossibile esse, sine nova generatione ex Deo, tanquam vivificatione ex mortuis, ut quisquam propriis viribus, aut bono usu liberi arbitrii, vera conversione Deo reconcilietur. *Joh.* III. 3. 5. *cum Matth.* XIX 25. 26.

XIV. De sequenti ista assertione, *posse nos justificatos prolabi, & lapsos, non posse instaurari ad pœnitentiam, si ipsi velimus, sed si Deus ex singulari gratiâ concesserit Hebr.* VI. jam respondimus ad *Cap. IV.* §. *II.* Quod subnectunt, *solum peccatum in Spiritum sanctum nullam habere spem veniæ Hebr.* X. non magis ex *Hebr.* X quam ex *Hebr.* VI. concludi, illic ostendimus.

XV. Definitionem quam tradunt, videlicet, *cum quis agnitam veritatem contra conscientiam ex mera malitia blasphemat, ut est Marc.* III. *non autem quatenus ex infirmitate carnis blasphemat*: secundum id quod expressum est verbis istis, nolumus impugnare. At detestamur τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης turpitudinis tegumentum illud: quod, ubi Christus dixit *Marc.* III. 29. *blasphemare in Spiritum sanctum* εἰς πνεῦμα τὸ ἅγιον, seu, ut est *Matth* XII. 32. κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου *contra Spiritum sanctum*, ipsi defungantur istis verbis, *agnitam veritatem blasphemare*, ut insinuent, veritatem agnitam dici Spiritum Sanctum, per personæ fictionem; quam confutavimus ad *Cap.* I. §. VIII.

XVI. Nimis aperte Christus à veritate Euangelii distinguit Spiritum veritatis, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ut testem veritatis; ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ, *ipse testabitur de me Joh.* XV. 26. *cum Joh.* XIV. 17 *&* XVI. 13. Nec ullo schemate intelligi potest res veritatis, sine teste veritatis, personâ aliâ, quam Apostolorum prædicantium: quandoquidem Christus de Apostolis ilico subjungit *Joh.* XV. 27. καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε, *sed & vos testabimini.* Et flagitat necessario personam testem pronomen masculinum ἐκεῖνος *ipse*, adjunctum nomini neutro τὸ πνεῦμα: quod esset vitium sermonis, nisi neutrum veniret pro nomine proprio. Sicut in loci *Genes.* III. 15. interpretatione LXX. conjunxerunt, cum neutro nomine τὸ σπέρμα *Semen* pronomen masculinum αὐτὸς *ipse*, quod intelligerent promitti personam Messiæ nascituram. Syntaxis eadem est *Joh.* XVI, 13. secus quam *Joh.* XIV. 17. ubi est pronomen neutrius generis.

XVII. Atque ut veritatis testis dicit Personam, ita similiter Personam arguit illud, quod personis Apostolorum dixit Christus *Joh.* XVI. 13. ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, *deducet vos* (erit vobis dux viæ ὁδηγός) *in omnem veritatem.* Perperam ergo veritatis magister Spiritus sanctus cum ipsa veritate agnita confunditur hic, in definitione peccati in Spiritum Sanctum.

XVIII. De cætero, est *Auctorum Compendioli* concordia discors, & in textuali tractatione peccati in Spiritum sanctum, & alias in summa rei. *Anonymus* enim, quem supra citabamus, ad *Cap. IV.* §. II. Thesi XV *Idololatriam,*

latriam, *Cædem*, *Adulterium*, facit *peccata in Spiritum sanctum*, atque illis applicat locum *Hebr.* x. cui videtur accedere *Schlichtingius*, *in Hebr.* x. 26. *Volkelius*, *de vera relig. libr. IV. cap.* 22. censuram Apostoli *Hebr.* x. refert, ad eos quidem, *qui salutarem veritatem agnitam probeque perceptam, data opera omnibusque viribus oppugnant*. Verum una operâ ad illos, *qui ad cœlestem Christi disciplinam mores suos non solum non componunt, sed etiam scientes volentes eam conculcare pergunt*. Verbis autem Apostoli non censet directe contineri blasphemiam in Spiritum sanctum, quam Christus neque in hoc neque in futuro sæculo condonandam esse asserit; *nisi*, inquit, *divinum Spiritum blasphemare pergat: cum in Christi verbis unius tantum sceleris istius actus mentio fiat*. *Socinus in Notis ad dialogum* N. N. *de Justificatione Num.* IX. ad verba illa, [& agnitæ veritati contradicat, quod est Peccatum in Spiritum S,] *præstat*, inquit, *hæc verba non addere. Nimis enim adhuc controversum est, quid sit Peccatum in Spiritum sanctum*.

CAPUT SEPTIMUM.

De Justificatione per Fidem in Christum; deque Pœnitentia.

§. I.

Primum docent justificari nos, cum à peccatorum reatu absolvimur Ps. XXXII. *Proinde tum demum reipsa peragi Justificationem, cum à morte liberati in vitam æternam adducimur, quod beneficium hic spe tantum obtinemus.*

§. II.

Porro justificat nos Deus, ex purâ misericordiâ, absque ulla compensatione vel satisfactione, sive nostra sive ipsius Christi. Per Christum tamen, sive ejus mortem atque obedientiam, peccata nobis condonat, quatenus Christus per ea, quæ jussu Dei propter nostram salutem fecit ac passus est, tum cognitionem, tum effectum justificationis in nobis producit. Hinc est, quod ipse dicitur se dedisse λύτρον *pro nobis* Matth. XX. 1 Tim. II. *quia sicut proprie dicta* λύτρωσις *causa est liberationis è captivitate vel servitute: sic Christus in mortem traditus causa est nostræ absolutionis ab omni reatu peccatorum.*

§. III.

Meritum tamen Christo non derogant: quatenus sua obedientia sibi gloriam & potestatem cœlestem, ac consequenter nobis credentibus æternam salutem obtinuit, ac veluti mercedem laborando comparavit. Phil. II. Esai. LIII. *Sic tamen ut meritum hoc gratiæ Dei non opponatur sed subordinetur.*

§. IV.

Postremo docent; non nisi per Fidem ac pœnitentiam obtineri, cum sub hac conditione promissa sit peccatorum remissio: Ideoque Fidem & conversionem priorem esse Justificatione Ezech. XVIII. Act. III. *Definiunt autem Fidem, Fiduciam*

in Deo per Christum collocatam, qua nos ei sub spe promissæ salutis obedimus; Ita ut Fides Justificans reipsa non differat a conversione seu pœnitentia; nisi quod causam ipsius conversionis, ipsam speciatim à Christo præscriptam obedientiam denotat. Act. xx. & xxvi.

§ V.

Hanc Fidem docent nobis imputari ad Justitiam, h. e. nos gratis à Deo justos pronunciari, eo quod tali simus præditi Fide. Rom. iv. *Non autem Justitiam vel obedientiam Christi nobis imputari.*

§ VI.

Denique hanc Fidem opponi operibus Legis, h. e. in lege Divina præscriptis: quibus videlicet perfecta ac perpetua obedientia continetur. Rom. iii. Gal. ii. Eph. ii. *Non autem simpliciter bonis operibus opponi; quippe quibus homo Justificari dicitur* Jacob. ii. *Non quod iis salutem promereamur: sed quia Deus hac demum Lege justificare nos constituit, si prius à peccatis conversi per Fidem ipsi obedierimus.*

I. *Justificationem in sacris literis significare absolutionem a reatu peccatorum, ex Psalmo* xxxii. credimus. At absolutionem à reatu peccatorum, seu remissionem & condonationem peccatorum, negamus tantisper *spe tantum obtineri*, donec *Reipsa à morte liberati in vitam æternam adducamur.* Istam enim in spe tantum, non in reipsa datam Justificationem, respuit analogia Scripturæ sacræ: quæ in tempore præterito enunciat beneficium illud, ut jam donatum, non demum in resurrectione mortuorum donandum δικαιωθέντες, *justificati Rom.* v. 1. Emphasis enim præteriti temporis explicata est *versu* 9. δικαιωθέντες νῦν σωθησόμεθα, *Justificati nunc*, (*olim*) *servabimur*: estque hæc aperta antithesis beneficii Justificationis, quod reipsa nunc obtinemus, & gloriosæ salutis, quam spe tantum obtinemus; τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν, *nam spe servati sumus Rom.* viii. 24.

II. Et confirmat nunc factam Justificationem affirmatio illa Apostoli, νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν, *nunc Filii Dei sumus* 1 *Joh.* iii. 2. Et flagitant verba Apostoli Pauli *Rom.* viii. à *versu* 30. *ad finem capitis*, illam salutis seriem à Deo ordinatam, ut futuram in altero sæculo glorificationem, quam spe tantum hic obtinemus, antecedat in hoc sæculo Justificatio, quam reipsa obtinemus, & quæ semel facta à Deo infecta fieri nequit, neque in morte neque in vita.

III. Enimvero si spe tantum non reipsa in hoc sæculo obtinetur Justificatio, necesse habent idem hic dicere de Justificatione, quod supra de Prædestinatione; Deum non Justificare personas certas, sed tantum Justificare in genere credentes & resipiscentes, sive hi sive illi fuerint. Atqui hoc refellitur exemplis personarum certarum, Abrahami, Davidis, aliorumque Patriarcharum, qui *testimonium obtinuerunt, quod justi essent, Deo testimonium perhibente in donis ipsorum*, ut de de Abele loquitur Apostolus, ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος *Hebr.* xi 4. Et personæ certæ unius præ alia Justificationem ut peractam non peragendam enunciat Christus *Luc.* xviii. 14. *Descendit iste* (*Publicanus*) δεδικαιωμένος *Justificatus in domum suam, præ illo* (*Pharisæo.*) *Luc.* xviii. 14.

IV. Con-

IV. Confugiunt ergo ad tacitam distinctionem Justificationis plenæ ac firmæ, & non plenæ nec firmæ, quemadmodum etiam Electionem & Vocationem distinguunt in firmam & infirmam. Atque sic censet *Socinus*, (in *Notis ad Dialogum de Justificatione Num.* XXXI.) illum, qui fidem habens Deo paratus est omnia promissionum obtinendarum gratia facere, adhuc autem nihil fecit, esse quidem aliquo modo re ipsa justum, id est, à Deo pro justo habitum & justum pronunciatum: sed non tamen omnino, nec æque ac si reipsa jam se obedientem præstitisset. *Multa enim*, inquit, *ut in proverbio est, inter calicem supremaque labra cadere possunt*: & mox; *Quocirca Deus, & ante, & multo magis post Christum, tum demum revera ac plene justum aliquem pronunciat, cum se jam obedientem ipsius præceptis præstiterit.*

V. Satagit *Socinus* ibidem suam assertionem munire exemplo Abrahami justificati, quod nobis vindicandum. *Id quod*, inquit, *in ipso Abrahamo patuit, qui non omnino justus est à Deo pronunciatus: nisi cum præter alia suæ in Deum fiduciæ ejusque præceptorum obedientiæ specimina, tandem, ipso ita jubente, unigenitum filium suum ei immolare non recusavit. Nam & Deus ipse ait, tum demum se cognovisse, quod Abrahamus ipsum timeret: & Jacobus Apostolus ait, tum impletam fuisse Scripturam &c. Itaque* (concludit *Socinus*) *Deum quidem præcipue animum & cor hominis spectare, sed tamen de ipso animo & corde nihil firmiter omnino posse statui, donec ad rem ipsam ventum non fuerit.* Ad Thesim illam, quæ Deo derogat certam præscientiam, quomodo victurus sit homo, & necessitatem illi tribuit tractu temporis explorandi cor hominis, jam respondimus *Cap. VI. ad* §. III.

VI. De cætero, nimis expressa est in contrarium Pauli Apostoli contestatio de Abrahamo *justificato ex Fide, non in circumcisione, sed in præputio. Rom.* IV. 9. 10. 11. Atqui justificatio Abrahami in præputio circumcisionem Isaaci antevertit annis circiter triginta. Isaaci autem circumcisi immolatio contigit, si hic audiendi Judæi in Chronico suo majore, quando Isaac agebat annum XXXVII. *Josephus Antiq. libr.* 1. *cap.* 14. vult Isaacum fuisse annorum XXV. *Aben Esra* X. vel XII. annorum; quod animadvertit *Jac. Cappellus* minus verisimile esse, cum jam haberet Isaac satis virium ad bajulanda ligna sacrificio destinata. *Gen* XXII. 3.

VII. Quæ ergo illa in Deum contumelia & in Abrahamum injuria? Abrahamum à Deo vocatum in præputio & justificatum, ac circumcisionis deinde Sacramento fœderatum, annos circiter L X. cum Deo ambulasse, ut salutis funambulum, quia de animo & corde ejus nihil omnino firmiter statuere poterat Deus, donec gravissima illa tentatione de immolando filio unigenito, demum cognovisset quod Abrahamus ipsum timeret. Adeo habuit scilicet Abrahamus עקוב הלב / *Subdolum supplantativum cor*; & adeo tardus cordis scrutator Deus. Horresco referens.

VIII. Verum ista quidem reipsa aliquo modo, nec tamen plena, Justificatio tamen ex mente Socini Fidem non prævenit sed sequitur, sicut plena re ipsa sequitur ex Fide præstitam obedientiam; quod mox erit examinandum. Interim communiter generaliterque censet recte dici peccata

 remissa

remissa esse omnibus quibus ex parte Dei offertur peccatorum amnestia; sub conditione resipiscentiæ & obedientiæ præceptorum Dei in posterum: etiamsi illam peccatorum remissionem non adipiscantur, qui non resipiscunt. Dictat enim ad *Num.* XLIV. ista paradoxa; *Mundatus à peccatis is dicitur cui peccata sunt remissa, non tantum is, qui id est adeptus, ut jam in peccatis ut ante non maneat. Nec si ipsius rei naturam spectes, quippiam prohibet, quominus cuipiam sint remissa peccata, & tamen nihilominus peccare pergat: & sic idem ipse mundatus sit à peccatis suis, & non mundatus.* Ista scilicet est impii, qui etiam impius manet, Justificatio ex parte Dei, sine effectu.

IX. Quod jam *Auctores Compendioli* dicunt §. I. *Deum nos justificare ex pura misericordia, absque ulla vel compensatione vel satisfactione, sive nostra, sive ipsius Christi*, de illa Justificatione in genere sine effectu tantum accipiendum ex mente illorum. Scilicet si Deus in posterum ad iram non provocetur, nullam pro peccatis antecedentibus expiandis satisfactionem flagitari, vel nostram, vel Christi nobis imputatam. Alias enim docent in ipsa Fide & Resipiscentia, quæ respondeat ex parte nostri oblatæ ex parte Dei Justificationi, sitam esse Satisfactionem qua per nos ipsos legi satisfiat. Aperte enim *Schlichtingius in Articulo de Præceptis V. & N. Testamenti, Disput. adversus Meisnerum pro Socino pag.* 673. ex quatuor modis possibilibus quibus dixerit Christus *Matth.* V. 17. se venisse ad implendam legem. 1. Per plenam Explicationem. 2. Per Satisfactionem. 3. Per Imputationem. 4. Per Renovationis inchoationem; determinat; *Ex his quatuor modis unum tantum, nempe secundum, esse verum* (*satisfactionem enim intelligimus*, inquit, *qua per nos ipsos legi satisfiat*) *sed qui minus tamen hoc loco attendi debeat, reliquos tres ineptos esse prorsus & ridiculos.*

X. Illud autem de Justificatione, ex illa, quam vocant, purâ misericordia, omnino impurum dogma est, quia contrarium puritati naturæ divinæ, per quam ἀδύνατον est, ut ad peccatum conniveat, seu illud impunitum dimittat Deus. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Habac.* I. 13. Adeo ut Deus *peccatum oderit Ps.* V. 7. non libere & contingenter, sed naturalis puritatis & sanctitatis suæ necessitate, ut lux quæ necessitate naturæ suæ arguit & fugat tenebras. *Job.* III. 19. 20. *cum Eph.* V. 11. 13. & 2 *Cor.* VI. 14. Hoc est non tantum pœnam & vindictam sancte exercere potest, sed nisi exerceret se ipsum abnegaret, quod non potest 2 *Tim.* II. 13 & peccatum quod odit frustra odisset: quod cogitatu indignum de Deo, qui peculiari indigitamento non frustra nominatur *Ultor*, ἔκδικος 1 *Thess.* IV. 6. & *ignis consumens Hebr.* XII. 22. *cum Nahum*, I. 2. 6. & *Deus vindictæ, Psal.* XCIV. 1. *cum Hebr.* X. 10.

XI. Non constat ergo recta prædicatio regni cœlorum in Euangelio, sine illa Catechesi; velle Deum suæ justitiæ satisfieri, de peccatis à quibus per Justificationem absolvamur; quocirca necessum esse, ut vel per nos vel per alium satisfaciamus. Et hanc rigidam debiti exactionem, cui nos non sumus ipsi solvendo, initio prædicandam esse, ad discendam necessitatem Sponsoris qui pro nobis satisfaciat, affirmat Christus, dicens;

Simile

Simile est regnum cœlorum Regi, qui voluit conferre rationem cum servis suis. Et quum cœpisset conferre, oblatus est ei quidam debitor decies mille talentorum. Quum autem non posset hæc reddere, jussit eum dominus ejus venundari, & uxorem ejus & liberos, & omnia quæ habebat, & reddi debitum. Matth. XVIII. 23. 24. 25.

XII. Consequenter summa Euangelii de Christo pro nobis facto Sponsore, ista est נגש והוא נענה *exigitur solutio, & ipse afflictus est Esai.* LIII. 7. & ipse dicitur *se dedisse λύτρον pro nobis, h. e. redemptionis precium. Matth.* XX. 28. I *Tim.* II, 6. Contra quam veritatem istis locis adnotatis frustra luctantur *Auctores Compendioli*, quandoquidem fateri coguntur; *Sicut proprie dicta λύτρωσις* h. e. redemptio quæ fit pretii solutione, *causa est liberationis è captivitate vel servitute, sic Christum in mortem traditum, causam esse nostræ absolutionis ab omni reatu peccatorum.* Sub ista enim, ut Majore propositione syllogismi, subsumimus hanc Minorem; atqui proprie dicta λύτρωσις talis causa est cui jure gentium debetur captivi vel servi liberatio è captivitate vel servitute, ab hero servi vel à domino carceris. Concludimus ergo, Christi in mortem traditionem, causam esse talem cui de jure debita est nostra absolutio ab omni reatu peccatorum, à Deo, qui ut Judex nos conclusit sub peccato.

XIII Nihil vero cum λυτρώσει simile habet glossa illa quam obtrudunt; Deum sine ulla Christi satisfactione *tamen peccata nobis condonare per Christum: quatenus Christus per ea quæ jussu Dei propter nostram salutem fecit & passus est, tum cognitionem, tum effectum justificationis in nobis producit.* Esto enim hoc pacto Christus causa dici possit nostræ justificationis; non potest tamen dici, in mortem traditus, nostræ λυτρώσεως λύτρον pro nobis dedisse, ullo divini vel humani juris schemate, aut similitudine.

XIV. Minime vero sincera aut pia est ista ipsorum apologia. §. III. Quod *Meritum tamen Christo non denegant, quatenus sua obedientia sibi gloriam cœlestem, ac consequenter nobis credentibus æternam salutem obtinuit: ac veluti mercedem laborando comparavit. Phil.* II. *Esai* LIII. Sincera non est, quia adverbio illo *consequenter*, pro necessaria connexione illa, quam docet Scriptura sacra, quâ, non potuit sibi gloriam cœlestem sua obedientia mereri Christus, ut non mereretur unâ Ecclesiæ quæ corpus ipsius est vitam & salutem æternam, obtrudunt consequentiam futuri contingentis, cujus nullam credunt fuisse moriente Christo determinatam veritatem, sed dubiam exspectationem, essetne facta per ipsum redivivum ex mortuis promulgatione Euangelii mundus in ipsum crediturus.

XV. Absque illa connexione certa, qua una & sibi & nobis, ut capiti & corpori, meritus sit Christus gloriam & vitam æternam, adeoque æterna salus nostra contineatur mercede illa, Christi labore parta, nempe ut ab ipso nobis relicta hæreditas Testamento illo quod morte sua ratum fecit; inficiamur opus fuisse Christo, ut sua obedientia sibi gloriam & potestatem cœlestem obtineret, ac veluti mercedem laborando compararet. Quia *dives erat* 2 *Cor.* VIII. 9. & gloriam illam qua glorificatus est *habuit apud Patrem, antequam mundus existeret. Joh.* XVII. 5.

 XVI. Nec

XVI. Nec pia est, ex mente ipsorum, cautela adjecta ista; *Sic tamen, ut Meritum hoc gratiæ Dei non opponatur, sed subordinetur.* Subest enim mysterium illud, quod *Socinus, Schlichtingius*, aliique, male arreptis verbis Apostoli *Hebr.* VII. 27. & V. 3. 7. Christum quidem eximunt divinarum legum transgressionibus, at non *infirmitatibus carnis, quas illic peccata vocat Apostolus*; ob quæ debuerit Christus instar Sacerdotis veteris offerre, & obtulerit, suas cum lacrymis & clamore valido supplicationes: ut scilicet Meritum ipsius non opponeretur Gratiæ Dei sed subordinaretur.

XVII. Enimvero ludunt in ambiguo vocabulo *Gratiæ* ad mysterii illius crypsin, cujus ignaris videri possent nihil aliud velle, quam id quod scripsit *Calvinus Instit. libr.* II, *cap.* 17. §. 1. & *libr* III. *cap* 11. & 12. *Si quis simpliciter & per se Christum opponere velit Judicio Dei, non fore Merito locum: quia non reperiatur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri &c.* Atque sic vocabulum Gratiæ, laxo isto sensu, quo ipse etiam Christi meritum subordinatum fatemur, accepit *Augustinus, in Enchiridio Cap.* 106. dicens; *Ne in statu quidem naturæ integræ potuisset homo sine Gratia mereri vitam æternam.* At non est ita laxa vocabuli Gratiæ notio, quando intenditur venia infirmitatum carnis, quam impetrarit Christus, pro se, offerens supplicationes suas. Tunc enim notat illam Dei Judicis [illegible], quæ in Justificatione opponitur non tantum *Merito* quod vocant de *condigno*, sed etiam *Merito ex* conventione & *pacto*, quod perfecta legis impletione definitur.

XVIII. Atque hac notione asserimus, nulli Gratiæ seu condonationi infirmitatum carnis, subordinandum Christi Meritum, sed opponendum: & Christo vindicandam Justificationem à Patre *Esai.* L. 8. ex Legis impletione per obedientiam, seu *ex operibus, non ex gratia Rom.* XI. 6. & ipsi operanti Mercedem imputatam ex Debito non ex Gratia.

XIX. Atque hic censuram flagitat, & *Socini* axioma illud, *in Tractat. de Justificatione*; *Merito Christi Deus minime opus habet: sed nos, quia sine eo Christo nunquam obedivissemus.* Et *Schlichtingii* assertio ista, *loco jam ante adnotato*; quando dicit Servator se venisse ut legem ipsam impleret, præcipue non loqui de impletione quæ fiat per obedientiam, & quatenus de impletione per obedientiam loquitur, intendere Satisfactionem, qua per nos ipsos Legi satisfiat. Speciosum illud videri queat mysteriorum Socinianismi ignaris, *Merito Christi Deus minime opus habet, sed nos.* At ista allusione ad veritatem veritati illuditur, & hoc intenditur, Merito Christi apud Deum nobis minime opus fuisse, ad Deum nobis conciliandum: sed Deum opus habuisse Merito Christi, ut illius gloriosa remuneratione fidem veracitatis sibi apud nos conciliaret. Quod mox fiet evidentius.

XX. Quod ergo docent, Justificationem *non nisi per Fidem ac Pœnitentiam obtineri, cum sub hac demum conditione promissa sit peccatorum remissio, ideoque Fidem & Conversionem priorem esse Justificatione* Ezech. XVIII. *Act.* III. *definiunt autem Fidem, Fiduciam in Deo per Christum collocatam, qua nos ei sub spe promissæ salutis obedimus*; non alio tendit, quam ut pro obedientia Christi nobis imputata, subrogetur obedientia nostra à Christo præscripta, qua

per

per nos ipsos satisfiat Legi, *quam Christus doctrinâ sua implebat*, ut dictat *Schlichtingius*, *metaphora à vase ducta*, *quod non parum jam è quotis alicujus contineat*, *sed qui nondum tamen ad ipsam labrorum extremitatem pertigerit.*

XXI. Ad istam Fidei definitionem, ipsi animadversionem hanc dictant; *Ita ut Fides Justificans reipsa non differat à conversione seu pœnitentia, nisi quod causam ipsius conversionis, ipsam speciatim à Christo præscriptam obedientiam denotat. Act.* XX. & XXVI. Quod ergo debebat in Fidei definitione, sano sensu, esse τὸ ἔργον, ipsis πάρεργον est, sensu heterodoxo ab ipsis intellectum, nempe *Fiducia in Deo per Christum collocata.*

XXII. Fiduciam in Deo collocatam intelligunt, qua Deum promittentem nobis, cum amnestia seu impunitate peccatorum antecedentium, mercedem vitæ æternæ, si per obedientiam nostram in posterum Legi ipsius satisfecerimus, habemus pro veraci & fideli, & in promissione acquiescimus, & nos accingimus ad illam amnestiam & mercedem laborioso opere pœnitentiæ comparandam.

XXIII. Illam vero fiduciam in Deo collocant per Christum, non citra impietatem in Deum: profitentur enim, hoc ipso, majorem fiduciam se habere, in homine olim mortali & mortuo nunc redivivo, quem negant esse naturâ Deum, quam in Deo vivente, ac jurante, *u. vo ego.* Et in hanc sententiam, Christum credunt Sponsorem Fœderis, qui pro Dei veracitate spoponderit. Et non veretur *Smalcius de Divin. Christi Cap.* XI. & XIX. Deum Pharaoni Regi assimilare, Christum Josepho, & nos fratribus Josephi, in eo; *quod ipsi olim majori cum fiducia frumentum tempore famis obtinuerint: quia scilicet toti ei rei præfectus erat frater eorum germanus: quam si recta ipsis Pharao adeundus fuisset. Genes.* XLV.

XXIV. Vera secundum Scripturas Fiducia in Deo collocata per Christum illa est, qua confidimus, Christum θεάνθρωπον, ut Sponsorem nobis substitutum, sua obedientia Deo Patri solvisse debitum nostrum: atque illa debiti nostri solutione nobis obtinuisse Justificationem nostram coram Deo: adeoque nos effecisse compotes Adoptionis nostræ in Filios Dei, ut Deum nunc invocemus per Spiritum Fidei, Patrem nostrum credentes Spiritus illius testimonio, quod nunc simus Filii Dei. 2 *Cor.* IV. 13. *Rom* VIII. 15. 1 *Joh.* III. 2. Non enim in præsens, ἀκριβέστερον Fiduciam necesse habemus distinguere à Fide præcise intellecta, pro utili ad salutem agnitione donati nobis Christi & Justitiæ ipsius, ut primum immediate consequens effectum, tranquillans animum in futurum. Magis enim hic fundamentum & objectum spectamus Fidei & Fiduciæ, quam rationem formalem habitus Fidei, ejusque adæquatum subjectum; quod an sit Intellectus, an etiam Voluntas, Problema est inter Orthodoxos.

XXV. Testimoniis istis Scripturæ quæ adnotarunt §. IV. *Ezech.* XVIII. 21. 22. 23. & *Act.* III. 19. hoc tantum efficitur; non nisi per Fidem ac pœnitentiam, nos vocari ad fruendum consolatione illa, quam sua satisfactione nobis obtinuit & comparavit Christus. At minime probatur; sub illa demum conditione promissam esse peccatorum remissionem & Justificationem,

cationem, si prius per nos ipsos legi satisfiat opere Fidei & Pœnitentiæ, adeoque nostrâ obedientia illam obtineamus, ac veluti mercedem laborando comparemus.

XXVI. Et, si *hac demum Lege Deus constituit nobis peccata remittere, & nos justificare*, quod iterato asserunt §.VI. vel non sincere vel parum prudenter ab ipsis dictum, justificari nos à Deo *ex pura misericordia absque ulla satisfactione nostra.* §.II. Non sincere illos loquutos, videtur demonstrari ex eo, quod credentes & vere resipiscentes, etiam postquam obediverunt mandatis Christi, petitione illa, *Remitte nobis debita nostra*, docent intelligere maxime proprie peccata & flagitia perpetrata ante Fidem & resipiscentiam. *Quia peccata illa præterita non plane simpliciter atque absolute, sed sub certa conditione nobis sunt remissa, quæ conditio resipiscentiam, ac peccatorum pristinorum coram Deo confessionem ac deprecationem, quam resipiscentia illa secum omnino trahit, complectitur*; verba *sunt Volkelii de Vera Relig. libr. IV. cap.* 9. Non datur ex pura misericordia, absque ulla satisfactione nostra, quod datur tantum sub conditione obedientiæ, qua per nos ipsos Legi constitutæ satisfaciendum est.

XXVII. Et gratis dicunt, porro §.V. *nos gratis à Deo justos pronunciari*, ubi asserunt; non imputata nobis justitia vel obedientia Christi, imputari nobis ad Justitiam talem Fidem, quæ reipsa non differt à conversionis seu pœnitentiæ operibus. Nec sine insigni detorsione in illam sententiam trahunt locum Apostoli. *Rom.* IV. Nimis manifeste Apostolus Gratiam Justificationis nostræ definit τῇ δωρεᾷ τῆς δικαιοσύνης, *donatione justitiæ, unius hominis Jesu Christi, in multos redundantis, ut ipsi in vita regnent per illum unum*: in antithesi Unius Hominis, qui sua unius transgressione effecit, ut ad omnes redundarit reatus damnationis ad mortem. *Rom.V.* nominatim *versu.* 17.

XXVIII. Quapropter asserimus proprie loquendo, non Fidem nostram quatenus opus nostrum est, & ex hypothesi reipsa non differt à conversione seu pœnitentia, sed justitiam vel obedientiam Christi nobis imputari. Esse vero impropriam loquutionem, quando Fides dicitur nobis imputari ad Justitiam, in sermone Apostoli *Rom.* IV. quæ sic interpretanda est, ut intelligatur illud, *Ad Justitiam*, similiter ut *Rom.* X. 10. *corde creditur ad Justitiam*, hoc est, ad justitiam Christi nobis asserendam & vindicandam, ut Donum Gratiæ Dei. Et ei qui corde credit, Deus Fidem illam seu τὸ credere imputat, h. e. testimonio Spiritus sui approbat, ut ex Deo laudem illam habeat Fides, utiliter apprehensæ Christi Justitiæ.

XXIX. Atque hoc pacto Fides, & τὸ credere seu opus Fidei, tantum rationem habet organi seu instrumenti, operantis solam ratihabitionem donationis illius Christi Justitiæ, cum abnegatione nostri ipsius, hoc est operum justitiæ quæ fecerimus nos: ut *reperiamur in Christo, non habentes justitiam nostram. Matth.* XVI. 24. *cum Tit.* III. 5. *& Phil.* III. 9.

XXX. Atque in causis Justificationis Fides omnino simpliciter opponitur, tam in Veteri quam in N. Testamento, operibus quibus merces

appreciata

appreciata seu ἀντίῤῥοπον est in bilance judicii divini. Et frustra in contrarium urgetur affirmatio *Jacobi* Apostoli *Cap.* II. 24. *ex operibus justificari hominem, & non ex Fide tantum.* Quasi Jacobus loquutus sit de bonis operibus simpliciter, Paulus vero *Rom.* III. *Gal.* II. *Eph.* II. Fidem non opposuerit simpliciter bonis operibus, sed *operibus Legis* h. e. in Lege divina præscriptis, quibus videlicet perfecta & perpetua obedientia continetur.

XXXI. Vera & solida conciliatio Jacobi & Pauli non est alia quam ista, quod de Justificatione à priori ex caussis loquatur Paulus, & ex censu caussarum omnia bona opera nostra simpliciter excludat, ut solam Christi justitiam nobis imputatam stabiliat: Jacobus vero loquatur de Justificatione à posteriori ex effectis, qua Deus ante Justificatos ex Fide vocat per afflictiones & tentationes ad examen fidei, ejusque demonstrationem ex fructibus bonorum operum. Prior illa Justificatio, consentiente utroque, est ex Fide absque operibus: posterior ex operibus non ex Fide, recte definita. Cum priori donat Deus τὸ πιστεύειν, seu τὸ Credere, & Fidem in nobis efficit primâ instantiâ: posteriorem Deus differt pro arbitrio suo, vel ad horam gravioris tentationis in hoc sæculo, vel ad judicium universale futurum in consummatione sæculi. *Jac.* II. 12. 13. *cum Jac.* I. *vers.* 2. 3.

XXXII. Distinguunt vero *Auctores Compendioli*, inter *bona opera simpliciter*, & *Opera Legis*, h. e. in lege divina præscripta, sine ulla Scripturæ auctoritate: in qua damnatæ ἐθελοθρησκείας nomine veniunt omnia opera Lege divina non præscripta *Esai.* I. 12. *Matth.* XV. 9. *cum Col.* II. 22. 23. Et per illius distinctionis gangrænam, in V. T. statuunt difformem geminam Justificationis rationem: unam *ex justitia Legis*, quam dicunt *ex ipso fœdere omnibus propositam fuisse à Deo & constitutam:* alteram ex *Justitia Dei* per *Fidem*, id est *in Deum Fiduciam*, qua Justificatio contigit Abrahamo, aliisque, *quamquam non ex aperto & universali ac perpetuo Dei cum ullo hominum genere percusso Fœdere, sed ex libera, id est nullo adhuc fœderi ejusmodi adstricta, Dei voluntate.* Verba sunt *Socini in Notis ad Num.* LV.

XXXIII. Priorem illam Justificationem *ex operibus Legis* non censent ulla repugnantia naturæ peccato corruptæ invincibili fuisse impossibilem, sed tantum *per carnis infirmitatem non contigisse: quia vel multa opera inter nostra opera inveniuntur, vel certa; quia non omnino, id est perpetuo atque exactissime (id quod debebamus) ea facimus, quæ nobis facienda erant.* Hoc pacto τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, τὸ *impossibile Legis in quo infirmabatur propter carnem*, per τὸ Possibile, raro aut nunquam contingens, interpretatur *Socinus in locis Rom.* VIII. 3. & *Gal.* III. 21. *ad Num.* L. & LI. In *Fragmentis p.* 150. γυμνῇ κεφαλῇ asserit, *non ita hoc intelligendum, ut prorsus ac penitus impossibile fuerit.*

XXXIV. Quapropter neque in N. T. post publicatum Euangelium existimat, Justificationem ex operibus Legis desperate abolitam fuisse. *Crediderim ego*, inquit, *etiam post Christum exhibitum eos, quibus lex Mosis lata fuerat, si eam perfectissime servassent, justos aliqua ratione apud Deum futuros fuisse, ad Num* LI. Et ad *Num.* LIII. porro asserit *ex Rom.* III. 31. *Nihil*

aliud certe colligi posse, quam per Euangelium Deum justificandi quandam rationem proposuisse, absque lege, id est Legis præstatione: sed non idcirco negari, quin, si quis legem etiam post publicatum Euangelium perfecte servaret, justus ob eam causam coram Deo foret.

XXXV. Hoc flagitat scilicet mysterium illud, quod asseruerunt *Auctores Compendioli Cap. VI. §. I.* reservatam Deo *liberam potestatem in servandis iis adultis quibus Euangelium non prædicatur, propter qualemcunque obedientiam.* Enimvero eo pacto non potuit non Deus fecisse liberam potestatem Judæis, etiam post publicatum Euangelium, operandi vel Justitiam Legis veteri fœdere à Deo constitutam & propositam, vel Justitiam Dei Novo Fœdere revelatam, per Fidem in Christum. At hoc est à fundamentis destruere necessitatem Fidei & Religionis Christianæ.

XXXVI. Alteram vero Justificationem, non ex Operibus Legis, sed ex bonis Operibus simpliciter, rursus faciunt communiter unam, in Veteri & in Novo Testamento: statuentes utrobique, *sine operibus Legis*, h. e. *sine totius Legis perfecta obedientia*, Justificationem illorum, *qui sancte atque innocenter vivunt, licet aliquando labantur, & contra ipsam legem aliquid delinquant.* Illos enim ajunt Scripturam consuevisse appellare *justos. Socinus ad Num.* LXX. & LXXV. &c. Atque istis tribuunt *Justitiam Dei per Fidem, id est, in Deum fiduciam.* Quam Idem pronunciat *nunc quidem esse per Fidem Christi, & novam Dei justitiam, qualitate quadam, id est, si Christi ipsius personam & doctrinam consideres, quo fides ista respicit, at substantia eandem cum vetere sub ipsa lege justitia. ad Num.* LV.

XXXVII. Hoc pacto substituunt, pro Una communi Fide Ecclesiæ Veteris & N. Testamenti ad Justificationem propter Justitiam Christi imputatam, Unam communem nobis cum paucis in V. T. justificatis, Fiduciam in Deum collocatam, ab illis sine Christo, à nobis per Christum, obtinendæ per bona opera simpliciter, Justificationis; quamvis justificari nequeamus ex operibus Legis, h. e. totius Legis perfecta obedientia.

XXXVIII. Palliant autem assertionem hæreticam hypocrisi illa; *Non*, inquiunt, *quod iis salutem promereamur: sed quod Deus hac demum lege justificare nos constituit, si prius à peccatis conversi per Fidem ipsi obediverimus.* Et speciosissime *Socinus in Fragmentis pag.* 109. & 110. ait, se *ab ipsis operibus excludere, non modo absolutum & maxime proprium meritum, quod oritur ex ipsa operum præstantia per se considerata, sed etiam illud quod minus proprie & respective meritum est: quippe quod non ex ipsa per se operum præstantia, sed ex solo Dei promisso oritur ac proficiscitur: adeo ut nemo, neque per illud neque per hoc meritum suorum operum, justificationem & absolutionem à peccatis suis adipiscatur.* Bona verba.

XXXIX. Atqui subnectit ilico *Socinus* ibidem; *Interea considerandum esse, quod nihilominus* MERITO *dici potest, & verissimum est, dari obedientiam quæ possit dici causa justificationis nostræ, propter Dei promissum.* Gratis ergo exclusisse vult, etiam illud minus proprie dictum Meritum, quod ex solo Dei promisso oritur & proficiscitur.

XL. Deinde

XL. Deinde, quandoquidem habemus hanc ex *Volkelio* Propositionem Majorem; *Qui divinæ legi absolute ac perpetuo obtemperaret, is factis suis mereretur, ut justus pronunciaretur, & nihil hac in parte gratiæ clementiæque divinæ imputaret, de vera Relig. IV. cap.* 3. Et habemus ex *Socino in fragm. pag.* 150. istam Propositionem Minorem; *Cum dicitur impossibile fuisse ut Legem homo servaret, hoc non ita intelligendum esse, ut prorsus ac penitus impossibile fuerit: alioquin enim Deus, per summum scelus, injustitiæ & insipientiæ accusaretur, qui jussisset ab homine id fieri, quod nulla prorsus ratione ab eo fieri posset.* Concludendum ergo secundum *Socinum & Volkelium*, considerata assertione *Socini*, quam repræsentavimus supra *Thesi* XXIV. non fuisse prorsus ac penitus impossibile, nec etiamnum esse homini, factis suis Mereri, ut justus pronuncietur, & nihil hac in parte gratiæ clementiæque divinæ imputet.

XLI. Habemus ergo, ex hypothesi istius conclusionis, Meritum homini possibile, etiam citra Euangelium, & quidem accuratius sub Veteri lege quam sub Euangelio, si audiendus hic *Volkelius*, *Capite jam indicato*, dicens, in Justificatione ex Operibus simpliciter, de qua *Jacobus* agit *Cap.* II. 20. *nequaquam de eo pietatis sanctimoniæque studio agi, quod perfectum absolutum, omnisque prolapsionis prorsus expers sit. Talem enim*, inquit, *tantamque obedientiam lex olim Mosaïca à suis cultoribus exigebat; cui Fides quam Christo adjungimus, non uno in loco opponitur; quippe quæ divinam gratiam præsupponens, ea obedientia contenta sit, quam homines, divinis promissis excitati atque adjuti, pro viribus Deo præstant &c.*

XLII. Palpabilis ergo est ista hypocrisis, qua videri volunt omne Meritum ab Operibus excludere. Et non sine Spiritu contradictionis ipsis cultoribus Legis Mosaïcæ (quam tantopere depreciant & deprimunt infra Legem Christi, quasi illa umbram tantum habuerit veræ pietatis, hæc demum corpus ipsum) tribuitur, illud secundum *Volkelium* pietatis sanctimoniæque studium, quod perfectum absolutum omnisque prolapsionis prorsus expers sit. Ut contra credentes in Christum, quamvis divinis promissis excitati atque adjuti, tantum qualemcunque pro viribus obedientiam Deo præstent, gaudentes impunitate & antecedentium peccatorum, & omnium ex infirmitate prolapsionum.

CAPUT OCTAVUM.

De Resurrectione Mortuorum; & Statu Animarum; deque Futuro Sæculo.

§ I.

D*Ocent primo fideles in illo novissimo die resurrecturos esse, non autem impios, inde ab initio mundi mortuos*: *idque probant ex* 1 Thess. IV. & 1 Cor. XV. Joh VI. Luc. XX. *ubi solis Christianis vel fidelibus attribuitur resurrectio, sive illi justi sint, h. e. plerumque in omni vita juste vixerint, ut V. G. Johannes Baptista ejusque parentes, sive injusti h. e. tota vita impie vixe-*

pie vixerint, tandem vero conversi, ut Publicanus ille, & Latro in cruce Luc. XXIII.

§. II.

Deinde negant Resurrectionem Carnis, hoc est hujus ipsius corporis, quod carne & sanguine præditum est: etsi fateantur corpora esse resurrectura, h. e. ipsos homines fideles, qui tunc novis corporibus cœlestibus induendi sunt: idque probant ex 1 Cor. XV. *Ubi non idem corpus quod seminatur h. e. per seminis traducem generatur, sed aliud, videlicet immortale gloriosum & spirituale dicitur resurrecturum. Talis antithesis est* 2 Cor. V. *initio Capitis, inter tabernaculum terrestre, & cœleste domicilium. Nam Deus tunc efficiet nos* ἰσαγγέλους Luc. XX. *& ventrem, cum iis omnibus quæ ad animalem hanc vitam pertinent, abolebit* 1 Cor. VI. *quippe quorum tunc nullus erit usus.*

§. III.

Similiter vivi fideles subito tunc immutabuntur, in nictu oculi 1 Cor. XV. *ne abolitio illa Carnis sive mutatio corporum dolorem iis afferat. Tunc homo non erit amplius anima vivens* Gen. II. *sed spiritus vivificus: h. e. non vivet amplius vitam animalem, sed spiritualem: ita ut in sua potestate sit æternam vitam habere, sicut ipse Christus, qui nostra corpora suo glorioso corpori conformabit.* Phil. III.

I. Non resurrecturos in illo novissimo die impios, Judæorum recentiorum hæresis est; de qua videnda adnotata *Buxtorfii Synagogæ Judaicæ Cap.* I. ex *R. D. Kimchi in Psal.* I. *& in Esai. XXVI.* ex *R. Saadia in Dan. XII.* atque aliis. Videsis etiam *R. Menasse ben Israël, de Resurrect. libr. II. cap.* 8. Universalem Resurrectionem mortuorum justorum & injustorum, cum Pharisæis se credere secundum Scripturas, profitebatur Paulus *Act. XXIV.* 15 & consentiunt Scripturæ *Dan. XII.* 2. *Joh. V.* 28. *& Apoc. XX.* 12--15 & alia quæ infra se offerent.

II. Nihil autem probant *Auctores Compendioli* in contrarium, ex 1 *Thess.* IV. 14. 1 *Cor.* XV. 23. *Joh.* VI. 39. 40. 44. 47. *Luc.* XX. 35. Tantum enim hoc efficitur; locis istis nullam fieri Resurrectionis impiorum mentionem, quia intenditur fidelium consolatio in beata ad vitam æternam resurrectione: in quo consolationis verbo impiis nec sors nec pars est.

III. Senserunt se premi singulariter Pauli assertione, de Resurrectione futura δικαίων τε καὶ ἀδίκων. At elabi conantur, monstrosa distributione Christianorum fidelium (quos solos ajunt resurrecturos, non resurrecturis impiis) in Justos & Injustos. Cum scriptura in ista Antithesi non fideles fidelibus usquam opponat, sed semper impios. Sic enim opponuntur *Matth.* VI. 45. πονηροὶ καὶ ἀγαθοὶ, δίκαιοι καὶ ἄδικοι, *mali & boni, justi & injusti*, & 1 Cor. VI. 1. οἱ ἄδικοι & οἱ ἅγιοι, *injusti & sancti*, & 2 *Petr.* II. 9. εὐσεβεῖς & ἄδικοι, *pii & injusti*. Et in Scriptura V. T. eadem est antithesis inter צדיקים & רשעים / *justos & impios Psal.* I. & passim alibi.

IV. Extra antithesin quidem, scimus fideles, pro quibus passus est Christus justus, dici *injustos* 1 *Petr.* III. 18. & *impios Rom.* IV. 5. Verum ista non est unius etiam aut alterius, seu publicani, seu latronis in cruce, nomenclatura, sed communis universim omnium fidelium in Justificationis primæ objecto

mæ objecto; in quo οὐκ ἔστι δίκαιος οὐδὲ εἷς, *non est justus ne unus quidem Rom.* III. 10. Et credens, ut ex se injustus & impius, opponitur justitiam operanti *Rom.* IV. 4. & 5.

V. Enimvero est necessaria ista gangræna hypotheseos supra ab ipsis adfertæ *Cap.* VII. §. I. *Tum demum reipsa peragi Justificationem, cum à morte liberati in vitam æternam adducimur*; esse ergo exspectandam Resurrectionem injustorum, quorum Justificatio tum demum reipsa peragatur. Verum isthoc pacto necessum erit ut communiter etiam omnium istorum, qui in Christo per fidem habent peccatorum Remissionem, Resurrectionem futuram vocent *Resurrectionem injustorum*: atque ut in alterum extremum abeant, & paucissimorum tantum faciant *Resurrectionem Justorum*, ut V. G. Johannis Baptistæ ejusque parentum; ubi videri volunt paucissimorum facere Resurrectionem injustorum, ut Publicani & Latronis.

VI. Antidotum vero sanorum sermonum hoc est, quia est peracta in hoc sæculo Fidelium justificatio à peccatis, nullam fore Christianorum fidelium injustorum resurrectionem, qui tunc demum justificentur, justificatione à priori ex causis, sed cunctos partem & sortem habituros in Resurrectione Justorum. *Luc.* XIV. 14.

VII. *Anonymus Auctor de Statu mortuorum*, *Belgice editus* 1631. *interprete ex Remonstrantibus Diederico Raphaele Camphusio pag.* 180. & 181. *Resurrectionem injustorum*, ait, *Paulum maxime intendisse sibi ipsi, quia crebro professus est se peccatorem esse*. At alienissimum hoc fuit illo quidem loco & tempore: maxime ex ipsius *Anonymi* definitione, qua *injustos* dicit Apostolo intelligi, *eos, qui ante agnitionem Christi fuerint mali & impii, justos vero, qui ante nunquam deliberato consilio mali quidquam fecerint*.

VIII. Non enim illic tractabat Apostolus mysterium Justificationis coram Deo ex causis, sed contestabatur potius, se (quamvis non per hoc apud Deum justificatus esset) quod ad justitiam quæ in Lege est, γενόμενον ἄμεμπτον extitisse irreprehensum: *Phil.* III. 6. 1 *Cor.* IV. 4. Erat enim præfatus, ab initio, cum sisteretur judicio *Act.* XXIII. 1 quod *omni bona conscientia servivisset Deo ad illum usque diem*, (ἀπὸ προγόνων *inde à majoribus*. 2 *Tim.* I. 3.) Et consequenter post hanc fidei professionem de resurrectione, qua justorum qua injustorum, illico *versu* 16. justitiæ & pietatis praxin illam profitetur, qua exercebat se ipsum in hoc, ut conscientiam porro, ex quo crediderat, haberet sine offendiculo apud Deum, & apud homines semper: & mox interrogat accusatorum conscientias, numquid in ipso invenerint ἀδίκημα *injustum factum*: *versu* 20

IX. Cumulant porro Judæorum recentiorum hæresin, de impiis non resurrecturis, veteri Sadducæismo: quando §. II. negant *Resurrectionem Carnis*: quam quotquot olim negarunt, hæreticorum catalogo adscripsit primitiva Ecclesia Christiana. *Augustinus ex Eusebio & Epiphanio* recenset *Simonianos Cap.* I. *Carpocratianos Cap.* VII. *Valentinianos Cap.* XI. *Marcitas Cap.* XIV. *Cajanos Cap.* XVIII. *Archonticos Cap.* XX. *Cerdonianos Cap.* XXI. *Severianos Cap.* XXIV. *Hierarchitas C.* XLVII. *Tertullianus Libro de hæresibus* extra istos notat *Saturninum*,

 Basilidem,

Basilidem, *Colarbasium* & *Apellem*. Cum illis paria fecerunt *Manichæi*, & qui *Origenistæ* dicti, quod ad hæresin ipsis Origenes præisse putatur, cui illam adscribit *Augustinus Cap.* XLIII. Contra hos cunctos stetit Ecclesia Catholica orthodoxa, pro Articulo Symboli Apostolici, *credo* σαρκὸς ἀνάστασιν, *Resurrectionem Carnis*: seu, juxta professionem Ecclesiæ Aquilejensis, (quam tradit *Ruffinus in Symbolo* §. 40. & *in Apologia adversus Hieronymum*) addito pronomine, *Hujus Carnis Resurrectionem*.

X. Ad [illegible] ajunt tamen, se fateri *Corpora esse Resurrectura*. At infeliciter se explicant, quæ sint illa corpora resurrectura, quando Veterum mortuorum resurrectionem negant, non sustinent autem dicere, resurrectura esse corpora nova & cœlestia, quæ fingunt tunc demum creanda; ne autem videantur nihil dicere, definiunt, Corpora Resurrectura, *ipsos homines fideles, qui tunc novis corporibus cœlestibus induendi sunt*. Fanatica ergo assertione fingunt Unius hominis Corpora tria; unum quod in morte exuitur, alterum quod novum induitur, tertium id quod exuto illo istud induit.

XI. Quod vero ipsi dicere non sustinent, tamen dicentem faciunt Apostolum 1 *Cor.* XV. 42. 43. 44. videlicet, non resurrecturo illo corpore, quod mortuum fuit, *resurrecturum aliud corpus*. Atque præscribit, contra illam verborum Apostoli detorsionem, ipsa nominis definitio, quam scite facit hujus disputationis basin *Damascenus Orthod. fid. Libr.* IV. *Cap.* 28. ἀνάστασις ἐστι δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις, *Resurrectio est iterata ejus quod cecidit statio*. Erit autem ex hypothesi novorum corporum cœlestium in Resurrectione mortuorum prima, non iterata, statio; ergo Resurrectio nulla.

XII. Optimus verborum suorum interpres ipse Apostolus, qui *versu* 53. & 54. definit Corpus resurrecturum in gloria & immortalitate, τὸ φθαρτὸν τοῦτο καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο. Quod merito urget *Tertullianus Lib. de Resur. Cap.* LI. *Ut*, inquit, *dictum de Carne intelligas, dicit* ISTUD *corruptivum*, & ISTUD *Mortale*; *cutem ipsam tenens dicit*. Et *libr. V. adversus Marcionem, Cap.* X. *Corruptivum* HOC, *tenens utique carnem suam, dicebat Apostolus*. Neque vel cogitatione fingi potest, aliud hominis mortui τὸ πεπτωκὸς *quod cecidit*, cujus exspectetur Resurrectio, quam illud ipsum, quod Græcis πτῶμα, Hebræis נבלה Latinis (unâ à cadendo analogiâ) *Cadaver* dicitur.

XIII. Omnino ergo etiam hoc verissimum est, illud idem Corpus resurrecturum, quod per seminis traducem generatur, & post generationem corruptioni fit obnoxium. Quanquam inficiamur, istam esse genuinam verbi σπείρεται *seminatur* 1 *Cor.* XV. 43. 44. interpretationem, quam hic ingerunt *Auctores Compendioli*; *Seminatur*, *h. e. per Seminis traducem generatur*. Nam inde à *versu* 35. sermo fuit de mortuis, ut non venerit Apostolo in mentem loqui de generatione per seminis traducem: sed loquutus est de sepultura cadaverum, quæ instar Seminis terræ mandantur, in spem messis, quæ futura est in consummatione sæculi: confer *Joh.* XII. 24. & *Matt.* XIII. 39.

XIV. Con-

XIV. Consequenter, quod illi trahunt ad aliud substantiâ Corpus, extiturum post abolitionem & annihilationem substantiæ prioris, Apostolus intellexit de unius ejusdemque substantiæ mansuræ μετασχηματισμοῦ, seu transfiguratione qua corpus nunc humile fiet gloriosum. Quemadmodum exserte huic mortali humili carni istum μετασχηματισμὸν similiter Apostolus asserit. *Rom.* VIII. 11. *& Phil.* III. 21.

XV. Ad eandem analogiam fidei revocanda est Antithesis, quæ est 2 *Cor.* V. *initio Cap.* inter *tabernaculum terrestre & cœleste domicilium*: ut intelligatur ejusdem Carnis ex tabernaculo terrestri μετασχηματισμὸς seu transfiguratio in Cæleste domicilium.

XVI. Neque illud, quod Deus tunc nos efficiet ἰσαγγέλους, *Angelis pares seu æquales Luc.* XX. 36. Christus intellexit aut intelligi voluit, de exæquatione novi corporis cœlestis, quod nos induemus, ad substantiam spiritualem Angelorum, sed de assimilatione ista qua Angelis exæquabimur in perfectione sanctitatis & justitiæ.

XVII. Denique nec illud quod Apostolus dixit de ventre & escis, Deum aboliturum & hunc & illas 1 *Cor.* VI. 13. ultra vexandum est, quam ut intelligatur, non fore tunc istum, qui nunc est, ventris usum, quo fervit escarum concoctioni & digestioni. Estque omnino inconsequens ista consequentia, à cessaturo particulari & huic vitæ animali convenienti usu partium corporis, ad ipsam partium abolitionem in vita spirituali cœlesti, Cum in ipsa hac vita animali contingat quandoque in singularibus, ut cesset, ac nunquam exerceatur, usus partis alicujus, qui censetur maxime partis illius proprius & characteristicus in Physiologia, interim partis istius abolitionem abhorreat corporis universi perfectio & integritas.

XVIII. Nefas ergo nobis, cum *Auctoribus Compendioli*, confundere mutationem corporum (quâ, abdicatis usibus partium qui ad hanc vitam animalem pertinent, dedicabuntur vitæ spirituali & cœlesti) cum ipsius carnis abolitione: sicut faciunt ista synonyma §. III. in hypothesi de Fidelibus, qui vivi erunt in Christi adventu ad judicium. 1 *Cor.* XV. 51. 52. Credimus enim, abolitionem seu annihilationem carnis, quæ mortalis est, toto cœlo distare, ab immutatione, qua Caro mortalis induet immortalitatem.

XIX. Anile vero deliramentum censemus, nec citra impietatem, quod ingerunt verbis istis: *Vivi fideles subito immutabuntur, in nictu oculi* 1 *Cor.* XV. *ne abolitio illa Carnis, sive mutatio corporum, dolorem iis afferat.* Accipiunt ergo viventium fidelium futuram mutationem, ut quid morti æquipollens, naturæ destructivum, & per se dolorificum. Doloris vero solatium & remedium fingunt, in repentina μεταβάσει ex vita animali in vitam spiritualem, interveniente repentina quasi morte in nictu oculi.

XX. Neque auctoritate Apostoli tueri possunt suam illam assertionem, *tum homo non erit amplius anima vivens, sed spiritus vivificus.* Antithesi enim *Animæ viventis, & Spiritus vivifici, versu* 45. opponit, non nostrum corpus mortale nostro corpori immortali, sed axioma Adami primi, & axio-

ma Adami

ma Adami secundi Christi. Quod ille fuerit ψυχικὸς ἄνθρωπος, creatus & factus à Deo *Anima*, h. e. animal in carne *vivens*; qui proinde, quando excidit fœdere spirituali cum Deo, posteros tantum habuit vitæ animalis ex ipso hæredes: secundus vero Adamus Christus, quamvis caro factus *in similitudine* nostræ *carnis peccato obnoxia Joh.* I. 14. *Rom.* VIII. 3 idem est verus vivens Deus. Est enim non humani corporis Christi, ne glorificati quidem, sed tantum veri viventis Dei indigitamentum, πνεῦμα ζωοποιοῦν, *Spiritus vivificus*.

XXI. Neque Deus ipse (nedum homo vivens in glorificato corpore) dicitur Spiritus vivificus significatione illa intransitiva reciproca, quod suam vitam habeat in potestate sua. Et frustra hic sudavit *Joh. Crellius in Explicatione sua* I *Cor. XV.* nec produxit ullum exemplum simile, nominis aut participii compositi, per mixtionem Thematis intransitivi cum verbo ποιεῖν efficio, quod servet significationem intransitivam. Nec intransitivam significationem patitur expressa in contextu antithesis inter ψυχὴν ζῶσαν & πνεῦμα ζωοποιοῦν; quæ plane evanescet, si non intransitivæ *Viventis* significationi opposuit Apostolus transitivam *vivificantis* significationem.

XXII. Ex *Phil.* III. 21. illud ἐξαίρετον est; quod ipse Christus corpora nostra suo glorioso corpori conformabit. At non venit Apostolo in mentem, ut conformationis illius efficientiam aliam quam exemplarem tribueret ipsi corpori glorioso Christi: quasi ipsum illud haberet ἐνέργειαν, non tantum illam, quam comminiscuntur, reciprocam intransitivam, se ipsum in vita conservandi, sed etiam transitivam, operandi vitam in nobis & gloriosis nostris corporibus.

§. IV.

Præterea docent, peracto judicio, impios, qui tunc vivi erunt, in ignem æternum, una cum Diabolo, iri detrusum Matth. XXV. *Ita videlicet, ut semel omnes isto igne absumantur.* 2 Thess. I. I. Hebr. X. *Qui tamen æternus propterea dicitur, quia nulla unquam liberatio ex illo continget. Quo sensu etiam mortem æternam dici volunt, in qua perpetuo sint mansuri, qui eam semel subierint.* Psal. XLIX.

§. V.

Porro horrorem & cruciatum in eo constare dicunt, quod extrema sit miseria, privari æterna Dei visione, & beata immortalitate: quam quia Diaboli semel degustaverint, ideo mortem tantopere exhorrescant & hominibus immortalitatem invideant. Sap. II. *Itaque negant cruciatus impiorum & diabolorum duraturos esse in æternum: verum omnes simul esse penitus abolendos: adeo ut mors & infernus ipse dicantur conjiciendi in stagnum illud ardens* Apoc. XX. *Rationem addunt, quod absurdum sit, Deum irasci in æternum, & peccata creaturarum finita pœnis infinitis mulctare: præsertim cum hinc nulla ipsius gloria illustretur.*

I. Quod ad solos impios *qui tunc vivi erunt*, adstringunt illam ablegationem in ignem æternum, expressam *Matth.* XXV. 41. analogum quidem est Judaïcæ hæresi, de non resurrecturis impiis: at repugnat analogiæ Scripturarum. Secundum scripturas enim *horrenda illa exspectatio judicii & ignis fervor,*

fervor, qui devoraturus est adversarios Hebr. x. 27. & *ultio infligenda in patefactione Domini Jesu è cœlo, cum flammeo incendio* 2 *Thess.* 1. 6. 7. 8. denunciatur ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται, *quantisper hodiernus dies nominatur*, hodie viventibus, & contra verbum prædicatum cor obdurantibus *Hebr.* III. 7 -- 15. ea lege, ut soli vere resipiscentes *effugiant iram venturam* seu *futuram* *Matt.* III. 7. 1 *Thess.* 1. 10.

II. Evasionem autem illam quam sibi pollicentur contemptores, (se hodie vel impiissimos cras moriendo iram venturam effugituros, quia vivi non erunt in illo die novissimo) extorquet illis Scriptura; quando, exploso illo de *Epicuri* schola proverbio, quod notatum Esaiæ & Paulo; *edamus, bibamus, cras enim moriemur* *Esai.* XXII. 13. 1 *Cor.* XV. 32. asserit illos, *pro duritia sua & corde resipiscere nescio, sibi ipsis thesaurirare iram, in diem iræ & patefactionis justi judicii Dei. Rom.* II. 5. Et nosse Dominum ἀδίκους εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν, *injustos in diem judicii puniendos servare.* 2 *Pet.* II. 9. Et cœlum ac terram quasi in thesauro repositos reservari igni in diem damnationis & exitii impiorum hominum: quod exitium si tardare videatur, sciendum, *unum diem apud Dominum perinde esse ut mille annos, & mille annos ut diem unum.* 2 *Petr.* III. 7. 8.

III. Atque omnino, si non servaret Deus injustos cras morituros, in diem judicii puniendos, debuisset ludibrium Thessalonicensibus Apostolus; quando tam magno serio intonat tunc viventibus impiis (à quibus oppressiones & afflictiones sustinebant pii fideles) exspectationem ultionis in die illo novissimo 2 *Thess.* 1. 6. 7. *&c.* Mox autem *Capite* II. 1. 2. 3. obtestatur Thessalonicenses, *per ipsum adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostri in eum aggregationem, ne seducantur ullo modo à quoquam, ut opinentur propediem instare diem illum Christi.*

IV. Quin *timor seu tremor ille Domini* φόβος τοῦ κυρίου, quo conscientias impiorum percellendas docet Apostolus 2 *Cor.* V. 10. 11. fiet prorsus inane terriculamentum, quod videlicet *comparituri sint omnes coram tribunali Christi Judicis*, apud omnes quidem, qui ante diem illum novissimum morientur. Et, quod singularem hic flagitat animadversionem, erit nihil nisi brutum fulmen Apostolicum illud *Anathema Maran-atha*, quod intonat *singulis non amantibus Dominum Jesum Christum* 1 *Cor.* XVI. 22. Quid enim illud? si non maledictio exspectanda in adventu Domini? Est enim *Maran-atha* מרן אתא / *Dominus noster venit.*

V. Quod vero ajunt, *impios qui tunc vivi erunt, una cum Diabolo ita detrusum iri in ignem æternum, ut semel omnes isto igne absumantur*, id minime ex locis adnotatis 2 *Thess.* 1. *Hebr.* X. demonstrabile est. Non enim hoc flagitat, aut in priori loco ὄλεθρον αἰώνιον, *exitium æternum*, aut in loco posteriori emphasis verbi ἐσθίειν, *devorare* seu *depascere.*

VI. Contrarium flagitat ipsa Ignis Æterni nomenclatura. Non est enim τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον *ignis æternus*, qui tandem aliquando non uret, quia non existet amplius. Et hoc meditandum etiam in contrarium, quod æternum ignem Christus iterato vocavit τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, *ignem inexstinguibilem*

 Marc. IX.

Marc. IX. 43. 45. & ultra ter confirmationem illam adjecit τὸ πῦρ ὀ σβέννυται, *ignis non exstinguitur verss.* 44. 46. 48. denique asseruit ipsum ignem inexstinguibilem fore quasi pro sale impiis damnandis; πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, *totus enim igne salietur. vers.* 49. Non potest non exstingui ignis, qui absumit fomitem suum, ut nihil habeat quod ultra urat.

VII. Et gratis consequenter ajunt, *dici propterea æternum ignem, quia nulla unquam liberatio ex eo continget: & eo sensu dici mortem æternam, in qua perpetuo sint mansuri, qui semel eam subierint.* Quæ enim illa διαμονὴ seu permansio perpetua esse potest in morte, illorum quibus ignis ille & mors, ex hypothesi, auferet omnem διαμονὴν seu permanentem existentiam in rerum natura? Et quidni illam censeamus ex ignis supplicio liberationem fore, quando finietur supplicium, & non ultra irascetur Deus? In *Psalmo* XLIX. nihil est, quod sententiæ isti, de exstinguendis & absumendis, sine ulla in æternum reproductione, impiis patrocinetur: sed confirmatur illic æternus & nunquam solubilis damnationis nexus, deficiente redemptionis precio, quod apud homines sit ἀδύνατον.

VIII. Affirmatione Scripturæ comitatur ignem æternum, ut inexstinguibilem, κόλασις αἰώνιος *supplicium æternum*, non sine cruciatu sensibili; quem non finiendum affirmat Christus, ter repetita illa assertione, ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, *ubi vermis eorum non interit Marc.* IX. 44. 46. 48 Quod interpretationem aliam non admittit, quam de victuro in perpetuum conscientiæ morsu, illorum qui abibunt in supplicium æternum. *Matth* XXV. 46.

IX. Obloquuntur ergo expresso Dei verbo, quando satagunt Impios & Diabolos ipsos liberare horrore illo cruciatus in æternum duraturi, argutatione illa; quod *absurdum sit Deum irasci in æternum, & peccata creaturarum finita pœnis infinitis mulctare: & quod hinc nulla ipsius gloria illustretur.* Nesciunt se ipsos consolari illa consolatione Diaboli, cujus suggestione impios illaqueant, sed perpetuo φρίσσουσι *horrescunt Jac.* II. 19. quia Deus ipsos *reservat judicio magni illius diei, vinculis æternis sub caligine.* 2 *Petr.* II. 9.

X. Meditanda in illo Petri testimonio duo. I. Præsens illorum miseria, *sub caligine*; quæ illa est, quod privati sint æterna Dei visione & beata immortalitate. II. Judicium magni illius diei cui reservantur, præsentis miseriæ nexu, quo exspectant κόλασιν & βασανισμὸν αἰώνιον, *supplicium & cruciatum æternum.* Unde erupit exclamatio illa Legioni Diabolorum; *Venisti huc ante tempus* βασανίσαι ἡμᾶς *nos cruciare Matth.* VIII. 29. *cum Marc.* V. 7. & *Luc.* VIII. 28.

XI. *Auctores Compendioli* ergo temere de horrore & cruciatu Diabolorum ita pronunciant §. V. ut *extremam miseriam* constituant, sine æterna pœna sensus, in privatione illa æternæ visionis Dei & beatæ immortalitatis. Aut enim ex illa hypothesi consequens est, Diabolos non reservari graviori miseriæ, quia extremam miseriam in præsens sustinent, finiendam in die novissimo: aut affirmandum, Diabolos in præsens non privatos esse, sed in die illo novissimo demum privandos, Dei visione & beata immortalitate.

XII. Quid-

XII. Quidquid sit, (assertione illa, qua ajunt finiendam exustione in igne æterno impiorum hominum & Diabolorum miseriam, ut non ultra creaturis suis irascatur Deus) contradicitur aperte Apostolo Jacobo, qui horrori Diabolorum quem affirmat *Cap* I I. 19 præmisit *versu* 13. affirmationem istam; κρίσις ἀνίλεως *damnatio absque misericordia erit ei qui non præstiterit misericordiam.* Non potest enim dici κρίσις ἀνίλεως *damnatio absque misericordia*, per quam judex intendit hoc ut miseriæ sit finis.

XIII. Quod ergo *Mors & Infernus ipse dicuntur conjiciendi in stagnum illud ardens Apoc.* XX. 14. dictum minime est ad illam Diabolorum & Impiorum consolationem, quod creaturis suis non irascetur Deus in æternum, nec pœnis infinitis mulctabit peccata ipsorum: sed ad horrorem potius Diaboli, qui usque ad diem illum novissimum usurpaturus est τὸ κράτος τοῦ θανάτου mortis imperium, & mortem atque infernum armaturus contra Ecclesiam Dei. Ut significetur ipse cum morte & inferno, ut hostibus Ecclesiæ, triumphandus, Ecclesiâ penitus liberatâ, è metu mortis inferni & Diaboli.

§. VI.

Adhæc sentiunt, peracto judicio, mundum hunc universum penitus interiturum esse, per incendium illud generale 2 Petr. I I I. *& rationem vivendi prorsus immutatum iri* Psal. C I I. *ita ut novus mundus à Deo sit proditurus* Apoc. XXI. *in quo electi perpetuo sunt futuri apud Deum. Hujus autem faciem putant nos in illa vita oculis nostris visuros* I Joh. I I I. Apoc. XXII. *ita ut Deum Patrem nostrum in sua Ecclesia clare aspiciamus: & familiariter tanquam ipsius filii & domestici cum ipso versemur, ibi scilicet futuri, ubi ipse fuit ab æterno, priusquam mundum hunc conderet. Tunc vero demum implebitur illud* I Cor. XV. *aculeus mortis est sublatus, & victoria inferni nulla est: quia videlicet tunc clare apparebit, peccatum nobis esse penitus condonatum, cujus virtus est alioqui Lex Dei: quippe ex cujus sententia mors constituta est stipendium peccati.* Rom. VI.

I. Peracto judicio, mundum nunc universum penitus interiturum esse per incendium illud generale, minime censemus demonstrari posse, ex loco 2 *Petr.* I I I. Verba enim *vers.* 10. *&* 12. adhibita (*solventur & liquescent*) non flagitant exustionem illam cœli & terræ, qua non ultra existant: sed allegoriam habent, ductam à metallorum per ignem solutione & liquefactione, quando conflantur ad introductionem novæ exterioris formæ, non ad abolitionem, sed ad transfigurationem.

II. Et, si vel apertissime diceret Petrus, quod non legimus, mundum hunc interiturum, interitus ille seu ἀπώλεια non esset tamen per annihilationem. Cum hoc ipso capite illam interpretationem respuat affirmatio Petri, de mundo impiorum primo, qui ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο *aqua inundatus interiit* 2 *Petr.* I I I. Nemini enim hoc in mentem venit, mundum in diluvio annihilatum fuisse.

III. Significat vero, ipsâ Scripturâ interprete, interitus mundi futurus mutationem, ejus scilicet quod nunc est schematis mundi, quod transitorium est 1 *Cor.* V I I. 31. in melius ac permanens æternum. *Mutabis eos, & mutabuntur*, ἀλλαγήσονται. *Psal.* C I I. 28 *& Hebr.* I. 12.

IV. Et faciunt nostro quidem judicio imprudenter ex nostris illi qui hic secus sentiunt & pro illa annihilatione disputant: velificantur enim, velint nolint, istorum hominum errori, qui infernum localem auferunt ex rerum natura. Omnino enim, ex hypothesi, exusto hoc universo & in nihilum redacto, Infernus damnatorum in Utopia quærendus erit: donec novum creaverit Deus ex nihilo, cum cœlo & terra nova.

V. Enimvero cave lector credas, *Auctores Compendioli*, exusto penitus hoc universo, exspectare novam ex nihilo creationem novi cœli & terræ, quando ajunt, futurum, *ut novus mundus à Deo sit proditurus Apoc.* XXI. *in quo electi perpetuo sunt futuri apud Deum.* Quid ergo? Alunt hoc monstri, non fore ullum re ipsa veteri abolito successurum novum cœlum aut mundum: sed tantum *nobis novum tunc temporis, qui illum nunquam vidimus.* Videsis *Smalcium de Divinit. Christi Cap* XIV. & confer quod hic expresserunt, *ibi nos* cum Deo *futuros, ubi ipse fuit ab æterno, priusquam mundum hunc conderet.*

VI. Est ergo illis novus ille à Deo tunc proditurus mundus, re ipsa non novus, sed vetustissimo creato mundo vetustior, quippe Deo ipsi coæternus & increatus. Nobis seu mundus seu Cœlum & terra, quam non in principio creavit, nec deinceps est creaturus Deus, est Non Ens seu chimæra: quia credimus secundum Scripturas, Unicum tantum Ens increatum, Deum ipsum Creatorem cœli & terræ.

VII. Quod adspergunt, *rationem vivendi prorsus immutatum iri*, adnotato loco *Psal.* CII. in se verum quidem est, sed loci istius adnotatio habet hoc mysterii, quod male ad rationem vivendi mutandam torquent, id quod de mutatione futura cœli & terræ, seu de mundi μεταςχηματισμῷ universali loquutus est Spiritus sanctus: adeo ut non extra sed intra hoc idem substantiâ cælum, post novissimi diei ἐγκαίνια, seu novam dedicationem, mutanda sit vivendi ratio.

VIII. Ajunt porro, non sine fermento *Anthropomorphitico*, se *putare, nos in illa vita oculis nostris visuros faciem Dei.* Citra quod fermentum, reliqua etiam nos credimus: videl. fore, *ut Deum Patrem nostrum in sua Ecclesia clare aspiciamus, & familiariter tanquam ipsius filii & domestici cum ipso versemur.* Non potest autem, nec debet, aspectus ille & visio Dei clarior & familiarior definiri oculorum corporis nostri inspectione: quia contradictionem implicat cum substantia divina ejusque natura spirituali absolute infinita *Joh.* IV. 24. quam nemo vidit unquam, nec potest videre. I *Tim.* VI. 16.

IX. Frustra vero ad *Anthropomorphiticæ* hæresios patrocinium adnotata sunt loca I *Joh.* III. & *Apoc.* XXII. De priori quidem loco non repugnamus, ut oculorum inspectionem intellexerit Johannes, dicens *vers.* 2. *videbimus eum sicut est*: sed ea lege, ut non tribuerit oculorum inspectioni futuræ objectum illud, quod ipsi volunt, personam Dei Patris, sed oculis nostris obversaturum Dominum Jesum in corpore suo glorioso. Hoc flagitat collatio *versus* 2. *cum* 5. *Versu* 2. verba illa ἐὰν φανερωθῇ, *quum patefactus fuerit*, respondent verbis istis *versus* 5. ἐκεῖνος ἐφανερώθη, *ipse patefactus est, ut peccata nostra tolleret*: istud ἐφανερώθη notat patefactionem Christi humilem in

lem in primo adventu: illud ἀναλόγως dicit patefactionem ejusdem gloriosam in secundo adventu, die illo novissimo.

X. Alter locus *Apoc.* XXII. 4. *& videbunt faciem ejus*, ex *versu* 3. referri etiam potest ad faciem gloriosi corporis Christi τοῦ ἀρνίου *Agni*: in cujus visione omnino etiam futuræ beatitudinis pars aliqua sita erit. Verum propter copulationem illam τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου Dei *& Agni*, fatemur promitti videndam nobis etiam faciem Dei, sed non univoca faciei & visionis significatione, verum analogica: ut sicut Agni faciem corpoream dabitur videre oculis corporis, sic faciem Dei spiritualem, seu gloriosam ipsius præsentiam, videamus seu ea fruamur oculis spiritualibus.

XI. Quod pro epilogo dicunt; *Tunc vero demum implebitur illud* 1 *Cor.* XV. *Aculeus mortis est sublatus, & victoria inferni nulla est: quia videlicet tunc clare apparebit peccatum nobis esse penitus condonatum: cujus virtus est alioqui Lex Dei: quippe ex cujus sententia mors constituta est stipendium peccati Rom.* VI. In eo notamus primò recoctam cramben ex *Cap.* VII. § I. de Justificatione tum demum reipsa peragenda, cum à morte liberati in vitam æternam deducemur. Vide illic Elenchum nostrum.

XII. De cætero, negata Carnis Resurrectione, male consentanea quin contradictoria est gloriatio ista, de aculeo mortis sublato. Non enim vel cogitatione fingi potest Aculeus mortis sublatus, ubi à morte non vindicatur Caro, quæ aculeo mortis succubuit, & in qua homo mortem passus est. Et non potest nulla esse victoria inferni, ubi id quod in infernum descendisse censetur, in inferno relinquitur. Carnem intelligimus, ex mente *Auctorum Compendioli*, quam docent descendere in infernum non existentiæ, & in eo relinqui nunquam iterum exstituram.

XIII. Porro, considerata argumentatione Apostoli, quam legimus 1 *Cor.* XV. 17. ubi inter alias consequentias hanc quoque urget Apostolus, sublata Christi & nostra Resurrectione, consequenter credentes in Christum esse adhuc in peccatis suis; corruit etiam assertio illa, quod absque carnis resurrectione clare apparebit peccatum nobis esse penitus condonatum. Si enim virtus peccati est Lex Dei, quia ex Legis sententia mors constituta est *stipendium peccati Rom.* VI. non potest condonatum penitus censeri peccatum, ubi nulla est exspectatio, fore ut à morte vindicetur in vitam, illud cui inflicta est mors ut peccati stipendium.

§. VII.

De statu animarum post mortem ita sentiunt, hominem morte penitus dissolvi, ita ut nihil plane sit: nisi quod ejus Spiritus (uti & bestiarum Spiritus) instar alicujus venti, redit ad Deum, qui ipsum dedit Eccl. XII. *Siquidem statuunt omnes animas in se immortales, h.e. non penitus interire: sed per mortem hominis, vel bestiæ, redire ad Deum: quippe cujus virtus atque efficacia quædam sit spiritus ille: id quod probant ex* Eccles. III. 10. & IX. fere toto, & XII. *Hoc autem statuunt interesse inter animam hominis & bestiæ: quod illa rationalis est, & spem habet vitæ æternæ: sicuti animæ justorum reipsa æternum vivent.*

§ VIII.

Porro hinc colligunt, Animas post mortem nihil sentire, aut agere, imo ne quidem in se re ipsa subsistere, velut personas. Atque hoc esse, quod passim dicitur in V.T. mortuos non habere memoriam Dei, nec laudes ejus celebrare Ps. VI. XXX. LXXXVIII. Esai. XXXVIII. *Imo qui mortui sunt ne quidem esse dicuntur.* Psal. XXXIX. ult. *Item hunc esse descensum ad inferos, cum quis in statum mortuorum redigitur.* Gen. XLVI. Psal. XVI. *Ex quo statu Christus nos liberaturus est; quippe habens claves mortis & inferni* Apoc. I. *Quo sensu negat ipse* Matth. XVI. *portas inferorum prævalituras contra Ecclesiam suam h.e. fideles in morte non esse mansuros. Tandem hinc efficiunt, nec Purgatorium esse, nec Sanctorum invocationem, nec orationem pro mortuis habere locum cum mortui nihil sint.*

I. De statu Animarum post mortem initio quidem pronunciant quod sentiunt; *Hominem morte penitus dissolvi, ita ut nihil plane sit.* Mox verò ad μεθοδείαν τῆς πλάνης, & seductionem simpliciorum, videri volunt non negare *Animarum immortalitatem*: attamen nihil tribuunt reipsa Spiritui hominis, supra bestiarum Spiritum, quod mortuum hominem discernat à jumento mortuo. Demonstrationi enim illi Animæ post mortem superstitis corpori suo ex *Eccles.* XII. 7. quod *Spiritus redeat ad Deum qui dedit eum*, opponunt evasionem illam, commune hoc esse etiam bestiarum Spiritui, ut *instar alicujus venti*, ad Deum redeat: somniantes scilicet auram quandam divinam, cujus particulam habeant singuli homines, & singulæ bestiæ, qua corpora ipsorum ut utres inflat Deus, & quam morientes efflant, seu à morientibus recipit Deus, ut virtutem atque efficaciam quandam suam, intus agentem in viventibus usque ad vitæ terminum.

II. Observamus autem (ad crypsin monstri istius, apud non initiatos mysteriis ipsorum) omissam esse, in ea quæ exstat *Belgica Editione, Anni* MDCXXX. bis in MS. latino expressam *bestiarum* mentionem, ut primò desideretur parenthesis ista, *(ut & bestiarum Spiritus)* deinde comma illud, *vel bestiæ*: illic vero demum prima sit bestiarum mentio, ubi in MS. tertiata est: quam id fiat bona fide, ipsi viderint.

III. Nihil enim sanctius potuerunt exprimere, nec voluerunt apud initiatos, postquam id quod *Ecclesiastes Cap.* XII. 7. de hominis Spiritu qui corpori suo superstes ad Deum migrat, non tantum commune esse volunt Spiritui bestiarum cum Spiritu hominis, contra Scripturæ analogiam: sed porro torquent in contrariam sententiam, quam δεξαστικῶς (secundum hominis animalis opinionem qui Spiritum Dei non habet, non ut sequendam, sed ut fugiendam) Ecclesiastes idem edisserit *Cap.* III. 19. & IX. *fere toto*, verbis istis & similibus; *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.*

IV. Atheus sit oportet qui non sentiat fugiendum esse, non sequendum, paradoxon illud, quod etiam mox *Cap.* III. 21. nemo non animadvertit, qui sensus habet in Scriptura exercitatos, tribuendum esse Epicuri de grege porcis, contra fidem divinam murmurantibus; *Quis novit si Spiritus filiorum*

liorum Adam ascendat sursum? & si Spiritus jumentorum descendat deorsum? Salomo verò aperte indicat, omnino fide divina hoc credendum esse, non pariter cum jumentorum animabus interire animas hominum & quidem animas beate morientium sursum in cœlum ascendere. Quod etiam confirmat idem Salomo *Prov.* XV. 25. dicens; *Via vitæ sursum versus est, intelligenti; ut declinet ab inferno, qui est deorsum.*

V. In loco autem illo *Eccles.* XII. 7. *redite ad Deum* generalius est, & notat superstitem esse in Dei manu separatam à corpore animam, sive ascendat sursum in cœlum, (sive descendat deorsum in infernum) non autem una cum corpore morti succumbere: ut homo mortuus plane hihil fit.

VI. Confirmatur ergo loco isto naturæ humanæ analysis seu resolutio ista, qua non dissolvitur ita ut plane nihil fit, (sicut dissolvuntur jumenta, eo pacto, ut cum corporibus animæ unâ exstinguantur) sed ut carni mortuæ superstes maneat pars nobilior, quæ ipsâ creationis lege, est immortalis Spiritus.

VII. Illam immortalitatem γυμνῇ κεφαλῇ inficiatur *Socinus*, asserens in *Epistola ad Volkelium V.* in *Quæstione de Immortalitate animæ, se non agnoscere in ipsa creatione quidquam immortalis vitæ in homine.* Cum quo consentientes verba dant, quando ajunt, *omnes animas* (hominum & bestiarum) *in se immortales esse, h. e. non penitus interire.* Quis enim non dicat penitus interire cum corpore animam, quæ, corpore mortuo, non magis quam ipsum corpus, censetur præmiorum pœnarumve capax esse, aut sentire aut agere quicquam, quod, ut de bestiarum animabus ἐξαγώνιον est, ita de hominum Spiritu non sine Atheismo traditur.

VIII. Nec quicquam ipsos juvat illud σοφὸν φάρμακον, quod statuunt; *hoc interesse inter animam hominis & bestiæ, quod illa rationalis est, & spem habet vitæ æternæ: sicuti,* inquiunt, *animæ justorum reipsa æternum vivent.* Est enim hic quæstio de statu animarum post mortem; an post mortem pereat ab anima rationali & vita, & ratio, & sensus: quod quia ipsi affirmant, gratis dicunt, illam rationalem esse, & spem habere vitæ æternæ. Et nihil ad rem præsentem facit, quod *animæ justorum reipsa æternùm vivent*, si interim, ad diem illum novissimum usque, eadem est bestiis & hominibus, seu piis seu impiis, moriendi conditio, & idem est animæ, seu brutæ seu rationalis, status post mortem: & brutorum quidem animantium & hominum impiorum mortuorum idem in æternum mansurus interitus, sine resurrectione ad judicium.

IX. Et animadvertendum obiter, eandem esse hic catachresin, qua ludunt in re seria dicentes, Animam hominis in statu post mortem *habere spem vitæ æternæ*, quæ supra ostensa est, ad *Cap. V. § V.* Ubi audivimus *Schlichtingium* verba Apostoli ex *Hebr. XI.* 10. & 16. de exspectatione Abrahami & Patriarcharum ita torquentem, quasi dicat Apostolus illos exspectasse Patriam cœlestem, *ratione eventus & consilii divini, non ratione animi aut intentionis ullius, qua ipsi Patriam cœlestem spectaverint.* Similiter Animæ mortuorum,

tuorum, quæ nullam habent vitæ vel sensitivæ vel rationalis functionem, ex ipsorum sententia, dicuntur spem habere vitæ æternæ, (etsi nec spirent nec sperent ipsæ) tantum quia reproducuntur die illo novissimo ad vitam æternam.

X. Quod ingerunt Animas post mortem *ne quidem in se re ipsa subsistere ut personas*, non est necessum ut revocetur ad subtilitates metaphysicas, de Persona & supposito: quia crassius se ipsi explicant, hoc illud esse, quod *nec habeant memoriam Dei, nec laudes ejus celebrent qui mortui sunt, imò ne quidem sint.*

XI. Palliant monstra ista male detortis Scripturæ testimoniis, quæ breviter vindicanda. *Psalmo* VI. attenditur *versus* 5. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Psalmo* XXX. *versus* 12. *Nunquid confitebitur tibi pulvis aut annunciabit veritatem tuam. Psal.* LXXXVIII. *versu* 11. 12. 13. *Nunquid mortuus facies mirabilia, aut manes resurgent & confitebuntur tibi, nunquid narrabitur tibi in sepulcro misericordia tua, veritas tua in perditione? nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?* Verum *fallacia* est *ex dicto secundum quid.* Minimè enim simpliciter & absolute ista dicta sunt, sed respectu tantum usus illius qui per mortem aufertur Ecclesiæ in terris militanti, ad jugem ejus ædificationem & propagationem. Quod ex loco parallelo *Esai.* XXXVIII. 18. & 19. manifestum est, in verbis ultimis; *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

XII. Nec ex *Psalmo* XXXIX. *versu ultimo* hoc efficitur, *ne quidem esse* illos qui mortui sunt. Verba ista sunt; *Desine à me & robarabor,* בטרם אלך ואינני *priusquam abeam & non sim.* Fallacia eadem est: non enim in mentem venit Davidi absolutè intellecta non existentia, sed spectavit existentiam בארץ חיים *in terra viventium Psal.* XXVII. 13. utilem ædificationi & propagationi Ecclesiæ, ad quam Dei consilio non ultra serviunt mortui; Confer *Act.* XIII. 36. *cum Esai.* XXXVIII. 18.

XIII. *Hunc esse Descensum ad Inferos, cum quis in statum mortuorum redigitur*, non accipimus ab *Auctoribus Compendioli*, ut Philologicum in Critica sacrâ effatum, (de quo non magnopere laborandum censemus, in interpretatione locorum quæ adnotarunt *Genes.* XLVI. & *Psal.* XVI.) Theologica ista est hæresis: quia *Infernum* definiunt *Non existentiam mortuorum*: atque in illum infernum Non existentiæ detrudunt pariter pios & impios, homines pariter & bestias.

XIV. Non possumus consequenter subscribere verbis istis, *ex quo statu Christus nos liberaturus est, quippe habens claves mortis & inferni Apoc.* II. sine hac contestatione, de statu mortuorum, & futura ex mortuis nostri excitatione; sicut mortuus Christus, non sic interiit ut plane nihil esset, adeoque post mortem non descendit in chimæricum illum infernum non existentiæ; atque idem ex statu mortuorum liberatus est, nova vivificatione ejusdem corporis in quo sustinuerat dolores mortis; similiter, non sic interire eos qui in Christo moriuntur, neque in universum mortuos cunctos, ut plane nihil sint, & non existant; neque resurrectionem ipsorum fore repro-

reproductionem ex non entibus, sed novam eorundem corporum, seu ejusdem carnis & ossium, per instauratam unionem naturalem corporis & animæ, vivificationem, adeoque ejusdem compositi redhibitionem.

XV. Neque Christus, quando negat *Matth.* XVI. *portas inferorum prævalituras contra Ecclesiam suam*, aut hoc tantum voluit, Fideles in morte non esse mansuros, aut ex illa hypothesi loquutus est, quasi usque ad Resurrectionem mortuorum futura esset & mansura Ecclesia in inferno non existentiæ, in personis fidelium mortuorum. Non potuit enim ex illa hypothesi negare, contra Ecclesiam suam (interim saltem) prævalituras inferorum portas, descendentibus quotidie in infernum illis etiam qui in Christo moriuntur.

XVI. Quod tandem jactant *hinc se efficere, nec Purgatorium esse, nec Sanctorum invocationem, nec orationem pro mortuis habere locum, cum mortui nihil sint*: hoc revera est, ex falsis verum concludere, & nodos non solvere sed secare. Non lubet ad disputationes illas digredi in præsens, quas non flagitant nec ferunt rationes *Compendioli* Uno verbo dicemus, credere nos testimonio Apostoli, (quamvis nec Purgatorium sit, nec locum habeat Sanctorum invocatio, vel oratio pro mortuis) esse tamen in cœlis cum Christo Animas mortuorum justificatorum, quas ille vocat *Spiritus Justorum consummatorum.* *Hebr.* XII. 23. [illegible]

§

Cæterum ad Objectiones contra hujus loci sententiam ita fere respondent. I. *Quod* Joh. V. *dicuntur etiam prodituri è monumentis ad resurrectionem judicii, qui male egerint: & quod* 2 Cor. V. *dicuntur omnes sistendi ad Tribunal Christi, ut quisque recipiat, prout egerit per corpus.* R. *Illic forte agi de illis mortuis, qui certe morti jam adjudicati sunt: quorum alii, qui videlicet audita voce Filii Dei credunt, prodeant ex umbra mortis ad resurrectionem vitæ spiritualis & gloriosæ: alii, qui in operibus tenebrarum perseverant, ad damnationem majorem prodeant ex tenebris illis ignorantiæ. Sed non fidunt huic responsioni. Hic vero dicunt, agi de impiis iis judicandis, qui in illa die vivent.*

Secundò: quod Matth. X. & XI. *dicitur de Sodomæis & Gomorrhæis, deque Regina Austri & Ninivitis, qui in die judicii Iudæos sint damnaturi: item quorum tolerabilior futura est mitior conditio, quam incredulorum.* R. *Hinc non sequi, impios olim resurrecturos, sed tantum quorundam impiorum conditionem in subeunda pœna judicatum iri meliorem, quam futura sit Iudæorum incredulorum, in die visitationis ipsorum: h. e. quo tempore Deus sit ipsos prorsus desolaturus, sicut prædicit* Matth. XXIV. *Id quod per Titum Vespasianum postea fuit effectum. Alioquin diserte ajunt scriptum esse* Esai. XXVI. 14. *Impios non resurrecturos, sed prorsus in malo corruituros, id est perituros: cum pii semper ex omni malo emergant.* Prov. XXIV. 16.

Tertio: quod de æterna morte æternoque igne objicitur; item ex Luc. XXIII. *de latrone futuro in Paradiso: item ex* Apoc. VI *de animabus sub altari clamantibus: item ex* Matth X. *de animabus quæ non possunt occidi, & similibus ex locis objicitur: ad hæc respondent, partim hic esse prosopopœiam, ad exprimendam tum impiorum miseriam, tum piorum felicitatem, aut certam saltem spem felici-*

talis, partim his significari pios, quamvis mortuos, Deo tamen vivere Luc. xx. Hebr. xi. *nobis posse* (ἐπιτραπῆναι) *veram animæ vitam, id est salutem æternam nobis eripere:* vide etiam Gen. iv. Jac. iv. Hebr. xii. *Cum etiam res inanimatæ dicantur loqui, clamare; cum tamen veræ hypostases aut supposita agentia non sint.*

I. Mali ominis est, in hac ipsorum ἀπαντήσει illud, quod ipsi profitentur, se non fidere isti responsioni quam primam in acie collocant, ad torquendas Scripturas *Joh. v. & 2 Cor. v.* Liberant ergo nos hactenus parte aliqua laboris, ut unum hoc discutiendum nobis sit, quod *dicunt agi de impiis in judicandis, qui in illa die vivent.*

II. *Joh.* v. 28. 29. verba hæc legimus; *Veniet hora quâ omnes qui in monumentis (erunt) audient vocem ejus. Et prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero male egerunt in resurrectionem condemnationis.* Quomodo hæc conciliari possunt cum responsione ista? An qui illa die vivent in monumentis seu sepulcris erunt, & inde prodibunt ad resurrectionem? Est hoc quidem cum ratione insanire.

III. Locus alter est 2 *Cor.* v. 10. *Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet quæ in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit, vel bonum vel malum.* At frustra illa scripserit Apostolus Corinthiis tunc viventibus, si non tangunt impios ante illum novissimum diem morituros. Videsis quæ supra à nobis dicta, *collatis verss.* 10. & 11.

IV. Quod *Matth.* xi. 15. *&* xi. 24. dicitur de Sodomæis & Gomorrhæis, illorum tunc futuram mitiorem conditionem, quam Judæorum incredulorum, omnino necessariam habet confirmationem assertionis orthodoxæ, impios olim resurrecturos. Responsio autem ista nulla est, illorum conditionem in subeunda pœna judicatum iri meliorem quam sit Judæorum incredulorum: resolvitur enim responsio illa in hanc sententiam, judicabitur in die judicii Judæorum incredulorum pœna ipsorum atrocior, quam olim fuit Sodomæis & Gomorrhæis pœna quæ ipsis evenit in die illo judicii quo super ipsos igni pluit Deus. At aliena est sententia illa à verbis Christi istis, ἀνεκτότερον ἔσται γῇ Σοδόμων &c. *tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii &c.* Similiter *Matth.* xi. 22. dixit, *Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die judicii, quam vobis.* Dicendum fuerat, ex hypothesi, tolerabilius fuit judicium ipsorum, quam erit vestrum.

V. Alienum porro à mente Christi est, quod τὴν ἡμέραν τῆς κρίσεως, *diem judicii*, exspectandum Judæis incredulis, trahunt ad tempus illud, quo Deus erat Judæos prorsus desolaturus, id quod per Titum Vespasianum postea fuit effectum. Nullo enim schemate verificari illud potest, quod in die excidii urbis & templi, cum generatione illa, seu viris generationis illius, excitati sint & resurrexerint Regina Austri & Ninevitæ, quorum ipsi hic meminerunt: de quibus verba Christi expressa sunt *Luc.* xi. 31. *Regina Austri* ἐγερθήσεται *excitabitur in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit eos:* & mox *v.* 32. *Viri Ninevitæ* ἀναστήσονται *resurgent in judicio cum hac natione & condemnabunt eam.*

VI. Censemus quoque, perperam illos tempus excidii urbis & Templi per Titum Vespasianum vocare *diem visitationis Judæorum*. Dixit quidem Christus *Luc.* XIX. 44. loquutus de excidio illo venturo: *Eo quod non noveris τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου tempus visitationis tuæ*. At non vocavit tempus excidii tempus visitationis ipsorum; sed tempori visitationis ignorato & neglecto prædixit justo judicio superventurum tempus excidii. Tempus ergo visitationis fuit tempus prædicati ipsis per Christum & Apostolos Euangelii: sicut cum Euangelium de Christo exhibitum dicitur *visitasse Deus populum suum. Luc.* I. 68.

VII. Neque prædixit Christus principaliter *Matth.* XXIV. judicium illud particulare populo Judaïco exspectandum post annos circiter 37. Rogatus enim fuit & respondit de adventu suo, in consummatione sæculi, ad judicium universale, in nubibus cœli glorioso, collatis maxime *vers.* 3. & 30.

VIII. Animadversionem hic flagitat, quod sicut in die novissimo subducunt judicio extremo impios omnes ante diem novissimum mortuos, ita similiter, per efficaciam erroris, illos, qui maxime Deum ad iram provocant, liberant ab ira ventura in quovis die iræ, seu judicii quod populo alicui immittit Deus: ita ut parentibus maximam partem impunitis, ira thesaurisetur filiis, propter peccata parentum. Non erubescit hoc profiteri *Anonymus* supra notatus Scriptor *de statu mortuorum*, in hanc sententiam disserens. Enimvero, dicet aliquis, quare dicuntur impii judicandi in adventu Christi? Resp. *Quia tunc demum super iis pronunciabitur, & patefiet unicuique judicium, ipsos non resurrecturos: nunc in præsens unus est status omnium mortuorum: verum in adventu Christi demum apparebit, impios judicatos esse: quod principaliter spectabitur & palam fiet, in impiis istis quos Christus reperiet viventes: hos enim proprie tangit judicium Christi: & quod his fiet, factum censebitur omnibus ipsorum similibus, quantumvis diu ante mortui fuerint, & multi ipsorum impuniti evaserint. Fertur enim judicium in totam hominum generationem, instar corporis totius, seu instar civitatis alicujus, de qua dici potest, esse illam punitam, etiam si multi incolarum jam ante interierunt. Quando Roma propter enormia & insignia peccata punita est, & vastata à Gothis, multi tamen eorum, qui Christianos crudelissimè persecuti & pœnam meriti erant, ipsam non senserunt. Hierosolymis omnes vel fere omnes mortui erant, qui supra omnes gravem pœnam meriti erant, quando demum venit pœna quam comminatus erat Christus. Tempore Noachi dati erant ad resipiscentiam* CXX. *anni, intra quos absque dubio multi illorum mortui sunt, quibus etiam facta erat comminatio pœnæ, quæ tandem supervenit illis, quos tunc viventes reperit Deus. De Cananæorum deletione Deus jam pridem & ab initio apud se decretum fecerat: interea mortuis illis quibus comminatus erat, pœnam quam comminatus erat exsecutus demum est in posteris, qui forte minus peccaverant, quam ipsi. Attamen legitur Deus punivisse Cananæos. Similiter etiam illi qui non tam graviter peccaverant, abducti sunt Babylonem; & impuniti evaserunt illi, quibus Deus diu ante illud comminatus fuerat.*

IX. Non piguit, præter *Compendioli* rationes, prolixius hæc ex Belgico exemplari (quia Latinum videre non contigit) exscribere; ut palpari

possit, ipsos veritati bellum indixisse, & contra omnem Scripturarum analogiam agere. In Scripturis enim nemini mortalium conceditur impunitatis illius spes, qua effugiat judicium Dei, sed denunciatur omnibus & singulis iis qui sunt contentiosi, & qui veritati quidem non obtemperant sed obtemperant injustitiæ, *excandescentia & ira, oppressio & angustia, adversus omnem animam hominis perpetrantis malum. Rom.* II. 8. 9. *&* VIII. 8. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur: & impietas impii erit super impium. Ezech.* XVIII. 20.

X. Quod obtendunt diserte scriptum esse *Esa.* XXVI. 14. *impios non resurrecturos*, sed prorsus in malo corruituros, id est, perituros, cum pii semper ex omni malo emergant *Prov.* XXIV. 16. non fit sine utriusque loci detorsione manifesta. Verba quidem illa Esaiæ, *mortui non vivent, manes non resurgent*; neutiquam dicta sunt de non resurrecturis impiis in die illo novissimo: sed de tyrannis & oppressoribus populi Dei semel mortuis & deletis justo Dei judicio, non reversuris nec iterum dominaturis in hoc seculo; adeoque non ultra metuendis populo Dei. Istum enim in hoc seculo militantis Ecclesiæ consolationem flagitat ductus & series verborum, inde à Capitis initio.

XI. Nec locus alter *Prov.* XXIV. 16. tangit futuram vel non futuram resurrectionem ex mortuis in die illo novissimo. Verba sic habent; *quia septies cadet justus & surget, & impii corruent in malum.* Quo enim schemate ad resurrectionem ex mortuis illud spectare queat, *septies surgere*, qui septies cadit? Necessario hoc quidem interpretandum, de varia atque iterata subinde liberatione divina, quam experiuntur justi, ex variis quibus in hoc seculo vexantur calamitatibus & afflictionibus. Qua liberatione, conjuncta cum interiori sensu favoris & gratiæ suæ, impios destituit Deus, ut quando ruunt penitus corruant.

XII. Simulant porro se respondere initio ad illud quod ipsorum Sadducæismo opponimus, de æterna morte æternoque igne. At responsionem frustra quærimus, cum liceant hic silentio. Ad ante dicta jam ante à nobis responsum est.

XIII. Ex *Luca Cap.* XXIII. de latrone futuro in Paradiso quid respondeant distincte, non liquet; videntur responsionem complexi verbis illis; *eum promisisse felicitatem, aut certam saltem spem felicitatis.* At non entium nulla est felicitas, nec spem habent qui non vivunt nec sunt. Quandoquidem ergo inter non Entia censent latronem, & consequenter censent etiam nusquam esse, nec spirare nec sperare, pro responsione (de loco beatitudinis in Paradiso ipsi post mortem è vestigio assignato) tantum verba dant.

XIV. Ad locum *Apoc.* VI. 9. 10. de Animabus sub altari clamantibus, comminiscuntur prosopopœiam, h. e. personæ fictionem, sicut res inanimatæ dicuntur loqui, clamare, cum tamen veræ hypostases aut supposita agentia non sint. Verum haud feliciter succedit responsio ista; in qua gratis subtilitates de Persona & Supposito miscentur crasso errori de non existentia mortuorum. Esto locum habeat prosopopœia illa seu personæ fictio cum de rebus non animatis sermo est: at de non existentibus fictio illa per-

ſone omnino chimærica eſt, ſi vel ipſi vel Animæ ipſorum clamare dicantur.

XV. Locus *Matth.* x. de *Animabus quæ non poſſunt occidi verſu* 28. ſic habet; *Ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare: ſed timete potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna.* Eſt quidem hoc aliquid, quod ajunt, non poſſe Tyrannos veram animæ vitam, id eſt ſalutem æternam, nobis eripere: ſimiliter illud, quod ait ante notatus *Anonymus*, quod Deus non tantum poteſtatem habet, quod interdum fit ab hominibus, auferendi nobis vitam præſentem, verum etiam futuram æternam vitam. Verum iſta non exhauriunt ſententiam verbis Chriſti expreſſam.

XVI. Expreſſa eſt in verbis Chriſti anatome hominis in partes duas eſſentiales, καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα, *Animam & Corpus:* quæ anatome flagitat & Animæ & Corporis ſignificationem propriam, nec admittit loquutionem illam impropriam, quâ Vita animalis Anima dicitur, ut ortum quid ex Animæ cum corpore Unione. Idcirco, non poteſt illa eſſe directa verborum Chriſti nec αὐτοφυὴς interpretatio, juxta quam Chriſtus non intellexerit utramque in homine ſubſtantiam incompletam, Corpus & Animam.

XVII. Nec conſentaneum eſt aut ullo uſu loquendi confirmari poteſt illud ſchema dictionis, ut in Abſtracto Vita dicatur trucidari vel occidi, quamvis occidendo auferatur, & perdatur. Occiditur & trucidatur non Vita ſed Vivens. Alienum ergo eſt & ineptum, ubi loquutus eſt Chriſtus de occiſione ſeu trucidatione Animæ & Corporis, aliam quærere quam propriiſſimam Animæ & Corporis viventis ſignificationem.

XVIII. Alieniſſimum vero eſt, ut Animam & Corpus dicatur Deus perdere in Gehenna, atque illam perditionem à Deo metuere jubeat Chriſtus morituros ante diem noviſſimum, qui (ex hypotheſi maxime illa quam audivimus *Theſ. VIII.*) impuniti evadent, ut nunquam, nec corpore nec anima, Gehennam experiantur.

XIX. Ut ergo non contradicatur Chriſto, omnino credendum, occiſo corpore, impiorum Animas (uſque ad diem illum noviſſimum ſine corporibus) poſt diem illum rurſus corporibus unitas, & exſtituras & ſenſuras Gehennam ignis æterni: nec illam effugere aut impunitos evaſuros impios, vel per non exiſtentiam corporis, vel per Animæ poſt mortem ἀναισθησίαν, quâ nihil ſentiat nihil agat aut patiatur. Quam impunitatem ne ſibi impii polliceantur, meditandum illud Chriſti; *ſerpentes, progenies viperarum, quomodo effugere poſſitis judicium Gehennæ. Matth.* XXIII. 33.

XX. Porrò ex *Luc.* XX. 38. videri volunt cum Chriſto affirmare, pios, quamvis mortuos, Deo tamen vivere: revera autem intendunt verbis Chriſti contrariam ſententiam, abuſione phraſios illius, *Deo vivere.* Verba Chriſti ſunt, πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν: integra oratio iſta eſt; *Deus vero non eſt (Deus) mortuorum ſed viventium, omnes enim ipſi vivunt.* Sermo eſt de mortuis excitandis, propter dictum à Moſe Dominum *Deum Abrahami, Deum Iſaaci, Deum Jacobi.* Robur argumentationis eſt in hypotheſi de Fœdere Dei cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, quod

cum illis viventibus sancitum, solide præstari nequeat, nec præstitum bona fide censeri, si non sit futura Resurrectio Carnis, per quam vita æterna fruatur, sicut à morte Anima, ita à Resurrectione ex mortuis homo ὁλόκληρος integer: juxta votum illud, quod Thessalonicensibus precatur Apostolus 1 *Thess.* v. 24. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos* ὁλοτελεῖς, *totos. & integer vester spiritus, & anima & corpus inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur*, ὁλόκληρον τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα.

XXI. Animadvertendum hic ad locum istum, quod ex eo ipsi arcessant suam τριχοτομίαν, qua in Hominis Anatome compositum partiuntur in tria illa, Spiritum, Animam, & Corpus, uni videl. corpori tribuentes Animas duas, quæ tamen Spiritus & Animæ appellatione rursus distinguantur. Data in præsens, non concessa, illa hypothesi, esse eo eo pacto hominem δίψυχον, stringit tamen illos testimonium Apostoli, non sanctificari nos Dei fœdere ὁλοτελεῖς, si non sanctificetur & Anima & Corpus: nec esse salutem ὁλόκληρον integram, si non serventur ὁλόκληρος integra, & sistantur in adventu Domini nostri Jesu Christi, καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, & Anima & Corpus.

XXII. Quando ergo Christus negat Deum esse Deum mortuorum, mortuos dixit non significatione propria illa quæ passim obvia est: esset enim contra Christi ὁ, illud ναὶ Apostoli, *nos Domini esse, sive vivamus sive moriamur, & Christum mortuis ac viventibus dominari Rom.* XIV. 8. 9. Sed significatione analoga hypothesi Sadducæorum, quam suam faciunt *Auctores Compendioli*, (mortuos in carne illa quæ morti succubuit nunquam revicturos aut resurrecturos) docuit, necessariam esse fidem Resurrectionis futuræ corporum mortuorum Abrahami Isaaci & Jacobi, ut verificetur solidè assertio illa, Deum esse Deum ipsorum.

XXIII. De cætero, dixit Christus, omnes Deo vivere, interim scilicet superstite & vivente apud Deum Anima ipsorum, quæ vivens fruitur beata illa in cœlis consolatione, de futura & certo exspectanda Resurrectione Carnis. *Apoc.* VI. 9. 10. Atque hoc pacto, sicut secundum carnem pii vivent, etiamsi mortui fuerint, per resurrectionem: ita nunc secundum Animam viventes & credentes in Christum, non morientur in æternum. *Joh.* XI. 25. 26.

XXIV. Non satis expressam hic *Auctorum Compendioli* glossam, (verborum istorum, *omnes Deo vivunt*) expressiorem habet ante notatus *Anonymus*, quam ex Belgico exscribimus; *Quod exstat*, nam vivunt ipsi omnes; *non est intelligendum de aliqua præsenti vita: nam quæstio inter Christum & Sadducæos non erat, num viverent: (quod utrique consentiebant non ita esse) sed an victuri & resurrecturi essent. Sensus est, quamvis mortui essent, ipsos tamen certo victuros, cum jam tunc viverent, in Dei proposito, qui ad vitam servabat Spiritum ipsorum; voluit itaque dicere, intuitu propositi Dei, quod non mutabitur, & impediri à nemine potest, fore ut certo resurgant, atque iterum vivant.* Adjecit in margine; (an *Auctor Anonymus*, an Interpres *Camphusius*, non liquet) *Intuitu hujus propositi Dei, per quod fideles Deo vivunt, dicit Dominus*

Jesu,

Jesus, qui in me credit, vivet, etiamsi mortuus fuerit. Et qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Joh. XI.

XXV. Observamus initio πρῶτον ψεῦδος, illud, quod insinuant verbis illis; *qui ad vitam servat Spiritum ipsorum.* Refellitur autem affirmatio illa (ex mente ipsorum intellecta de spiritu solo, exclusa carne seu corpore mortuo) ex supra laudato Apostoli testimonio, secundum quod servat Deus ad vitam, in adventu Domini nostri Jesu Christi fruendam, ὁλόκληρον integrum, & Spiritum & Animam & Corpus.

XXVI. Glossam vero illam, ut Deo vivere sit ex proposito seu decreto Dei post aliquot sæcula demum victurum esse, refellit expressa à Christo *Joh.* XI. 25. 28. discretio præsentis vitæ spiritualis, non commutandæ in æternum cum morte, & futuræ resurrectionis, qua revicturum est corpus mortuum. Omnino enim verbis illis Christi, *& quisquis vivit & credit in me*, parallela sunt Pauli ista; *Vivo autem, non amplius ego, sed vivit in me Christus, & vitam quam vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei &c. Gal.* II. 20.

XXVII. Deinde glossa illa evanescit hac animadversione, quod similiter dicere possumus, omnes ad vitam Electos ab æterno ante creationem humani generis vixisse Deo: & jam Deo vivere, in proposito seu decreto Dei, etiam qui necdum nati sunt & post aliquot sæcula demum nascituri. Et quamvis elabi hic possunt *Auctores Compendioli*, negata & Prædestinatione & Præscientia determinata certarum personarum quæ in æternum sint victuræ, in Thesi universali; constricti tamen tenentur suo contradictionis Spiritu, in hypothesi particulari, qua *Cap. VI.* §. *II.* agnoverunt paucos saltem aliquos simpliciter & definite electos, & ad vitam & ad fidem sive obedientiam.

XXVIII. Denique stare non potest glossa ista, quin consequenter dicendum sit, quandoquidem nunc mortui sunt non viventes, Abraham, Isaac, & Jacob, viventes autem fuerent atque olim iterum futuri sunt, fuisse quidem circiter 2000. annos ante Christum, atque iterum futurum Deum, at non fuisse tempore Christi, neque nunc esse, Deum Abrahami Isaaci & Jacobi.

XXIX. Loca adnotata *Hebr.* XII. *bis, & Gen.* IV. *Jac.* IV. (reponendum *Jac.* V.) hoc quidem probant, quod per Prosopopœiam seu personæ fictionem, dicuntur loqui & clamare etiam res inanimatæ, cum veræ hypostases aut supposita agentia non sint V. G. sanguis Christi, & sanguis Abel, & merces operariorum intercepta. At nullis inde fidiculis exprimi potest, non esse supposita viventia in præsens Animas sanctorum quæ sub altari dicuntur clamare, in quibus etiam Abel justus. *Matth.* XXIII. 35. *& Luc.* XI. 51.

CAPUT

CAPUT NONUM.

De Ecclesia, Ministerio, Synodis, ac Disciplina.

§ I.

DOcent primo, veram Christi Ecclesiam nobis non esse conspicuam; cum constet ex vere credentibus & spiritu Christi præditis, Fides autem & Spiritus in corde lateant, quod solus Deus intueri potest. Rom. II. & VIII. & XVI. *Ex charitate tamen omnes istos cœtus habent pro Christi Ecclesiis, in quibus viget doctrina Christi. Proinde censent non admodum opus esse disputare de Notis Ecclesiæ, ubi & apud quos sit: cum satis constet, eos omnes esse Christi oves, qui vocem Christi audiunt, Ecclesia autem ex veritate cognosci debeat, non veritas ex Ecclesia. Præsertim cum hæc etiam errare possit, in iis, quæ non sunt prorsus ad salutem necessaria: sicut apud Corinthios & Galatas olim contigit. In summa sentiunt falsam quidem Ecclesiam ostendi posse, videl. cœtus varios infidelium & impiorum: quia opera carnis sunt manifesta.* Gal. V. *At veram Ecclesiam non posse digito monstrari: quia virtus simulari potest ab hypocritis; quos proinde solus Deus à vere fidelibus discernere potest.*

I. Videri possent isthæc ἐξηγούμενα, si consensus esset de verborum significationibus. At hic novo Lexico Theologico indigeremus, ad explicationem axiomatum, quæ hic proponunt *Auctores Compendioli.* Initio quidem ludunt in confusione numeri singularis & pluralis, dicentes promiscue, *Ecclesiam & Ecclesias* Christi. Ut singulari numero ipsis veniat tantum quivis *cœtus* particularis, *in quo viget doctrina Christi*: eliminentur autem ex Christiana Fide articulus ille, πιστεύω ἁγίαν ἐκκλησίαν καθολικήν; *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.*

II. Catholicismum quidem seu Uuniversalitatem Ecclesiæ minime agnoscunt, per ἀνακεφαλαίωσιν seu in unum collectionem, vel Ecclesiæ *militantis* in terris, & *triumphantis* in cœlis, vel Ecclesiæ *Veteris & Novi Testamenti.* Etenim Ecclesiam triumphantem in Cœlis habent pro Non-Ente: juxtà id quod asseruerunt *Cap. VIII.* §. VIII. Deinde nullam in Veteri Testamento agnoscunt extitisse Ecclesiam Christi; quando inficiantur extitisse ipsum Christum.

III. *Christi Ecclesiam* ergo nominant, non in simplicitate fidei, sed subdola antithesi ad *Ecclesiam Dei*: quam antithesin dictat *Socinus Epist. II. ad Eliam Arcissevium*, asserens, *Christi Ecclesiam tunc primum extitisse, cum Spiritus Sanctus in discipulos Christi descendit. Antea enim*, inquit, *etsi congregabantur, imo eo ipso die jam congregati erant, nondum tamen id fiebat ab ipsis in nomine Christi: adeo ut Ecclesia quidem Dei jam esset, sed non adhuc tamen Christi.*

IV. Antithesis quidem illa nullo nixa est usu Scripturæ loquentis. Vix enim alter est Scripturæ locus, in quo exstet nomenclatura illa, *Ecclesiæ Christi*, præter unicum illum *Rom.* XVI. 16 *salutant vos Ecclesiæ Christi*: frequentissima vero est apud Apostolum nomenclatura *Ecclesiæ Dei.* Videsis

1 *Cor.* I. 2.

1. *Cor.* I. 2. X. 32. XI. 16. 22. XV. 9 2. *Cor.* I. I. Gal. I. 13. 1 *Thess.* II. 14. 2 *Thess.* I. 4. 1 *Tim.* III. 5. 15. Quæ quidem loca nobis totidem sunt testimonia, pro veritate Fidei nostræ, qua credimus, Christum, si non ipse Deus est naturâ, neque ex officio fore Dominum Ecclesiæ.

V. Unam ergo credimus eandemque Ecclesiam, seu Dei seu Christi nominetur, per ἀνακεφαλαίωσιν cunctorum illorum salvandorum, qui inde à mundo condito quovis tempore & ubivis locorum in terris vixerunt, aut vivunt, aut victuri sunt, usque ad diem illum novissimum, quando illos ut oves ab hœdis segregatos ad dexteram suam collocabit magnus ille Pastor ovium Christus. Quod spectat Scriptura loquens de *Uno Pastore*, & *de Ovili uno. Ezech.* XXXVII. 22. *cum Joh.* X. 16. Cunctis enim illis asseret Christus *Regnum paratum à jactis mundi fundamentis Matth.* XXV. 31. 32. *cum* 34. & cunctorum *nomina* dicuntur *scripta in libro vitæ Agni mactati, inde à jactis mundi fundamentis Apoc.* XIII. 8. *&* XVII. 8.

VI. Neque Christi ovium numero excludi possunt pii fideles, qui Ecclesia Dei erant in V. T. istoc, quod per crypsin ingerunt, testimonio Christi *Joh.* X. 3. Ex quo ajunt, *eos omnes esse Christi oves, qui vocem Christi audiunt:* intendunt autem istud, non fuisse in V. T. ullas oves Christi, quia non potuerunt audire vocem Christi, quippe tunc non existentis. Nos sicut credimus secundum Scripturas æternam existentiam Christi Filii Dei, ita asserimus, omnino audivisse vocem Christi illos quibus olim loquuti Prophetæ: quia in Prophetis loquebatur τὸ πνεῦμα Χριστοῦ προμαρτυρόμενον, *Spiritus Christi prænuncius* 1 *Petr.* I. 10. 11. adeoque *Spiritu* Deitatis suæ ipse ἐκήρυξε *prædicavit.* 1 *Petr.* III. 18. 19. *Testimonium Jesu est Spiritus Prophetiæ. Apoc.* XIX. 19.

VII. Neque patitur Scripturæ analogia, ut unquam exstiterit Ecclesia Dei absque Christo: quandoquidem Apostolus representaturus Ephesiis, quomodo olim in præputio fuerint non populus, quando in populo Judaïco, sub Veteris Testamenti œconomiâ Mosaïca, Ecclesiam habebat Deus, utitur illa rejectionis periphrasi; *Eratis illo tempore* χωρὶς Χριστοῦ *absque Christo, alieni à Republica Israëlis, & extranei à pactis promissionis, spem non habentes,* & ἄθεοι *Dei expertes in mundo Eph.* II. 12. Discernit ergo necessario Rempublicam Israëlis veterem circumcisam à præputiatis gentibus istorum temporum ante omnia illo charactere, quod non esset illa χωρὶς Χριστοῦ *absque Christo.*

VIII. Porro animadvertendum, quod sub expressa illa veritate, *veram Ecclesiam nobis non conspicuam constare ex vere credentibus & Spiritu Christi præditis: Fidem autem & Spiritum in corde latere, quod solus Deus intueri potest Rom.* II. *&* VIII. *&* XVI. suppressum est illud πρῶτον ψεῦδος, solo opere nostro Fidei & obedientiæ præstito, Deum ipsum demum cognoscere, qui sint illi qui veram Ecclesiam constituunt, quando in occulto videt & & cognoscit, sitne opus sancte & ἀνυποκρίτως præstitum. Jam enim ex *Capitis VI.* elencho liquet, nullam illos admittere arcanam æternam præscientiam futurorum contingentium.

IX. Enimvero secundum Scripturas; sicut ab ἐκκαλεῖν *evocare* nomen habet Ecclesia, ita Ecclesiam veram non demum constituit opus nostrum, quo paremus Deo vocanti, & nos aggregamus ipsi, sed præveniens nos Vocatio divina efficax, qua nos ipse segregat ex mundo & colligit ac congregat. *Agnoscite Jehovam esse Deum: ipse effecit nos, non autem ipsi nos, populum suum, & gregem pastus sui.* *Psal.* c. 3. *Dominus addebat quotidie Ecclesiæ, qui salvi fierent.* *Act.* I I. 47. *Qui nos confirmat in Christum & qui nos unxit, Deus est.* 2 *Cor.* I. 21.

X. Hujus prævenientis Gratiæ mysterio, ejusque fundatione in æterno Dei proposito & Prædestinatione, (non vero præsenti demum inspectione operis quo nos Deum vocantem sequimur) explicanda Scripturæ illa affirmatio, *novit Dominus qui sint sui.* 2 *Tim.* I I. 19. Neque aliam explicationem patitur Ecclesiæ invisibilis veræ periphrasis illa, *Populus Dei ὃν προέγνω quem præcognovit* *Rom.* X I. 2. Parallelum enim est illud *Rom.* V I I I. 29. *Nam quos præcognovit, etiam prædestinavit &c.* Item; *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* *Act.* X I I I. 48.

XI. Hinc est illud, quod eosdem, quos tandem Christus ad se congregatos agnoscit, ut Pastor oves suas suæ curæ traditas, etiam ante congregationem dispersos, novit ab initio, ut oves perditas & errantes, sibi quærendas & adducendas ad ovile; juxta illud, *alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere, nam vocem meam audient. &c.* *Joh.* X. 16. Quemadmodum non de credentibus jam ex audito, sed de audituris & credituris Corinthiis, Paulo prædicaturo dixit Deus; *Populus est mihi multus in hac urbe.* *Act.* X V I I I. 10.

XII. Resolvitur ergo Disquisitio hæc de Ecclesia in Controversiam, an Christi in terra Regnum plene ab ipso administrari & exerceri queat, sine illo Vocationis per Verbum Euangelii successu, quo adduntur quotidie Ecclesiæ qui salvi fiunt, per Fidem in ipsum. Affirmant *Socinus* & asseclæ; quia scilicet successus ille pendet non à vocantis sed à vocatorum libero arbitrio, *Christi vero regnum quod in terris habet, non subditorum voluntate sed regnantis potestate contineatur, eaque metiendum sit:* ipsumque adeo *plane subsistat, & pleno jure à Christo administretur, etiamsi totus terrarum orbis illi adversaretur. Socinus contra Chiliastas, Epist. ad Synodum.*

XIII. Nos contra inficiamur, sine illo vocationis successu potuisse obedientiam Christi usque ad mortem coronari gloria & honore Regni illius, quod ipsi *disposuerat Pater* *Luc.* X X I I. 29. aut ipsum censeri *Unctum Regem super Sion montem sanctum Dei* *Psal.* I I. aut Patrem ipsi servasse promissionem juratam *æterni Sacerdotii* *Psal.* C X. Si enim, ex hypothesi, ita totus terrarum orbis illi adversaretur ut nullus efficaci vocatione, secundum Dei vocantis propositum, efficeretur ex non populo populus Dei 1 *Pet* I I. 9. 10. ex *Hos.* I I. 23. nullum esset Christo Sacerdotium, nullum Regnum in monte Sion, sed regnandum ipsi foret in monte Sinaï, sola hostili dominatione, & tandem rebellium triumphatione. Vide sit *Anti-Smalcii nostri Caput XIX.*

XIV. Sicut

XIV. Sicut hactenus quæ in speciem ἐξαγώνια sunt ostendimus distare εἰς διὰ πασῶν, sic porro animadvertimus ipsorum τὰ κατ' ἐ de *Notis Ecclesiæ*. Bona verba illa; *Ecclesia ex veritate cognosci debet, non veritas ex Ecclesia.* At latet anguis in eo, quod *censent non admodum opus esse disputare de Notis Ecclesiæ, ubi & apud quos sit* Apertius loquitur *Smalcius, in Refut. Thesium Franzii. Disput VIII. pag. 282. Notæ Ecclesiæ nullæ sunt, nec ut sint necesse est. Et gyrus est valde ridiculus, si pro nota Ecclesiæ doctrina vera & salutaris censeatur. Tam enim incertum est, ubi vera Christi Ecclesia, quam incertum est, ubi sit vera & salutaris doctrina*

XV. Nititur *Smalcius* isthac hypothesi, quod *Doctrina vera & salutaris non est Nota Ecclesiæ, sed est Forma Ecclesiæ, quæ scilicet dat esse illi.* At male consentanea loquitur, si standum est assertioni isti, qua *Auctores Compendioli* pronunciant, *Veram Christi Ecclesiam nobis non esse conspicuam, cum constet ex vere credentibus & Spiritu Christi præditis: Fides autem & Spiritus in corde lateant.* Hoc enim pacto Forma Ecclesiæ, quæ dat esse illi, non est Doctrina vera & salutaris, sed Fides & Spiritus in corde latens.

XVI. Enimvero ἀδύνατον est, ut consentanea loquantur, vel *Smalcius*, vel hi *Auctores Compendioli*, quandoquidem per gangrænam erroris jam indicati, non possunt non confundere Formam Ecclesiæ Invisibilis invisibilem, quæ dat esse suum corpori Ecclesiæ mystico, quam efficaci nova creatione producit Deus: & cœtuum Ecclesiæ visibilium μόρφωσιν visibilem, qua formantur ministerio humano divinitus instituto *Rom.* 11. 20. & 2 *Tim.* III 5 ut cognitionis & pietatis seminaria & asceteria.

XVII. In disquisitione ergo de Notis Ecclesiæ, non quæruntur notæ Ecclesiæ invisibilis, quibus unusquisque tenetur explorare se ipsum, sitne illius verum & vivum membrum, de proximo verò relictum nobis tantum est *Charitatis* judicium. Verum inquiritur in μόρφωσιν seu formationem Ecclesiæ visibilis, an sit proba illa, & an secundum illam expectanda sit benedictio divina, iis qui congregantur ad audientiam, qua promoveatur salus animarum: breviter, sitne ἔννομος ἐκκλησία, legitima concio seu convocatio illorum qui congregantur.

XVIII. Jam de legitima concionis seu Ecclesiæ formatione, (quamvis non excludendum sit *Charitatis* judicium) præit necessario Judicium *Veritatis*, absque quo cœcum, adeoque nullum, esset judicium Charitatis. Judicii autem Veritatis de ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ Canon alius esse nequit, quam Lex seu Mandatum illius in cujus nomine convocatur Ecclesia: breviter de Ecclesia Dei, Verbum Dei. Consequenter prima & princeps veræ visibilis Ecclesiæ Nota merito asseritur esse, vera verbi Dei secundum Scripturas prædicatio, & prædicationi connexa ejusdem Verbi in Sacramentis obsignatio.

XIX. Lubet hic cognoscere ex *Volkelio de vera Relig. libr.* VI. *cap.* 6. quid illud sit, quod hic ajunt, *non admodum opus esse disputare de Notis Ecclesiæ, ubi & apud quos sit. Aut dubitatur*, inquit, *num ad sempiternæ salutis adeptionem necesse sit inquirere, ubi & penes quos Ecclesia Christi sit, aut investigatur quibus*

signis Ecclesia sit cognoscenda. Determinat autem; *Primo ad salutem consequendam non videri simpliciter necessarium esse, ubi Christi Ecclesia sit perquirere:* & pugnat hoc argumento, *quod ad cœlestem hæreditatem satis sit, in Christo fiduciam locatam habere, eique obtemperare: nusquam autem præcipiatur, ut unusquisque ubi sit vera Christi Ecclesia pervestiget. Interim tamen*, inquit, *haud negamus, si contingat, ut cognita salutari Christi doctrina, non statim cernas ejusmodi hominum cœtum, qui eandem veritatem profiteatur, aut in illo verseris, convenire, ut inquiras exstentne alicubi homines ejusmodi, ut ita te illis, quoad fieri potest, arctissime adjungas, & sanctiorem amicitiam cum iis colas, & vel tu ab illis, vel illi à te, tum in cognitione rerum divinarum, tum in pietatis studio juventur, & cætera, quæ conjuncta veluti manu à fidelibus peragenda sunt, à te una cum illis perficiantur.*

XX. Castigamus determinationem illam isthac antithesi: Non convenire tantum, ut inquiras ubi & apud quos sit Ecclesia Christi visibilis, sed imperatum esse fidelibus singulis, ut se (non sine parvulis suis, ut catechumenis) diligenter aggregent Ecclesiæ visibili, *non deserentes* ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν *aggregationem sui mutuam. Hebr.* x. 25. Et damnari qui segreges vivunt, ut *homines animales Spiritum non habentes. Jud.* 16. Ea propter ordinarie non satis esse, si quis dixerit se in Christo fiduciam locatam habere eique obtemperare, securus interim de inquisitione illa, ubi & penes quos sit Christi Ecclesia. Contingere vero extra ordinem illud, quando extra omnem cœtum Ecclesiæ visibilis, aliquis μονότροπος segrex, sine verbo prædicato, privata lectione Verbi Dei, divina benedictione perducitur ad fidem, ac membrum efficitur Ecclesiæ invisibilis. Ordinarie *Fides est ex auditu*, non sine prædicantium ministerio. *Rom.* x. 14.

XXI. Est ergo illud fugiendum τὸ ἄκρον τῆς ἀνοίας in disputatione de Notis Ecclesiæ contra *Papistas*, inficiari Notas omnes Ecclesiæ & earum necessitatem. Et veritatem ex qua cognosci debeat Ecclesia ita interpretari, ut non notet veram & salutarem doctrinam, quæ nobis sit nota Ecclesiæ, cui nos aggregare nostri sit officii, sed non simulatam veræ doctrinæ fidem, ex qua Deus cognoscat qui sint sui.

XXII. Interim observamus, non posse ipsos in extremo illo consistere, nec reipsa sibi constare: quandoquidem *Smalcius*, pagina supra indicata, & censet *pro regula immota & maxima hoc Criterium tenendum; Inter quos Deus & Jesus Christus rite colitur & adoratur, & inter quos studium pietatis secundum Christi præcepta viget, ii omnes pro Christi Ecclesia haberi possunt & debent.* Et hoc criterio præscribit contra Papatum, & affirmat se *credere, omnes illos, Lutheranes & Calvinistas, & alios, qui a Papatu defecerunt, in unam Ecclesiam congregari posse, si Spiritu J. Christi se regi paterentur*, & *charitatis officiis potius quam istis odiis mutuis certarent.*

XXIII. Ergo, velit nolit, & sunt & necesse est ut sint Notæ, quibus judicetur, à qua Ecclesia ut Apostatica secedendum, & cum qua congregandum sit: & Notæ illæ petendæ ex præceptis Christi, quibus præstatur audientia & obedientia. Et hypocrisin *Smalcii*, *Volkelii*, aliorumque, in disputatione hac, prodit vel solus titulus libri à *Vorstii* discipulis olim

editi

editi Franekeræ 1610. cujus auctor *Socinus*, *De Officio hominis Christiani, in hodiernis istis de Religione controversiis: hoc est, cui potissimum cœtui, inter omnes de Religione dissidentes, homo Christianus adhærere debeat.* Qui liber ipsius est, cum cujus translatione in linguam Belgicam sparsum est in lingua eadem excusum *Anno* MDXXX. hoc quod tractamus *Compendiolum.*

§. II.

Ad obeundum S. Ministerium satis esse putant, si aliquis cœtus sit, qui doctorem sibi aliquem constituat, vel saltem in officio suscepto confirmet: cum Ecclesia habeat jus vocandi ministros. Act. VI. XIII. & XIV. *Itaque in Synodis solent idoneos ministros his vel illis cœtibus præficere, vel transferre, prout expedire illis videtur. Et quotquot recipiuntur promittunt se Ecclesiæ semper obedientes fore juxta Dei verbum. Adhæc solent in suis Synodis habere disputationes publicas, & postulata Ecclesiarum cognoscere, & controversias graviores componere. In primis vero in vitam Ministrorum illic inquiritur, nec non in doctrinam, si forte hinc aliquod scandalum sit ortum. In summa, tractantur ibi quæ ad salutem & promotionem suarum in genere Ecclesiarum facere putaverint.*

§. III.

Disciplinam pro variis peccatorum gradibus temperant Matth. XVIII. *Qui palàm peccavit, publice coram Ecclesia (digressis iis, qui non sunt baptisati, vel etiam his præsentibus, si gravius quiddam sit, imo etiam extraneis spectantibus, præsertim cum Cœna Domini peragitur) arguitur, & ab usu Cœnæ suspenditur. Contumaces autem tandem excommunicantur: ita ut palam eos Satanæ membra esse proclament.* 1 Cor. V. *Quorum etiam commercio reliquis omnibus interdicunt; præsertim quod ad Osculum pacis, quo se invicem alioqui salutare solent. Resipiscentes tamen recipiunt, postquam Ecclesiæ satisfecerint. Sed & hic nonnihil variant.*

I. De Ministerio S. obeundo præcognitis opus est, ut recte cognoscatur τὸ κρινόμενον. Initio, non intelligitur officium charitatis illud, quod privatus quisque, etiam sine sexus discrimine, debet proximo, ut agnita veritate Euangelii, alteri etiam idem commendet: sed Munus docendi publicum, in cœtu Ecclesiæ, quod continetur *Episcopatus* nomine 1 *Tim.* III 1.

II. Extra oleas ergo vagatur hic, ex schola ista, *Theophilus Nicolaides*, *Tractatu de Ecclesia pag.* 102. fingens, neminem esse, qui aliquem vocare aut mittere possit, quo casu tamen non sit omittendum munus docendi alios. Ut si in ea mundi parte ubi hactenus Euangelii nulla fuit notitia innotesceret illud, agnosceret aliquis verum esse Christi Euangelium, agnosceret sui esse officii, aliis etiam idem Euangelium commendare, non liceret ipsi docendi officium negligere.

III. Deinde, Jus Vocandi Ministros, quod habet Ecclesia, quod adnotatis locis *Act.* VI. XIII. & XIV. confirmant, ex locorum inspectione liquet, tangere non minus *Presbyteratum*, & *Diaconatum*, quam Docendi & prædicandi munus. Ut non possit ad Docendi munus obeundum satis esse, quod satis non est ad constituendum in muneris functione publica Presbyterum aut Diaconum.

IV. Jus vero illud, quod habet Ecclesia, non ita censeri potest arbitrarium & liberum Ecclesiæ, ut eo uti possit vel non uti, prout tempori serviendum fuerit, ut re adiaphorâ. Est enim jus divinum tale, cujus neglecti seu non exerciti ad ædificationem sui Ecclesia tenetur Deo rationem reddere.

V. Non repugnamus ergo, quin ad obeundum S. ministerium satis esse queat, si aliquis cœtus sit, qui Doctorem sibi aliquem constituat, vel saltem in officio suscepto confirmet: sed hac Lege, ut constitutio omnino de jure divino necessaria sit, nec absque illa fas sit, in cœtu publico Ecclesiæ, obire S. ministerium seu docendi munus.

VI. Enimvero præcognoscendum porro, quid vocent *Auctores Compendioli susceptum* officium. Intelligunt casum illum, siquis à se ipso, h. e. absque missione vocatione aut electione docendi munus in se susceperit. In suscepto autem officio confirmationem non flagitant, ut legitimationem muneris, ab initio haud legitime suscepti: quo sensu fatemur nonnunquam posse in officio suscepto confirmari, qui cætera probus est, & ad docendam atque ædificandam Ecclesiam judicatur idoneus

VII. At illi censent, nihil ejusmodi susceptione muneris docendi peccari, & *nullo modo pertinere ad naturam muneris, istam ab Ecclesia vocationem vel constitutionem: sed, si vel olim adhibita fuit, vel nunc adhibetur, id in Ecclesia bene constituta fieri ordinis & decori conservandi causa* Ostorodus *Instit. Cap.* XLII § 11. 12. 13. *Smalcius Refut. Franzii Thes Disp. IV. ex posterioribus, de Ordine Ecclesiastico, Theophilus Nicolaïdes, Tractatu de Ecclesia & Missione Ministrorum:* ex quo interest exscribere sequentia, quæ leguntur *pag.* 101.

VIII. Contendit ille, Paulum Apostolum, (cum dicit 1 *Tim.* III. 1. *eum qui Episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscere*) libertatem concedere affectandi munus docendi, & rectam istam consecutionem; *Si licet concupiscere, ergo etiam licet aggredi docendi munus. Quis enim*, inquit, *dubitare poterat, eum qui in animo suo concupiscit Episcopatum, absque functione illius, illam rem bonam animo versare? ut hoc Apostolo docendum fuerit? At posse aliquem munus illud sibi sumere sponte sua, & illud aggredi, absque singulari missione vocatione aut electione, dubitari poterat, ob magnam ejus dignitatem. Docet igitur*, inquit, *Paulus, recte id fieri, & jure posse unumquemque id aggredi, modo ad id aptus sit, quod aggredi cogitat vel cupit: quam aptitudinem statim etiam copiose describit, etiamsi tandem à nemine vocetur vel mittatur.* Et mox; *Deinde*, inquit, *licere ei etiam aggredi munus docendi, cui licet concupiscere, absque ulla aliorum vocatione aut missione, hinc constat, quod nemo sit cui potestas ista vocandi alios data sit.* Et subjicit porro illa, quæ jam *Thesi VII.* repræsentavimus.

IX. Vindicandus ergo nobis locus ille Apostoli: in quo bene habet quod agnoscit, considerari *magnam Episcopatus dignitatem*, ob quam dubitari singulariter posset, concedine potuerit libertas illum affectandi & functionem illius sponte aggrediendi. Certe non temere hic dixit Apostolus καλὸν ἔργον *præclarum opus*: sicuti alibi, *eos qui in verbo laborant Presbyteros, duplici honore dignos habendos esse*, 1 *Tim.* V. 17. Unde hoc saltem efficitur à nobis, non esse

esse alienum argumentum illud, quod contra usurpationem Episcopatus, sine prævia missione aut vocatione ad munus, petitur ex loco *Hebr.* v. 4. *Neque sibi ipsi sumit quisquam istum honorem, sed qui vocatus à Deo, ut Aaron.* Robur enim demonstrationis est, in magna muneris dignitate, & duplici honore, quo ἀνάλογως Sacerdos in V. T. Episcopus in N. T. dignus habendus est: ut affectare illud nemo possit nisi ὁ φιλοπρωτεύων, *qui primatum ambit* in Ecclesia, & amat τὴν πρωτοκαθεδρίαν, h. e. *primum altioris subsellii consessum*: contra Christi & Apostolorum monita, & censuram. *Matth.* XXIII 6. *Luc.* XI. 43. 3 *Joh.* 9.

X. Deinde, quandoquidem existimamus, extra omnem controversiam turpem & inhonestam esse affectationem officii publici Diaconatus in Ecclesia, quantumvis illud impendatur totum laborioso operi charitatis, cui nefas est ut quis se subducat vocatus: & præscriptum est contra affectationem Canone illo Apostoli, eodem *Capite* 1 *Tim.* III. 10. atque hi etiam probentur prius, deinde ministrent, si sint inculpati: necessariâ consequentiâ, à minori ad majus, honoratioris muneris Episcopatus affectatio turpis & inhonesta censeri debet: & Canones Apostolici, qualem esse oporteat Episcopum, accipiendi, ut Ecclesiæ dati, ad arcendos Episcopatu, qui se ipsi ingerunt & intrudunt, non exspectata Ecclesiæ vocatione, quæ hic Deo vocanti ministrat.

XI. Et hic omni exceptione majus est exemplum Domini nostri Servatoris Christi, quod non temere cum Veteri Aaronis exemplo conjunxit Apostolus *Hebr.* v. 5. dicens; *Sic & Christus se ipsum non glorificavit &c.* Relinquens in N. T. hoc meditandum contra affectationem Episcopatus; quod ipse Christus non ingessit se in publicum docendi munus, sed patienter in silentio & spe exspectavit Vocationi divinæ præfinitum temporis articulum, annum ætatis circiter tricesimum, vivens tantisper privatus: etiamsi vix duodecennis puer, edito illustri sapientiæ specimine, se διδακτικὸν ostendisset. *Luc.* III. 23. *cum Luc.* II. 46.

XII. Merito jure ergo contra affectationem muneris docendi seu Episcopatus, adhibetur exprobratio illa divina, quæ dicta fuit olim Prophetantibus sine divina missione; *Non misi Prophetas, & ipsi cucurrerunt: non locutus sum ad eos, & ipsi prophetarunt Jerem.* XXV. 21. Cum etiam prædicantibus in N. T. dictum sit ab Apostolo; *Quomodo vero prædicabunt, si non mittantur? Rom.* X. 15. Et nihil habent hic quod reponant præter πρῶτον ψεῦδος illud Socinianismi, de Nova ante inaudita Judæis lege Fidei Apostolis prædicanda, propter quam nova missione opus habuerint. Quod vel unicum Apostoli testimonium satis refellit, quo contestatus est *nihil se prædicasse, extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerant. Act.* XXVI. 22.

XIII. Nec opus censemus ad locum 1 *Tim.* III. 1. litigare, de verbis ὀρέγεται & ἐπιθυμεῖ, an iis notaverit Apostolus operis præclari & boni desiderium & concupiscentiam, bonam quoque & laudabilem; an commendatione operis quod appetitur expressa, voluerit appetitum sistere, eique, ne temere quis non exspectata vocatione se ipse ingerat, fibulam imponere pii

re pii

re pii timoris & tremoris, in quo appetitum illum accuratius quisque examinet, ne magis affectatio sit honoris quam oneris & operis. Sufficit quod jam *Th. X.* indicavimus, poni ab Apostolo obicem aggressioni seu usurpationi Episcopatus spontaneæ, traditis Ecclesiæ Canonibus, secundum quos vel admittendus quis vel arcendus est.

XIV. Neque hic fidam aut tutam existimamus apologiam *Smalcii*, qua tuendum censet obitum à Luthero ministerium reformatæ prædicationis Euangelii, ex hoc tantum capite, quod absque prævia vocatione docere alios potuerit & debuerit: quia scilicet non tantum charitate ergo proximum ad id ducebatur, verum etiam impetu quodam divino ad idem rapiebatur. Atque ait se dolere, *Franzium* non potius hoc urgere, quam Vocationem Lutheri quæ in Papatu ei contigit. *Refut. Thes. Franzii pag.* 375.

XV. *Franzius* (*Disput. de Ordine Ecclesiastico pro August. Confess. Art. XIV. Thess.* 80 -- 88) recte hoc urget, in Vocationibus quas sub Papatu à Papistis accepit *D. Lutherus*: quod in Doctoratu suo *Anno* MDXII. juramento promisit, (verbis conceptis tunc temporis) *quod vanas peregrinasque doctrinas, ab Ecclesia damnatas, & piarum aurium offensivas, non dogmatisabit, adeoque in Ecclesiæ Catholicæ Filii Dei dogmata juravit.* Ergo quam primum intellexit, quod doctrina Papæ sit damnata ab antiqua vera Apostolica Ecclesia, vigore præstiti juramenti ab ea recedere debuit & eam damnare, Apostolicam vero è contrà inculcare; & hinc esse quod Lutherus de Doctoratu suo gloriatur, (*Tomo V. Jenensi Germanico fol.* 553.) utpote in quo juravit, se Veritatem defensurum. Potuisse ergo vigore præstiti juramenti, in vocationibus, quas sub Papatu à Papistis accepit, D. Lutherum & Christi veritatem prædicare, & NB. accedente consensu Ecclesiæ, alios vocare & ordinare, cum jure succedendi.

XVI. In præsens porro animadvertendum, male consentanea quidem ista esse; Si nemo est cui potestas vocandi alios data est, (quod asserentem audivimus *Theoph. Nicol.*) quod Ecclesiæ tribuunt Jus vocandi Ministros, & quod Jus illud modo tribuunt vulgo discentium, alius enim cœtus intelligi non potest, qui Doctorem sibi aliquem constituit, modo transcribunt Synodis, quæ sunt magis Docentium cœtus, & volunt, ab ipsis præfici his vel illis cœtibus discentium, vel transferri, prout expedire illis videtur, idoneos ministros docentes.

XVII. Neque hic caret præposteritate, quod præscribunt *Auctores Compendioli*; ut quotquot recipiuntur promittant, se Ecclesiæ semper obedientes fore juxta Dei verbum. Rectæ enim rationi & verbo Dei consentaneum est, ut qui recipiunt, vel sibi ipsi constituunt Doctorem, subjiciant se illi ut Discipulos: adeoque promittant se obedientes illi fore semper juxta Dei verbum. *Obedite ductoribus vestris & obsequimini: vigilant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri. Hebr.* XIII. 17.

XVIII. Non eximimus tamen nos illos qui Ecclesiis præficiuntur, obedientia illi ordinis, quâ jubet Apostolus subjici Prophetis spiritus Prophetarum. 1 *Cor.* XIV. 42. Neque consequenter improbamus praxin illam, qua

quæ in Synodis inquiritur, in primis in vitam Ministrorum; nec non in doctrinam, si forte hinc aliquod scandalum sit ortum. Et scimus non posse constare istam in Synodo inquisitionem in vitam & doctrinam Ministrorum, citra observationes & indicia idiotarum, quibus Ministri præfecti sunt ordine Ecclesiastico.

XIX. Attamen censemus, non posse sartam tectam esse εὐταξίαν & tranquillitatem Ecclesiæ, ubi viget licentia ista, quam in cætibus illis, quibus ipse adhæsit, se vidisse testatur *Socinus Epistolâ de Ecclesia. pag.* 235. 236. Ut Verbi Dei Ministri, in loco quo publice munere suo funguntur, omnium reprehensionibus & corruptionibus sint expositi: ac sæpissime ab aliis & reprehendantur & corripiantur: & unicuique in Ecclesia fas sit sententiam suam dicere, de omnibus ad veritatem divinam pertinentibus: quin etiam nulla de re ejusmodi in Ecclesia quidquam constituatur, quin singuli nominatim prius suam sententiam rogentur.

XX. Eo pacto in Ecclesiæ gubernatione omnes, qui secundum Canones Apostolicos implent locum idiotarum 1 *Cor.* XIV. 16. 23. exæquantur Ductoribus seu Antecessoribus Ecclesiæ: & monstrose fiunt, in corpore Christi, tot oculi, quot membra, contra monitum Apostoli, illâ oculorum allegoriâ illustratum. 1 *Cor.* XII. 14. 31. Cujus allegoriæ ille est scopus, ut, quemadmodum corpus sequitur ductum oculorum, non contra, ita reliquum Ecclesiæ corpus sequatur præfectos sibi Ductores, quamvis oculatâ non cœcâ obedientia & obsequio.

XXI. Et palpabilis hic est spiritus contradictionis, in eo, quod cum hac independenti idiotarum licentia, cui ad obedientiam subjiciuntur ipsi Ecclesiæ Ductores & Antecessores, tuentur *Auctores Compendioli* illam Synodorum superioritatem; qua his vel illis cœtibus præficiuntur, vel transferuntur prout expedire illis visum est, ministri idonei, & cognoscuntur postulata Ecclesiarum, & componuntur controversiæ graviores, & in summa tractantur illa, quæ ad salutem & promotionem Ecclesiarum in genere facere putaverint.

XXII. A scrutinio paragraphi ultimi, de Disciplina Ecclesiastica, supersedemus, quia ipsorum relationi hic standum foret, quomodo illam pro variis peccatorum gradibus temperent: & an juxta mandatum Christi *Matth.* XVIII. Nec satis nobis liquet, quousque Excommunicatorum commercio reliquis omnibus interdicant: aut quam satisfactionem flagitent ab Excommunicatis resipiscentibus ut illos recipiant: seu quæ sit ipsorum concordia discors, ubi profitentur, se non nihil variare.

XXIII. Denique desideramus declarationem, super *Osculo pacis, quo se invicem salutare solent*, à quo Excommunicatos arcent; ritum ne illum censeant Sacrum, mandati Apostolici vigore *Rom.* XVI. 1 *Cor.* XVI. 2 *Cor.* XIII. *&* 1 *Thess.* V. 1 *Petr.* V. an civilem adiaphorum, an verò & hic varient. Videri enim possent, propter subjectam materiam, hoc velle, ut censeatur esse ritus sacer, juxta cœnam Domini, imperatus Ecclesiæ N. T. ad testificationem Charitatis Christianæ, cum significatione Charitatis qua nos

dilexit Christus. Similiter ut de Pedum lotione censet secta illa Anabaptistarum, qui *vulgo* Voet-wasschers nomine insigniuntur.

CAPUT DECIMUM.

De Baptismo & Cœna Domini.

§. I.

Docent primo in genere, esse Signa Fœderis Dei, & Tesseras Confessionis nostræ. Sic Baptismi ritum institutum esse ad hoc, ut qui baptisatur hac Ceremonia testetur se in Christum credere, & per eum à suis peccatis ablui. Itaque asserunt per Baptismum peccata remitti & hominem servari. Act. XXII. 1 Petr. III. Marc. XVI. *Cum sit quædam Christi confessio, per quam Deus nos servare constituit.* Rom. X. 1 Joh. IV. & V.

§. II.

Pædobaptismum rejiciunt, ut inutilem, & Christi institutioni minus convenientem: cum infantes nec credere nec fidem profiteri possint. Sunt tamen inter eos, qui fere putent ipsum esse adiaphorum, si modo alicui ædificationi servire possit.

§. III.

Denique sunt, qui putant Baptismum jam non amplius urgendum esse, tanquam necessarium: cum Christi mens fuerit, tantum circa initium Ecclesiæ Christianæ ritum hunc suis præscribere.

I. De Baptismo & Cœna Domini loquentes *in genere*, nomine *Sacramenti*, quod loco Generis receptum est usu Occidentalis Ecclesiæ, ex proposito abstinent. Causam dicit *Volkelius de Vera Rel. libr. IV. cap. 22. Quod Sacramenti nomine abusi sint, qui ad ritus quosdam sacros id transtulerunt, & Sacramenta non signa tantummodo, sed etiam obsignationes confirmationesque divinæ gratiæ, atque adeo ejusdem in nos conferendæ instrumenta quædam esse volunt.*

II. In definitione quidem nominis abusio nulla esse potest, quando *Sacer ritus* venit nomine Sacramenti: frustra enim quæritur alia Analogia Grammatica, quam ut à supino *Sacratum* verbi Sacro fiat Sacramentum; sicut à Juratum est Juramentum, à Testatum Testamentum, ab Ornatum Ornamentum.

III. In definitione autem Rei abusionem præstare tenentur, nobis consentientibus, illi quidem, qui Signa significantia & obsignantia transformare satagerunt in instrumenta operantia & conferentia Rem significatam. Assertione vero significationis obsignantis, adeoque confirmantis, per modum sigilli quod diplomati appensum est, nihil peccatur à nostris Ecclesiis.

IV. Nitimur enim hic Scripturæ auctoritate, in qua olim sacer ritus Circumcisionis appellatur *Signum Fœderis Dei Gen.* XVII. 10. item *Signum, & Sigillum Justitiæ Fidei. Rom.* IV. 11. Sequuntur hactenus Scripturam *Au-*

ram *Auctores Compendioli*, quod docent Baptismum & Cœnam Domini *in genere esse Signa Fœderis Dei.* Interim non servant Scripturæ διάνοιαν, quam σφραγῖδος *Sigilli* nomine expressit Apostolus, quæ hæc est, quod sicut Fœdus Dei est, non hominis, h. e. à Deo homini datum, non contra *Gal.* III, 15. 17. ita Signis Fœderis, ut Sigillis, Hominem obsignat Deus, juxta illud; *Qui nos confirmat in Christum, & qui unxit nos, Deus est,* ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, *qui etiam obsignavit nos.* 2 *Cor.* I. 21. 22.

V. Hanc methodum obsignationis pervertit jam nominatus *Volkelius* ibidem, respondens; *etiam Circumcisionem, quantumvis sigillum nominatam, non alicujus divini promissi, sed Justitiæ fidei obsignationem fuisse*: seu *Notam, quam* postea *Deus apposuit Abrahamo & posteritati ejus, quum* ante *Abraham illi confisus, & sic fide justitiam consecutus fuisset.*

VI. Colorem haberet præposteritas illa, si soli Abrahamo Deus notam illam apposuisset, & non una Semini ipsius, cum severa lege ad posteritatem ejus, ne postea demum circumciderentur, quum ante Deo confisi & sic fide justitiam consecuti essent, sed ante quam aut credere aut fidem profiteri possent, nempe octavo die à nativitate.

VII. Aut ergo dicendum erit, posteritati Abrahami Circumcisionem omnino non fuisse Signum Fœderis, nec Sigillum justitiæ fidei; aut agnoscendum, Circumcisionis sacro ritu communiter Adultis & Infantibus obsignatam fuisse Adoptionem, & Gloriam, & Fœdera, & Legis constitutionem, & cultum & promissiones *Rom.* IX. 4. quæ cuncta Circumcisionis charactere prærogativæ erant populi Israëlitici, supra populos omnes non circumcisos, sub œconomia V. T. Mosaïca.

VIII. Copulant in genere *Signa Fœderis Dei*, & *Tesseras Confessionis nostræ.* Non repugnamus jam, sed ista lege, ut sartus tectus sit usus ille primus & principalis, quem diximus, quod Signis illis Deus nobis obsignet promissiones Fœderis sui; alter vero ille in adultis censeatur secundario consequens usus Sacramenti, seu accuratius loquendo; post Sacramentum à Deo datum nobis, subsequens Sacrificium, quod nos offerimus Deo.

IX. In specie, dicunt primo, *Baptismi ritum institutum esse*: & § II. meminerunt obiter *institutionis Christi*: & § III. iterum obiter, dicunt *Christi mentem fuisse ritum hunc suis præscribere.* Frigidâ affirmatione istâ janua aperienda fuit illorum quorum mentionem faciunt § IV. opinioni, qui *putant Baptismum jam non amplius urgendum esse tanquam necessarium: quod scilicet Christi mens fuerit, tantum circa initium Ecclesiæ Christianæ ritum hunc suis præscribere.* Hac vero opinione ansa danda *Socino*, *Smalcio*, *Ostorodo*, *Volkelio*, aliisque, liberius dissentiendi, ac negandi omnem à Christo factam Institutionem Baptismi Aquæ.

X. Enimvero non censemus ita liberum esse, quodlibeticè disquirere de Baptismi Aquæ Sacramento, unde sit, è cœlo, an ex hominibus. Cum noluerit Christus pro Quodlibeto haberi quæstionem illam, Pharisæos interrogans de Baptismo Johannis *Matth.* XXI. 25. 26. & convicta fuerit

illorum conscientia, *fuisse è cœlo*, h. e. institutionis divinæ: quod Johannes non posset non haberi pro Propheta.

XI. Accipimus ergo, in quantum pro, determinationem *Auctorum Compendioli*, *Christum instituisse & suis præscripsisse Baptismi Aquæ ritum*. Non ferimus autem *Socinum* ejusque asseclas, qui de instituto & præscripto ritu Baptismi aquæ nolunt intelligere mandatum Christi illud; *Profecti docete omnes gentes, baptisantes eos, in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti Matth.* XXVIII. 19 & contendunt, *vocem baptisandi posse illic accipi pro Doctrina, vel pro Baptismo Doctrinæ.*

XII. Glossæ isti obtendunt phrasin illam, *sciendi Baptisma* arreptam ex *Act.* XVIII. 25. ubi dicitur Apollos tantum scivisse Baptisma Johannis. Sed frustra sunt; esto enim, comprehendat phrasis illa scientiam doctrinæ Johannis per Synecdochen, ex ipsa Synecdoche argumentabimur, non posse Baptisma ipsum excludi, sed necessario præsupponi; ut illius nomine expresso suppressa sit doctrinæ significatio, propter necessariam in Johannis ministerio connexionem Verbi cum ritu sacro. Quia si vel Doctrina Johannis tantum expressè nominata esset, una intelligendum tamen esset Baptisma ab ipso ministratum: quia pars Doctrinæ fuit Baptismi promulgatio, unde dicitur *Baptismum prædicasse. Marc.* I. 4. *Actor.* X. 36. & XIII. 24.

XIII. Omnino intellectum Christo non Baptismum doctrinæ, insolenti ænigmate, sed Baptismum Aquæ, quem (prima institutione divina) Johannes & Discipuli Christi ministrare tantum potuerant Judæis, jam vero ipse (iterata dedicatione) Ecclesiæ Catholicæ ex Judæis & Gentibus colligendæ sacrum esse voluit, loquuntur ipsa mandati verba. Et testatur promulgatio Baptismi Aquæ deinceps facta ab Apostolis Christi, per effusum in ipsos Spiritum Sanctum illuminatis, ipso die Pentecostes *Act.* II. 38 41. & imperata in nomine Christi deinceps ac religiosissime observata praxis. *Actor.* VIII. 12. 16. & 36. & X. 33. 47. 48. & XV. 13. 14. 15. 33 & XVIII. 8. Adeo ut nec sine baptismo Aquæ Apostolatui suo sit initiatus cum ipso Christianismo Paulus, per Ananiam à Domino missum cum mandato *Act.* IX. 18. *cum Act.* XXII. 16.

XIV. Illam vero Christo mentem non fuisse (*ut tantum circa initium Ecclesiæ Christianæ ritum hunc suis præscriberet*: quapropter *jam non amplius urgendus sit tanquam necessarius*) confirmant, cum illa praxi Apostolorum collata verba Christi ultima apud *Matthæum versu* 20. *Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Qua clausula ab excessu Apostolorum deinceps ad consummationem sæculi prorogata est institutio S. Ministerii & Verbi Sacramentorum, nominatim Baptismi Aquæ: definito Christi imperio, ac mandato, cum promissione manutentionis perpetuæ, qua sui mandati observantiæ non sit defuturus præsidio & auxilio suo.

XV. Nodus autem hic nectitur vindice dignus; videri saltem ut necessarium urgeri non posse Baptismum Aquæ, quia scripserit Apostolus; *Non misit me Chri-*

me Christus ut baptisarem, sed ut euangelisarem. 1 *Cor*. I. 17. Respondemus; discendum ex antecedentibus, & ex collatione historiæ *Act*. XVIII. 8. quo schemate loquatur Apostolus, an absoluta inficiatione, an comparatione tantum negotii principalis & minus principalis. Posterius verum est.

XVI. Ex historia enim liquet, prædicantibus tribus cooperariis, Paulo Sila & Timotheo, multos Corinthiorum credidisse & baptisatos esse; adeo ut Baptismum unanimiter prædicarint singuli, ac necesse sit Apostolum in Epistola 1 *Cor*. I. 14. 15. 16. 17. hoc tantum sibi gratulari, quod non affectavit sollicitè *τὴν αὐτουργίαν*, seu ut manu sua plures baptisaret aqua: ratus, id quod verissimum est, non interesse ad muneris bene gesti rationem Deo reddendam, pluresne an pauciores quis baptisarit manu sua, modo docuerit fideliter suo ore Baptismum resipiscentiæ, & illius observationem persuaserit. Quia communi cooperariorum consensu uni mandari potest illa Baptismi *αὐτουργία*, ut quod per manum unius fit, id omnes facere videantur, secus quam fas est in docendi labore, quem singuli suo ore tenentur præstare.

XVII. De cætero, manet connexa cum missione & vocatione ad prædicandum missio & vocatio ad baptisandum aquâ: ut constitui non possit Minister Baptismi, qui non possit idem ac debeat obire Verbi ministerium publicum. Nec audiendus hic *Ostorrodus*, qui per gangrænam erroris, quem antecedenti Capite discussimus, censet; *sicut Verbi ministerium, ita Sacramentorum administrationem expositam esse omnibus, sine prævia missione electione aut vocatione. Instit. pag.* 441.

XVIII. Præscribit hic finis institutionis Baptismi & usus principalis supra assertus: quem perperam *Auctores Compendioli* definiunt, *tesserâ confessionis nostræ, qua is qui baptisatur testetur se in Christum credere, per quam confessionem Deus nos servare constituerit Rom.* X. 1 *Joh*. IV. & V. ablutionem à peccatis per Christum tribuentes ipsi baptisato, per Christi Euangelium persuaso, conjungenti cum peccatorum confessione resipiscentiam: qua præstitâ, asserunt scilicet, per Baptismum peccata remitti & hominem servari *Act*. XXII. 1 *Petr*. III. *Marc*. XVI. non collatione Baptismi significante & obsignante à Baptista ut Dei ministro, sed oblatione operis obedientiæ præstiti in ritu suscepti Baptismi; breviter non Sacramento Baptismi collato, sed ejus Sacrificio oblato, juxta animadversionem dictam *Thes*. VIII.

XIX. Ex illa autem hypothesi præpostera, de exposita omnibus seu Verbi seu Baptismi & Cœnæ Dominicæ administratione, Deo mittenti & vocanti non serviunt necessario ministri, vocatione speciali ad munus quod obeunt, sed tantum generali lege charitatis, vel zelo suo obsequentes, vel hominum flagitationi. Et consequens est, saltem in Baptismi administratione, evidentissimâ & palpabili consequentiâ, Baptistam non Deo aut Christo à manibus esse in sacro ritu, sed cuivis baptismum flagitanti servire tantum, ad superfusionem vel adspersionem aquæ: sicut olim Eliæ in operâ illa à manibus fuit Elisæus, & sicut quivis hominum servus servitu-

tem suam servit, non Deo, sed hominibus, quamvis ad servitutem tolerandam generali vocatione seu Lege Dei obligetur.

XX. Augustior certe functio ministerii docentium & baptisantium est, quam ut hominum vel ministri sint vel amanuenses: quamvis labor ministerii hominibus impendatur Dei mandato, quem solum Dominum agnoscunt servitutis & Ministerii sui 2 *Cor.* IV. 5. Quo facit allegoria à Johanne Baptista prolata, de paranymphis seu amicis Sponsi, qui Sponsæ, non propter ipsam, sed ad Sponsi obsequium serviunt. *Joh.* III. 29.

XXI. De *Pœdobaptismo* porro haud pie pronunciant, se illum *rejicere, ut inutilem & Christi institutioni minus convenientem*, hoc argumento, *quod infantes nec credere nec fidem profiteri possint.* Eodem enim argumento, dicant necesse est, inutilem fuisse & Dei institutioni minus convenientem, adeoque rejiciendam, Circumcisionem infantium octavo à nativitate die celebrandam. Nec elabi possunt, sine *Marcionitico* fermento isto, non licuisse illam rejicere per Legislatoris Veteris minus rationale imperium, quamvis inutilis esset, & nihil in ea esset rationi consentaneum. Quod tantum non αὐτολεξεὶ inculcat *Smalcius*, *de Divinit. Cap.* XX. agens de Legis ceremonialis abrogatione. Vide sis *Anti-Smalcium nostrum.*

XXII. Nos utilitatem Circumcisionis & Baptismi infantium metimur non ipsorum infantium usu solo, qui necessario usque ad rationis usum differtur: sed parentum (quando illorum ulnis gestantur, & ab uberibus pendent) consolatione illa, *ero Deus tuus & Seminis tui. Gen.* XVII. 7. *Vobis facta est Promissio & liberis vestris. Act.* II. 39. *Liberi vestri sancti sunt.* 1 *Cor.* VII. 14. Quam consolationem sibi curæ fuisse singulariter, testatus est Christus, quando contra discipulorum murmurationem ostendit, gratam sibi accidisse etiam puerulorum oblationem, ut illos tangeret: amplexus illos in ulnis, iisque benedicens, cum manuum impositionis symbolo. *Marc.* X. 13. 14. 15. 16. Ut ruat saltem argumentum ab inutili, & quod institutioni Christi minus conveniens sit Baptismus puerulorum.

XXIII. Quod ergo *infantes nec credere nec fidem profiteri possint*, non aufert tamen infantibus rem Baptismo principaliter significatam, cujus obsignatio ipsis utilis, & ubi adoleverint usui futura est, arcana in Ecclesiæ invisibilis corpus mysticum insitio, & communio Spiritus sancti, ipsos custodientis, donec vel in hac vita, vel in mortis articulo, infantilis ætas finem accipiat: ut vel hic in carne, vel quando carnem exuunt, vel per Fidem, vel per visionem, agnoscant, quæ ipsis inde à matris utero gratificatus est Deus, secundum electionis suæ propositum.

XXIV. Quod vero Institutionem Christi attinet, non potest ut illi minus conveniens rejici Baptismus infantium: sed contra Religioni Christianæ omnino conveniens non erat, ut abrogata Circumcisione, (quæ Fœderis Dei signum fuerat juxta adultos etiam infantibus ministratum) nullum esset in N. T. signum Fœderis Dei, quo initiarentur Ecclesiæ Christi Christianorum infantes.

XXV. Con-

XXV. Consequenter, mutato initiationis Sacramento, quando Baptismus Christi mandato successit Circumcisioni, expressa Pædobaptismi Institutione nulla opus fuit: & si fuisset opus, expressiori opus fuisset institutione, de baptisando etiam sexu fœminino. Deberi Baptismum utrique sexui, dictat analogia fidei de amplitudine Gratiæ N. T. per quam in Christo non est maris & fœminæ discrimen. *Gal.* III. 21. *Act.* VIII. 12. Non potest ergo non deberi infantibus Baptismus, quibus in V. T. debebatur Circumcisio; non enim conveniens est, ut restringatur in N. T. Dei favor, sed ut amplietur, in Christi institutione signorum Fœderis.

XXVI. Non fert ratio *Compendioli* hujus, ut persequamur controversiam Anabaptisticam de Pædobaptismo, quæ in hoc potissimum cardine versatur; An Circumcisioni antiquatæ in N. T. successerit Baptismus, ut novum veteri subrogatum Sacramentum initiationis in Ecclesia Dei? Quod nobis persuadet vel unicus illustris locus *Col.* II. 11. 12. de cujus *dariu* vide *Anti-Smalcium* nostrum, *loco jam indicato Thesi* XXI. Unum hoc dicemus; velint nolint, merito Anabaptistis accenseri *Auctores Compendioli*, quandoquidem originem accepit vel maxime Anabaptistarum nomen, ex eo, quod quosvis in infantia baptisatos, qui ipsis nomen darent, novo baptismo initiarent suæ Ecclesiæ.

§. IV.

Sacram Cœnam docent tantum ad commemorationem mortis Christi institutam 1 Cor. XI. *ita ut beneficia ab ipso accepta sint illic recolenda ac celebranda solenniter. Non autem ut in ea aliquid novi accipiamus, neque etiam ut aliquid nobis in ea obsignetur*: Da es sey eine gedechtnis des todts Christi / unnd Dancksagung / zu Godt unnd dem Hern Christo.

§. V.

Verba S. Cœnæ sic explicant; Hoc, *id est*, hæc tota actio quæ hic peragitur, est Corpus meum, quod pro vobis datur: *id est significat traditionem mei ipsius in mortem*, (*sic* Ezech V. Hæc est Jerusalem, *id est hoc ænigma pilorum*) *pro vestra salute, ita ut mortem meam hoc ritu semper commemorare debeatis.*

§ VI.

Rejiciunt autem opiniones, de præsentia ac perceptione corporis & sanguinis Christi in S. Cœnæ: sive corporalis ea fingatur, sive spiritualis. Concionem autem Christi Joh. VI. *simpliciter accipiunt, de fide in Christum collocanda, quæ ibi metaphoricè illustretur, ad ostendendam fidei necessitatem, & vim energeticam.*

I. Litem hanc, *in genere de Baptismo & Sacra cœna institutis*, non ad obsignationem, sed ad commemorationem, olim contestatus est per *Epistolas, ad Petrum Martyrem, & ad Tigurinæ ac Genevensis Ecclesiæ ministros Lælius Socinus*, sic scribens; *Vos, eximii summaque reverentia colendi & præceptores & Domini Tigurini ac Genevenses, dicitis, præcipuum inter alios Sacramentorum finem esse, ut per ea nobis suam gratiam testetur Deus, repræsentet atque obsignet: nam et si nihil aliud significant, nisi quod verbo ipso annunciatur, hoc tamen magnum est, subjici oculis nostris quasi vivas imagines, quæ sensus nostros melius afficiant, quasi*

in rem

in rem ducando, dum nobis Christi mortem omniaque ejus beneficia in memoriam revocant, ut fides magis exerceatur: deinde quod ore Dei pronunciatum erat, quasi sigillis confirmari atque sanciri.

II. *Ego vero*, inquit, *Baptismi & Cœnæ Domini, quæ sunt nobis præscriptæ ac reverenter observandæ cæremoniæ, dico finem primarium excellentissimum & in divinis literis singulariter commendatum esse, ut illis, quando fuerit integrum ac tempori consentaneum, in publico etiam multitudinis universæ congressu, ipsi nos testemur, visibili quadam specie repræsentemus, asseramus, & prædicemus, gloriosam Dei Servatoris nostri φιλανθρωπίαν, maxima & sempiterna bona, quæ jam per Christum nobis allata credimus, & olim conferenda certo speramus. Munimenta autem Fidei, & Sigilla, quibus divina promissa cordibus nostris quodammodo imprimantur, & gratiæ cœlestis firmitudo sanciatur, non video quo jure ac merito vocari possint.*

III. Post *Lælium* patruum, *Faustus Socinus*, ejusque asseclæ, Baptismo expuncto, *unicam tantum nobis præscriptam Cæremoniam* agnoscunt, *Sacram Cœnam*, de quâ litem illam litigant, hærentes *Lelii* vestigiis, qui verbose satis illam tractavit, ultra Epistolæ modum. Stringemus breviter ea quæ animadversionem flagitant, maxime ex *Volkelio libr. IV. cap.* 22. Initio ergo, juxta ea quæ de Sacramentorum ministerio, sine prævia vocatione exposito omnibus, supra observare cœpimus, facit ille *in Cœnæ celebratione, post alia, hoc etiam adiaphorum; Certi cujusdam hominis electiquem, nimirum Ecclesiæ Pastoris, qui reliquis cœnam Domini dispenset: per quem si administretur, cautio hæc adhibenda sit, ne quis putet, ministrum ea in re Christi personam atque auctoritatem sustinere, illiusque loco hoc facere, & actioni huic vim ac dignitatem quandam conciliare.* Contrà vero asserit; *Actionem frangendi panem non obscure ipsis Christi fidelibus generatim in sacris literis tribui Act.* XI. & XX. *ut appareat, Ministrum Ecclesiæ in frangendo pane eorundem vices obire.* Cujus rei gratiâ ait, *providendum verbi Dei ministro esse, ne unquam per oblivionem à pane & vino abstineat, ne videatur Christi ipsius munus obire velle, qui ipse Cœna illa usus non fuit, sed reliquis eam tantum dispensavit.*

IV. Christum ipsum Cœnâ illâ usum non fuisse, sed reliquis eam tantum dispensasse, temere *Smalcius* dictat, non docet. Nos credimus omnino Christum una cum discipulis, ut convivatorem cum convivis, Cœnam sacram percepisse: quia habemus apertum satis Christi testimonium, in verbis illis quæ loquutus est, post poculum inter discipulos distributum; *Amen dico vobis, non bibam amplius ex fructu vitis, usque ad diem illum, quum ipsum bibam novum in regno Dei. Marc.* XIV. 25.

V. Quidni credamus, tam Cœnâ illâ sacrâ in postcœnio Phaschali usum Christum quam Paschali Cœna? Cum optima hæc sit fidei analogia, quod ipse, ut circumcisus fuit *Luc.* II. 21. & Pascha edit *Luc.* XXII. 15. 16. quô promissiones Patribus factas confirmaret, sic Baptisatus fuit, & Cœnam sacram percepit, ut Euangelium obsignaret, acceptis sigillis justitiæ suæ, quæ ex fide nostra esset.

VI. Ineptam

VI. Ineptam vero censemus dissertationem illam, videri posse, ministrum Christi ipsius munus obire, si dispensans cœnam aliis, ipse à pane & vino abstineat: utentem vero Cœnâ, cum Ecclesia, in frangendo pane Christi, Ecclesiæ fidelium vices obire. Nihil præjudicat convivatoris actioni, qua inter convivas eximius est, si ipse cum convivis edat & bibat.

VII. Ex vi veritatis est, quod verbis saltem fatetur *Volkelius*, in usu Cœnæ Dominicæ; *non modo pane fracto, corpus Christi fractum, potu autem qui poculo continetur sanguinem Christi pro nobis fusum, adumbrari, omnibusque ante oculos mortem Christi cruentam poni: verum etiam, panem illum edendo, atque è poculo bibendo, palam nos testari atque profiteri, nos corpus Christi fractum ac crucifixum pro animæ cibo, sanguinem fusum pro potu habere, quo ad vitam spiritualem ac sempiternam perinde alamur ac confirmemur, ac cibo potuque corpora nostra ad vitam terrenam ac temporalem sustentantur.* Adeoque videri potest fateri, (id quod hic §. VI. rejiciunt *Auctores Compendioli*) esse in S. Cœna *Perceptionem spiritualem* corporis & sanguinis Christi. Verba *Volkelii* ista sunt; *Non quidem* quod in hac *tantum* sacra actione Christi carnem & sanguinem spiritualiter edamus ac bibamus. At verba dat.

VIII. Hypocrisis confessionis istius hæc est, quod magnâ catachresi, quicquid orthodoxi similibus verbis loquentes ipsi morti Christi, h. e. obedientiæ illius merito, tribuunt, qua crucem sustinuit & sanguinem suum fudit, id illi totum intelligunt, de Martyrii constantis exemplo; cujus meditatione ipsi nos alamus & confirmemus in similis obedientiæ proposito. Vitam enim spiritualem, nostro officio, nullo autem Dei beneficio, definiunt; vitam vero sempiternam, nostri operis mercede quam exspectamus.

IX. Atque hoc est quod *Volkelius* (ad argumentum orthodoxum quo premi se sentit, testimonio illo Apostoli 1 *Cor.* X. *Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communio est corporis Christi; quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus*) respondeat; communicationem istam corporis & sanguinis Christi, *partim in Annunciatione illa nostra contineri, partim ex illa resultare*: ut excludat omnem Dei & Christi actionem, qua se nobis communicet, ac nos pascat seu alat cibo & potu spirituali.

X. Communicationem ergo illam, *κοινωνίας* partim definit *professione ac declaratione nostra, nos participes esse religionis & cultus illius* qui in usu Cœnæ peragitur: ac deinde *nos unius corporis membra esse, ac instar membrorum unius corporis alios aliorum curam habere, & nequaquam alios ab aliis contemni ac negligi debere.* Breviter ergo, sola professione cæremoniali officii nostri, quo, Deo & Christo religionem & cultum, proximo charitatem debemus. Ut locum non habeat ulla communicatio, quæ fit à Christo communicante nobis carnem suam edendam, aut sanguinem suum bibendum: quam flagitat tamen harmonia verborum Apostoli, cum harmonia Euangelica verborum Cœnæ Dominicæ institutæ & à Christo celebratæ. *Matth.* XXVI. *Marc.* XIV. *Luc.* XXI. & 1 *Cor.* XI.

XI. Solidus autem *finis*, *ob quem Christus suam Cœnam instituit*, constitui non potest, *in commemoratione mortis Christi* nobis mandata; *quâ corpus Christi fractum, panis fractione, potu autem qui poculo continetur, sanguinem Christi pro nobis fusum, nos adumbremus*. Quandoquidem in Cœnæ Dominicæ usu, non edimus τὸ ἴδιον δεῖπνον, sed τὸ κυριακὸν δεῖπνον, non propriam cœnam, sed Dominicam cœnam 1 *Cor*. XI. 20 21. in qua assidemus, non propriæ, sed Domini mensæ, & bibimus, non nostrum sed Domini poculum 1 *Cor*. X. 21. ut censeamur invitati convivæ, qui poculo excipimur seu potamur à Domino. Unde passiva illa verba, in utriusque Sacramenti mysterio significando adhibita, ἐβαπτίσθημεν, ἐποτίσθημεν, *baptisati sumus, potati sumus*. 1 *Cor*. XII. 13.

XII Verba S. Cœnæ non explicantur, sed intricantur, glossâ istâ *Hoc, id est, hæc tota actio quæ hic peragitur, est Corpus meum quod pro vobis datur: id est, significat traditionem mei ipsius in mortem, pro vestra salute*. Planus est verborum contextus; *Accepit panem, & quum benedixisset, fregit, deditque discipulis, & ait, accipite, comedite, hoc est corpus meum. Matth* XXVI 26. Unde fluctuat circa glossam istam *Volkelius*, dicens; *Vox hoc, vel non ad panem, sed ad actionem totam referenda est, vel saltem non de pane simpliciter, sed quà frangitur, est accipienda*. Posterius rectum est; neque enim nos pani simpliciter, extra usum S. Cœnæ quo frangitur & manducandus datur, consecrationem illam tribuimus, qua nominatur Corpus Christi.

XIII. Enimvero pili haud facimus, ad Glossæ istius confirmationem, hoc *ænigma pilorum*, quod producunt ex *Ezech*. V. *versu* 1. *& deinceps*, ad quem locum sic commentatur *Volkelius*, *Quo in loco nemo non videt, figuræ tribui rei ipsius nomen, cum dicitur, hoc est Hierusalem, ac præterea non solos pilos Hierosolymam nominari, sed omne id quod de pilis fiebat: nihilque aliud dici, quàm isto pilorum negotio adumbrari, quid primo quoque tempore de Hierosolyma futurum esset: ut cuilibet totum illud caput diligenter legenti facile patebit*.

XIV. Videmus quidem, *isto pilorum negotio adumbrari, quid primo quoque tempore de Hierosolymis futurum esset*. At, diligenter legenti patebit facile, veritatem Hebraïcam flagitare translationem illam Latinam, *hoc est Hierusalem*: quomodo nec *Vulgatus* transtulit, nec *Pagninus*, *Munsterus*, *Castellio*, *Ar. Montanus*, *Tremellius*, sicut nec *Auctores Compendioli* expresserunt, qui dicunt tantum, *Hæc est Jerusalem, id est, Hoc ænigma pilorum*. In Hebræo est *vers* 5. זאת ירושלים / & nomen urbis, & pronomen fœmininum est.

XV. Non ignoramus fœmininum זאת sæpissime vertendum per neutrum *Hoc*. Verum negamus illud hic flagitare seriem & ductum orationis: ut disquirere necesse non sit an soli pili, an pilorum ænigma, Hierusalem nominentur Est in antecedentibus non tantum pilorum, & negotii pilorum visio, sed etiam urbis, in qua gereretur hoc negotium: repræsentatur enim gerendum, בתוך העיר / *in medio urbis vers*. 2. Quidni ergo explicamus τὸ זאת *Hæc*, per העיר *Urbs*? ut sensus sit *versu* 5. *Hæc urbs est Hierusalem*. Corruit ergo istius novæ glossæ ad verba S. Cœnæ tibicen.

XVI. Te-

XVI. Temere autem *rejiciunt opiniones*, sine discrimine omnes, *de præsentia ac perceptione corporis & sanguinis Christi in S. Cœna, corporalis sive spiritualis ea statuatur*. Præsentiam ac perceptionem in S. Cœna corporalem, & nos pro figmento habemus. Concedit *Volkelius* nos in sacra actione hac Christi carnem & sanguinem spiritualiter edere ac bibere, quamvis non tantum in sacra actione, sed etiam illa cessante; vide sis *Thesin VII.* Quomodo jam in S Cœna, spiritualiter edi queat & bibi caro & sanguis Christi, ubi nulla est carnis & sanguinis Christi præsentia spiritualis, divinandum relinquitur.

XVII. Ænigmatis Sociniani interpretationem videmur illam assecuti; ad præsentiam & perceptionem carnis & sanguinis Christi spiritualem in S. Cœna, supponatur necesse est præsentia h. e. præsens existentia corporis Christi naturalis, in Cœlis, vel saltem in rerum naturâ Atqui nullam vel *Lælii* vel *Fausti Socini* discipuli credunt veri naturalis corporis Christi existentiam aliam quam præteriti temporis, ut desierit habere carnem & sanguinem Christus cum Ascensione in cœlos. Consequenter ἀδύνατον censent, pariter corporalem & spiritualem, præsentiam & perceptionem, præsentis temporis aut loci, in cœlo vel in terra.

XVIII. Unum ergo hoc per matæologiam ipsorum superest, ut jusserit Christus post suam in cœlos ascensionem, celebrari S. Cœnæ ritum sive Cæremoniam, ad repræsentandam crucifixionem carnis & effusionem sanguinis illius, qui olim fuit, nunc vero est Non-Ens: & illa repræsentatione Non-Entis, quod olim fuit, contesserari Corpus Christi mysticum, quæ corporis mystici contesseratio per Cæremoniam S Cœnæ, totaque adeo istius mandati Cæremonialis obedientia, fit cibus & potus noster spiritualis. Quod ex mente ipsorum non poterat melius exponi, quam ex analogia illa (quæ nemini orthodoxo hic in mentem venit) verborum istorum, quibus usus est Christus, dicens discipulis suis; *Ego cibum habeo quo vescar, quem vos nescitis, esca mea est exequi voluntatem ejus qui misit me, & perficere ipsius opus. Joh.* II. 32. 36.

XIX. *Concionem Christi Joh.* VI. neque nos accipimus de Sacramenti Cœnæ Dominicæ usu, seu de manducatione Sacramentali; sed tamen non ita *simpliciter de Fide in Christum collocanda*, ut *metaphorice* tantum *illustretur* Fidei nostræ opus, & *ostendatur ejus necessitas, & vis energetica*, seu nostræ obedientiæ zelus, eliminatâ ex Fidei objecto Christi illa obedientiâ nobis imputatâ, qua carnem suam crucifigendam dedit, & sanguinis sui effusione expiationem fecit pro nobis. Ex istâ enim hypothesi, inauditâ catachresi, manducatio Carnis Christi, & potus sanguinis Christi, diceretur sola ruminatio martyrii à Christo obiti, ad confirmationem promissionis vitæ æternæ, & in exemplum imitandum & æmulandum opere & obedientia Fidei nostræ; sine ullo mysterio gratiæ illius efficaciter operantis, qua mortis suæ merito per Spiritum nos sibi agglutinat Christus ut membra Capiti: quod mysterium nos credere jubet Apostolus. *Eph* IV. 15. 16. & V. 32. Absque quâ, nullum est Christi corpus mysticum: & frustra à nobis constitui fingitur nostra Confessione, vel Confessionis tessera.

CAPUT UNDECIMUM.

De Magistratu, Judiciis, Juramentis, & Bellis.

§ I.

Docent primo; Christiano quidem licere Magistratum gerere, modo non utatur gladio, ad fundendum sanguinem, quia putant in N. T. *non licere fidelibus, ut quenquam morte afficiant, sicut nec Christus adulteram damnavit ad mortem* Joh. VIII. *qui etiam gladii usum suis prohibuit* Matth. XXVI. *Factum illud Petri* Act. V. *dicunt extraordinarium ac miraculosum fuisse. Extra Ecclesiam Christi concedunt usum esse gladii* Rom. XIII.

§ II.

Deinde docent, non licere fratribus coram magistratu contendere, nisi altera pars sit extra Ecclesiam, & si animus absit ulciscendi. Matth. V. *Alioqui fratres coram fratribus vel Ecclesia controversias suas disceptare debere.* 1 Cor. VI. *Qui vero judicio Ecclesiæ non acquiescit, excommunicatur. Atque ita Christi præcepta ista comparativè accipiunt: ut potius quam ipsi nos ulciscamur, etiam per alios, parati simus alias etiam injurias accipere.*

§ III.

Cæterum criminales causas, præsertim si sint capitales, non facilè concedunt à fratribus tractari, ne hac ratione tandem alios morti adjudicent. Pœnas etiam capitales, etsi non improbant in omnibus delictis, tamen in pluribus minime admittunt, quos potius, more apud Persas ac Turcas recepto vellent alia leviore pœna affici; ut videl. mitella, vel notabili aliqua veste, amicti, publicas vias instaurarent, aut aliis ejusmodi laboribus, vel ad tempus, vel in perpetuum, addicerentur.

§ IV.

Iuramenta aliqua licita esse concedunt in N. T. *videl. quæ fiunt de rebus præteritis, ad Dei gloriam pertinentibus, in quibus falli non possumus, nec nostram rem spectamus. In Veteri Testamento dicunt etiam licitum fuisse jurare de futuris, quæ non sunt in manu nostra, item de turpibus. & levibus, quam de gravibus & honestis rebus.*

§ V.

Bellum gerere negant Christianis licitum esse, sive offensivum illud dicatur, sive defensivum: præsertim cum hic nulla possit esse defensio inculpata, ubi vi & cædibus omnia agantur: id quod cum Christi doctrina, & ingenio ovium Christi, pugnare censent. Interim concedunt fas esse arma gestare, non modo contra bestias, sed etiam ad incutiendum hostibus terrorem.

§ VI.

Sed quidam ex iis dubitant; an contra Christi legem peccetur, si quis in latrones ita incidit, ut vitæ suæ, non aliter quam vim vi repellendo, consulere possit, latronem, sæpius rogatum ac monitum ut desistat, tandem occidat. Hanc enim, putant isti, inculpatam esse vitæ nostræ tutelam, quæ ab omni injuria & ultione sit aliena:

sit aliena: cum alioqui nos ipsi videamur approbare nostri occisionem, vel saltem vitam nostram ignaviter negligere, & quasi perdere.

I. Levant nos aliqua laboris parte, quando extra controversiam ponunt istud, Christiano licere Magistratum gerere, quo concesso censemus ἀκόλουθον esse, quod nefas esse volunt Magistratui gladio uti, ad fundendum sanguinem, seu in judicio facinorosos morti adjudicando, seu belligerando contra hostes. Ut tota disputatio resolvatur in istud κρινόμενον; an quod fas est & licitum iis qui extra sunt in functione Magistratus ad malorum punitionem & bonorum inculpatam defensionem ordinatione Dei, nova lege Christi, nefas & illicitum sit Christianis qui in Ecclesia sunt fratribus.

II. Nos determinatione illa, quâ Christianis fratribus prohibitum censetur, quod illis qui extra sunt jure divino concessum & licitum est, asserimus peccare *Auctores Compendioli*, contra analogiam Scripturarum, per quam non est præscriptum ulla Christi vel Apostolorum διαταγῇ contra jus divinum morale conscientiam obligans olim in Veteri T. Repetenda assertionis nostræ vindicatio ex Elencho *Capitis V*.

III. Quin præscriptum est ab Apostolo, ne laqueus iste injiciatur conscientiis Christianorum fidelium, quando in simili casu contra istos, qui usu per se honesto & licito matrimonii & quorundam ciborum interdicebant fidelibus, pronunciavit, *mundus omnia munda esse Tit.* 1. 5. & contestatus est, istum esse characterem *doctrinæ dæmoniorum*, *& hypocrisios* ψευδολόγων, si prohibeatur Christianis fidelibus usus illarum rerum, *quas Deus creavit bonas*, aut quas sua institutione sanctificavit. 1 *Tim*. IV. 1. 2.

IV. Et frustra hypocrisin istam palliant *Auctores Compendioli* Christi exemplo, qui adulteram non damnavit ad mortem *Joh*. VIII. postquam concesserunt, Christiano licere Magistratum gerere, quem tamen non gessit Christus, & adeo à se procul habuit, ut illi è turba, (dicenti, *Magister, dic fratri meo, ut partiatur mecum hæreditatem*) responderit; *Heus tu, quis me vobis præfecit δικαστὴν ἢ μεριστήν*, *Luc*. XII. 13. 14.

V. Similiter, non attingit illos qui Magistratum gerunt, prohibitio ista *Matth*. XXVI. qua Christus gladii usum prohibuit suis: quia non erat illorum officii futurum, ut Magistratum gererent, qui designati erant ad legationem Apostolicam obeundam. Neque in loco illo sermo est de usu gladii, ex officio Magistratus, sed de privato abusu, quo Petrus iracundus temere ferierat Malcum, ipsique abstulerat auriculam: quod Christus castigavit, jubens ut gladium converteret in loculum, cum hac comminatione, *quicunque acceperint*, h. e. temere arripuerint, *gladium, gladio peribunt*.

VI. Bene habet, quod in loco *Rom*. XIII. fatentur sermonem esse de concesso legitimo gladii usu. Ut etiam levemur ista laboris parte, qua contra Anabaptistarum matæologiam urgemus illud Apostoli effatum οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ, *non enim frustra gladium gestat*. Non frustra, seu, non temere, quia non sine divina & vocatione & præsidio, ut Minister Dei ἔκδικος ultor ad iram ei qui malum fecerit: sicut illam fecit Petrus functionem officii Magistratus, ἐκδίκησιν κακοποιῶν *ultionem sumere de maleficis*. 1 *Petr*. II 13. 14.

 VII. Eva-

VII. Evasio autem ista, quâ concedunt ex loco *Rom.* XIII. usum gladii tantum extra Ecclesiam Christi, & captiosa est, & nulla. Sano sensu & nos dicemus, usum gladii esse extra Ecclesiam: quia intra Ecclesiam res non geritur nisi armis spiritualibus 2 *Cor.* X. 4. non est enim Regnum Christi de hoc mundo *Joh.* XVIII. 36. At inde non est consequens, usum gladii relinquendum esse tantum iis qui extra sunt: nam per eandem consequentiam, omnino non liceret Christiano Magistratum gerere, quia non geritur Magistratus intra Ecclesiam, nec fas est in illius gubernationem inferre dominium aut potestatem prætoriam. Cessionis vero illius, qua vel in solidum, vel quoad usum gladii, Magistratus gestionem fideles iis relinquant, qui extra sunt in mundo, atque ipsiè mundo quasi exeant, in verbis Apostoli nec vola nec vestigium comparet.

VII. Quod intercurrit §. I. de facto Petri *Act.* V. fuisse illud extraordinarium & miraculosum, non rejicimus. At non pugnamus nos eo exemplo, ut asseramus Magistratui jus & usum gladii, ad effusionem sanguinis. Neque hoc flagitamus, ut concedatur Petri factum saltem extraordinarium & miraculosum fuisse occisionem, vel damnationem ad mortem Ananiæ, ejusque uxoris Sapphiræ. Fuit occisio ista omnino θεήλατος, non à Petro sed à Deo exercita vindicta, qua cooperatus est censuræ Petri: sicut olim Uzziæ Regi inflicta est lepra, non facto Azariæ & Sacerdotum, sed manu Dei, cooperantis censuræ ipsorum. 2 *Chron.* XXVI. 16. 20. Neque factum Mosis & Aaronis censeri potest vindicta θεήλατος, quæ absorpsit Corachi & Dathanis & Abiromi factionem *Num.* XVI.

IX. Interim dicemus, hoc saltem effici, ex eo quod morte vindicatum est peccatum in Spiritum S. à Domino Christo, & mortis internuncius adhibitus est per Spiritum S. Apostolus Christi Petrus, ruere matæologiam illam, quæ se prodit §. V. de Christi doctrina, & ingenio ovium Christi, qui Spiritu Christi ducuntur, quasi necessario omnem effusionem sanguinis seu occisionem, etiam justam & legitimam, abhorreant.

X. Nunquam porro *Auctores Compendioli* ex 1 *Cor.* VI. efficient, non licere fratribus coram Magistratu contendere cum fratribus, sed coram fratribus vel Ecclesia controversias suas disceptare debere, qui vero judicio Ecclesiæ non acquiescit, excommunicandum esse. Non efficient hoc, inquam, in præsenti quæstione, ex hypothesi concessâ, intellectum, de Magistratu Christiano; quia aperte loquitur Apostolus cum differentiâ illâ τῶν ἀδίκων καὶ ἀπίστων, *Injustorum & Infidelium. vers.* 1. & 6.

XI. Ad evitandam ergo litigationem fratrum coram Magistratu injusto & infideli, auctor est Apostolus, ut ipsi sibi constituant βιωτικὰ κριτήρια *sæcularia judicia*, h.e. commissarios judices, ut dicatur sententia in Compromisso, sicut in judicio, de causis sæcularibus, quorum sententiæ staturos se hinc inde promittant. In quo Compromisso conveniens quidem est, addita per stipulationem poena, si compromissarii judicis arbitrio paritum non sit. Ut vero poena illa addita compromisso sit *excommunicatio*, quod hic volunt *Auctores Compendioli*, hoc vero est sacra profanis miscere, & cla-

ves Regni cœlorum facere claves cujusvis privati ærarii: contra mentem Apostoli, qui si istis Judiciis voluisset misceri, seu ut pœnam addi, excommunicationem, non vocasset illa *κριτήρια ἐλάχιστα, minoris momenti judicia, quibus præficere possent τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, eos qui minimi sunt in Ecclesia vers. 4.*

XII. Cautelæ illi, *si animus absit ulciscendi*, subest hoc mysterium, licuisse in V. T. litigare coram Magistratu, etiam fratribus, animo ulciscendi injurias. Quod nos pernegamus unquam divina lege morali permissum fuisse, per quam tantum fas est implorare ἁγνῶς & piè Magistratus judicium in rebus controversis, ad piam tutelam innocentiæ & tranquillitatis: nefas autem, per ultorem Magistratum, hoc intendere, ut animi exacerbati & irreconciliabilis libidinem expleas. Et hic meditandum illud, quod ipsum ultorem Magistratum, in publica ultione & vindicta, vetuit Deus exuere τὴν φιλανθρωπίαν, aut litare privato affectui dedignationis, vel odii. *Deut* XXV. 2. 3. Quin docuerit, in ipsa punitione exemplari malorum, praxin charitatis erga plures: quatenus consulitur & aliorum malorum emendationi, & bonorum tranquillitati. *Deut.* XXI. 21. *&* XVII. 13. 14. *&* XIII. 11.

XIII. Quod criminales causas præsertim Capitales non facile concedunt à fratribus tractari, ne hac ratione tandem alios morti adjudicent, jam ostendimus esse ab hypocrisi ψευδολόγων: & porro liquet, quandoquidem ipsi ajunt, se pœnas etiam Capitales non improbare in omnibus delictis. Quidni autem pronunciant intrepidè, se omnino non concedere ut à fratribus tractentur causæ Criminales, præsertim Capitales? Quid tandem est illud; *Non facile?*

XIV. Quod Pœnas capitales in furibus tamen minime admittunt, & de leviore pœna Magistratibus consilia suggerunt, per nos quidem licet, qui nimio rigori isti non commodamus patrocinium nostrum. Nullius tamen censuræ reos hic facere possumus Judices in Fœderati Belgii regionibus, qui haud solent morti adjudicare fures, simplicis furti reos, sed demum tales, qui post iteratam, tertiatam, & quandoque pluries repetitam correctionem corporalem, se præbent incorrigibiles: qualibus nullam fieri injuriam, ubi tandem capite luunt, confirmat analogia juris divini, quo data fuit Patri, contra Filium prodigum, qui paterna correptione non emendaretur, actio capitalis ad judicium lapidationis *Deut.* XXI. 18--21.

XV. De Juramentis bene habet, quod aliqua saltem licita esse concedunt in N. T. videl. quæ fiunt de rebus præteritis, ad Dei gloriam pertinentibus, in quibus falli non possumus, nec nostram rem spectamus. Mysterium est iniquitatis in Antithesi ista, qua dicunt, in V. T. etiam licitum fuisse jurare de futuris, quæ non sunt in manu nostra, item tam de turpibus & levibus, quam de gravibus & honestis rebus. Captiosâ quidem phrasi enunciant illud, jurare de turpibus & levibus: cum hoc videantur intelligere, non licuisse, tantum de rebus turpibus actionem juramento vel confirmare actori, vel reo diluere, (quod negamus etiam hodie cum

turpitudine

turpitudine conjunctum esse) sed etiam juramento ad turpia se adstringere; quod licuisse pernegamus

XVI. Asserimus autem contra; illam fuisse satis in V. T. explicatam tertii præcepti διάνοιαν, non esse irreverenter habendum, & ad res turpes aut leves prostituendum, Nomen Dei, aut temere usurpandum, ne quidem extra Juramentum, Deum invocanti, vel de Deo loquenti, aut tractanti verbum Dei Unde sicut Verbi Dei, ita Juramenti metus & reverentia commendatur ut vera in Deum pietas *Esai* LXVI. 2. *&* *Eccl.* IX 2. Ex quo posteriori loco planum est, propter antithesin impii & pii, quæ istis verbis concepta est, *Qui jurat*, *& qui juramentum timet* (non, ut perperam habet Latina *Vulgata* versio, *perjurus*, *& ille qui verum dejerat*) pios in V. T. religione præcepti tertii Juramentum reveritos, ita ut non tantum perjurio, sed juramento ipso, extra casum necessitatis, in quo à Deo imperatum erat, omnino sibi abstinendum censuerint.

XVII. Quod pronunciant §. V. in bello nullam esse posse defensionem inculpatam, necessum est ut vertatur primo in *Marcioniticam* Dei ipsius accusationem, cujus jussu varia in V T. bella gesta sunt: quod si susque deque habent, elabi non possunt, quin detrahant Christo, & fido præcursori Johanni Baptistæ, & Apostolis, asserantque, non, ut oportuit, Christo viam à Johanne præparatam, neque præstitum illud, quod ipsum præstiturum annunciaverat Angelus Zachariæ *Luc* I. 17 *ut pararet Domino populum* κατεσκευασμένον *instructum*: quandoquidem interrogatus à militibus, qui ad Baptismum resipiscentiæ accedebant, *quid faciemus & nos?* respondit tantum, *neminem concutiatis*, *neque calumniam faciatis*, *& contenti estote stipendiis vestris*. *Luc*. III. 14 Nihil præscribens aut monens contra Sacramentum militare, à quo ex hypothesi resipiscendum erat.

XVIII. Et quid fiet Christo ejusque Apostolis? qui & ante & post resurrectionem Christi milites, non exauctoratos nec exauctorandos à militia, habuerunt in censu fidelium & piorum eximios. *Matth*. VIII. *&* *Act*. X. Et Paulus non est veritus implorare, adversus Judæorum contra ipsum conspirationem, Romanorum militum armatam manum, sed salvum conductum.

XIX. Est vero isti ipsorum ... minime conciliabile καὶ illud, quod subjiciunt mox, fas esse interim arma gestare, non modo contra bestias, sed etiam ad incutiendum hostibus terrorem: & aliquorum suffragiis, videri non peccare contra legem Christi, sed esse inculpatam vitæ tutelam, quæ ab omni injuria & ultione sit aliena, si quis vitæ suæ non aliter, quam vim vi repellendo, consulere possit, atque latronem tandem occidat. Eritne ergo aliqua privata vitæ tutela pro occisionem alterius inculpata? publica vero contra publicum hostem Reipublicæ defensio nulla esse poterit inculpata?

XX. Illorum vero crassa est hypocrisis, qui, cum persuasi sint apud animum suum omnino malum esse & ἀποτρόπαιον nefas homini Christiano, ac cum ingenio ovium Christi pugnans, hominem hostem occidere, arma tamen induunt,

oves

oves scilicet leoninam, ac gestant, ad occisionis terrorem hostibus incutiendum. Sunt illi quidem hactenus ἀντικαταλέγονται contemptores saltem mandati illius Apostolici; *ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε, ab omni specie mali abstinete.* 1 *Thess.* v. 22.

§. VII.

Non simpliciter usuras damnant, modo æquitatis ac charitatis regula non violetur. Ludus aleæ & chartarum apud eos omnes prohibitus est: est item saltatio & potatio ebriosa, quæ etiam excommunicatione punitur. In vestibus, etsi luxum prohibent, tamen nobilibus, & qui in Magistratu sunt, aliquid indulgent. Matrimonium contractum apud eos non proclamant: sed post initum contractum solennis benedictio vel copula fit in Ecclesia, vel etiam in loco convivii, ubi occasionem captare solent suam doctrinam aliis instillandi. In Cœtibus Ecclesiasticis fere nullos ritus usurpant, præter ritum S. Cœnæ. Nam Baptismum adultorum foris in publico aliquo flumine administrant. Alioqui in Jejuniis, Eleëmosynis, & Precationibus sese gnaviter exercent: atque ita vitam instituunt, ut pietatis nomine aliis fere omnibus sectis præferantur.

I. Quæ hic, extra capitis titulum, per quoddam ἐπίμετρον congesta sunt, aut sunt ἰξαγώνια, aut talia de quibus litigare non censemus operæ precium, aut denique in iis propria laus sordet: beati *quorum laus non est ex hominibus sed ex Deo Rom.* 11.29. Uno verbo dicemus, perspectis *Socinianismi* in hoc *Compendiolo* comprehensis mysteriis, horrescere nos profunda Satanæ, & stupere ad monstrosam Pharisaïsmi cum Sadducæismo sub nomine Christiano coalitionem: ac Deum venerari, ut det resipiscentiam, cum vera veri Christi agnitione, omnibus qui illaqueati exitialibus istis & similibus doctrinis dæmoniorum, opinantur se Christum amare, & pios esse.

FINIS.



oves scilicet leoninam, ac gestant, ad occisionis terrorem hostibus incutiendum. Sunt illi quidem hactenus [illegible] contemptores talem mandati illius Apostolici, ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε: ab omni specie mali abstinete. 1 Thess. v. 22.

§ VII.

Non simpliciter ejurat damnant, modo aequitatis ac charitatis regula non violetur. Ludus aleae & chartarum apud nos omnes prohibitum est: est item saltatio & potatio effusa, quae etiam excommunicatione punitur. In vestibus, [illegible] prohibent, tamen nobilibus, & qui in Magistratu sunt, aliquid indulgent. Matrimonium contrahunt [illegible] proclamant: sed post initum contractum solemni benedictione [illegible] copula fit in Ecclesia, vel etiam in loco [illegible], nisi occasionem [illegible] suam confirmatam [illegible]. In Caeremoniis Ecclesiasticis fere nullos ritus usurpant, praeter [illegible] Canones. Nam Baptismum adultorum fere in publico [illegible] administrant. Alioqui in Jejuniis, Eleemosynis, & Precationibus sese [illegible] exercent: atque ita [illegible] justificant, ut plerumque aliis fere omnibus sese praeferantur.

L. Quae hic, extra capitis titulum, per quoddam [illegible] congesta sunt, aut sunt [illegible], aut talia de quibus litigare non est operae pretium, eademque in iis propria laus torqueat: *beati quorum [illegible] Dominum [illegible] Deo dicto*, 11. 29. Hoc vero dicimus, perspectis Socinianismi in hoc Compendio comprehensis mysteriis, horrescere nos profunda Satanae, & stupere ad monstrosam Pharisaismi cum Sadducaismo sub nomine Christiano coalitionem; ac Deum venerari, ut det resipiscentiam, cum vera Christi agnitione, omnibus qui illaqueati externis ritis & simulationibus doctrinis daemoniorum, opinantur se Christum amare & possidere.

F I N I S.



VINDICIÆ PRO DEITATE SPIRITUS SANCTI.

Adversus Pneumatomachum

JOHANNEM BIDELLUM, ANGLUM.

Reverendis, ac Doctrinâ & Pietate Præstantissimis *VIRIS Theologis.*

D. JOHANNI ROTHÆO, D. DAVIDI ROTHÆO, Fratribus Germanis.

Huic Ecclesiæ Amstelodamensis Fido Pastori,

JOHANNES CLOPPENBURCH,
S. P. D.

Viri Fratres, Amici integerrimi;

F*Uit nuper, in* Compendiolo Socinianismi Confutato, *à nobis vindicata Spiritui Sancto Hypostasis seu Persona Divina, adversus* Serveti *&* Socini *Discipulos, qui per veritatis τὸ ἰσχυρὸν inficiari nequeunt, tributa Spiritui Sancto, in Scriptura Sacra attributa divina: sed per erroris efficaciam asserunt, ipsum quidem Rem increatam esse, sed non Personam. In hac opellâ certamen est adversus hominem Anglum, qui, convictus Spiritum Sanctum non esse Rem ἀνυπόστατον, sed Personam intelligentem & volentem, recoquit orbi Christiano veterem cramben hæresios* Pneumatomachorum *diu sepultæ; faciens Spiritum S. non naturâ Deum, Patri & Filio ὁμοούσιον coessentialem, sed creaturam ἑτερούσιον, Angelum, Spiritum Ministratorem, Dei Diaconum & Christi: gloriaturque Thrasonicè in libelli sui frontispicio, refutata à se plene & plane* Argumentis XII. *Spiritus Sancti Deitatem, & destructam ejus assertionem ex V. illustribus Scripturæ locis, à se veriori expositione, scilicet, vindicatis: denique solutum nodum Gordium de Spiritus Sancti Omnipræsentia. Argumentis* XII *præmittit (post irritatioris animi declamatiunculam Epistolicam, quam nobis negligendam censuimus) Exomologesin suam; quam hic, cum reliquo opusculo (Anglicè excuso* Anno MDCXLVII.*) Latinè bona fide exscriptam repræsentamus; cujus copiam nobis fecit, ad certamen cum illo olim in Anglia accinctus, & coram ipsi Bristoliæ loqnutus, Vir genere & doctrinâ Nobilis, qui injuriâ temporum in has regiones delatus annum hic fuit commoratus,* GUIL-

LIELMUS HAMELTONUS Scotus. *Censuimus hoc opportunum fore Spicilegium post messem, si publicis exercitationibus confutatam daremus hanc Pneumatomachi hujus, cum* Serveti *&* Socini *schola, discordiam concordem, qua, diversum sentientes de Spiritu Sancto, destructum eunt (illi γυμνῇ κεφαλῇ, hic homo per cuniculos) Deitatem veram Domini & Servatoris nostri Iesu Christi; qua sarta tecta esse non potest, destructa vel Deitate, vel Persona divina Spiritus Sancti. Destructa autem hac & illa, nulla est Apostoli in N. T. gloriatio* περὶ τηλικαύτης σωτηρίας, de tanta salute, quæ initium prædicationis acceperit διὰ τοῦ κυρίου per Dominum ipsum: *ac mox* ἐβεβαιώθη confirmata est πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς, κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν, Spiritus Sancti distributionibus, pro ipsius voluntate Hebr. 11, 3. 4. *Quæ enim illa per Dominum ipsum initiata prædicatio? si* nec Dominus nec Deus fuit Jesus, ante effusum die Pentecostes Spiritum Sanctum, *juxta Socinianorum placita? Et, quodnam* τὸ περισσὸν τῆς βεβαιώσεως *eminens privilegium confirmationis Euangelii, per effusum* Spiritum *Sanctum (supra illud axioma Verbi prædicati olim in V. T. quod esset* ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος, per Angelos dictus sermo) *si in Angelorum creatorum ordinem cogitur, & ad* Diaconatum *(infra* Deum *verum, & Christum natura hominem non* Deum*) deprimitur, ille, in quem baptisati sumus Spiritus Sanctus, juxta hujus Pneumatomachi heresin?* Hebr. 11, 2. *Vindicias hasce editurus in publicum circa Anni novi initia, inscriptas volui nomini vestro, ad veteris nostræ* ἀνυποκρίτου *amicitiæ (temporibus quæ vidimus & etiamnum videmus difficillimis exploratæ) contesserationem, cum grata* τῶν μακαριτῶν, *& Parentis vestri, olim in Ministerio Amstelodamensi Sympresbyteri, & Agnatorum,* τῶν ἐν τέλει, *Mœcenatum meorum, recordatione nunquam obliteranda. Deum veneratus, ut studiis ac laboribus nostris benedicat, ac quod nobis reliquum est iter peregrinationis nostræ, jubeat esse utile porro ædificationi Ecclesiarum suarum; atque ad illam ædificationem perficiendam effusus jam circiter ante annos mille sexcentos viginti, Spiritus Sanctus sit & maneat cum Spiritu nostro, ipse adversarios suos* ἐλέγχων, *& nos, atque omnes, quos ipse obsignavit, roborans omni consolatione, ac liberans à malo. Amen.*

Dabam Franekeræ, è Musæo meo, 15/5 *Kalendas Januarias, anni Æræ Christianæ* CIↃ IↃC LII.

VINDI-

VINDICIÆ PRO DEITATE SPIRITUS SANCTI

Adversus Pneumatomachum

JOHANNEM BIDELLUM, ANGLUM.

EXOMOLOGESIS PNEUMATOMACHI.

Per Epiſtolam ſcriptam 1. April. 1647.



Uod ad opinionem meam attinet de Spiritu S. iſta hæc eſt. Creao Spiritum S. eſſe Caput omnium Spirituum miniſtratorum, peculiariter miſſum è Cælo ad miniſtrandum, illorum gratia qui hæredes erunt ſalutis. [*Vide* Heb. 1. 13. 14. *unde verba hæc mutuata ſunt: & confer cum* 1 Pet. 1. 12. *nec non* Hebr. 1. 7. *collato* Act. 1. 2. 3. 4. *& facile apparebit, tam Spiritum Sanctum Miniſtrum Dei eſſe, quam alios ſpiritus.*]

Et juxta conſenſum tam Scripturæ, quam primitivorum Chriſtianorum, nominatim Juſtini Martyris in Apologia, conſtituo ipſum ordine tertio loco poſt Deum & Chriſtum, tribuens ipſi præeminentiam ſupra omnem reliquum exercitum cœleſtem. Hoc pacto ut, ſicuti unus eſt Princeps Spiritus inter malos Angelos, notus in Scriptura nomine Satanæ, ſive Adverſarii 1 Petr. v. 8. *ſeu impuri Spiritus.* Zach. XIII. 2. *ſeu Mali Spiritus Dei* 1 Sam. XVI. 15. 16. *ſeu Spiritus Dei* ibid. verſ. ult. *ſeu Spiritus* κατ᾽ ἐξοχὴν, *ut eſt in originali* 1 Reg. XII. 21. *pariter ſit unus Spiritus princeps, (mutuor hanc appellationem à* LXX. *qui vertunt ultimum tmema* verſus 12. Pſal. XXXI. (corrige verſus 14. Pſal. LI.) *hoc modo;* πνεύματι ἡγεμονικῷ στήριξόν με, *Spiritu principali fulci me) ſit inquam unus Princeps Spiritus inter Angelos bonos, inſignitus nomine Advocati* Joh. XVI. 7. *ſeu Sancti Spiritus* Eph. IV. 30. *ſeu Boni Spiritus Dei* Neh. IX. 20. *ſeu Spiritus Dei* 1 Cor. VII. 40 *ſeu Spiritus* κατ᾽ ἐξοχὴν Act. X. 19.

Hanc opinionem meam teſtatur tota Scripturæ analogia, quæ perpetuo de ipſo loquitur, ut qui a Deo differat, atque illo inferior ſit: confirmatur autem irrefragabiliter iſtis locis Scripturæ. Neh. IX. 6. 20. Tu ipſe Domine (*ſeu* Jehovah) ſolus tu feciſti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum.

Et Spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos (*filios Israëlis*) Joh. XVI. 7. 8. &c. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Advocatus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet (*in originali est*, convincet) mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Adhuc multa habeo vobis dicenda, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis [*Advocatus. Ita vox* παράκλητος *in Originali perpetuo significat apud Græcos auctores: & ita vertitur ab ipsis Interpretibus* I Joh. II. 1. *& ita oportuit hic verti: speciatim, hanc ob causam, quia dicit in verbis sequentibus, Spiritus Sanctus convincet mundum: convincere enim est proprium Advocati.*] Rom. VIII. 26. 27. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quæ sit mens (*seu desiderium*) Spiritus, quia intercedit pro sanctis secundum voluntatem Dei. Act. XIX. 2. Et (*Paulus*) inveniens quosdam discipulos, dixit ad eos; An Spiritum Sanctum accepistis, ex quo credidistis? At illi dixerunt ad eum; sed neque an sit Spiritus Sanctus audivimus. Eph. IV. 4. 5. 6. Unum corpus & unus Spiritus: sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia & in omnibus vobis. I Cor. XII. 3. 4 &c. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit Anathema Jesum. Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi per Spiritum Sanctum. Divisiones vero donorum sunt; idem autem Spiritus. Et divisiones administrationum sunt; idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Luc. III. 21. 22 Factum est autem, ut Jesu Baptisato & orante apertum sit cœlum, & descenderit Spiritus sanctus, corporali specie, sicut columba, super ipsum I Cor. II. 11. 12 13. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei: (*non addit, qui in ipso est.*) Nos autem non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est; ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Apoc. XXII. 12. 17. Ecce venio cito: & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Et Spiritus & Sponsa dicunt veni. Act. V. 32. Et nos sumus testes horum verborum, atque etiam Spiritus Sanctus, quem dedit Deus iis, qui obediunt ipsi. Gal. III. 5. Qui igitur subministrat (*seu dat*) vobis Spiritum & operatur miracula inter vos, num id facit ex operibus legis, an ex auditu (*potius prædicatione*) Fidei? [*Schema dictionis* ἀλλόκοτον! *Qui subministrat (seu dat) vobis Spiritum: si Spiritus Sanctus Deus esset. Solet Scriptura magis sobrie loqui de Deo omnipotente: quam*

quam ut dicat ipsum ab altero dari, nedum ab hominibus, sicut hic dicitur de Spiritu Sancto.] 1 Cor. VIII. 4. 5. 6. Scimus quia Idolum nihil est in mundo; & quod nullus est Deus nisi unus Nam etsi sunt, qui dicuntur Dii, sive in cœlo sive in terra, sicut sunt Dii multi & Domini multi, nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. *Vides Apostolum, ubi hoc agit, ut definiat quis sit unus Deus, & unus Dominus Christianorum, nullam facere mentionem Spiritus S. quod non potuisset committi à tam fideli Apostolo, si fuisset Spiritus Sanctus aut Deus aut Dominus.*

Ex istis sic commemoratis locis nemo, quantumvis subtilis, quomodocunque intenderit & verserit acumen suum, unquam idoneus erit efficere sanum sensum, nisi admiserit Spiritum Sanctum id esse, quod ego assero.

ANIMADVERSIONES
AD
Pneumatomachi Exomologesin.

IMplorato Spiritus Sancti auxilio, instituta est præsens Dissertatio ad Elenchum *XII. Argumentorum*, quæ Deitati Spiritus Sancti confutandæ in Anglia vernaculè typis vulgavit I. Aprilis M DC XLVII. *M. Johannes Bidellus* quidam, præmissa ad Magnatem Exomologesi suâ, & subjectâ Expositione heterodoxâ V. principalium locorum Scripturæ, quibus confirmata est Fides Catholica Orthodoxa.

II. Diversum abit hic Pneumatomachus à Pneumatomachis nuperis, *Serveti & Socini* discipulis, qui *negant Spiritum Sanctum esse Personam aliquam subsistentem*: adeoque nos levat illa laboris parte, quâ probandum alias foret, *Spiritum Sanctum esse Personam subsistentem, Intelligentem & Volentem.*

III. At veterum *Macedonianorum* vestigiis insistens, (qui Spiritum sanctum fecerunt Ministrum & Diaconum Filii, quibuscum certamen fuit *Basilio*) tribuit Personæ Spiritus Sancti *Intellectum & Voluntatem Deo inferiorem & à Deo dependentem*: ipsumque, ipso Spiritus Sancti nomine, cogit in ordinem Sanctorum Spirituum, qui *subsunt Potestati & dispositioni Dei*: & cuncti sunt λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα. *Ministratores Spiritus, qui Diaconatus* seu *Ministerii causa mittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis. Hebr.* I. 14.

IV. Breviter, est ipsi Spiritus Sanctus Angelus bonus, *tam Dei minister quam reliqui, nec Deus nec Dominus noster*; ut *non nos ipsius, sed ipse ad usum noster sit, nobis à Deo datus, dux itineris ad veritatem, & doctor, sed qui ipse* est θεοδίδακτος, h. e. *docetur à Deo.* Quamvis *Angelorum reliquorum bonorum Princeps & Caput* sit; unde hoc gaudet privilegio, ut *ipso*, quippe *Principali instrumento, non utatur Deus nisi in rebus principalioris momenti.*

V. Tractationi quæ tota κατ' ἄρσιν instituta est, obiter tantum κατὰ θέσιν inspersit istam suæ opinionis confirmationem, partim crypticè, partim

 apertè.

apertè. Primum illud videtur, quod synonyma sint usu Scripturæ, Spiritus Sanctus & Angelus bonus, sicut Spiritus impurus & Angelus malus, sive de gregalibus sermo sit, sive de Archangelo. Alterum, quod significatione illa Archangeli *Psalmo* L I. 14. dicatur *Spiritus Principalis*, idem qui *versu* 13. dicitur Spiritus Sanctus. Tertium, quod Christus ipsum deprimat infra Deum, nomine *Paracleti*, ipsi tribuens *Ministerium advocati*.

VI. Ad primum respondemus, nullo Scripturæ usu confirmari posse, dici Angelum bonum Spiritum Sanctum. Nominantur quidem *Angeli Sancti Marc.* VIII. 38. *Matth.* XXIV. 15. οἱ ἅγιοι ἄγγελοι: at nusquam τὰ ἅγια πνεύματα, *Spiritus Sancti*. Similiter uni Personæ Spiritus Sancti, (nulli autem Angelo alteri, extra controversiam creato) tributum est in V. T. nomen illud seu indigitamentum רוח הקדש / *Spiritus sanctitatis*: quod legitur *Ps.* L I. 13. & *Esai.* L X I I I. 10. 11.

VII. Non ergo potest illo indigitamento sanctis Angelis creatis Scripturæ phrasi accenseri Spiritus Sanctus: sed censendum est illi κατ' οἰκονομίαν tributum esse illud indigitamentum, notione illâ, quâ uni vero Deo conveniens est κατὰ θεολογίαν: quippe qui *Spiritus est Joh.* I V. 24. & *Sanctus* ille. *Esai.* V I. 3. Quemadmodum notione eadem unius veri Dei ipsi vindicandum illud *Nehem.* I X. 20. *Et Spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos*, ורוחך הטובה / Contestatur enim Christus, salutatus Διδάσκαλε ἀγαθέ, *Doctor Bonus*, esse hoc solius Dei indigitamentum; *Cur*, inquit, *me dicis bonum? nullus est Bonus nisi Unus*, *nempe Deus*. *Matth.* X I X. 16. 17.

VIII. Ad secundum illud animadvertendum; argumentari hominem non ex veritate Hebraïca, sed ex interpretatione L X X. *Ps.* L I. 14. istâ: καὶ πνεύματι ἡγεμονικῷ στήριξόν με, *& Spiritu principali confirma me*. Quæ interpretatio, si ex mente L X X. vel maxime hoc vellet, quod hic homo somniat, ipsa nobis esset pro somnio Judaïco.

IX. At non credimus, illud aut Davidi aut L X X. in mentem venisse. De L X X. arbitramur illos per πνεῦμα ἡγεμονικὸν *Spiritum principalem*, intellexisse à Spiritu Sancto impetrandum Davidi Spiritum heroïcum Regium, quo ad ἡγεμονίαν seu Principatum, in populi Dei gubernatione, porro esset utile Spiritus sancti organon.

X. Verum neque hanc credimus fuisse voti & supplicationis istius summam. Quidni enim רוח נדיבה / intelligamus *Spiritum promptitudinis & libertatis*, in antithesi ad Spiritum Servitutis; ut idem sit quod Spiritus Adoptionis, testificatione sua cum Spiritu nostro, quod simus filii Dei, nos confirmans, juxta *Rom.* V I I I. 15.

XI. Ad tertium dicemus; fallere & falli adversarium, qui contendit 1. Vocem παράκλητος *perpetuo apud Græcos auctores significare Advocatum*. 2. Et, quia ita vertitur consensu interpretum 1 *Joh.* I I. 1. etiam oportuisse ita transferri *Joh.* X V I. 7. 8. 3. Speciatim vero hanc ob causam, quia dicit Christus in sequentibus; *Spiritus sanctus convincet mundum &c. Convincere enim*, inquit, *est proprium Advocati*. Esto enim ille apud Græcos auctores usus vocabuli forensis, ut παρακαλεῖν sit *Advocatum accersere*, non tamen perpetuus

petuus est, quandoquidem & *Invocationem numinis* fine advocato notat, (*Xenoph. Hellen.* I I) & porro à *Polluce* accensetur officiis amoris. *Libr. III. Cap.* 7 *de Amante & Amato.*

XII. Deinde non, si commoda & opportuna est 1 *Joh.* I I. 1 illa significatio *Advocati* Christo attributa propterea præferenda titulo *Consolatoris*, quando vox eadem tribuitur Spiritui Sancto. Hac vero Consolatoris notione nulla verbis Christi esse potuit convenientior, postquam *versu* 6. dixit discipulis suis; (post prænunciatas afflictiones ipsis eventuras) *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Neque cum παράκλησιν quam à Paracleto promittit Christus discipulis lugentibus in Mundo, confundi debet Mundi ἔλεγχος sunt enim illa, quamvis concomitantia, & ab eodem Spiritu exspectanda, disparata tamen.

XIII. Analogia ergo vocis παράκλητος in verbis Christi nihil facit ad mundum ἐλεγχόμενον convincendum, sed ad Discipulos consolatione roborandos: & petenda est non aliunde, quam ex Christi illo μακαρισμῷ expresso *Matth.* v. 4. *Beati qui lugent: quoniam ipsi* παρακληθήσονται, *consolationem accipient.* Item ex commemoratione illa quæ legitur *Act.* I X. 31. *Ecclesiæ pergentes in timore Domini, &* τῇ παρακλήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος *consolatione Sancti Spiritus, multiplicabantur.* Hoc pacto ergo παράκλητος Spiritus Sanctus, intelligitur Θεὸς πάσης παρακλήσεως, *Deus omnis consolationis*, consolaturus Apostolos in omni afflictione ipsorum. 2 *Cor.* I. 3. 4.

XIV. Esto autem, (neglectâ istâ analogiâ, quam negligere nefas est) dixerit Christus Spiritum Sanctum Paracletum, notione illa relatâ ad Mundi ἔλεγχον seu Convictionem. Nullis tamen fidiculis inde extorquebit adversarius, ad convictionem illam, tributum esse à Christo Spiritui Sancto *Advocati ministerium*, quo consequenter illum faciat *Ministrum & Diaconum, Patris, aut suum.*

XV. Verum, si conferantur de Mundo ἐλεγχομένῳ loca *Joh.* I I I. 19. 20. 21. *Eph.* V. I I. 12. 13. & 1 *Joh.* I. 5. 6. 7. cum ista promissione Paracleti mundum convicturi, apparebit τὸ ἐλέγχειν *convincere*, μεθ᾽ ὅν, *proprium esse ipsius Dei:* atque hoc ipsi asseri ipso indigitamento *Lucis*, cujus proprium est arguere tenebras & opera tenebrarum.

XVI. Inspergit illud quoque adversarius suæ exomologesi, quod pro concesso sumit ex loco *Gal.* I I I. 5. *Spiritum sanctum dari etiam ab hominibus*, quod sobrie non possit affirmari de Spiritu Sancto, si ipse esset Deus. Atqui nec sobrie hoc affirmari potest de Spiritu Sancto, etiamsi admiserimus Spiritum Sanctum id esse quod ipse asserit, *Caput omnium Spirituum ministratorum; Dei instrumentum principale, quo non utatur nisi in rebus principalioris momenti.*

XVII. Mala ergo est & indocta ἐξήγησις verborum Apostoli; (*qui subministrat (seu dat) vobis Spiritum, & operatur miracula inter vos*) si adversarius intellexerit aliam ἐπιχορηγίαν Spiritus, & ἐνέργειαν miraculorum, quam à Deo ipso, benedicente largiter Apostolorum ministerio: juxta illud *Marci* X V I. 20. *Illi vero egressi prædicarunt ubique, Domino cooperante,*

& sermonem confirmante per signa subsequentia. Neque (si hic recurrendum est ad profani sermonis usum, unde translatum est vocabulum) alia esse potest allegoria, quam ista; sicut χορηγεῖν dicebantur, qui choris sumptus præbebant, & ludos choricos suis sumptibus liberaliter exhibebant, nec non illi, qui exercitui res ad victum necessarias suppeditabant, (videsis *Polyb. lib.* III.) ut similiter Apostolus Deum vocarit τὸν ἐπιχορηγοῦντα. quia ipse est donator liberalis Spiritus Sancti, *illum effundens in nos* πλουσίως, *Tit.* III. 6. Videsis locum 2 *Cor.* IX. 10. ubi apertissime de Deo loquens Apostolus dicit, ὁ ἐπιχορηγῶν … χορηγήσαι; *Qui suppeditat semen seminanti, & panem ad escam suppeditet &c.* Nec non 1 *Pet.* IV. 11. εἴ τις διακονεῖ, ὡς ἐξ ἰσχύος ἧς χορηγεῖ ὁ Θεός; *Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam suppeditat Deus.*

XVIII. Quo vero schemate sarta tecta sit Deitas Spiritus Sancti, quantumvis dicatur à Deo donari, dicemus, cum bono Deo, ad *Argumentum Adversarii VII.* Sicut reliqua in Exomologesi congesta loca, singula suis locis, vindicanda erunt, in recensione XII. Argumentorum.

XII. ARGUMENTA

Elicita ex Scriptura; quibus communiter recepta opinio, de Spiritus Sancti Deitate, clarè & solidè refutatur.

ARGUMENTUM I.

Ille qui distinctus est à Deo, non est Deus: Spiritus sanctus est distinctus à Deo. Ergo

Minor evidens est. Etenim si & Deus foret, & distinctus à Deo, foret distinctus à se ipso: quod implicat contradictionem.

Minor confirmatur universa Scripturæ analogia, quæ ipsum vocat Spiritum Dei: & affirmat ipsum mitti à Deo, & scrutari profunda Dei &c. Nec est quod quis confugiat ad indoctam evasionem, per distinctionem inter Essentiam & Personam Dei: ut dicat Spiritum Sanctum distinctum esse à Deo, intellecto Personaliter non Essentialiter.

Perversa enim ista distinctio novatorum (ut abstineam à mentione Patrum primitivorum) in Scripturis inaudita, adeoque vesicula est; cum præsumptuosum sit, quidquam affirmare de inscrutabili natura Dei, quod non ipse ante de se affirmavit in Scripturâ: verum etiam refellitur Ratione. Nam primo homini impossibile est, si conari velit istud vel cogitatione concipere, ut non sibi ipse & aliis illudat inanibus terminis & vocabulis sine intellectu, distinguendo Personam ab Essentia Dei; ut non formet duo entia seu res duas in mente sua, & consequenter duos Deos.

Secundo; si Persona distincta est ab Essentia Dei, erit aut Aliquid aut Nihil: si Nihil, quomodo potest esse distincta? Nihil enim non habet accidentia. Si aliquid,

quid, erit aut finitum aliquid aut infinitum. Si Finitum, erit aliquid finitum in Deo: & consequenter, siquidem, ipsa adversariorum confessione, quidquid in Deo est Deus ipse est, Deus erit Finitus: quod adversarii ipsi similiter confitentur absurdum esse. Si Infinitum, erunt in Deo duo Infinita videl. Persona & Essentia Dei, & consequenter duo Dii, quod absurdius est quam prius.

Tertio; ut loquamur de Deo, accepto tantum Essentialiter, ridiculum est, non tantum, quia non exstat exemplum in Scriptura, sed quia Deus nomen est Personæ, (intelligo per Personam, ut faciunt Philosophi, suppositum Intelligens, h. e. substantiam intellectualem completam, at non modum, aut Subsistentiam, qui sunt fanatici termini, sine sano sensu, introducti ad fascinandos simplices) & significat eum qui aliis dominatur: & quando ponitur pro Deo Altissimo, notat eum qui suprema & absoluta Auctoritate omnibus dominatur. Verum non potest aliis dominari aliud quam Persona, cum actiones omnes sunt propriæ personarum; eapropter aliter Deum accipere quam Personaliter, est illum secus accipere quam in re est, & revera est mala ἰγχίρησις.

ELENCHUS
XII. ARGUMENTORUM,

Quibus temere jactat Pneumatomachus, se clare & solide refutare Spiritus Sancti Deitatem. *Revera autem non felicius rem gerit, quam olim rem gessisse commemorat* Herodotus in Melpomene *stultos* Pyllos: *quos auster spirans suis arenis obrutos exstinxit, quando publico consilio susceptâ expeditione Austrum expugnare sategerunt, ignorantes illud,* τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, *ventus quo vult spirat.*

INititio animadvertendum, militare adversarium isthoc primo argumento, unâ operâ, contra Deitatem Domini nostri Jesu Christi: ut ubicunque ille in Scriptura vocatur *Filius Dei*, vel dicitur *Deus ipsum misisse*, jubeat nos concludere; *Ergo Dominus Jesus non est Deus.* Quâ ergo responsione solvitur hic nodus, in disputatione de Deitate Christi, eâdem hic similiter solvendus est.

II Prævertit adversarius responsionem orthodoxam, coercens illam scilicet non sine supercilio intra limites expressæ affirmationis Dei, in Scriptura de se ipso loquentis. Neque nobis animus est vagari extra. At iniquissima est quæ insinuatur censura: quasi omnino ἄγραφος sit distinctio illa recepta vocis *Deus*, modo ὑποστατικῶς *Personaliter*, modo οὐσιωδῶς *Essentialiter* intelligendæ: & quasi per illam affirmetur aliquid de inscrutabili naturâ Dei, quod non ipse ante de se affirmavit in Scriptura.

III. Faciat periculum adversarius, an absque illa distinctione nominis *Deus* interpretari queat Scripturam loquentem de Patre & Filio *Hebr.* 1. 9. *ex Psal.* XLV. 8 ubi nomen אלהים *Deus* tribuit pariter utrique; *Propterea unxit, O Deus, Deus tuus &c.* Nisi enim à se hoc impetraverit, ut cum orthodoxis responderit, nomen Dei illic non accipi *Essentialiter*, sed *Personaliter*, ut in vocativo notetur persona Filii, in nominativo persona Patris, necesse habebit facere duos Deos, aliâ atque aliâ essentia discretos.

IV. Debebit autem intelligentibus ludibrium adversarius, si putaverit se posse hoc effugere, ut nunquam loquatur de Deo, notione nominis *Deus, tantum essentialiter*. Quamvis nos quidem haud inviti largiamur illud postulatum, in quo solus sibi sapere videtur, neque id demum ab illo discimus, *non subsistere substantiam intellectualem absque personalitate, & consequenter, nomen Deus dicere Personam intelligentem, volentem, operantem*, omni persona creata priorem & majorem: quandocunque scilicet est *Subjectum* Enunciationis.

V. Enimvero Res ipsa loquitur, si nomen Deus fiat *prædicatum* Enunciationis, in quæstione *Quid sit* dicendo, *Pater est Deus, Filius est Deus*, notionem nominis non posse esse Personaliter definitam, sed dicere indefinite de Personâ Essentiam & Naturam Dei. Quin etiam, si in eadem quæstione *Quid sit*, nomen Deus fiat *subjectum* enunciationis, de quo prædicentur attributa divina, dicendo, Deus est Æternus, Infinitus, Sapiens, Sanctus &c.

VI. Et jam ludibrium debet adversarius, si non videt ipse & palpat, de sua illâ conclusione duodecies repetitâ, (*Spiritus Sanctus non est Deus*) si vocetur ad respondendum, an idem concludens, quod concludunt suis λογισμοῖς *Serveti & Socini* discipuli, idem cum illis sentiat: se non posse respondere planius & expeditius, quam utendo distinctione illa ad quam tantopere nauseat: videlicet *Socinum* & asseclas conclusionem istam suam facere, intelligentes nomen *Deus, & Essentialiter & Personaliter*, quia de Spiritu Sancto negant, non naturam tantum divinam, sed omnem etiam notionem Personæ subsistentis, seu creatæ seu increatæ: se vero concludere ἀσυνδῶς *Essentialiter*, ut Spiritum Sanctum quidem fateatur Personam esse, sed exclusum à natura & essentiâ divinâ.

VII. Quantumvis ergo tentaverit fortasse transformare conclusionem istam in hanc (*Spiritus Sanctus non est Persona divina*) ne sic quidem elabi poterit: nam istius enunciationis Prædicatum (*Persona divina*) non est definitè accipiendum in individuo, sed de individua Persona Spiritus Sancti enunciatur negando, instar universalis, sive speciei: & enunciatio ex mente adversarii resolvenda est in æquipollentem istam, *Persona Spiritus sancti non habet cum Persona Patris unam communem essentiam divinam.*

VIII. Inanis porro est Pneumatomochi ista ad subruendam distinctionem orthodoxam gloriatio; *Verum etiam refellitur ratione.* Postquam enim citra Mysterium Trinitatis Personarum in Una Essentia Dei infeliciter ratiocinatus est, de distincta Nominis *Deus* attributione, quâ ipse & Sociniani

dissident

diffident, quamvis ὅμοια λαλοῦντες non exspectandum, ut contra Mysterium Fide credendum disputans, extra Scripturas, non cum ratione insaniat.

IX. Nos mysterium Sacrosanctæ Trinitatis, (sicut plura & maxima Fidei mysteria) censemus Ratione nec demonstrari posse nec refelli, quia, ut Scripturæ affirmanti habeatur Fides, jubemur λογισμοὺς καθαιρεῖν, & τὸ νόημα αἰχμαλωτίζειν, *ratiocinationes evertere, & cogitationem captivam ducere. 2. Cor. x. 5.*

X. Int ---- neque est à recta Ratione ista quidem ratiocinatio, nobis evertenda, quando vetat adversarius *distinguere Personam ab Essentia*, hoc argumento; quod impossibile sit per distinctonem illam non formare *d.. e Entia*, & consequenter *duos Deos, quorum alter sit Persona alter Essentia.* Eadem enim deliratione licebit consequenter pronunciare, de Angelo, & de Homine, impossibile esse, distinguendo Personam ab Essentia in Petro V. G. & Paulo, non formare duos Petros, duos Paulos, & similiter ex singulis Angelis & Hominibus, binos Angelos, binos Homines.

XI. Neque altera ista ratiocinatio, ducens ad absurdum, de duobus Infinitis, sine deliratione est. Nam nemo sanæ mentis dicet, in distinctione Personæ & Essentiæ, Attributa esse Personæ quâ Persona est, seu Personalitatis. Attributa enim primo & per se sunt Essentiæ seu Naturæ: nam, in quæstione *Quid sit*, respondetur de Essentia & attributis, in quæstione autem *Quis sit*, distincte respondetur de Persona.

XII. Quemadmodum ergo, qui Personam Angeli vel Hominis dicit Sanctam, nullum dicit attributum Personæ quâ Persona est, sed quâ habet Essentiam & Naturam, quæ est subjectum δεκτικὸν Sanctitatis; ad illam analogiam, qui Personam divinam dicit Infinitam, dicit illam habere Naturam seu Essentiam Infinitam, eoque semel, non bis, infinitam esse. Imputamus ergo ista, quæ adversarius ut absurda nobis tribuit, lippitudini mentis ipsius.

ARGUMENTUM II.

SI ille qui dedit Spiritum Sanctum Israelitis ad ipsos docendos est Iehovah solus; ergo Spiritus Sanctus non est Iehovah seu Deus. At ille qui dedit Spiritum Sanctum Israelitis ad ipsos docendos, est Iehovah solus; Ergo.

Consequentia Majoris plana est: nam si ille qui dedit Spiritum sanctum, est Iehovah solus, & tamen Spiritus sanctus, qui datus fuit, etiam est Iehovah; idem erit Iehovah solus, & non Iehovah solus, quod implicat contradictionem. Minor evidens est, ex Nehem. ix. 6. 20.

ARgumentum adversarii secundum, quatenus texuale est, exstructum ex verbis Nehemiæ istis, partim *versu* 6. partim *versu* 20. *Tu ipse Jehovah solus tu, tu Spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos;* tangit quidem Personam Spiritus Sancti tantum, non Filii Dei, in quæstione *Quid sit*. Attamen si pro Syllogismo hypothetico formetur Categoricus,

tegoricus, & fiat Major propositio ista; qui dedit Spiritum Sanctum Israëlitis ad ipsos docendos, est Jehovah solus, cum exclusione Spiritus Sancti; rursus adversarius deprehendetur unâ operâ suggerere hoc argumentum contra Deitatem Domini nostri Jesu Christi; *Qui dedit Filium suum Jesum Israëlitis ad ipsos docendos est Jehovah solus, cum exclusione Filii.*

II. Enimvero animadvertenda mala ἐγχείρησις verborum Nehemiæ in argumentatione, quâ προσδιορισμὸς ille, *solus tu*, לבדך/ arripitur, quasi adjectus subjecto, *Tu ipse Jehovah*, intellecto de personâ Patris definita; ut hæc sit periphrasis, *Tu ipse, qui solus es Jehovah*, non vero ista, *Tu ipse Jehovah, tu fecisti solus cœlum &c.* Quæ posterior periphrasis confirmatur omnino, inspectione veritatis Hebraicæ אתה הוא יהוה לבדך את עשית/ & consensu Vulgati Latini interpretis, qui vidit illud לבדך non construendum cum antecedenti nomine & pronomine in vocativo, sed cum sequenti verbo in nominativo: hoc pacto, *Tu ipse Domine, solus tu fecisti &c.*

III. Necjuvat tamen adversarium versio LXX. (quam hic videtur magis attendisse) ista, σὺ εἶ αὐτὸς κύριος μόνος, *Tu es ipse, Dominus solus*: donec illud effecerit, esse illam propositionem æquipollentem isti, σὺ μόνος εἶ αὐτὸς κύριος. *Tu Solus es ipse Dominus*, & demonstraverit Pronomen illud adstrictum esse definitè ad solam Patris personam, excluso Filio. Idem ergo hic exsurgit κρινόμενον, quod intercedit cum *Socino* & *consentientibus de Uno Deo Patre Transsylvanis & Sarmatis*, de interpretatione loci *Joh.* XVII. 3. ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν; an vertendum, *ut cognoscant te (esse) solum verum Deum*: an vero, *ut cognoscant te solum (esse) verum Deum.* Prius asserimus rectum esse, ut & Patri & Filio commune sit Prædicatum, *Solus verus Deus.*

IV. Si eo pacto recta fiat verborum ἐγχείρησις axiomatica, apparebit adversarii paralogismus, & corruet. Esto enim, quod ex animo credimus, ille, qui dedit Spiritum sanctum, Jehovah solus, tamen etiam Spiritus Sanctus est Jehovah solus: contradictio enim nulla hic est, eo quod *Jehovah solus* est prædicatum commune Patri Filio & Spiritui Sancto: nec fit Elenchus, nisi exserte dixeris, *Pater solus* (excluso Filio & Spiritu sancto) est Jehovah. Quod reliquum est, dicendum erit porro ad *Arg. VII.*

ARGUMENTUM III.

Qui non loquitur à se ipso, ille non est Deus; Spiritus sanctus non loquitur à se ipso. Ergo.

Minor liquet ex Joh. XVI 13. *Major sic probatur; Deus à se ipso loquitur; quare si quis sit qui non loquitur à se ipso, ille non est Deus.*

Antecendens per se liquidum est; Deus enim quidquid facit ejus ipse primarius auctor est. Verum si non loqueretur à se ipso, loquendum ipsi esset ab alio, adeoque non foret ipse sui sermonis auctor primarius sed secundarius: quod est absurdum, si saltem absurdum vocare fas est, quod est impossibile. Consequentia negari non potest.

Ad

Ad majorem hujus argumenti confirmationem observandum; quod juxta ordinariam Scripturæ phrasin, loqui aut facere aliquid non à seipso, est loqui aut facere, alio monstrante, docente, mandante, auctorante, & informante, ac consequenter, ἀσύςατον cum supremâ ac sibi sufficienti Majestate Dei. Videsis Joh. V. 19. 20. 30. VII. 15. 16. 17. 18. 28. VIII. 28. 42. XI 50. 51. XII 49. 50. XIV. 10. 24. XV. 4. 18. 34. Luc. XII. 56. 57. XXI. 30. 2 Cor. III. 5.

ARgumenti tertii robur omne pendet ab explicatione phrasios ἀφ᾽ ἑαυτοῦ *A se ipso*: in qua, si manendum necessario in glossa illa ordinaria, *facere aliquid non à se ipso*, esse loqui aut facere, *alio monstrante, docente, mandante, auctorante, & informante*, vicerit Pneumatomachus.

II. Enimvero quamvis jactet hic adversarius, omnem congeriem illam locorum, quæ adnotavit, flagitare glossam illam, tamen fallitur & fallit. Perrogamus enim illum, quo schemate glossa illa queat convenire *Joh.* XV. 4 *Palmes non potest ferre fructum* ἀφ᾽ ἑαυτοῦ *à se ipso, nisi manserit in vite*. An hoc est, *nisi vite monstrante, docente, mandante, auctorante, & informante*? in parabola seu allegoria, ista quidem glossa aliena prorsus est: in assimilatione erit omnino diluta nimis, nec tueri illam poterit adversarius, nisi crasso Pelagianismo omnem Christi in nobis ἐνέργειαν, qua fructus ferimus, definire velit, sola gratia foris monstrante, docente, mandante, auctorante, & informante.

III. Quid ergo? opposuit Chistus illud ἀφ᾽ ἑαυτοῦ *à se ipso*, τῇ ἑνώσει illi naturali palmitis in vite, qua manet viti σύμφυτος; & exposuit per χωρὶς *absque*, urgens ἕνωσιν fidelium in se, ut qui ipsi in unum corpus mysticum insiti sunt σύμφυτοι *Rom.* VI. 5. h. e. coaliti in plantam unam, ut ex ipso sugant vitam & vegetationem spiritualem.

IV. In illa analogia, phrasin istam, (*loqui non à se ipso*) & de Spiritu sancto, & de Christo, in Forma Dei considerato, accipimus κατὰ θεολογίαν: ut significet, *non loqui sine intima mutuaque inconfusa & indivisa* ἑνώσει *illa*, quam inter se & Patrem expressit Christus, dicens, *Patrem in se, & se in Patre, esse. Joh.* X. 38. *&* XIV. 11. *cum Joh.* XVII. 22. 23. Ut similiter ἀφ᾽ ἑαυτοῦ *à se ipso*, sit interpretandum χωρὶς, h. e. non *absque Patre*, (de Filio) vel non absque *Patre & Filio* (de Spiritu Sancto.)

V. Quamvis enim Christo, in forma servi assumpta, etiam conveniat, κατ᾽ οἰκονομίαν, altera ista interpretatio phrasios, *non à se ipso*, h. e. *non nisi Patre monstrante, docente, mandante, auctorante, & informante*: hoc tamen nihil præscribit, de Spiritu Sancto, qui formam servi non assumsit. Phrasis vero ipsa, quamvis directe exposita de mysterio τῆς ἑνώσεως arcanæ, tamen consequenter illam habet emphasin, non loquuturum Spiritum sanctum quidquam *seorsim*, quod non per ipsum loquatur & doceat Ecclesiam Pater & Filius: adeo ut nemo se jactare possit cum Enthusiastis, à Spiritu Sancto, supra vel citra Verbum Dei Patris & Filii, θεοδίδακτον à Deo edoctum.

VI. Animadvertendum porro illud; non posse quadrare pie interpretationem phraseos ἀφ' ἑαυτοῦ, quam dictat adversarius ordinariam esse, loco quem inter cætera adnotavit *Joh.* XI. 50. 51. ubi post commemoratum scelestum & impium Cajaphæ suffragium, de Christo perdendo ad evitandam perditionem populi, ista est ἐπίκρισις Euangelistæ; *Hoc autem à semet ipso non dixit &c.* Quæ enim pia anima non abhorreat istam Cajaphæ, sanguinem innocentem sitientis, apologiam? quæ exsurget ex istius phraseos hac paraphrasi; *Non dixit hoc Cajaphas nisi Spiritu Sancto* Prophetico *monstrante, docente, mandante, auctorante, & informante.* Apage blasphemiam.

VII. Benè merebitur de Anti-Christo Romano Pneumatomachus, stabilitâ blasphemiâ illâ; indiget enim commentitia Petri Cathedra, ne ruat, tibicine illo, de Cathedræ Mosis in V. T. Infallibilitate ista, ut *quamvis acta Cajaphæ fuerint Christo adversa, sententiam tamen dixerit non solum verissimam sed etiam utilissimam*; *quæ* est pro desperata causa desperatissima responsio *Melchioris Cani Locorum Libr.* IV. *Cap. ult.*

VIII. Ruit vero tibicen ille, si simplicissimè phrasin illam, *non à se ipso*, interpretemur, οὐ χωρὶς *non sine* numine Spiritus Sancti, arcana gubernatione, citra Cajaphæ conscientiam, ita frænantis linguam, ut non potuerit loqui verba alia quam ista, quæ postliminio ad triumphum Christi de Cajapha accommodaret Spiritus Sanctus, sententiam suam, nobis utilem, ad discendum salutis nostræ mysterium.

ARGUMENTUM IV.

Qui audit ab alio, quod ipsi loquendum, non est Deus. Atqui Spiritus Sanctus &c. Ergo.

Minor plana est, ex ante citato loco Joh. XVI. 13.

Major sic probatur; Qui docetur, non est Deus: Qui ab alio audit quod ipsi loquendum est, docetur. Ergo.

Major liquida est ex Esai. XL. 13. 14. collato Rom XI. 34. 1 Cor. II. 16.

Minor evidenter liquet ex Joh. VIII. *ubi Servator noster, postquam dixit* versu 26. Quicquid audivi ab ipso (Patre,) illud loquor, versu 28. *eandem sententiam sic expressit*; Prout docuit me Pater, hæc loquor.

Ne vero quis satagat eludere tam prægnans argumentum, dicendo, hoc de Spiritu sancto dictum esse improprie. Quocunque enim se verterit, & verba torserit pro lubitu, nunquam id efficere poterit apud virum prudentem & consideratum, ut schemate aliquo dici queat; aliquem ab alio audire id quod ipse loquuturus sit, qui sui sermonis primus auctor sit, & cui id non ab alio insinuatum est certo tempore. Hæc enim expressio plane hoc infert, quidquid Spiritus sanctus discipulis loquitur, ante revelatum & traditum ipsi esse à Christo, cujus ipse est Legatus: siquidem hoc proprium est Legati, ut Interpres sit non suæ sed alienæ voluntatis. Atqui contradictorium est imaginari, posse Deum habere aliquid sibi ab alio revelatum & traditum.

In

IN Argumento IV. circa eundem locum *Joh.* XVI. 13. eadem chorda oberrat Pneumatomachus; estque hoc ipsius πρῶτον ψεῦδος, synonyma esse ista, *audire ab alio*, & *doceri ab alio*: & hoc evidenter liquere ex *Joh.* VIII. ubi Servator noster, postquam dixit *versu* 26 *Quidquid audivi ab ipso* (*Patre*) *illud loquor*, *versu* 28. eandem sententiam sic expresserit; *Prout docuit me Pater*, *hæc loquor*.

II. At respondemus, Servatorem non enunciare ista συνωνύμως. Prius enim illud, quamvis de Christo in servi formâ spectato possit synonymum censeri, tamen nihil vetat ut de eodem Christo, & de Spiritu Sancto ut Personis divinis intelligatur etiam θεοπρεπῶς, secundum illam analogiam Scripturæ, qua *tres illi sunt*, *qui testificantur in cœlo*. Ut sicut audiunt invicem, qui in unum consentiunt testimonium, non tamen discit alter ab altero, ut discipulus vel interpres, id quod loquendum est, sic arcano & ineffabili modo audiat & Filius & Spiritus Sanctus Patrem, non ut Doctorem, sed ut primum ordine, qui testificatur unâ cum ipsis αὐτοπίστως 1 *Joh.* V. 7.

III. Non eludimus ergo, nec satagimus eludere, *prægnans aliquod argumentum*, nos *vertendo in omnes formas*, & *verba torquendo pro lubitu*; sed illa sua obtrectatione censemus prudentibus & consideratis ludibrium debere Pneumatomachum. Quia januam aperit Exceptioni in Judiciis, contra veritatem, ore duorum aut trium testium confirmatam, & sanctè juratam, à Personis fide dignissimis, si alter audiverit alterum testimonium dicentem prius. Scilicet, quod hoc pacto prior illum docuerit quod ipsi loquendum sit, ipsique id revelarit & tradiderit ut suo interpreti. Et similiter januam aperit obtrectationi & depreciationi virorum doctorum, quorum cum aliis sæpe cogitationes & meditationes coïncidunt, ut non possint dici suarum meditationum & sermonum ipsi auctores, si quod ipsi dicunt ab alio dictum audierint prius.

IV. Frustra Adversarius existimavit, se nos coëgisse in illas angustias, ut dicendum fuerit nobis, hoc (videlicet *Spiritum Sanctum doceri à Deo*) de Spiritu sancto *dictum esse improprie*: quandoquidem, quocunque ipse se verterit, & verba torserit pro libitu, nunquam id efficiet apud prudentes & consideratos, ut necessario unum & idem sint; quod ipse loquaris ab alio *audiisse*, & ab alio *didicisse* seu *edoctum esse*.

ARGUMENTUM V.

I*Lle qui ab alio accipit, non est Deus. Spiritus Sanctus accipit ab alio. Ergo Minor testata est loco ante dicto* Joh. XVI. 14.

Major sic probatur; Deus est qui dat omnia omnibus: quare si quis sit qui accipiat ab alio, is non potest esse Deus.

Antecedens planum est ex Act. XVII. 25. Rom. XI. 35. 36. *Consequentia negari non potest: si enim Deus dat omnia omnibus, & tamen accipit de alieno, & dabit omnia, & non dabit omnia: quod implicat contradictionem.*

Major Prosyllogismi aliter sic urgetur. Qui dependens est non est Deus: Qui accipit de alieno est dependens: Ergo. Major est ἰξαγώνιος. *Nam affirmare de eodem quod sit dependens, & tamen Deus, revera est dicere, ipsum Deum esse, & non esse: quod implicat contradictionem. Minor etiam evidens est: nam accipere de alieno, vera est notio dependentiæ.*

IN hoc V. Argumento, pergit adversarius eundem locum *Joh. XVI.* frustra torquere, arrepta verborum Christi lacinia ista, ex *versu* 14. *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet quod renunciabit vobis.* 15. *Omnia quæ habet Pater mea sunt: propterea dixi, de meo accipiet quod renunciabit vobis.* Achilles ipsius iste est, quod contradictionem implicet, accipere ab alio, *de alieno*, & esse Deum, independentem, *datorem omnium.* Prius à Christo affirmari de Spiritu Sancto, non posse ergo sine contradictione de Spiritu S. affirmari posterius.

II. At non fuit verbis Christi assuendum illud, (*de alieno*) quo resecto, incisus est nervus argumenti: quod sic demonstramus; quia (etiam citra Sacrosanctæ Trinitatis mysterium) fallit axioma illud; Quidquid quis accipit *ab alio*, illud ipsum accipere *de alieno.*

III. Enimvero dicet adversarius, esse ἰσοδυναμοῦντα illa, accipiet *de meo*, & accipiet *de alieno.* Respondemus, suggerere nobis Christum nodi solutionem, per analogiam verborum intercurrentium, quæ ad Patrem ab ipso dicta à Spiritu Sancto ad Christum similiter dici possunt: *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater mea sunt.* Omnino enim verissimum est, omnia quæ habet Christus, nobis donanda vel annuncianda, etiam esse ipsius Spiritus Sancti: ut unus sit trium thesaurus ille, & in largitione ex illo thesauro benedictionum, tres illi Unum sint, h. e. Unus independens Deus, qui dat omnia omnibus, de suo, non de alieno.

IV. Neque inter Patrem Filium & Spiritum S. τὸ *Meum & Tuum* præscribit, ad titulum *de Mutuo* exsculpendum in hoc negotio: ut dici queat à Christo, qui mutuo dederit, dependentem esse Spiritum Sanctum, in donorum distributione, ut *Diaconum* Christi χορηγοῦντος. Implicat enim talis Spiritus Sancti Diaconatus contradictionem cum Pauli affirmatione illâ, quâ facit Spiritum Sanctum Deo Patri & Domino Jesu Christo æqualem, dicens; *Omnia hæc efficit unus & idem Spiritus, distribuens illa privatim singulis prout vult.* 1 *Cor.* XII. 11. *collatis versibus* 4. 5. 6.

V. Animadvertendum autem, nihil hic posse contra Spiritum Sanctum ex hoc argumento effici, quod non pariter feriat Dominum Servatorem nostrum: ut neque illum queamus agnoscere independentem datorem omnium, τὸν χορηγοῦντα, quia & ipse dicitur *accepisse dona* nobis distribuenda *Psal.* LXVIII. 19. לקחת מתנות בארם / *Accepisti dona inter homines.* Paulus in tertia persona vertit, *dedit dona hominibus Ephes.* IV. 8. Confer *Act.* II. 33. *Dexterâ Dei evectus, & promissionem Spiritus Sancti adeptus à Patre, effudit hoc quod vos spectatis & auditis.*

ARGU-

ARGUMENTUM VI.

ILle qui mittitur ab alio, non est Deus: Spiritus Sanctus mittitur ab alio: Ergo. *Minor plana est ex ante indicato loco* Joh. XVI. 7. *Major sic evincitur.*

Qui ministrat non est Deus: Qui mittitur ministrat: Ergo. *Major indubitata est, quia dissentaneum est supremæ Majestati Dei ministrare & servire alteri: foret enim hoc, Deum esse & Non Deum, exercere supremum super omnia dominium, & non exercere.*

Minor confirmatur ex Hebr. I. v. ultimo, *ubi divinus Auctor ostendit Angelos esse Ministratores Spiritus, ex eo quod emittuntur; sicut ante insinuavit Christum esse Dominum, quia sedet ad dexteram Dei. Sic David* Psal. 11. *declarat Suprematum Dei, dicens ipsum* sedere in cœlis.

Minor porro sic probatur: Qui accipit mandatum, ad aliquod negotium perficiendum, ministrat: Qui emittitur, accipit mandatum ad aliquod negotium perficiendum. Ergo. *Major evidens est ex sensu communi: solis enim ministris & inferioribus consentaneum est accipere mandata. Minor manifesta est ex* Joh. XII. 49. Pater qui misit me, ipse dedit mihi mandatum quid loquar.

Ne vero hic replicet aliquis, hoc ita dictum esse quidem de Christo; nisi, facta prius probatione, quod Christus sit summus Deus, largiatur istud, quicquid de ipso prædicatur, prædicari de eo quâ Deus est: aut hoc tueri possit saltem, missum esse ipsi convenire qua Deus est At contrarium suppono me evidenter probasse in hoc argumento, quando ostendi, dissentaneum hoc esse divinæ Majestati.

IN VI. Argumento ista quidem sunt ἐξαγώνια; Spiritum *qui ministrat, non esse Deum, quia dissentaneum est supremæ Majestati Dei, ministrare & servire alteri*: item; *Qui accipit mandatum ad aliquod negotium perficiendum, illum ministrare.*

II. Attamen negamus primam illam Majorem (*Ille qui mittitur ab alio, non est Deus*) aut alteram argumenti Minorem illam (*qui mittitur ministrat,*) ita universaliter veras esse, ut; quod circa finem hic insinuat Pneumatomachus, non possit esse sarta tecta Fides de Christo, *quod sit Summus Deus*, si hoc tueri velimus, *missum esse ipsi convenire qua Deus est*, h. e. Persona divina.

III. Quamvis ergo, ex *Joh.* XVI. 7. Minor illa prima plana sit, *Spiritum sanctum mitti ab alio*, à Patre & Filio, non efficitur tamen conclusio illa adversarii, Ergo Spiritus Sanctus *non est Deus*; sed tantum ista, ergo Spiritus Sanctus *est alia Persona divina, à Patre & Filio, à quibus mittitur.*

IV. Neque ex *Hebr.* I *v. ultimo* confirmari potest Minoris illius, (*qui mittitur, ministrat*) universalis veritas Angelos enim omnes esse Ministratores Spiritus, non ostendit Apostolus nudè ex eo quod *mittantur*, sed quod *mittantur* εἰς διακονίαν *ad Ministerium.*

V. Et liquet, non fidere satis adversarium argumento isti suo, à missione nude ducto; quandoquidem emphasin quærit, in verbi compositio-

 ne, pro-

ne, pro *mittuntur*, dictans *emittuntur*; istam scilicet, quod mittens maneat in cœlo sedens, missus vero è cœlo descendat, arripiens ad hanc emphasin ista; quod Apostolus ante insinuavit, Christum esse Dominum, quia *sedet ad dexteram Dei*, & David *Psal.* 11. declarat Suprematum Dei, dicens ipsum *sedere in cœlis*.

VI. Subdolus Pneumatomachus Dei *Suprematum* arcessit à phrasi illa, qua dicitur *sedere in cœlis*; & Christi Dominium ab ista, qua dicitur *sedere ad dexteram* Dei. Ut insinuet Christum, antequam exaltatus est ad dexteram Dei, per Adscensionem in cœlos, non fuisse Deum nec Dominum: neque etiamnum esse *Summum Deum*. Quod suo indicio prodit, sub finem hujus V. Argumenti, nobis relinquens hoc probandum, *quod Christus sit summus Deus*, & *quod missum esse ipsi convenire possit qua Deus est*.

VII. Respondendum ergo nobis de loco *Joh.* XII 49. *Pater qui misit me, ipse dedit mihi mandatum quod loquar*; & vindicanda inficiatio consequentiæ, à connexione antecedentis & consequentis istius, in Persona Christi, ad connexionem similem in Persona Spiritus Sancti; Pater eum *misit*, ergo à Patre *missus accipit mandata*, ut Patre inferior minister & servus.

VIII. In Persona quidem Christi succedit argumentum, ut *connexa* sint, at non ut *necessario sua natura connexa* sint: connexio enim ista, non pendet ex *ratione Missionis generali*, sed à *speciali mysterio missionis Christi*; in quo sita est differentia Missionis Filii & Missionis Spiritus Sancti. *Emisit Deus Filium suum. Gal.* IV 4. *Emisit Deus Spiritum Filii sui. Gal.* IV. 6. Emisit Filium, ad assumendam servi formam μορφὴν δούλου, per quam, factus ex muliere filius ancillæ τῆς δούλης Dei, factus est Legi obnoxius, ad accipiendum Mandata. Confer *Gal.* IV. 4. *cum Phil.* II. 7. & *Luc.* I. 41. *cum Psal.* CXVI. 16.

IX. Non similiter emisit Deus Spiritum Sanctum, ad sumendam servi formam, aut accipienda mandata: sed ut per ipsius inhabitationem in nobis intus stabilito regno Dei *Luc.* XVII. 21. ipse nos ductui suo subjiceret, ut unus cum Patre & Filio Dominus & Deus noster, cui servimus Spiritu nostro. Quippe idem est ὁ κύριος τὸ πνεῦμα, & τὸ πνεῦμα κυρίου, Dominus Spiritus, & Domini Spiritus. 2 *Cor.* III. 17. 18.

X. Et observandum ex Capite illo, quomodo in antecedentibus *vers.* 3. 6. 8. Apostolus se & cooperarios suos profiteatur *Diaconos Spiritus Dei*, & glorietur in gloriosa διακονίᾳ τοῦ πνεύματος *ministerio Spiritus*. Quocunque enim se verterit & verba torserit pro libitu Pneumatomachus, nunquam id efficere poterit, apud illos qui reverenter habent Scripturam, ut in *ministerio Spiritus glorioso*, intelligendus sit Spiritus, *Dei & Christi Diaconus, mandata accipiens*.

XI. Sunt manifeste in verbis Apostoli ἀντικείμενα τὰ πρός τι relative opposita, Apostoli *Diaconi*, & Spiritus *Dominus*; quandoquidem ipsius operationi principali, ut Dei inscribentis legem suam carneis tabulis cordis, subjicitur ἡ διακονία ministerium Apostolorum humanum, in prædicando & scribendo sermonem Christi, *versu* 3.

XII. Re-

XII. Recordetur pius Lector, quæ in Elencho Exomologeseos observavimus, de discrimine inter τὴν διακονίαν & τὴν ἐπιχορηγίαν: ne quis hic somniet, Apostolum voluisse gloriari, non de ministerio præstito *Spiritui Sancto*, sed de ministerio quo ipse ministraverit *Spiritum Sanctum*: quod Pneumatomachus somniabat, ad locum indoctè arreptum *Gal.* III. 5. quem ibi vindicavimus.

ARGUMENTUM VII.

Ille qui Donum Dei, non est Deus: Spiritus sanctus est Donum Dei. Ergo. Minor plana est ex Act. XI 17. Postquam igitur dedit eis Deus par Donum (*puta Spiritum*) ut & nobis, qui credimus in Dominum Jesum Christum, ego porro quis eram qui Deo resisterem?

Major, quamvis per se satis liquida, tamen porro sic illustratur. Ille qui non est Dator omnium, non est Deus: Ille qui est Donum Dei, non est Dator omnium. Ergo. Major evidens est ex Act. XVII. 25. Deus dat omnibus, vitam, halitum, & omnia.

Minor sic probatur. Qui ipse datur, non est dator omnium: Qui est donum Dei, ipse datur. Ergo.

Major negari nequit: alias enim idem foret dator omnium, & tamen non dator omnium, quatenus ipse donum principale datum est, quod implicat contradictionem. Minor non eget probatione.

Porro donum est in potestate, & subest dispositioni donantis: at crassum & absurdum est imaginari, Deum posse esse in potestate & subesse dispositioni alterius. Nec est quod quis hic cogitet se evasurum dicendo, non ipsum Spiritum Sanctum, sed tantum dona ipsius, hominibus distribui: quoniam doctiores adversarii ipsi fatentur, dari Personam Spiritus Sancti, una cum donis ipsius. Et scriptura rem constituit extra dubium, si consulas Nehem. IX. 20. & Rom. V. 5. *in quo utroque loco donatus dicitur* Spiritus Sanctus, *donis & operationibus suis contradistinctus. Priori loco, contradistinctus instructioni quæ ab ipso manat: in altero loco, contradistinctus charitati* Dei, *per ipsum diffusæ in cordibus nostris.*

Unde possumus educere hoc corollarium: Si persona Spiritus Sancti ex favore donatur certis hominibus, quod testantur loca ante dicta, non erat ergo antea ipsis personaliter præsens, & consequenter, ipsa adversariorum concessione, non potest Deus esse: nolint enim inficiari Deum ubique pariter omnibus personaliter præsentem esse.

IN VII. Argumento recoquitur Argumenti V. crambe aliqua, in illustratione Majoris propositionis istâ, quia Deus scilicet asseritur *Dator omnium*, ex loco illic etiam indicato *Act. XVII.* 25. & consequenter, non posse Deum esse Spiritum Sanctum, si non ipse agnoscatur Dator omnium: quæ quidem hactenus sunt ἐξηγητικά.

II. At negamus Majorem initio expressam; *Qui est donum Dei non est Deus.* Deinde etiam alteram illam: *Qui est Donum Dei non est dator omnium.* Et ter-

Et tertiam illam: *Donum est in potestate, & subest dispositioni donantis.* Negamus inquam trinam illam propositionem esse absolutè & universaliter veram: ut non feriant nos ista, quæ adversarius contra nos vibrat, *crassum & absurdum esse imaginari, Deum posse esse in potestate & subesse dispositioni alterius.*

III. At contestamur, Deum, ut αὐτεξούσιον, posse donare se ipsum, & revera donare se ipsum nobis, donato nobis Spiritu Sancto; ut habentes Spiritum Dei, habeamus Deum ipsum, suâ ipsius dispositione seu διαθήκῃ.

IV. Non est ergo quod Adversarius cogitet nos istam evasionem velle quærere, quam præoccupat, *dicendo, non ipsum Spiritum Sanctum, sed tantum dona ipsius hominibus distribui*; cum illis enim facimus, quos ipse, ad majorem scilicet triumphum, nominat *doctiores adversarios* suos, qui non est quod ipso doctore discant, *donatum* in Scriptura dici *Spiritum sanctum, etiam notione illa Personæ, donis suis contradistinctæ.*

V. At indoctum est, quod confundit in donationis illius subjecto, *personalem præsentiam* Spiritus Sancti, cum *donata fruitione personalis præsentiæ*: illam supponimus, per Immensitatis attributum divinum, etiam apud reprobos, quibus non donatur præsentis Spiritus fruitio, cum salute connexa. Quamvis aliquibus illorum dari possit etiam usus præsentiæ Spiritus S. aut ad oris apertionem Propheticam, ut Bileamo *Num.* XXIII. aut ad patranda miracula. *Matth.* VII. *Hebr.* VI.

VI. Ruit ergo id quod educere satagit corollarium, ex concessâ illa hypothesi, *quod Persona etiam Spiritus Sancti ex favore donatur certis hominibus*: esse ergo consequens, *non fuisse antea ipsis personaliter præsentem*; unde porro consequens fit, non posse Personam Spiritus Sancti Deum esse, ex hypothesi Immensitatis & Omnipræsentiæ Dei.

VII. Enimvero non liquet, an candidè ex animi sui sententia, an tantum ad vexandum orthodoxos, adversarius isti suo corollario substernat hypothesin istam, de Attributo Immensitatis Dei, per quam Deus, nisi sit essentialiter Ubique præsens, non sit Deus.

VIII. Ad epilogum dicimus, *Deum Datorem omnium*, sine ulla contradictione, *dare se ipsum nobis, sua dispositione* & διαθήκῃ illâ, quâ nos sibi facit Fœderatos, ut, qui citra illam dispositionem Fœderis Gratiæ eramus χωρὶς Θεοῦ *absque Deo in mundo Eph.* II. 12. Deum habeamus Deum nostrum, juxta illud verbum, *Ero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Heb.* VIII. 10.

IX. Et διαφερόντως Deus Filius dedit se ipsum Ecclesiæ suæ, ut Sponsæ Sponsum, quam ipse, ut dives omnium Hæres, jure spiritualis conjugii dotaret, donando ipsi omnia; *Dedit se ipsum* 1 *Tim.* II. 6. *Tit.* II. 14. *Eph.* V. 25. *Dedit animam suam Matth.* XX. 28. *Marc.* X. 45. *Dedit carnem suam Joh.* VI. 51. Ut Ecclesiam sibi sisteret sponsam *Eph.* V. 26, 27, quam donavit, ut *dator Omnium*, gloriatione ista; *Omnia vestra sunt, vos autem Christi.* 1 *Cor.* III. 21. 22. 23. Confer 2 *Cor.* VIII. 9 *& Hebr.* I. 2. Breviter, & dedit ipsum Pater, & dedit se ipsum Filius, datorem omnium, & dat uterque Spiritum Sanctum, qui cum ipsis est unus ille dator omnium, omnia

omnia efficiens & distribuens privatim singulis prout vult. 1 *Cor.* XII. 6.11.

ARGUMENTUM VIII.

Ille qui locum mutat, non est Deus; Spiritus Sanctus locum mutat. Ergo. Major plana est: si enim Deus locum mutaret, desineret esse ubi erat prius, & inciperet esse ubi non erat prius: quod evertit ipsius Omnipraesentiam, & consequenter, ipsa adversariorum confessione, Deitatem ipsius.

Minor ad oculum manifesta est, si juxta Adversariorum symbolum (abi, Ariane, ad Iordanem, & Trinitatem videbis) ad Iordanem modo abieris: illic enim habebis Spiritum Sanctum in specie corporea descendentem è coelo, qui est terminus à quo, conspicuum supra Christum, qui est terminus ad quem. Luc. III. 21.22. *Neque vero alleget quis, tantundem dici de Deo* Ex III. & Cap. XX. & Gen. XVIII. *Si enim contuleris* Act. VII. 30. 35. 38 53. Gal. III. 19. Heb. II. 2. 3. & Cap. XIII. 2. *cum locis ante dictis, comperies non fuisse Deum ipsum qui descendebat, sed tantum Angelum, qui sustinebat personam & nomen Dei: quod locum non habet in historia descensionis Spiritus sancti.*

IN Argumento VIII. magis animadvertimus, quod subolebat in antecedentis VII. Argumenti Corollario, haud candidè ex animi sui sententia substernere argumentationi suae hypothesin orthodoxam istam, de Attributo Immensitatis Dei, *eversa Omnipraesentia, everti consequenter Deitatem*: & tantum ad vexandum Orthodoxos, non ad testandum consensum, hic ingessisse perenthesin illam (*ipsa adversariorum confessione*,) Sicut neque ad testandum consensum ingestum est illud orthodoxorum symbolum (*abi Ariane ad Jordanem & Trinitatem videbis*) sed ad illudendum.

II. Quidquid vero sentiat apud se Adversarius, lubentes & Majorem argumenti, & Majoris explanationem nostram facimus, & fatebimur nos victos, si similiter Minorem planam fecerit, quam temere jactat ad *oculum manifestam esse*, si modo ad Jordanem abierimus.

III. Habemus quidem illic Spiritum Sanctum in specie corporea descendentem è coelo. *Luc.* III. 21. 22. At quando attendimus Scripturae analogiam, cogimur asserere, non fuisse descensionem illam, cum loci mutatione, motum localem ipsius Spiritus Sancti, sed *speciei corporeae*, tanquam columbae, quâ praesentiam suam (ad obsignandum visibiliter symbolo miraculoso Christum à Johanne Sacramento Baptismi Aquae obsignatum) testabatur Spiritus sanctus; sicut praesentiam suam, ad cumulum obsignationis ejusdem testabatur Pater, audibili vocis ad Christum delatae symbolo.

IV. Et merito respondent Orthodoxi, (id quod allegari vetat adversarius, satis pro imperio) *tantundem dici de Deo Ex* III. *& Cap.* XIX. XX. *& Gen.* XVIII. per manifestum Anthropopathiam. Nam *Exod.* III. qui *versu* 2. apparet Mosi, in flamma ignis de medio rubi, nominatus מלאך יהוה

Angelus Jehovæ, ab apparitionis schemate, simili apparitioni Angelorum tunc frequentatæ: mox *versu* 6. profitetur se *Jehovam ipsum* esse, dicens; *Ego sum Deus Patris tui*, *Deus Abraham*, *& Deus Isaac*, *& Deus Jacob.* Cui il.co *versu* 7. Moses tribuit nomen *Jehovah*: sicut *Cap.* XIX 20 expressissimum est nomen illud: *& descendit Jehovah super montem Sinai*, *super caput montis*, *& vocavit Jehovah &c.* Et similiter *Gen.* XVIII. *versu* 19. *Jehovah* nominatur, qui *versu* 20. dicit, *descendam nunc*, &c.

V. Frustra vero Pneumatomachus nos relegat ad collationem locorum *Act.* VII. *Gal.* III. *Hebr.* II. *&* XIII. cum locis ante dictis, ut ipsi largiamur, *non fuisse Deum ipsum qui descendebat*, *sed tantum Angelum*, *qui sustinebat Personam & nomen Dei*; *quod*, inquit, *locum non habet in historia descensionis Spiritus Sancti.* Cujus evasionis mysterio satagit unâ operâ evertere, & Filii & Spiritus Sancti Deitatem, subvertendo scilicet hypothesin illam orthodoxam, intelligendam esse Personam Filii Dei, in illis Veteris Testamenti locis, ubi idem nominatur & Angelus Jehovæ, & Jehovah; Jehovah, ad expressionem æternæ Deitatis, qua cum Patre unum est, Angelus Jehovæ, ab apparitionis schemate jam dicto.

VI. Atqui hypothesin istam confirmat Scripturæ analogia, in qua Messiæ venturo ὁμολογουμένως attributum nomen *Angeli Fœderis*, מלאך הברית / *Malach* III. I quemadmodum nominatus est ab Esaja, post nominatum Jehovah Deum Patrem, *Angelus faciei ipsius* מלאך פניו / *Esaj* LXIII 9. Neque si contuleris verba Stephani *Act.* VII 30. 25 38. quidquam reperies quod nos abducat ab analogiâ illa. *Versus* enim 53 perperam hic admiscetur, ubi de Angelis, numero plurali, sermo est, secus quam antea: quod etiam respondemus de loco *Gal.* III. 19 *& Heb* II. 2. 3 *& Cap.* XIII.

VII. Assertioni ergo isti Pneumatomachi, *non fuisse Deum ipsum qui descendebat*, *sed tantum Angelum*, *qui sustinebat personam & nomen Dei*, contradicimus hic, assertione orthodoxa, *non fuisse Angelum creatum*, *qui Ex.* III. *&* XIX. *& Gen.* XVIII. *dicitur descendisse* (nominatus Jehovah:) *sed Deum ipsum Filium*, *qui sustinebat personam & nomen Angeli.*

VIII. Consequenter possumus in illa ad Minorem Adversarii instantia, *tantundem dici de Deo ipso*, & dictionis schema improprium esse; cujus analysis vera ista est, ut dicatur descendere Deus vel Spiritus Sanctus, sartâ tectâ essentiæ suæ Immensitate, per quam ἀδύνατον est ut ipse locum mutet, quando *locum mutat* (ad apparitionem ascita pro tempore) *species corporea*, V. G. columbæ à Spiritu S. *Luc.* III. 22. vel (Angelis frequentatum in apparitionibus,) corporis humani, à Deo, *Gen.* XVIII. 2. vel quodcunque aliud εἶδος σωματικὸν, apparitioni inserviens.

ARGUMENTUM IX.

Qui precatur Christum, ut veniat ad judicium, non est Deus: Spiritus Sanctus precatur: Ergo.

Major in confesso est. Minor evidens est, Apoc. XXII. 17. collato versu 12. *Neque existimet quis se elusurum probationem istam, dicendo, quod dicatur Spiritus*

ritus Sanctus hic precari, tantum, quia facit Sponsam precari Nam quando Scriptura vult significare assistentiam Spiritus Sancti efficientis ut homo loquatur, solet affirmare, vel Spiritum Sanctum loqui in eo, ut Matth. x. 20. *vel quod loquantur per Spiritum sanctum, ut* Rom. VIII. 15. Nos accepimus Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. *Verum hic expresse dictum est*, Spiritum & Sponsam dicere, veni: *non Spiritum in Sponsa, neque Sponsam per Spiritum.*

AD IX. Argumentum proba est responsio ista, quam Pneumatomachus præoccupat, & temere rejicit; *Quod dicatur Spiritus Sanctus precari, tantum quia facit sponsam precari.* Erit illa nobis illustranda & vindicanda ad Argumentum XII. ex loco *Rom.* VIII. 26. 27.

II. In præsens ad ἀνασκευὴν, flagitamus probationem Minoris istius, *Spiritus sanctus precatur*: quam negamus evidentem esse ex verbis istis *Apoc.* XXII. 17. *collato versu* 12. Et *Spiritus & Sponsa dicunt, Veni.* Hoc agnoscimus ex verbis istis, & Spiritum & Sponsam *precari.* Quemadmodum enim V. G. in judicio, ubi præstatur Juramentum, & Judex, qui conceptâ formulâ juranti præit, & qui præeuntem sequitur, dicunt, *ita me Deus adjuvet*, non tamen uterque jurant; similiter & Spiritus & Sponsa quidem dicunt, *Veni*: sed Spiritus dictando Ecclesiæ precationis formulam, Ecclesia, precando, & ut Sponsa sponsum suum invocando.

Ad ARGUMENTUM. X.

ARgumenti X. nervus ille unicus est, ex *Act.* XIX. 2. quod Discipuli illi, (circiter duodecim, quos Ephesi invenit Paulus, qui à Johanne baptisati erant, ad Pauli interrogationem, *num Spiritum Sanctum accepistis posteaquam credidistis?*) responderunt; *Imo ne hoc quidem audivimus, an sit Spiritus Sanctus.* Verba illa ultima, *an sit Spiritus Sanctus*, arripit Pneumatomachus, quasi extra omnem controversiam intellecta de Personæ Spiritus Sancti existentia: quâ ignoratâ (& consequenter non creditâ, à credentibus in Deum) testimonio illo quod Fidei ipsorum perhibet Paulus, destruatur Spiritus Sancti Deitas.

II. At non est extra controversiam phrasios istius εἰ ἔστιν *An sit*, interpretatio; quam si largiamur necessariam esse, coget nos Pneumatomachus manus dare *Serveti* & *Socini* discipulis, in Quæstione de illis qui mortui sunt, an desierint existere; quando illi inficiationem omnis existentiæ mortuorum, tueri satagunt illis Scripturæ testimoniis, quæ dicunt *mortuos non esse. Psal.* XXXIX. *versu ultimo. Jer.* XXXI. 15. *Matth.* II. 18.

III. Ut ergo non orthodoxi, sed *Serveti* & *Socini* discipuli, male arrepto verborum cortice, *pervertunt planum & genuinum sensum verborum*, torquentes ad absolute intellectam non existentiam, id quod dictum est de existentiâ utili hic viventibus, è quorum medio ublati sunt: similiter eodem spi-

dem spiritu actus Pneumatomachus istius perversionis hic reus est, quam satagit nobis imputare; quod sequenti animadversione planum fiet.

IV. Discipuli illi, Ephesi à Paulo inventi, non erant ex Gentibus neophyti, sed Judaïsmo innutriti, & deinde baptisati baptismo Johannis, qui non fuit ministratus aliis quam Judæis, quando necdum fas erat baptisantibus *ire in viam Gentium. Matth.* x. 5. Credebat Ecclesia Judaïca Spiritum Sanctum, eo ipso quod Prophetis credebat, quorum illa erat gloriatio in Domino; *Spiritus Domini loquutus est per me.* 2 *Sam.* XXIII. 2.

V. At lugebat Ecclesia Judaïca à temporibus Antiochi, post mortuos (à soluta captivitate Babylonica, & post ædificatum Templum secundum) ultimos illos Prophetas, qui prophetarunt sub Esra & Nehemia, cum illis sopitum & exstinctum quasi Spiritum Sanctum: quo referenda lamentatio illa *Psal.* LXXIV. 9. *Signa nostra non videmus, non est ultra Propheta.* Et quod defectum gloriæ Templi secundi, intra gloriam prioris Templi à Salomone ædificati, quem lugebant seniores in populo Judaïco *Agg.* II. etiam hodierni Judæorum magistri, *R. S. Jarchi.* & *R. D. Kimchi in Agg.* 1 8. ad vocem אכבד / explicent, recensione rerum quinque, quæ desiderabantur; fuere autem. 1. *Arca.* 2 *Urim & Tummim.* 3. *Ignis cœlestis.* 4. *Divinitas Templum inhabitans, quam vocant* שכינה. 5. *Spiritus Sanctus.*

VI. Virtute autem consolationis istius Propheticæ, *& Spiritus meus stabit in medio vestri, nolite timere Agg.* II. 8. ורוחי עמדת בתוככם / quam illustrabat *Promissio Joëlis Cap.* II. die Pentecostes à Christo impleta, stante adhuc Templo novissimo, exspectabatur cum adventu Messiæ, quasi resuscitandus Spiritus.

VII. Secundum hanc *exspectationem consolationis Israël Luc.* II. 25. sarrâ tectâ fide in Deum & Spiritum Dei, quam etiam docebat & baptismo suo obsignabat Johannes Baptista, dicens, Christum à se baptisatos aqua, *baptisaturum Spiritu Sancto, & igni Matth.* III. 11. quæstionis illius εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστιν, planus & genuinus sensus est, εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστιν ἐληλυθὸς, sive εἰ πάρεστιν; *an Spiritus Sanctus venerit*, sive *an adsit*, post longam exspectationem, tandem quasi restitutus Ecclesiæ, quæ illum quasi exstinctum luxerat, ex quo desierant loqui ab ipso inspirati Prophetæ.

VIII. Nec alio sensu Johannes Euangelista potuit loquutus esse *Joh.* VII. 39. dicens, *nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Existentiam enim Spiritus sancti jam docuerat, ex testimonio Johannis Baptistæ, de sibi visa descensione Spiritus Sancti in specie columbæ *Cap.* I. 32. 33. & ex sermone Christi ad Nicodemum, & necessitate regenerationis ex Spiritu. *Cap.* III. 5. 6. 7. 8.

IX. De quo Johannis loco, qui unicus est illi *Act.* XIX. 2. parallelus, non sine causæ desperatione Pneumatomachus litavit silentio, nimis verbosus in iis quæ ἐξαγώνια sunt, & in fingendis responsionibus minus solidis, de quibus triumphet, & ipsa vanitate vanior, in iis quæ cumulat, ut appareat quod Spiritus Sanctus non sit Deus: scilicet quod (ex hypothesi necessitatis Fidei de Spiritu sancto,) & officii sui, & salutis discipulorum isto-

rum istorum, negligens fuerit Apostolus, tolerans ut circa articulum tanti momenti, permanserint in ignorantiâ ista, essetne aliquis Spiritus sanctus, nec illos erudiens.

X. Primo quidem palpabile est, ipsum hac instantiâ, petere id quod est in principio, sumendo pro concessâ glossam illam verborum, quam confutavimus. Deinde perrogamus quamvis conscientiam, an ullo schemate dici possit, consequenter ex nostra assertione, non revelasse Apostolum discipulis illis, & in illis nobis, Deitatem Spiritus Sancti, sed tolerasse ut permanserint in ignorantia, qui credimus Euangelistæ commemoranti *versu 6. Quum imposuisset eis manus Paulus, venisse Spiritum Sanctum in eos, & loquutos linguis & prophetasse.* Certe accuratius (ut stulto respondeamus secundum stultitiam ejus) curam gessit Apostolus salutis discipulorum, impetrando ipsis, per manuum suarum impositionem, ut essent ab ipso Spiritu Sancto energumeni, qui ipsis esset *ὁδηγὸς* in omnem veritatem, quam Atheniensium, apud quos solâ usus est veritatis apologiâ, ad Dei ignoti revelationem.

Argumentum XI.

Ille qui à Deo distinctum habet intellectum, non est Deus: Spiritus Sanctus à Deo distinctum habet intellectum. Ergo. Major evidens est: nam qui intellectum habet distinctum ab alterius intellectu, necessario similiter habet distinctam essentiam, in quo resideat iste intellectus. Minor sic probatur. Qui audit à Deo, idque per manum alterius, quod loquendum ipsi est, habet intellectum distinctum ab intellectu Dei: Spiritus Sanctus eo pacto audit à Deo: Ergo. Minor evidens est ex Joh. XVI. 13. 14. 15. *Major sic confirmatur; Ille qui docetur à Deo, habet intellectum distinctum à Dei intellectu: Qui audit à Deo, docetur à Deo. Ergo. Minor manifesta est ex* Joh. VIII. *ubi Servator noster Christus, postquam dixit* vers. 26. Quidquid audivi ab ipso (*à Patre*) hoc loquor: *eandem sententiam, sic exprimit* versu 28 Juxta id quod Pater docuit me, isthæc loquor. *Major per se liquet: nam qui docetur, habet ignarum intellectum, nemo enim doceri potest quod jam novit: qui vero docet ignarum habet intellectum, alias non posset quidquam docere alium. Enimvero implicat contradictionem, ut idem intellectus, eodem tempore, ejusdem rei sit gnarus & ignarus.*

Præterea, quod Spiritus Sanctus habeat intellectum à Dei intellectu distinctum facile deducitur ex verbis Apostoli 1 Cor. II. 10. *ubi affirmat* Spiritum *Sanctum* scrutari profunda Dei, (*sicut* Rom VIII. 27. *insinuat Deum* scrutari mentem Spiritus.) *Verum scrutari alterius profunditates necessario supponit intellectum unum in illo qui scrutatur, & intellectum alterum in eo cujus profunditates alter scrutatur: sicut evidens est, non tantum collatione aliorum locorum scripturæ, ut* 1 Petr. I. II. Apoc. II. 23. *verum etiam ex communi sensu, qui dictat hoc unicuique, neminem sine absurditate dici posse scrutari profunditates sui intellectus. Ideo Apostolus, procedens ad illustrandum id quod dixit de Spiritu de Dei, per similitudinem ductam à spiritu hominis, non dicit spiritus*

hominis scrutatur, sed novit, ea quæ sunt hominis: quamvis verba priora videantur eo ipsum ducere.

MAgnam partem recocta crambe est, ex Argumento III & IV. in Minoris principalis probatione ex *Joh.* xv. 26. & 14. 15. & deinde alterius Minoris ex *Joh.* xvi. 13. 14. ubi vix quicquam necesse sit nobis adjicere huic, ad utriusque illius argumenti elenchum, præter animadversionem ad aliquos illic non expressos terminos. V. G. Medius terminus in primo syllogismo novus ille est in speciem, *habere intellectum à Deo distinctum:* & deinceps in Minoris probatione medius terminus, hic lenior quam supra, ille est, *audire à Deo, idque per manum alterius, quod loquendum est:* Neutrum verè prædicari potest de Spiritu Sancto, quicquid jactet Pneumatomachus.

II. Largiemur autem prius haud inviti, si probaverit posterius illud, Spiritum Sanctum eo pacto audire à Deo quod loquendum ipsi est, ut dicendus sit, *audire à Deo per manum alterius, id cujus ipse erat ignarus.* At istius probationis, neutro in loco, vola aut vestigium est. Quidquid enim facit ad probandum, *alium intellectum discentem, ab intellectu Dei docente,* id solum tangit Filium: sed tamen ea lege, ut ipse Θεάνθρωπος in suâ personâ habeat, ut Deus, intellectum docentem, ut Homo, intellectum discentem.

III. Phraseos porro istius, *audire à Deo per manum alterius,* flagitamus auctoritatem ex Scriptura loquente de Spiritu Sancto, quia *per manum,* phrasi Scripturæ, significat *per ministerium:* adeo ut qui sic loquitur, faciat in docendo Spiritu Sancto alterum doctorem Dei ministrum, quo mediante Spiritus sanctus, datus Ecclesiæ ad docendum, sit ipse διδακτός. Breviter sic loquens Pneumatomachus deprimit intellectum Spiritus Sancti, non sine blasphemia, non tantum infra *intellectum Dei,* sed etiam infra *intellectum Christi humanum,* qui doceat Spiritum Sanctum, quod ipsum docuit Pater.

IV. Ex verbis Apostoli 1 *Cor.* 11. 10. ubi affirmat *Spiritum Sanctum scrutari profunda Dei,* frustra porro satagit exsculpere alium intellectum Spiritus Sancti, ab intellectu Dei: nec juvat ipsum collatio locorum 1 *Petr.* 1. 11. & *Apoc.* 11. 23. in quibus nihil est parallelum, de Spiritu scrutante profunda Dei; in priori enim sermo est de Prophetis scrutantibus revelationes Spiritus, in altero, de Domino Jesu scrutante profunda hominum.

V. Est vero indoctum hoc πρῶτον ψεῦδος, quod phrases non æquipollentes sed desperatas esse velit istas, *Scrutari ea quæ sunt Dei, vel hominis,* & *Nosse ea quæ sunt Dei vel hominis;* quas variavit Apostolus, ut posterior esset epexegesis prioris, atque ut intelligeretur per τὸ *Scrutari,* διερευνᾶν, intime penetrans notitia, schemate dictionis metonymico, ab hominibus translato, qui scrutando penetrant in abdita & arcana.

VI. Ne-

VI. Neque hoc satis consideratum, quod pronunciat, *neminem sine absurditate dici posse scrutari profunditates sui intellectus*: quandoquidem non obscure fatetur, nullam fore absurditatem, si synonymæ essent phrases, *nosse ea quæ sunt hominis*, & *scrutari ea quæ sunt hominis*: quod nos asserimus, ille contrarium dictat quidem, sed non docet.

VII. Quid? quod sibi ipsi contradicit, quando verba Apostoli ista *Rom.* VIII 27. *Qui vero scrutatur corda, novit quis sit sensus spiritus*; exponit istâ paraphrasi, *Deum scrutari mentem Spiritus*: aut enim nihil dicit, aut insinuat synonymas esse phrases, *nosse mentem Spiritus*, & *scrutari mentem Spiritus.*

VIII. Ad rem vero respondemus, ex hypothesi (quam urgebat ipse Adversarius in Argum. I.) quod ἀδύνατον sit *dari duo infinita*; si Spiritus sanctus alium habet intellectum à Dei intellectu distinctum, ἀδύνατον est ut habeat intellectum infinitum. Si non habet intellectum infinitum, intellectus Dei, & profunditas ejus infinita, ipsi est ἀνεξερεύνητος καὶ ἀνεξιχνίαστος inscrutabilis & impervestigabilis, affirmatione Apostoli. *Rom.* XI. 33. Falleret ergo illud, quod infallibilis veritatis est, Spiritum scrutari omnia, etiam *profunditates Dei*, finito intellectui inscrutabiles & impervestigabiles, juxta illud; *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* 1 *Cor.* II. 9. 10. 11.

ARGUMENTUM XII.

I*Lle qui habet Voluntatem distinctam numero à voluntate Dei, non est Deus: Spiritus Sanctus habet voluntatem distinctam numero à voluntate Dei. Ergo. Major est irrefragabilis. Minor sic asseritur; Qui vult conformiter voluntati Dei, habet voluntatem numero distinctam à voluntate Dei; Spiritus Sanctus sic vult. Major plana est, conformitas enim esse debet ut minimum inter duo; alias non erit conformitas, sed identitas. Minor confirmatur ex* Rom VIII. 26. 27. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quæ sit mens (*seu voluntas*) Spiritus; quia intercedit pro sanctis, secundum voluntatem Dei. *Quæ verba Apostoli suppeditant nobis aliud prægnans argumentum, quod Spiritus Sanctus sit inferior Deo: quatenus dicitur apud Deum intercedere (sicut ante urgebamus ipsius invocationem Christi Arg. IX.) & quidem gemitibus inenarrabilibus. Quod non ita est intelligendum, quasi diceretur hic Spiritus Sanctus adjuvare infirmitates nostras, tantum per suggestionem petitionum & gemituum, efficiens nos precari (ut communiter sed falso affirmatur) ipsa enim verba contextus sufficienter refutant glossam istam, dicunt enim, Spiritum ipsum, non nos per Spiritum (ut habetur quidem* ejusdem Capitis versu 15.) *intercedere pro nobis. Verum adjuvare aliorum infirmitates, intercedendo pro ipsis, non est instillare ipsis petitiones, sed effundere seorsim petitiones ipsorum gratia: ut apparet ex re ipsa, (nemo enim potest intercedere pro se ipso, cum omnis intercessio requirat interventum tertii) &*

ex colla-

ex collatione versus 34. ejusdem capitis, & versus 39. Capitis XV. & 2 Cor. XI. Hebr. VII. 25. 1 Tim. II. 1. Col. IV. 12. Eph VI. 18. *Neque existimet quis se amoliturum hoc argumentum, quod solis radiis scriptum est, dicendo, esse hoc improprie dictum de Spiritu Sancto: nam præterquam quod non habet fundamentum aliud hoc dicendi, quam præconceptam suam opinionem de Deitate Spiritus Sancti, sciendum ipsi est, Scripturam, quamvis loquatur multa humano more, (de Deo) nusquam tamen loqui quidquam quod arguat ejus inferioritatem & dependentiam ab alio. Atque hic locus Apostoli plane insinuat Spiritum S. esse inferiorem Deo, & ab ipso dependentem: alias, quid necesse foret ipsum apud Deum intercedere, idque gemitibus inenarrabilibus, Sanctorum gratia.*

ROBUR omne, si quod est, in Argum. XII. quod initio proponitur, situm est in phrasi illa *Rom.* VIII. 27. *κατὰ θεὸν, secundum Deum*, quando dicit Apostolus, *secundum Deum, intercedit pro sanctis.* Hoc urget adversarius esse, *conformiter voluntati* Dei, h. e. voluntate conformata ad voluntatem Dei: ut necessario sit alia voluntas Spiritus Sancti, à voluntate Dei, ad quam conformatur, numero distincta; quia *alias non erit conformitas sed identitas.*

II. Enimvero est ista mala *ἐγχείρησις* conformitatis istâ phrasi expressæ. Phrasis ista explicat priorem illam quæ est *versu* 26. *καθὸ δεῖ, ut oportet, ut decet;* quod non tangit voluntatem Spiritus Sancti, sed nostram, ut scilicet nos precemur sicut oportet, cum nostræ voluntatis debita submissione sub voluntate Dei, ducti à Spiritu Dei, qui ipse Deus est: estque ipsius & Patris *identitas* voluntatis, nostræ autem cum Deo *conformitas* voluntatis.

III. Frustra est etiam illa jactantia, quod *verba Apostoli suppeditent ipsi aliud prægnans argumentum, quod Spiritus Sanctus sit inferior Deo: quatenus dicitur apud* Deum *intercedere, & quidem gemitibus inenarrabilibus.* Neque felicius hic argumentum illud urget, quam supra urgebat, ipsius invocationem Christi Arg. IX. in quo sibi plausus facit.

IV. Et monstrosum certe est paradoxon, quod, sicut illic *invocationem Christi*, ita hic *gemitus inenarrabiles στεναγμοῖς ἀλαλήτοις*, dictet *esse ipsius Spiritus Sancti:* quod hactenus fando auditum non est inter Christianos, de Persona Spiritus Sancti.

V. At, sine monstro illo, (*seorsim nostri gratia effundente suos gemitus inenarrabiles,*) non potest contradici veræ isti interpretationi verborum Apostoli, ut falsæ; qua intelligimus *Spiritum Sanctum adjuvare infirmitates nostras, per suggestionem petitionum & gemituum, efficiendo nos precari.*

VI. Monstro autem illo valere jusso, quandoquidem gemitus inenarrabiles nostri sunt, teste Apostolo, qui *eodem Capite versu* 23 dixit, *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*, & *nos ipsi in nobis ipsis suspiramus*; phrasis illa insolentior, quâ dicitur *versu* 26. *Spiritus ipse* illis *gemitibus* seu suspiriis *ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. intercedere* seu interpellare *pro nobis*, non ita vexanda est, ut deprimatur Spiritus Sanctus ad *ministerium Advocati:* sed emphasin illam habet, nostram *προσευχὴν* cum suspiriis & gemitibus ad Deum effusis, ad *ἐντυγχάνειν*, efficaciter

efficaciter nobis & dictatam & expressam, Spiritus Sancti inspiratione, ut à nobis interpelletur Deus, non ut ex nobis, sed καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος, *sicut à Domino Spiritu*, ut hic utamur phrasi Apostolicâ. 2 *Cor.* III. 18. Nec sine emphasi illa Jacobus dixit, δέησις δικαίου ἐνεργουμένη, *Precatio justi Energumena. Jac.* V. 16.

VII. Atque hic animadvertendum, nullius momenti esse, quod adversarius, hærens mordicus Latino *Intercessionis* verbo, censet nodum Gordium esse; *Neminem posse intercedere pro se ipso, cum omnis intercessio requirat interventum tertii.* Secabimus nodum istum, consideratione Græci thematis, ὑπερεντυγχάνειν, quod non necessario idem est, quod μεσιτεύειν, *medium intercedere* inter partes, quandoquidem etiam pars adversa parti adversæ hostiliter dicitur ἐντυγχάνειν. *Thucyd. libr.* II. Verum notat simpliciter *interpellare* seu *compellare* super aliqua seu re, seu persona, sive id fiat supplicando, sive expostulando: videsis *Act.* XXV. 24. Quidni autem possit quivis Deum interpellare seu compellare pro se ipso, super necessitatibus suis.

VIII. Et gratis jubet nos discere, *Spiritum Sanctum effundere seorsim petitiones nostri gratiâ*, ex collatione *versus* 34. *ejusdem Capitis Rom.* VIII. ubi Christus ad dexteram Dei dicitur ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν *interpellare pro nobis.* Quod enim seorsim pro nobis interpellet Christus, id fit per humanæ ipsius naturæ à nobis absentiam in cœlis. At ne similiter existimetur seorsim pro nobis interpellare Spiritus Sanctus, vetat illud, quod, Christi secundum carnem absentiæ solatium, inhabitionem Spiritus Sancti in nobis *Joh.* XIV. 17. Paulus confirmavit *Rom.* VIII. II.

IX. Minime ergo *solis radiis scriptum* est, hoc quod ultimum in acie collocavit adversarius, sed discussum, instar nubeculæ soli oppositæ in meridie. Ut nihil agat Pneumatomachus, temere hunc locum Apostoli torquens ad Spiritus Sancti *inferioritatem & dependentiam à Deo, per quam necesse ipsi sit pro nobis seorsim fundere gemitus inenarrabiles.* Quem nos locum ipsi vindicamus, ad demonstrationem hanc, quod ipse sit unus ille cum Patre & Filio Deus, Potentiam suam perficiens in nostra infirmitate. 2 *Cor.* XII. 9.

EXPOSITIO MATTH. XXVIII. 19.

Profecti ergo, facite discipulos (*sic est in Originali*) ex omnibus nationibus, baptisantes eos in nomen (*sic etiam est in Originali*) Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

IN *nomen Spiritus Sancti*) *h. e. in Spiritum Sanctum, per circumlocutionem usitatam in Scriptura: vide* Act. XIX. 5. collato Rom. VI. 3. *Et in Spiritum S. est, in ductum Spiritus Sancti. Hoc pacto Judæi dicuntur omnes* baptisati fuisse in Mosem. I Cor. X. 2. *Ita ut verba Servatoris nostri tantum valeant, atque, initiantes ipsos in confessionem & obedientiam Dei Patris, & Domini Jesu*

Christi Filii Patris, & Spiritus Sancti, qui Advocatus est & ὁδηγεῖ in omnem veritatem.

Jam unâ mentio fit, cum Deo & Christo, Spiritus Sancti, quia ipse est principale instrumentum, quo ipsi (*Deus & Christus*) *ducunt, gubernant, sanctificant & dotant Ecclesiam: & ad insinuandum, quod, uti homines antequam nomina sua darent Christo, vivebant secundum Principem hujus mundi immundum Spiritum, qui operatur in Filiis inobedientiæ, sic in posterum debeant, sequestrati à mundo, & admissi intra Ecclesiam, se ipsos tradere ductui Spiritus Sancti: quem Deus & Christus constituerunt ad ordinationem & directionem Ecclesiæ. Quod enim non sit coordinatus Patri & Filio Spiritus Sanctus, ut ipsis æqualis, evidens est ex aliis locis Scripturæ expressis, ut* 1 Cor. XII. 3. 4. 5. 6. Eph. IV. 4. 5. 6. *ubi quando ipsius mentio conjuncta est cum mentione Patris & Filii, ipse expresse & emphaticè excluditur à notione Dei aut Domini, contradistinctus. Atqui si nec Deus est nec Dominus,* (*prout Apostolus non tantum in istis locis, sed etiam alibi clare testatur, vide* 1 Cor. VIII. 5. 6.) *non potest æqualis esse Patri & Filio: sed tantum est princeps Minister utriusque, peculiariter missus ad ministrandum, illorum gratia, qui hæredes erunt salutis.*

SOlis radiis scripta est (in illa Baptismi Aquæ dedicatione, factâ à Christo in cœlos adscensuro) demonstratio Deitatis Spiritus Sancti, sicut Christi ipsius: ut frustra luci meridianæ tenebras offundat Pneumatomachus. Audimus illud quidem non inviti, didicisse ipsum, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, doctè verti, *facite Discipulos ex omnibus nationibus.* Et per nos licet, ut scrupulosè in Baptismi formula servetur syntaxis illa Accusativi, εἰς τὸ ὄνομα *In nomen:* quæ servata est 1 *Cor.* I. 13. At sciat, sine scrupulo Lucam *Act.* II. 38. verba Petri vocantis resipiscentes ad Baptismum aquæ expressisse syntaxi Ablativi, ἐπὶ τῷ ὀνόματι, *In Nomine.*

II. Enimvero, *In nomen Spiritus Sancti*, non est nuda *circumlocutio*, qua *Nomen* tantum significet *Personam* Spiritus Sancti, quasi sine emphasi ulla dictum, *in Spiritum Sanctum.* Quid ergo? Circumlocutio illa dicit apud illos quos facturi essent discipulos, ipsis ut hypodidascalis nominandum Nomen Magistri & docentium & discentium, cui per Baptismum consecrarentur, ut Fidei Domino. Illâ emphasi dicit Apostolus, citra prædicationem Euangelii, quâ prædicatur Christus Dominus, *non nominatum esse Christum. Rom.* XV. 20.

III. Et quia se prædicaret *Servum*, ministrantem Ecclesiæ propter Christum Dominum 2 *Cor.* IV. 5. protestationi illi, expressæ 2 *Cor.* I. 24. *Non dominamur fidei vestræ*; gemina est ista contestatio. 1 *Cor.* I. 13. 15. *Num in Nomen Pauli baptisati fuistis? ut ne quis dicat me in meum nomen baptisasse.* Et contestationi illi pondus addit effatum illud, *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptisma. Eph.* IV. 5.

IV. Suppeditat ergo Apostolus invictum hoc argumentum demonstrationis, pro Deitate Spiritus Sancti, ex Baptismo in Nomen ipsius. Ille in cujus nomen baptisantur discipuli, non est Dei cooperarius Minister, sed ipse Fidei Dominus Deus. At discipuli baptisantur in Nomen Spiritus Sancti. Ergo Spiritus Sanctus non est Dei cooperarius Minister, sed ipse

Fidei

Fidei Dominus Deus. Major plana est; quia illo argumento procul habet Apostolus Baptismum in Nomen suum 1 *Cor*. 1. 13. 15. quod ille in cujus nomen baptisati essent Corinthii, esset Dominus ipsorum Fidei, qua emphasi sexies Christum jam ante vocarat Dominum *verss*. 2. 3. 7. 8. 9. 10 & inferius *Cap*. III. 5. in eandem sententiam dixit; *Quis igitur est Paulus? quis autem Apollos? nisi (Diaconi) ministri, per quos credidistis?*

V. Scripta ergo est solis radiis conclusio illa; Spiritus Sanctus non est Ministrator Spiritus εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενος ad Diaconatum missus, ut (Diaconus) seu minister, per quem credidimus: consequenter est Deus ipse.

VI. Jubet nos conferre cum *circumlocutione* illa, *in Nomen Christi*, phrasin *in Christum Act*. XIX. 5. *collato Rom*. VI 3. At jubemus illum meditari, in utriusque illius loci collatione, quia expressum est *Act*. XIX. 5. *In nomen Domini Jesu, Rom*. VI. 3. *in Christum Jesum*, flagitare supplementum illud, *in Christum Jesum (Dominum:)* ergo alienum & absonum fore, si non similiter fas sit, illud *in Nomen Spiritus Sancti* interpretari, *in Spiritum Sanctum (Dominum;)* sed cogamur alio supplemento relative opposito, expositione illa uti, *in Spiritum Sanctum (Diaconum.)*

VII. Luctatur cum veritate Pneumatomachus, quando agnoscit verba Servatoris nostri tantum valere, atque *initiantes ipsos in confessionem & obedientiam Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et *in Spiritum sanctum*, esse, *in ductum Spiritus Sancti*. Est enim contra omnem Scripturæ analogiam, Sacramento *initiari in Confessionem & Obedientiam, & Dei, & Diaconi* seu ministri, qui eo ipso est noster σύνδουλος *conservus Apoc*. XIX. 10. & XXII. 9. Est autem hic catholicæ veritatis illud axioma Apostoli; *An nescitis, quod cui sistitis vos ipsos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui obeditis. Rom*. VI. 16. Initiari autem alicui ad obedientiam, quid est aliud, quam ipsi servum sisti ad obedientiam?

VIII. Et quid est illud *baptisari in ductum Spiritus Sancti?* nisi tradi Spiritui Sancto in typum, seu formam doctrinæ, secundum quam obediendum sit ipsi, ut uni καθηγητῇ omnibus eminentiori, tam docentibus quam discentibus, pariter baptisandis. Certe ex collatione locorum *Rom*. VI. 17. & *Matth*. XXIII, 8. 10. *cum Joh*. XIII. 13. liquet, nullum esse omnibus baptisatis, docentibus & discentibus, eminentiorem καθηγητὴν, qui non sit ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος Magister & Dominus Ecclesiæ, adeoque Deus ipse, qui solus est universalis *Magister Bonus. Matth*. XIX 16. 17.

IX. Est ergo Spiritus Sanctus eo ipso verus Deus, minime vero Advocatus, Dei Diaconus seu Minister, quia est Magister ὁδηγὸς tam docentium quam discentium universalis, in omnem veritatem: ipsius est Typus, seu formula doctrinæ illa, in quam cuncti traduntur, ut illi ex corde obediant. *Rom*. VI. 17.

X. Neque in Baptismi dedicatione consentanea esset mentio Spiritus Sancti, juxta Patrem & Filium, Deum & Dominum, ut *principalis instrumenti*, seu *Archi* Diaconi, *quo Dominus Deus Pater & Filius, ducant, gubernent,*

 bernent,

bernent, sanctificent & dotent Ecclesiam: & quem constituerint infra se, ad ordinationem & directionem Ecclesiæ, quamvis *nec Deus sit nec Dominus*. Neque enim vel cogitatione fingi potest iste Archi-Diaconus, sub Christo ducens, gubernans, sanctificans, dotans, ordinans, dirigens, Ecclesiam universam, & singula ejus membra, quin fingatur monstrose *Caput Ecclesiæ invisibile, vicarium Dei & Christi, Archangelus* ἀντίχειρος *Anti-Christus*, Deo & Christo ἀντικείμενος *relativa oppositione*, quæ necessario dicit *oppositione contraria* hostem Christi, donec demonstretur ex Scripturis, datum Ecclesiæ caput vicarium infra Christum, ut monstrose biceps sit Ecclesiæ corpus.

XI. Neque *Æqualitas Spiritus Sancti cum Patre & Filio* everti potest, ex illis Scripturæ locis, quæ vexat Pneumatomachus 1 *Cor*. XII. 4. 5. 6. & *Eph*. IV. 4. 5. 6. & 1 *Cor*. VIII. 5. 6. quasi in illis *emphaticè excludatur à notione Dei aut Domini, contradistinctus utrique*, tantum *princeps minister* seu *Archidiaconus utriusque*. Contra enim, expresse & emphaticè, excluditur *à notione Diaconi*, (qui est ὑπὸ ἐξουσίαν) quando, ut ipse αὐτεξούσιος diribitor, dicitur omnia dona, ordinaria, extraordinaria, ad Ecclesiæ usus distribuere privatim singulis, καθὼς βούλεται 1 *Cor*. XII. 11.

XII. In altero autem loco *Eph*. IV. satis expresse & emphaticè vindicatur Spiritui Sancto *notio Domini*; quandoquidem asseritur, *Unus Dominus, Una Fides, & Unum Baptisma versu* 5. Quæ assertio inanis esset, nisi tres illi, in quorum nomen baptisamur, essent Unus Dominus Deus: & nisi εἰς ὄνομα seu ἐπὶ τῷ ὀνόματι, idem esset quod ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος, ad Fidem in Nomen, vel in Nomine Unius Domini baptisari.

XIII. Quod Pneumatomachus ingerit, *Judæos omnes dici baptisatos fuisse in Mosem*, quamvis *Ministrum Dei*, ut evincat, non esse alienum, ut Christiani dicantur baptisari in Spiritum Sanctum Principem Ministrum Dei, nullius momenti est. Quamvis enim ambiguitatem habeat phrasis illa, *in personam aliquam baptisari*; ac consequenter obscurior foret loquutio, *baptisari in Spiritum Sanctum*, ut similis videri posset isti, *baptisari in Mosem*, ac significare, *per Ministerium Spiritus Sancti*, sicut *per ministerium Mosis*: tamen obscuritas & ambiguitas aufertur, per circumlocutionem istam, *Baptisari in Nomen Spiritus Sancti*: qua circumlocutione non utitur Scriptura de Mose loquens, ut relinquatur Mosi *ministerium*, at Spiritui Sancto tribuatur *Magisterium & Dominium in Fidem & Baptismum*.

EXPOSITIO 1 JOH. V. 7.

Nam tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.

D*Urum fuisset, si non impossibile (si non fuissent homines ante corrupti) unquam venire in hominis cerebrum imaginationem istam, quod hæc phrasis (Unum sunt) significet (habere unam Essentiam.) Est enim talis expositio non tantum contra communem sensum, sed etiam contra alia Scripturæ loca, in*

quibus

quibus hoc ſchema loquutionis perpetuo ſignificat Unionem in conſenſu & aſſenſu, at nuſquam Unionem in Eſſentia. Ut omittam alios Scriptores ſacros, hic ipſe Apoſtolus in ſuo Euangelio, Cap. XVII. verſ. 11. 21. 22. 23. *utitur eadem expreſſione ſexies, nihil inſinuans aliud quam Unitatem conſenſus. Quin hoc ipſo capite, in Epiſtola ſua,* verſu 8. *utitur ſimiliter in eodem ſenſu. Quamvis enim variet nonnihil lectio expreſſa in ordinariis codicibus Græcis, in eo, quod præpoſitio* εἰς *præfixa eſt; (tametſi codex Complutenſis legat* εἰς τὸ ἕν εἰσιν *in utroque verſu) attamen ſenſus idem eſt: ac poſterius iſtud dictum eſt juxta Hebraicum idioma, prius juxta phraſin ordinariam. Ad hujus rei confirmationem videſis* Matth. XIX. *collatis in originali* verſibus 5. & 6. *Quamobrem debet una eſſe in utroque verſu phraſios expreſſæ interpretatio: quod factum à primis interpretibus, quamvis poſteriores interpretes* verſu 8. *tranſtulerint,* (conſentiunt in unum) *ſubſtituentes gloſſam loco tranſlationis. Adeo ut hic locus nihil faciat pro illis, qui ſtatuunt Spiritum Sanctum habere unam eandemque cum Patre eſſentiam: niſi potuerint probare, eos qui Unum ſunt conſenſu, neceſſario oportere Unum eſſe in Eſſentia, aut duos treſve haud poſſe Unum eſſe, quin ilico Unum ſint in Eſſentia. Omitto in præſens dicere, quod ſuſpectus ſit hic locus, quod non extet in antiquis Græcis exemplaribus, neque in tranſlatione Syriaca, neque in antiquiſſimis codicibus editionis Latinæ, & rejiciatur à nonnullis Interpretibus, tam Autiquis quam Modernis.*

IN expoſitione loci 1 *Joh.* v. 7. monſtrat Pneumatomachus, ſe cum *Serveti & Socini* diſcipulis, & omnibus veteribus & novis Anti-Trinitariis, in deſtruenda ſaltem Deitate Domini Jeſu Chriſti Unum eſſe: quamvis controverſiam illam diſſimulet, ſolum Spiritum Sanctum oppugnans γυμνῇ κεφαλῇ. Aſſerit enim ἀποτόμως, non ſine petulanti ſplene, *phraſin illam (Unum ſunt) contra communem ſenſum, & contra perpetuum uſum Scripturæ, trahi in ſenſum illum (habere unam Eſſentiam) ſignificare autem perpetuo Unionem in conſenſu & aſſenſu.* Quod ſi verum eſt, præſcriptum eſt contra interpretationem verborum Chriſti *Joh.* x. 30. (*Ego & Pater Unum ſumus*) de Patris & Filii Homoouſiâ.

II. Potuerat, &, ſi candidus eſſet, debuerat conjunxiſſe expreſſionem iſtius loci, cum expreſſione *Capitis* XVII. *verſ.* 11. 21. 22. 23. ubi ait, ſexies iteratum *nihil aliud inſinuare quam Unitatem conſenſus*: dicente Chriſto ad Patrem, *ut ſint unum, prout nos.* Nam ellipſis illa de Chriſto & & Patre, *prout nos*, explenda per illud primæ perſonæ ἕν ἐσμεν *Unum ſumus*, quod *Joh.* XVII. non eſt expreſſum ſexies, ſed ſemel *verſu* 21. ſicut *Joh.* x. 30.

III. Non poteſt autem de phraſi illa ſolidum fieri judicium, ſine iſtius loci *Joh.* x. 30. enucleatione & collatione. In qua ne moroſiores ſimus, dabimus, non intendi directâ verborum ſignificatione Unitatem Eſſentiæ, quando dixit Chriſtus *Ego & Pater Unum ſumus*: erit tamen frigida & jejuna Chriſti oratio, ſi tantum expreſſum voluit ſuæ voluntatis humanæ cum divina Patris voluntate conſenſum & aſſenſum.

IV. Quid ergo? Tota series & ductus sermonis Christi flagitat ut saltem significarit Christus, *manum suam & manum Patris*, (qua custodiuntur oves, ut eas nemo rapiat) *Unum esse*: adeoque se & Patrem *unum esse*, *in robore potentiæ divino*; quo, invitis omnibus salutis nostræ hostibus, Deus in nostri conservatione ostendit se majorem omnibus. *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum: neque rapiet eas quisquam è manu mea. Pater enim qui eas dedit mihi major omnibus est: neque quisquam potest eas rapere è manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus. Joh.* x. 28. 29. 30.

V. Sive jam illud (*Unum sumus*) ex prima directa intentione Christus intellexerit, pro (*Unum sumus Essentia*,) sive pro (*Unum sumus robore potentiæ divino*:) ex posteriori tamen demonstrabitur prius, non minus quam posterius ex priori. Et hoc efficietur, non de sola voluntatis suæ humanæ, & Patris divinæ consensione loquutum Christum; in qua nulla esset assecuratio unius in Deum & in Christum fiduciæ illius, qua credentes in Deum etiam in Christum credamus *Joh.* xiv. 1. sed de Voluntatis exsequutione, per Unam utriusque manum, seu robur & Omnipotentiam Divinam.

VI. Neque everti potest aut infringi significatio ista *Unius* sive *Essentiæ* sive *Attributi* Omnipotentiæ divinæ, per illam assimilationem alterius Unitatis, qua Fideles dicuntur *Unum esse, sicut Pater & Filius Unum sunt Joh.* xvii. quamvis ipsi non sint Unum Essentia, & sic similitudo claudicet.

VII. Enimvero, in illa assimilatione, pernegamus falsam illam adversarii hypothesin, illud (ut Unum *sint*) primo & per se significare, *Unionem in consensu & assensu mutuo*, à voluntatis singulorum conspiratione. Omnino enim significatur, à voluntate Dei manans in omnes & singulos, *Unitas Spiritus*, qua ipsorum voluntas formetur ad consensum & assensum, qui distincte dicitur *vinculum pacis*: per quod, ut *nostrum officium*, conservamus illud *Dei beneficium*, studentes servare Unitatem Spiritus per vinculum pacis, ut Unum corpus & Unus Spiritus. *Eph.* iv. 3 4

VIII. Quod ergo assimilatur illi Unitati, qua Pater & Filius & Spiritus Sanctus unum sunt, est (simile, quamvis non ἰσότιμον æquale mysterio unitatis in Trinitate adorandæ) Mysterium magnum in Christo & in Ecclesia, Unitas illa mystici corporis, qua plures Unum sunt, Christo insiti & σύμφυτοι, Dei instar agricolæ manu, instar Vitis & Arboris, quin corporis naturalis organici, unius, ut efficiantur omnes Unius Christi, (tanquam stirpis, radicis, capitis) palmites, rami, membra, adeoque *Unus Christus. Joh.* xiv. *Rom.* vi. & xi. 1. *Cor.* xii. *Eph.* iv. & v.

IX. Neque ad evertendum aut infringendum commentarium istum nostrum, quidquam juvat Pneumatomachum collatio *sequentis versus* 1. *Joh.* v. 8. in quo legitur, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, pro eo quod est *versu* 7. καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Luctatur enim contra veritatem, satagens hoc efficere, ut sine emphasi sit varietas phrasios illa; *& hi tres unum sunt*, expresso pronomine demonstrativo *versu* 7. & expresso solo articulo; *Et Tres in unum sunt*.

X. Nec

X. Nec *Codicem Complutensem* suis oculis videtur lustrasse Adversarius, sed tantum consuluisse varias lectiones, *in Codice Roberti Stephani Regio*, Anni MDL. ad marginem adnotatas, dicens, *Codex Complutensis legit* εἰς τὸ ἓν εἰσιν, *in utroque versu.* Legit enim *Codex Complutensis* nihil ejusmodi in *vers.* 8. sed *vers.* 7. legit, (id quod alii codices legunt *versu* 8.) sine pronomine demonstrativo, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι; *& tres in Unum sunt.*

XI. Et per nos licet, ut succurratur defectui & alterationi *Codicis Complutensis*, ista responsione; *Quamvis variet nonnihil lectio expressa, attamen sensus idem est, ac posterius dictum est juxta Hebraicum idioma, prius juxta phrasin ordinariam.* Verum eâ lege, ut in utraque phrasi *versu* 7. τὸ ἓν *Unum* illud, sit *Unum* τὸ Θεῖον, seu *Numen* Patris Filii & Spiritus Sancti.

XII. Enimvero, esto τὸ ἕν, Johannes intellexerit, ἓν μαρτύριον *Testimonium Unum*, erit tamen necessario intelligendum *Testimonium divinum* αὐτόπιστον *versu* 7. sicut *versu* 8. intelligitur Unum illi contradistinctum, (πιστὸν quidem, sed non αὐτόπιστον) in terra, testimonium. Jam, non potest esse Trium in cœlo testium Testimonium Unum divinum αὐτόπιστον, qui non sint ὁμοούσιοι, & in forma Dei unâ æquales invicem, adeoque *unum* ἀψευδὲς Θεῖον, *mentiri nescium Numen, per Essentiam Unam.*

XIII. Non juvat adversarium locus ad quem nos remittit *Matth.* XIX. 5. 6. Et qui duo fuerunt, erunt in *unam carnem. Itaque non amplius sunt duo, sed Caro una.* Nisi probaverit, ex mente Christi verba ista, *erunt in Carnem unam, & Caro una*, transferenda esse, *consentient in Carnem unam.* Quam glossam perimunt verba Christi sequentia; *Quod ergo Deus conjunxit, homo ne separet.*

XIV. Flagitant verba ista, (supra assensum vel consensum conjugum,) à Deo dependentem, ipsique uni solubilem nexum, quo ipse conjuges unam carnem facit, ut alter sine altero non sit solida stirps, à qua instar ramorum liberi pullulare & propagari queant. Ut *Una caro* tantundem sit, quod *Una stirps generationis*, qua ex Carne nascitur & propagatur Caro humana.

XV. Non habet ergo adversarius quidquam, quod officiat nostræ responsioni isti, qua vindicavimus etiam illam alteratam lectionem *versus* 7. *& Hi tres in Unum sunt*, hoc pacto, ut nullus esse possit Trium in cœlo testificantium, Patris Filii & Spiritus Sancti, consensus in Unum testimonium αὐτόπιστον, si non sit una trium αὐτοπιστία, sed Spiritui Sancto tantum relinquatur Testimonii illius annunciatio, Dei Diacono, seu ministratori Spiritui, conveniens. Quomodo Testes Dei πιστοὶ possunt esse omnes è cœlo missi ministratores Spiritus. Cum Deo autem testari in cœlo nemini conveniens est, qui non *in Cœlo sedet* ut æqualis Deo, sed *ad stat tantum* Deo in cœlis sedenti, ut Ministrorum unus è Cœlo mittendus.

XVI. Frustra vero est illud, & à corruptione mentis profectum, quod, per ironiam scilicet, omittit in præsens dicere, quod suspectus sit hic locus, ab ipso vexatus, eo quod non extet in antiquis Græcis exemplaribus, neque in translatione Syriacâ &c. Nobis contra merito suspecti sunt antiqui

& mo-

& moderni *Ariani*, aliique S. Trinitatis hostes, & Pneumatomachi, de tentatâ olim loci hujus corruptela, quæ non potuit, divina providentia, vitiare codices plures, quorum collatione triumphat veritas originalis: quæ munita est etiam allegatione antiquissimi Patris & martyris *Cypriani*, (qui floruit circa annum Christi CCXL. sub Imperatore Decio) *Libro de Unitate Ecclesiæ.*

EXPOSITIO ACT. V. 3. 4.

Dixit autem Petrus; Anania, cur implevit Satan cor tuum, ut mentireris Spiritui, vel ut deciperes Spiritum Sanctum? & interverteres partem ex precio istius prædii? Nonne si servasses manebat tuum? & venundatum in tua erat potestate? cur induxisti in animum rem istam? Non es mentitus hominibus, sed Deo.

IN isthoc loco Spiritus Sanctus neque expresse, neque per bonam consequentiam nominatus est Deus. Dato enim, ordinariam translationem probam esse, (est vero minime) tamen non ilico consequetur, quia Ananias mentiendo hominibus plenis Spiritu sancto (nam ipse Piscator *fatetur in verbis inesse, & verba ipsa secundum istam interpretationem implicant, Metonymiam Adjuncti) non mentiebatur hominibus, sed Deo, ergo Spiritum Sanctum esse Deum. Nam mentiendo illis qui induti sunt Spiritu Dei, potest quis mentiri Deo; attamen neque illi, neque Spiritus qui in ipsis est, Deus sunt, sed tantum legati Dei. Quod enim committitur in Legatos, redundat in illum qui misit ipsos: vide* 1 Thess. IV, 8. Joh. XIII. 20. *Luc.* X. 16. *Verum si quis penitius verba introspiciat, percipiet verbum* ψεύσασθαι *constructum esse alia atque alia syntaxi, videl. cum accusativo* versu 3. *& cum dativo* versu 4. *Iam* ψεύσασθαι *cum accusativo, apud Græcos Auctores, idem est quod* προσποιήσασθαι, *hoc est* simulare & fingere. *Sic* Lucianus in Pseudomanti, ψευσάμενός τι ὄνομα, nomen quoddam mentitus. *Quod cum ita sit, verba sic vertenda sunt, cur Satan implevit cor tuum, ut simulares & fingeres Spiritum sanctum? h. e. cur permisisti Spiritum immundum eousque tibi prævalere, ut ad ipsius suggestionem pecuniam istam interverteres? prout apparet ex eo quod partem precii ex prædio tuo subtraxisti, & non totum exposuisti: & tamen obtrusisti nobis, te, pariter ut reliquos, id fecisse motu Spiritus sancti impulsum. Non es mentitus hominibus, sed Deo, h. e. certus esto dissimulationem istam tuam non tam nos attinere, quam Deum ipsum, cujus nos servi sumus. Hæc expositio non tantum consentanea est Græco contextui, & scopo loci, sed etiam habet suffragatores* Erasmum, Calvinum, & Aretium.

Audax

AUdax inficiatio! *in isthoc loco Spiritum Sanctum neque expressè, neque per bonam consequentiam, nominatum esse Deum*, quamvis dato, ordinariam translationem probam esse: quâ translatione servatâ, Ananias (*mentitus Spiritui sancto, vel conatus decipere Spiritum sanctum*) *dicitur, non esse mentitus hominibus sed Deo.*

II. Præsidium omne adversario est in illâ, quam asserit, *Metonymia Adjuncti*; quâ dicitur Ananias *mentitus Spiritui Sancto, mentiendo hominibus plenis Spiritu Sancto.* Verum nimis diluta est interpretatio illa, & repugnat verbis Petri, dicentis, *non es mentitus hominibus, sed Deo*: quæ non aliunde explicanda sunt, quam ex parallelo sermone Christi, ad Apostolos dicentis, *non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Sanctus*: q. d. Non enim sumus nos quibus mentitus es, sed Spiritus Sanctus. *Matt.* x. 20. *Marc.* XIII. 11.

III. Et alienum est à mente & verbis Petri, quod ingeritur *mentiendo illis, qui induti sunt Spiritu Dei, posse aliquem mentiri Deo, ut tamen neque illi, neque Spiritus qui in ipsis est Deus sint, sed tantum Legati Dei.* Nam immediata est in verbis Petri divisio inter duo illa, *mentiri hominibus & mentiri Deo*: Neque consentaneum est facere illud tertium quid, *mentiri Spiritui Sancto*: ex illa enim hypothesi (quod Spiritus sanctus non sit Deus ipse, sed Legatus Dei) similiter dicendum etiam Petro erat, *non mentiti estis Spiritui sancto, sed Deo.*

IV. Et hanc expressionem asserimus ex hypothesi necessariam fuisse, eo ipso argumento, quod urget adversarius; quod *quidquid committitur in Legatos redundat in illum qui misit ipsos.* Sic enim hoc intendit Petrus, *non mentitus es Legatis Dei, sed Deo ipsi.*

V. Magis fidit Pneumatomachus (*penitus scilicet introspectis Petri verbis*) alteri evasioni; non dixisse Petrum, mentitum esse Spiritui Sancto Ananiam, sed ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *ut mentireris Spiritum sanctum*, h. e. *simulares & fingeres te motu Spiritus sancti impulsum* rem gessisse. Et laudat suffragatores *Erasmum*, *Calvinum*, & *Aretium*: qui tamen non præscribunt contra receptam interpretationem, sed notant tantum phraseos ambiguitatem.

VI. Temeraria vero est præscriptio ista, pro glossa ista syntaxios Accusativi, ex Græcis auctoribus, ut ψεύσασθαι sit προσποιήσασθαι, h. e. *simulare & fingere.* Ostendimus in *Compendiolo nostro Socinianismi confutati*, *Cap.* I. *Sophoclem* usum syntaxi accusativi, pro *mentiendo fraudare*, *in Ajace Lorario*: καὶ μ' ἔψευσας ἐλπίδος πολύ. Nec alia est verborum Petri expositio convenientior.

VII. Enimvero demus Pneumatomacho glossam istam, non sic elabetur, quin ipsa penitus introspecta, coincidat cum alterâ illâ, stante hypothesi illâ, quod Spiritus sanctus sit Persona. Esto enim, non possit dici rei alicui mentiri, qui rem aliquam mentitus est, seu mentiendo simulavit; at non potest, non dici personæ alicui mentitus, qui personam aliquam mentitus est, seu mentiendo simulavit auctorem & impulsorem sui facinoris.

noris. Estque eo ipso necessaria periphrasis hæc verborum Petri, secundum syntaxin accusativi; non mentitus es personam hominis, sed Dei ipsius, tui facinoris auctorem.

VIII. Et, quemadmodum jam ante ostendimus, in Syntaxi dativi, si Spiritus Sanctus non sit Deus sed legatus Dei, periphrasis ista (*certus esto dissimulationem istam tuam non tam nos attinere, quam Deum ipsum, cujus nos servi sumus*) involvet in Apostolis etiam Spiritum Sanctum, ut conservum ipsorum: & fuisset magis consentaneum dixisse, (certus esto simulationem istam tuam non tam Spiritum attinere, quam Deum ipsum, cujus ille est Diaconus) postquam initium increpationis erat, non de Apostolis, sed de Spiritu Sancto, quem attineret mendacium.

EXPOSITIO 1 COR. VI. 19. 20.

Quid? An ignoratis, corpus vestrum esse Templum Spiritus Sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo? & quod non sitis vestri juris? Nam empti estis precio: glorificate igitur Deum, & in corpore vestro, & in Spiritu vestro, quæ sunt Dei.

QUando objicitur à nonnullis ex hoc loco, Spiritum Sanctum Deum esse, quia dicitur corpus nostrum esse Templum ipsius; Respondeo, hoc consequens fore, si probari possit corpus nostrum sic esse Templum Spiritus Sancti, ut ad usum ipsius sit, ipsius honori dicatum, quod utrumque in sequentibus verbis de Deo affirmatur contradistincte Spiritui Sancto. Atqui hæc, tantum abest, ut isthoc loco proponantur, ut non obscure evinci possit contrarium. Etenim Apostolus, postquam insinuarat quo respectu corpus nostrum sit Templum Spiritus Sancti, videl. per inhabitationem, (hoc enim implicitum est in periphrasi adjecta Spiritui sancto: periphrases enim apud Scriptores Sacros non sunt otiosæ neque impertinentes) adjicit, nos ipsum habere à Deo: eo ipso non tantum illum distinguens à Deo, sed unà insinuans, illum à Deo disponi & impendi nobis, & consequenter ipsum usui nostrum esse, non nos ipsius; quod objectio conatur inferre.

INexpugnabilis est illa, quam oppugnat adversarius, demonstratio, *Spiritum Sanctum Deum esse, quia dicitur corpus nostrum esse Templum Spiritus sancti*: & contradictionem implicat Responsio ista; *Esse Templum Spiritus sancti, non ad usum ipsius, honori ipsius, dicatum.*

II. Deinde alteram contradictionem implicat, esse Templum Spiritus Sancti, *ad Inhabitationem* Spiritus sancti, & *non ad usum* ipsius, sed nostrum. Est enim inhabitanti ut οἰκοδεσπότῃ Domino, domus inhabitata οἶκος & ad usus dicata, non contra: quod intendit Apostolus dicens nos

ita esse

ita esse Templum Spiritus Sancti, ut non simus nostri juris, οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν. *versu* 19.

III. Atque hic pro Deitate Spiritus Sancti asserenda ex Templi inhabitatione, solis radiis scripta est ista Dei periphrasis, in verbis Christi. *Matth.* XXIII. 21. *Qui juraverit per Templum, jurat per ipsum, & per eum qui habitat in eo.*

IV. Nec impietate censemus carere præposteritatem illam, qua Spiritus Sanctus Templum inhabitans, dicitur esse ad usum Templi sui, non Templum ad usum ipsius: breviter, *ille usu noster, non nos ipsius.*

V. Quod vero in verbis Apostoli *versu* 20. de Deo affirmatur, corpus & spiritum nostrum Dei esse, ut in illis Deum glorificemus, id temere affirmat Pneumatomachus *de Deo affirmari contradistincte Spiritui Sancto*: nam non obscure evincitur contrarium, ex analogia scripturæ, secundum quam, inhabitante in Dei ministris Spiritu Sancto, dicitur illis, ὅτι ὁ Θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστι, *vere Deus in vobis est.* 1 *Cor.* XIV. 25.

VI. Verba illa *versu* 19. *quem habetis à Deo*, Spiritum Sanctum non contradistinguunt Deo οὐσιωδῶς intellecto, sed Deo Personaliter intellecto, h. e. Patri & Filio, quam distinctionem nunquam expugnabit Pneumatomachus, qui illam supra oppugnavit frustra.

VII. Neque aliam agnoscimus *dispositionem*, quâ nobis *à Deo disponitur Spiritus sanctus*, quam Dei διαθήκην Fœdus & Testamentum, qui de se ipse disposuit illud, *ero ipsis Deus Hebr.* VIII. 10. Nobis autem à Deo *impendi* Spiritum Sanctum, censemus phrasin esse minime ἔγγραφον, quæ secundum Scripturas videtur de solo Christo conveniens esse, quatenus ipsius in mortem traditione, nostræ redemptioni Deus impendit λύτρον illud, cujus precium attendit hic Apostolus, dicens, *empti estis pretio*, ἠγοράσθητε τιμῆς.

EXPOSITIO MATTH. XII. 31.

Quodvis peccatum & blasphemia remittetur hominibus; sed blasphemia contra Spiritum non remittetur hominibus

AD Objectionem quæ hinc educitur, Peccatum in Spiritum Sanctum esse irremissibile; Respondeo, Peccatum in Spiritum sanctum non ideo esse irremissibile, quod ipse sit Deus, (hoc enim Scriptura nusquam profitetur: & deinde, eodem argumento, omne peccatum in Deum esset irremissibile) sed quod ille qui peccat in Spiritum sanctum, eodem actu in Deum peccat (omne enim peccatum terminatur in Deum) elatâ manu: videl. convitiando, & resistendo talibus operibus, de quibus homo convictus est in conscientia, Deum illa operatum esse per Spiritum sanctum, quod fecerunt Pharisæi: aut abnegando & impugnando veritatem istam, de qua homo convictus est in conscientia, quod illam revelarit Deus per Spiritum ipsius sanctum, quod fa iebant Apostatæ, quorum mentionem

tionem facit Auctor ad Hebræos Cap. x. 25. 26. &c. *Quæ habent atrocissimum despectum Dei, utentis ministerio Spiritus, non nisi in negotiis maximi momenti.*

RESponsio Pneumatomachi, de Peccato in Spiritum sanctum, (*non ideo esse irremissibile, quod ipse sit Deus, sed quod ille qui peccat in Spiritum sanctum, eodem actu in Deum peccat, elata manu*) nulla est. Animadvertenda enim primo perversio argumenti veteratoria. Non enim hoc pacto argumentamur, ut ex illo charactere peccati irremissibilis, quo contradistinguitur aliis peccatis in Deum, demonstremus Deitatem Spiritus Sancti. Verum distinctè duo illa demonstramus; si in Spiritum Sanctum committitur Peccati ἀνομία seu Legis transgressio, est ergo Spiritus Sanctus Deus ipse Legislator. Deinde, si character singularis est, quo peccatum in Spiritum sanctum contradistinctum est peccatis in Patrem & Filium, est ergo Spiritus Sanctus in Deitate, Persona distincta alia à Patre & Filio.

II. Deinde ἀπόλογον est, quod invincibilem illam convictionem arcanam conscientiæ, alteri præter Deum ipsum (non Deo, sed ministro Dei) tribuit Pneumatomachus, quæ penetrantior sit ipso Verbo Dei loquentis in Filio suo: quod Apostolus prædicat esse, *vivum, & efficax, & penetrantius quovis gladio ancipiti, ac pertingere usque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque & medullarum, & dijudicare cogitationes & conceptiones cordis &c. Hebr* IV. 12.

III. Nobis in efficaci, efficaciori, & efficacissima, convictione conscientiæ, (de veritate illa abnegata & impugnata, quæ per Spiritum Sanctum revelata erat) tres illi, Pater Filius & Spiritus sanctus, Unum sunt: quamvis διακριτικῶς alia dicatur esse blasphemia in Filium, alia in Spiritum Sanctum.

IV. Et, si de atrocitate blasphemiæ seu peccati in Filium Dei aliquid minuitur, consideratione formæ servi ἀχωρίστως assumptæ, quod illa suggerat πρόφασιν aliquam seu excusationem, atrocius autem censeri debeat peccatum seu blasphemia in Spiritum sanctum, ejusque nulla esse πρόφασις *Joh.* XV. 22. *cum Matth.* XII. 31. 32. insulsum est quod Pneumatomachus, in *contempto ministerio Spiritus Sancti*, quo illum deprimit ipse infra Filium, fundat *atrocissimum illum despectum Dei*, ob quem peccatum in Spiritum Sanctum non remittatur neque in hoc, neque in futuro sæculo. Cum remittatur quodvis peccatum & blasphemia in Filium, eorum qui in ipso scandalisantur aliquando.

V. Quod tandem asserit, *Deum uti ministerio Spiritus, non nisi in negotiis maximi momenti*, tanquam principalis instrumenti loco habens Spiritum sanctum, non caret atrocissimo despectu Christi, introspectâ penitus Pneumatomachi matæologiâ: Non enim volet ipse nos ista sic accipere, ut Deus in negotiis minoris momenti ipse operetur immediatè, sine Ministro aut instrumento aliquo. Hoc ergo insinuat, in rebus minoribus Deum usum esse ministerio Christi: at in rebus maximis principali hoc instrumento, Spiritu sancto.

VI At-

VI. Atque hoc pacto tollitur, à rebus pariter minimis & maximis, immediata Dei efficientia, quam sibi ipse asserit, in opere Creationis, & in opere Regenerationis, in Conceptione Jesu Christi ex B. Virgine Maria, in ejusdem Excitatione ex mortuis, in Christi Unctione ad Munus. In quibus principalioris momenti negotiis, quando Scriptura juxta Deum nominat Spiritum Dei, necessum erit Deo associare Angelum seu Spiritum ministrum, qui sit principale Creationis, Regenerationis, Miraculosæ Conceptionis Christi, & Resurrectionis, & Unctionis Christi instrumentum.

RESPONSIO

Ad grandem Objectionem Adversariorum, quæ concernit Hypothesin de Omnipræsentiâ Spiritus Sancti.

Post penitus cribratam hanc Controversiam, comperi Adversarios, qui adeo clamoribus deprimunt Rationem, (dicentes, illi renunciandum esse, quando loquimur de divinis mysteriis, & simpliciter acquiescendum Scripturæ verbis) tamen in summa rei Scripturam concutere, ut quæ plane incertum testimonium in hoc articulo præbeat ipsorum doctrinæ, & fundari ipsos meris conjecturis suæ Rationis: Sic enim arguunt; Spiritus Sanctus, nisi sit omnipræsens, & consequenter Deus, non possit tot, uno tempore, homines inspirare & inhabitare.

Pro Responsione ad istud argumentum, interrogabo unicam tantum quæstionem, quam si resolverint, tunc ipsis dicam, quomodo Spiritus Sanctus, quamvis non sit omnipræsens, queat uno tempore inspirare cunctos in mundo fideles.

Servator noster Marci IV. *explanans Parabolam Seminantis*, versu 15. Isti autem sunt, *inquit*, qui juxta viam seminantur, in quibus seminatur sermo: sed postquam audierunt, Satan venit immediatè & aufert sermonem seminatum in cordibus illorum. *Supponamus jam semen Verbi seminatum in decies mille locis tempore uno, prout evenit singulis diebus Dominicis; quomodo potest Satan, quem adversarii negabunt esse omnipræsentem, venire, & immediate rapere verbum ex cordibus maximæ partis auditorum?*

Solutionem quam daturi sunt ad quæstionem hanc, applicabo ego ad propriam ipsorum Objectionem. Si illa non fuerit sufficiens, accipe plura adhuc argumenta, quæ videri queant evincere omnipræsentiam Spiritus immundi. Dicitur ille similiter fuisse Spiritus mendax in ore quadringentorum falsorum Prophetarum 1 Reg. XXII. 22. 23. (*est autem ratio eadem hic quadringentorum & quadragies millium*) *Similiter dicitur*, detinere impœnitentes (*qui faciunt maximam partem humani generis*) illaqueatos, ipsosque captivos tenere pro arbitrio suo 2 Tim. II. vers. ultimo, excœcare mentes eorum qui non credunt 2 Cor. IV. 4. Habitare in impiis Apoc II. 13. Ostendere reprobis quod moliantur. Joh. VIII. 38. Quin decipere mundum universum. Apoc XII. 5. & XX. 2 3. *Si non ausint ad hæc omnia affirmare, Spiritum immundum esse omnipræsentem,*

tem, quomodo ex leviori fundamento concludunt omnipræsentiam Spiritus *sancti? speciatim, quando tam plana est Scripturæ testificatio, ipsum locum mutare. Videsis supra,* Argumento VIII.

TItulus pericopæ hujus postremæ promittit Responsionem ad grandem seu maximi momenti objectionem, quæ concernit hypothesin de Omnipræsentia Spiritus sancti. Atqui Responsionem nullam præstat Pneumatomachus, propinans lectori Christiano Quid pro Quo: pro Responsione enim format Interrogationem, præmissa declamatiuncula grandiloqua, de causâ Deitatis Spiritus Sancti desperatâ, quam scilicet tueamur clamoribus tantum, renunciantes rectæ rationi, & Scripturas ipsas concutientes, prætextu isto, quod simpliciter acquiescendum sit Scripturæ verbis.

II. Strategemate illo tegit ipse causam suam desperatissimam, mutatis Opponendi & Respondendi vicibus: quo detecto, inconcussum manet, apud cordatos omnes argumentum Orthodoxum, ab Omnipræsentia Spiritus Sancti, quod Spiritus Sanctus sit Omnipræsens, & consequenter Deus, quia alias non posset tot uno tempore homines inspirare & inhabitare. Et incumbit pneumatomacho probatio contrariæ assertionis quam insinuat, Spiritum Sanctum, quamvis non sit Omnipræsens, posse tamen uno tempore inspirare & inhabitare cunctos in mundo fideles. Quod nos pernegamus, ut pugnans cum recta ratione & Scripturarum analogiâ.

III. Verum audiamus interrogantem, satis Thrasonicè quidem, adjecta stipulatione ista, ut quam daturi sumus solutionem, ad quæstionem ab ipso objiciendam, eandem accipiamus pro solutione, ab ipso applicata ad nostram de Spiritu Sancto objectionem. Præstruit interrogationi hypothesin, ex *Marc.* IV. *adnotato versu* 15. Semen Verbi seminari tempore uno, in decies mille locis: venire autem Satanam immediate, & auferre sermonem seminatum in cordibus illorum. Ex supposita hypothesi ista, interrogat; Quomodo possit Satan (quem nos negamus esse omnipræsentem) venire & immediate rapere verbum ex cordibus maximæ partis auditorum.

IV. Præcognoscendum obiter, non potuisse nos non repræsentare, ex Anglico, Latino-Barbarum adverbium (**immediatly**) quod in versione Bibliorum Anglicana respondet Græco εὐθέως. quod est, *statim, ilico, de repente.* Oportunus fuit iste barbarismus pneumatomacho, ad lusum in ambiguo; ubi quæstio est de omnipræsentia, in decies mille locis: in qua quæstione proclivius est ad immediatam successionem temporis, adverbium istud referre: à quo errore in contextus sacri serie non est periculum.

V. Enimvero fatemur, si uno tempore in decies mille locis, sine mora ulla temporis, cum verbo prædicato adesset unus ille Angelorum malorum princeps Satanas, fore illi tribuendam etiam immediatam in locis decies mille essentialem præsentiam: ut nos quidem illa cura non sollicitet, quomodo, cum non sit omnipræsens, immediate hoc efficiat uno tempore.

VI. Respon-

VI. Reſpondemus ergo adverſario nos ἀποστοματίζοντι, ad ipſius ἐπιχειρισμόν; non venire immediatè & auferre ſermonem ſeminatum, tempore uno, in decies mille locis, unum eundemque illum Satanam, qui Angelorum malorum cunctorum Princeps eſt. Sicut in decies mille locis credimus eſſe unum eundemque illum Spiritum Sanctum, qui cunctos in mundo fideles uno tempore inſpirat & inhabitat. Adeo ut ἀδύνατον ſit noſtram de Satana reſponſionem ſimiliter ad Spiritum Sanctum applicare.

VII. Supponit omnino Pneumatomachus falſum, adeoque fallitur & fallit, exiſtimans ſe nos in illam anguſtiam redegiſſe; ut, ſiquidem nomine Spiritus Sancti intelligimus conſtanter Perſonam unam, propter Apoſtoli affirmationem expreſſam, quod ille, qui ubivis locorum cunctis & ſingulis invocantibus nomen Domini Jeſu Chriſti diſtribuit dona & chariſmata ſpiritualia, ſit τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα *unus idemque Spiritus* 1. *Cor.* XII. 4.—12. *Cap.* I. *verſu* 2. ut inquam, cogamur ſimiliter, nominato Satana, intelligere uno tempore in decies mille locis graſſantem unum eundemque Spiritum impurum.

VIII. Scimus nonnunquam definite unum illum nominari Satanam vel Diabolum, qui reliquorum cenſetur caput & Princeps V. G. *Matt.* XXV. 41. At pernegamus hoc vel perpetuum eſſe, vel ut plurimum occurrere in Scriptura. Aſſerimus autem ut plurimum uſurpari nomen Diaboli vel Satanæ indefinitè, ut ſignificet Scriptura, ex malis Angelis unum quemlibet, ſive ſolum, ſive cum ſociis, ſive in uno ſive in pluribus locis graſſantem.

IX. Probamus aſſertionem noſtram expreſſiſſimis Scripturæ locis. *Matth.* XII. 26. ita loquitur Chriſtus, *Si Satanas Satanam ejiciat, adverſus ſeipſum diviſus eſt*; ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη. Næ ille nihil intelligit, qui non videt intelligendum Satanam alium atque alium, ut hæc ſit vera paraphraſis verborum Chriſti: Si Satanas unus Satanam alterum ejiciat, adverſus ſe ipſam diviſa eſt Diabolorum colluvies.

X. Similiter *Marci V. verſ.* 2 *&* 8. integra Spirituum impurorum Legio nominatur indefinitè in ſingulari numero τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον, *Spiritus impurus*: ſed *verſu* 13. expreſſus eſt pluralis numerus, dicuntur enim *Spiritus impuri.*

XI. Eat jam Pneumatomachus, & regerat nobis iſtam reſponſionem applicatam Spiritui ſancto, & habebimus pro uno eodemque Spiritu Sancto, Spiritus ſanctos, in decies mille locis, decies mille, quorum inſpiratio & inhabitatio, ſingulorum in ſingulis nobis, imputetur uni, ut chiliarchæ decumano, qui illorum Princeps eſt, quaſi Archi-Diaconus Chriſti.

XII. Ipſa equidem vanitate vanior eſt porro jactantia iſta Pneumatomachi, de Epimetro plurium argumentorum, quæ videri queant evincere Omnipræſentiam Spiritus immundi: inter quæ primum in acie collocat illud, quod dicitur ille fuiſſe Spiritus mendax in ore quadringentorum falſorum Prophetarum. 1 *Reg.* XXII. 23. Eſt autem, inquit, ratio eadem hic qua-

hic quadringentorum, & quadragies millium. Nullis equidem fidiculis unquam ex loco indicato hoc expresserit Pneumatomachus, in hypotyposi illa repræsentari definite unum malum mendacem Spiritum, qui μεμονωμένος sine socio hoc in se recipiat, ut mendacium loquatur uno tempore per os quadringentorum Prophetarum.

XIII. Quid ergo? Poterat ille interrogatus, similiter ut iste *Marc. V. 9. Quod tibi nomen est?* respondere ex vero, *Legio mihi nomen est, quia multi sumus!* Et proficiscenti poterat hoc accommodari, ex *Matth. XII. 45. Tunc proficiscitur & accipit secum septem* (quidni septuagies septem, pro re nata?) *alios Spiritus pejores, quam ipse sit.*

XIV. Neque alia responsione opus est ad reliquam congeriem istam. *Similiter*, inquit, *dicitur detinere impœnitentes* (*qui faciunt maximam partem humani generis*) *illaqueatos, ipsosque captivos tenere, pro arbitrio suo* 2 *Tim. II, versu ultimo, Excæcare mentes eorum, qui non credunt.* 2 *Cor. IV.* 4. *Habitare in impiis Apoc. II.* 13. *Ostendere reprobis quod moliantur Joh. VIII.* 38. *qui decipere mundum universum. Apoc. XII.* 5. *&* XX. 2. 3. Ista enim velle tribuere uni Diabolo μεμονωμένῳ, esset cum ratione insanire.

XV. Breviter, non unus intelligitur, qui uno tempore operetur erroris & seductionis efficaciam in cunctis impœnitentibus & infidelibus atque impiis in mundo universo, & sic in decies mille locis auferat sermonem seminatum in cordibus: sed intelliguntur sub uno instar imperatoris unius ductu, malorum Angelorum chiliades & myriades (tanquam νέφος σπερμολόγων h. e. *Avium seminilegarum nubes*) in segetem Christi involantes, & instar locustarum infernalium in examina sua distributæ, ad depascendum agrum Domini: h. e. quâ sigillatim quâ turmatim hoc agentes, *ut decipiatur*, & in exitium æternum trahatur illaqueatus, mundus universus.

XVI. Si prævidit Pneumatomachus, ad suam interrogationem hoc nos responsuros, necesse habet, ut stet promisso suo, reddere istud responsum, similiter non Unum intelligi eundemque Spiritum sanctum, qui uno tempore operetur charismata spiritualia in cunctis illis qui Christi membra sunt in mundo universo, & sic in decies mille locis verbo seminato det incrementum: sed intelligendum esse innumerum sanctorum Spirituum Ministratorum numerum, sub uno unius Archidiaconi ductu, ministrantium Christo, ad procurandum fidelium salutem.

XVII. Atqui, ut illud nobis responsum reddatur, vetat expressissima, jam ante indicata, affirmatio Apostoli; qui toti mystico corpori Christi, quasi animando & vivificando, asserit Unum Spiritum illum, in cujus nomen baptisantur cuncti. *Etenim*, inquit, *per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi sive liberi &c.* 1 *Cor. XII.* 13. Cui uni eidemque Spiritui immediatam distributionem charismatum, atque operationem efficacem in omnibus & singulis pro suo arbitrio, asseruerat in antecedentibus, iterum iterumque ingeminatâ assertione. *versibus* 4. 8. 9. 21.

XVIII. Si-

XVIII. Similiter contestatur Apostolus, in Uno illo corpore, cujus cuncti fideles in multis locorum myriadibus (ut nec quadringenti, nec quadragies mille chiliades vel myriades sanctorum Spirituum numerum explere queant, ad habitandum in singulis) membra sunt, Unitatem Spiritus τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος, & ab illo Uno τὸν σύνδεσμον vinculum seu colligationem in pace. Ut sit ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, *Unum corpus*, & *Unus Spiritus*, & in Unius Domini Nomen, *Una Fides*, *Unum Baptisma*. *Ephes.* 4 v. 3. 4. 5.

XIX. Desperatæ erga contra veritatem luctationis dicam scribimus. Pneumatomacho, concludenti contra nos, interrogatione istâ; *Si non ausimus affirmare Spiritum immundum esse Omnipræsentem, quomodo ex leviori fundamento concludamus Omnipræsentiam Spiritus sancti?* Fundamentum enim affirmationis monstrosæ, de unius Spiritus immundi omnipræsentia, & operatione immediata, in decies mille locis uno tempore, nullum est, neque ejus in Scripturis vola aut vestigium. Affirmationis autem orthodoxæ de Unius ejusdemque Spiritus Sancti Omnipræsentiâ, & immediata in myriadibus fidelium inhabitatione, (ut singulorum animæ & corpora sint totidem Spiritus sancti templa ipsi in Baptismo juxta Patrem & filium dicata ad cultum spiritualem, quæ ipse imbuit donis & charismatis) fundamentum est, in expressissimis jam indicatis Scripturarum testimoniis, quibus difflantur omnes Pneumatomachi præstigiæ, ut paleâ leviores.

כמוץ תרפנו רוח הקודש

FINIS.



XVIII. Simpliciter contestatur Apostolus, in Uno illo corpore, cujus cuncti fideles in multis locorum myriadibus (ut nec quadringenti, nec quadragies mille chiliades vel myriades sanctorum Spirituum numerum explere queant, ad habitandum in singulis) membra sunt, Unitatem Spiritus [illegible] & ab illo Uno [illegible] vinculum suae colligationem in pace. Ut istis [illegible], *Unum corpus, & Unus Spiritus*, & in Unius Domini Nomen, *Una Fides, Unum Baptisma*. Ephes. IV. 3, 4, 5.

XIX. Desperate ergo contra veritatem sessionis dicam, scilicet Pneumatomacho, concludenti contra nos, interrogatione ista: *Si non* [illegible] *Omnipraesentiam, quomodo* [illegible] *Omnipraesentiam Spiritus sancti?* Fundamentum enim affirmationis monstrosæ, de unius Spiritus immundi omnipraesentia, & operatione immediata, in decies mille locis uno tempore, nullum est, neque ejus in Scripturis vola aut vestigium. Affirmationis autem orthodoxæ de Unius ejusdemque Spiritus Sancti Omnipraesentia, & immediata in myriadibus fidelium inhabitatione, (ut singulorum animæ & corpora sunt totidem Spiritus sancti templa ipsi in Baptismo juxta Patrem & Filium dicata ad cultum spiritualem, quæ ipse imbuit donis & charismatis) fundamentum est, in expressissimis jam indicatis Scripturarum testimoniis, quibus difflantur omnes Pneumatomachi præstigiæ, ut patet intuentes.

ברוך הנותן ליעף כח

FINIS.

ANTI-SMALCIUS:
DE
DIVINITATE IESU CHRISTI.

COL. II. 9.

In Christo inhabitat omnis Plenitudo Deitatis corporaliter.

Illustr. ac Præpotentibus

FRISIÆ ORDINIBUS,

JOH. CLOPPENBURCH

Felicitatem.

AUGUSTI PATRES;



Ebentur Jure Publico, & moribus antiquis, Potestatibus Summis, edenda in publicum Apologia pro Religione & Fide Christiana: maxime illis Patria Patribus, qui se præstant Fidei Defensores, & Ecclesiarum atque Academiarum pios nutricios. Eapropter jure merito debere me existimavi Illustribus Dominationibus vestris, penes quas in Frisia est Ius Imperii, necessariam hanc pro Deitate *Iesu Christi & annexis fidei capitibus Amapologiam, elucubratam in Academiâ publicâ, quam ut Majorum vestrorum* Pietas, *annis abhinc sexaginta sex, Christo & Ecclesia dicatam voluit, ita vos munifice fovetis. Flagitabat jam olim Antapologiam istam Apologia Anti-Trinitariorum, qui in Regno Polonia & magno Ducatu Lithuania* Ariani & Ebionitæ *vocantur, in hisce autem regionibus audiunt* Sociniani, *ab utroque* Socino, Lælio *Patruo, &* Fausto *nepote, Italis,* Serveti *Hispani discipulis, & Servetismi olim in Transsylvania & Sarmatia instauratoribus famosis. Complexus erat Apologiam illam, libro Latinè edito Racovia* MDCVIII. de Divinitate Jesu Christi, Valentinus Smalcius Gothanus Minister Cœtus Racoviensis, *quem librum* Regi Poloniæ Sigismundo III. *pro auctore obtulit* Jacobus Sienienskia Palatinides Podoliæ: *hactenus autem illum κατὰ πόδας refutavit nemo. Biennio postquam fœtum illum exclusisset* Smalcius, *cæptum est per doli fabricatores & pararios* Epeos & Sinones *hoc agi, ut ædificatus inde ab anno* MDXCVIII. *per* F. Socini *emissarios* Ostorrodum & Voidovium, *equus Trojanus Socinianismi, per Germaniam superiorem, Hollandiam & Frisiam, aliasque regiones Belgii Fœderatas, fascinatis magnatibus (qui pia agitarent consilia concilianda inter Euangelicos temere dissentientes Pacis Ecclesiastica) duceretur intra muros & arce locaretur. Huic fini, cum gratularentur sibi Sociniani vocatum anno* MDCX. *ad Academiam Leydensem* Conradum Vorstium, *quem ante ipsi cum fiduciâ in Poloniam vocaverant, saltem solicitaverant ad Professio-*

nem, si non Theologicam, saltem Philosophicam, in scholis ipsorum obeundam; schismati Belgico, cujus illo anno ineunte (concepta & formata Remonstrantia qua Cessionem Fori Ecclesiastici in Hollandia primum obtinuerunt) à Remonstrantibus jacta fuit alea, frigidam suffuderunt; procurata per Vorstii *discipulos clandestina editione, ad quam prælo Franekerano abusi fuerunt,* Libelli F. Socini *posthumi, quo invitantur Evangelici, quotquot solidæ pietatis sunt studiosi, ut se adjungant cœtibus dictorum jam Arianorum & Ebionitarum, ac fecerunt libello titulum* De Officio Hominis Christiani. *Qui libellus, quamvis pietate majorum vestrorum jugularetur Franekerana editio, mox anno sequenti* MDCXI. *Racoviæ iterata editione, cum pluribus excusis F. S. Opusculis, abundè in Belgium illatus, & sparsus deinceps est; ut non temere eo ipso anno* ὁ μανδεῖας, *hujus olim Academiæ decus,* Sibrandus Lubbertus *edendum censuerit bono publico Anti-Socinianum suum* de Jesu Christo Servatore, cur & quâ ratione noster Servator sit: *quamvis in calumniam verteretur una opera editus Socinus, ab illis qui ægre ferebant palpandum exhiberi Remonstrantium plurium, non minus quam* Vorstii, *cum Socinianis Syncretismum. Quem adeo strenuè apud mysteriorum ignaros dissimulabant, ut pro Pietate Ordinum Hollandiæ contestaretur* H Grotius *Anno* MDCXIII. Neminem se nosse in omni Hollandiæ conventu, qui non & Samosateni veteribus & Socini novis dogmatis, contra Consubstantialem, Inconfusam & Indivisam, Trinitatem, aliisque, & omnibus & singulis, dicturus esset Anathema; omnesque, si vera essent quæ dicebat Sibrandus, (*de invehenda in Ecclesiam aliquorum studio atque industria heresi ista*) iram Dei, odium Christiani orbis totius, non deprecari. *Hinc dormientibus illis, qui credebant vera esse quæ dicebat* Grotius, *creverunt in Belgio Socinianismi zizania: sparsi etiam, clam vernaculè excusi, interprete R. T.* Libri VII. Serveti de Erroribus Trinitatis: *& deinceps disseminati nulli non libri* Socini, Crellii, Smalcii, Volkelii, *aliorumque* Serveti *discipulorum, Racoviæ Latinè excusi. Ac mox anno* MDCXXIII. *in linguam Belgicam translatus hic quem exhibemus* Smalcii *liber, conjunctus cum* F. Socini Opusculo de Auctoritate Scripturæ sacræ: *& porro anno* MDCXXX. *ejusdem* F. Socini Libellus *ante dictus* de Officio hominis Christiani, *cum adjecto ad Calcem* Compendiolo Socinianismi, *quod nuper confutavimus, aliisque contra* Carnis Resurrectionem *chartis, interprete Poeta famoso* D. R. Camphusio. *Enimvero ambigi potuisset, num illa, ut paucis cognita iniquitatis mysteria, (eliminatis extra Ecclesia Reformata septa illis, à quibus contagio illa metuenda) rectius silentio vindicari possent,*

nisi, nova quasi impressione in Belgium facta, inde ab anno MDC XL V *cumulatius* Belgicè *excusis & disseminatis variis* Steegmanni, Crellii, Volkelii, *libris Catecheticis, Dogmaticis, Polemicis, tandem anno* M DC L. *in scenam prodiissent, Pacis Belgica & Germanica occasione arrepta, versipelles illi, qui hac tempestate, qua maximè in Belgio Fœderato triumphat Pietate Ordinum asserta puriori Euangelica Religioni Libertas, ediderunt specioso titulo scriptam,* Manuductionem in Viam Pacis Ecclesiasticæ, per Archi-Catholicam Fidem, salva Libertate Religionis, omni Jurium genere defensâ: *qua hoc agunt, ut ementito nomine Archi-Catholica Fidei palliatus incedat Socinianismus. Quem (inter primos aliàs Remonstrantes in Hollandia Pastores anno* MDC X. *nomen suum professus) adeo procul habuit* Casparus Barlæus, *ut vel ipse, vel quisquis est pro ipso editarum Anno* MDC XXXV I. Vindiciarum *scriptor hac dixerit in Cl. Vedelium;* Non potuit illum fœdiore macula conspurcare quam Socinianismi, quem Barlæus pestem & everriculum esse Christianæ fidei, dudum credidit, viamque sternere ad πανωλεθρίαν ejus Religionis, quam precioso suo sanguine adspersit æternus æterni Dei Filius, totque Martyrum neces & lanienæ illustrem reddidere. *Repræsentabimus tribus verbis Archi-Catholicismi illius Gangrænam, quam indicasse erit refutasse. Iubet ergo ille, (qui se Regibus & Principibus, omnibusque in eminentia constitutis, offert* χειραγωγὸν *ad Viam Pacis Ecclesiastica, Theologis imperandam per Archi-Catholicam Fidem) eliminari Pacis Ecclesiastica lege extra* τὰ ἀρχικὰ *&* κύρια h. e. prima principalia & dominantia dogmata, de Cognitione Dei & Christi, ab universis credenda, *dogma utrumque & de Æterna Æterni Dei Filii Generatione ex Patre, & de sanctis ejusdem Filii Dei humanis Natalibus, ex impollutæ, ipsi Marito Iosepho intacta, B. Virgine: ac dictat censenda inter* Accessoria, quorum nulla est necessitas Fidei imperata, sed libertas credendi absoluta, *occinens hoc, fascinando orbi Christiano, carmen, quo & Gentibus & Iudæis datur libertas absoluta ridendi & conspuendi Natales Christi, pariter ut* Romuli; Olim, *inquit*, Alexander Magnus, plerisque opinione Deus, cæteris veritate Homo: nec propria essentia rei tributa, nec impropria arrogata tollebat Regem: utraque opinionum Regem statuit, à quo officii sui præmia & fructum repetebat, quisquis imperiis ejus parebat: nec Romulum pernegasse censendi, Marte an Amulio satus ignari, quorum obsequium in Regem erat cum justa reverentia & cultu &c.

Pectus inardescit, luctantem haut suffero linguam,
Zelo, Christe, tui, facit indignatio carmen.

Magnanimi

Magnanimi Proceres, queis stat sententia sanctam
De Trinitate Fidem cum Libertate tueri:
Adspirate piis operis, quas tempora poscunt
Lubrica, & insidiæ, quas Dæmonis arte struuntur
In Christi populo, ut Tenebris Lux concilietur.
Filius, è cœlo, summi Patris, unicus ille
Æternus, sine principio sine fine dierum,
Rex Regum, Dominus, cœli terræque creator,
Descendit, formam Servi de Virgine matre
Assumens, ut se λυτρωτὴν cœlitus unctum
Sisteret in terris, exspectatamque Salutem
Perficeret crucis in ligno, victique Draconis
Contereret caput, & pretioso sanguine fuso
Cerneret in morte æternum de morte triumphum,
Nobis æternâ Inferni de morte redemptis.
Qui descendit idem ascendit redivivus, & illam,
Quæ morti potuit triduanæ occumbere, Carnem
Intulit in Cœlum, victuram in sæcula mortis
Expertem; nostram quæ posse resurgere carnem
Et cœlo inferri, testatur, vindice Jesu.
Gens inimica Deo, *Serveti* posthuma proles,
Nec Dominum è cœlo credit venisse, nec ante
Regem Israëlis sanctum, quam scandere cœlos
Conspectus, longum terris dixit Vale. Ergo
Nudum illi in terris nomen titulumque Magistri,
Et Domini, & Regis, dederit præpostera vulgi
Credulitas, neque Res, sed Spes Deitatis habendæ,
Quam Mors eripuit; donec Patris Omnipotentis
Ex Non-Ente Deum fecit, post funera, Virtus;
Ossibus & Carne exutum, quæ in morte perire
Noluerat, dederatque, redux ex morte, videnda,
Et palpanda manu. Vah! quæ portenta propinant
Instabili vulgo, *Sanctæ Trinitatis* in uno
Numine jurati *tormento explodere dogma*,
Cadmæi fratres? qui te Deus alme Triunum,
Cunctis assimilant monstris, quæ Græcia mendax
Finxit tergemina, & *Triopes mentita figuras*,
Quale fuit monstrum Cadmæam Sphingis ad urbem.

Monstra

Monſtra hominum! cœci! qui factum numen adorant
Cum Factore, ut vas figuli fictum atque refictum;
Quod nunquam Deus exſtiterit veruſque Jehovah,
Sed primum Caro, nunc, ſine carne & ſanguine, Divus
Inſertus cœlo, bis ex Non-Entibus ortus.
Nec curæ eſt illis, num quis Judæus Apella,
Si dederit nomen Chriſto, Regemque ſalutet,
Simplicitate piâ fidei ἐν ἀπλότητι dicat
Factum hominem, (juxta arcanum, quod pagina ſacra
Præſcripſit, ſacri partus prænuncia) Matre
Virgine, cui zonam non ſolverit ante maritus;
Seu caſtos Jeſu natales conſpuat atro
Scommate, mentitus Regem ſe credere Jeſum,
Cui ſartum tectum ſit regnum, ſeu Patre natus,
Seu ſine Patre ſatus credatur, matre Maria.
Nulla Sacerdotis veri fiducia Chriſti,
Qui Majeſtatem, placatâ numinis irâ,
Conciliarit & eluerit peccata, merendo,
Factus homo, in terris, aut qui, ſubvectus in altum,
Nunc intercedat pro ſupplice peccatore,
In cœlis, ut ſit Pater exorabilis illi,
Per Meritum, adſcriptum ſacro Agni ſanguine tinctis.
Regnum illi non æternum, verum eſſe modernum,
Fingunt, à ſæclis bis octo circiter, octo
Vix ultra ſæclis durabile; non implendum
Ante diem magnum, quo Judicis illa tremendi
Gloria (ceu ricinus Jonæ) complebitur, Uno,
Non ultrâ metuenda, die, ſed ἐσόμενος αἰών;
Nec metuenda illis, quos mors abſorpſerit ante.
Ultra Sauromatas utinam Deus & glacialem
Oceanum peſtem Belgarum à finibus iſtam
Eſſe procul jubeas, ne pars ſincera trahatur.
Non opis eſt noſtræ, truncatis undique labris,
Blaſphemam ex alto præcidere gutture linguam,
Quæ ſpuit in cœlos opprobria, Tu Deus audis.
Tu Deus ipſe aliquam nobis oſtende medelam.
Impietas blaſphema pio eſt velata recinctu,
Pacis Euangelicis optandæ, quos Deus unus,

Una Fides ligat, atque unum Baptisma; sed, eheu!
Quos variæ scindunt studia in contraria sectæ.
Da Pacem, Deus, in castris tibi Fœdere junctis;
At propelle opposita piis cultoribus arma,
Ut, quam multa furunt homines, rescindere cœlum
Jurati, seu sint metuendi, ex indice fœno &
Pelle Leonina, seu fraude & pellis ovinæ
Tegmine triste suo exitium mittentur ovili,
Vis seu fraus, infesta probis, vanescat in auras.
Interea prohibe, tibi ne sacrata juventus
Dormiat, abjiciatque hastam, aut armaria claudat
Sordida pigrescens manus, in discrimine tanto,
Quo magnus in nostros fabricata est machina muros,
Blanditu magno, donum exitiale futurum;
Si terebrare cavas uteri & tentare latebras
Nos piget, obtineatve doli fabricator Epeus,
Ut muros intra ducatur & arce locetur.
Quisquis es hic miles, Christo juratus, ad arma
Te vocat, excitum somno, Dux ille salutis
Et vitæ Princeps, qui te de morte redemptum
Asseruit, sibi victurum, ter maximus ipse
Arbiter & necis & vitæ: certaminis ille
In cœlis præses sedet, atque insana Gigantum
Sedatè, ex alto, molimina seria ridet;
Qui Deus est & Homo, Verbum & Caro, quem Pater ante
Principium genuit sine Matre, & quem sine Patre
Enixa est Virgo. Citrà hoc μυστήριον ingens,
Nulla salus in Carne, Salus in Numine tantum
Æterno; Carnem quia Spiritus induit ille
Vivificus, nostræ hæc Rupes, & Petra salutis:
Inconcussa hodie manet, æternumque manebit,
Jesus Homo-Deus; ex vitæ quem fonte perenni
Ipsum vivificasse suum de morte cadaver
Asserimus, non corruptum, cœloque locasse.
Hæc nos una manet merces; ut vivificatos
Nos ille è gremio terræ producat in auras;
Quando dies aderit, votis precibusque piorum
Exspectatus, ut in solidum detur esse beatis;

Morte

Morte triumphatâ, & vitæ immortalis amictu
Hisce cadaveribus donato; ut jugiter Agno
Serviat hæc Anima, & nostrum hoc animabile Corpus
Quæ Christo Patrique obsignat Fœdere sancto
Spiritus, è cœlis datus obses; qui sibi Templum
Hoc, vivens in carne, ad sanctos instruit usus,
Sanguine lustratum Christi, precioque dicatum.
Hæc, Patriæ Patres, votorum est summa meorum;
Fida Dei magno solvantur ut Oscula Nato,
Et vestræ Pietatis honos assurgat in altum,
Utque Deus vestros conventus ipse frequentet;
Ipse gubernaclum teneat, qui armavit honore,
Ut cretam Frisiæ generoso à sanguine gentem,
Nunquam expugnatam, dederit ditione tenere,
Et medios inter lituos solerter habenas
Flectere, miraclum toti adspectabile mundo.
Sic constantem animum, constanti in Pace, Beatus
Ille Deus regat, ut seros in sæcla nepotes,
Posteritas videat, cœlo adspirante, beatos.

Dabam è Musæo meo, Franekeræ, Anno Æra Christi Dionysiana Iuliano CIↃ IↃC LII. *Ianuarii* XII. *Schebat Hebræi* XII. *Ægyptio* CIↃ IↃCLIII. *Phamenot* X.

Morte triumphatâ, & vitæ immortalis amictu
Hisce adversibus donato; ut jugiter Agno
Serviat hæc Anima, & nostrum hoc animabile Corpus
Quæ Christo Patrique obsignat Fœdere sancto
Spiritus, è cœlis datus obses; qui sibi Templum
Hoc, vivens in carne, ad sanctos instruit usus,
Sanguine lustratum Christi, precioque dicatum.
Hæc, Patriæ Patres, votorum est summa meorum;
Fida Dei magno solvantur ut Oscula Nato,
Et vestræ Pietatis honos assurgat in altum,
Utque Deus vestros conventus ipse frequentet,
Ipse gubernaclum teneat, qui armavit honore,
Ut cretam Frisiæ generoso à sanguine gentem,
Nunquam expugnatam, dederit ditione tenere,
Et medios inter fluctus solerter habenas
Flectere, miraclum toti adspectabile mundo.
Sic constantem animum, constanti in Pace, Beatus
Ille Deus regat, ut seros in sæcla nepotes,
Posteritas videat, cœlo adspirante, beatos.

Dabam è Musæo meo, Franekeræ, Anno Æræ Christi Dionysianæ *Julianæ* CIƆ IƆC LII. *Januarii* XII. *Schebat Hebræis* XI. *Ægyptio* CIƆ IƆ CLIII. *Phamenoth.*

ANTI-SMALCIUS,
DE
DIVINITATE IESU CHRISTI.
PARS PRIOR,
DE
Munere Christi Prophetico.

DISPUTATIO I. PRÆLIMINARIS.



Ditus est à *Valentino Smalcio Gothano Cætus Racoviensis Ministro*, *Racoviæ* MDC VIII. Liber inscriptus *de Divinitate Jesu Christi*; cum eodem anno ab eodem Academiæ Wittebergensi dedicatus esset *Catechismus Racoviensis major*, in linguam Germanicam translatus. Anno MDC XXIII. idem Smalcii liber, una cum libro *Socini de Auctoritate Scripturæ S.* in Belgio sparsus est, in linguam Belgicam translatus. Anno MDC XXVII. Germanico idiomate excusus est, non expresso Auctoris nomine. Fert animus librum istum κατὰ πόδας examinare, & ad illum directè respondere pro tuenda σὺν Θεῷ quam ille oppugnat, vera Jesu Christi Domini & Servatoris nostri Divinitate.

INSCRIPTIO DEDICATIO, & PRÆFATIO SMALCII

De Divinitate Jesu Christi,
LIBER EDITUS,
à VALENTINO SMALCIO GOTHANO,
Cœtus Racoviensis Ministro.

Col. II. 9. In Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

RACOVIÆ.
Typis SEBASTIANI STERNACII. 1608.

Serenissimo & Potentissimo Principi & Domino, Domino

SIGISMUNDO

Tertio, Dei gratiâ Regi Poloniæ, magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. Nec non Suecorum, Gothorum & Vandalorum REGI *hæredi: &c. Domino clementissimo meo.*

NAturâ comparatum est, Rex Serenissime, ut ea, quæ prima subditi & in rebus maximis & pretiosissimis habent, Principibus Regibusque suis devotissimè offerant. Tam multa ejus rei in historiis occurrunt exempla, ut, ea si quis colligere in unam summam velit, justum volumen sit ei conscribendum. Ego itidem, è S. R. M. V. subditorum numero unum me, ac etiam servum humillimum agnosco. Quare eadem mihi mens, idem ingenium. Cum itaque nuper libellus de Christi divinitate conscriptus esset mihi à Pastore meo, Viro cum primis pio, & literato, oblatus, in quo, pro majestate quidem rei breviter, ... tis, quibus in rebus sita sit cognitio Jesu Christi, idem differenti ... majus, nihil pretiosius apud animum meum esset, nihil prius nec ... quàm ut eum S. R. M. V. offerrem. Nec verò solum ad eam rem, ... ditorum erga Principes & Reges perpetuum me impulit. Verum etiam ... incendit, ut S. R. M. V. eo libello, quantum licuerit per gravissimas Regni ... occupationes, lecto perspiceret & cognosceret, quantum nos à blasphemando Christo Domino & Deo nostro, quod identidem adversarii nostri calumniantur, absimus, & de nobis fidelibus subditis aliter imposterum sentire velit, quàm S. R. M. V. iidem adversarii nostri animum ad sentiendum de nobis inducunt. Atque hæ causa sunt, cur eum S. R. M. V. offeram, dedicem & consecrem. Porrò summis precibus contendo, ut eum S. R. M. V. pro gratia sua Regia, à me, fideli subdito, & servo humillimo, benignè excipiat. Atque id quidem S. R. M. V. facturam, certò mihi persuadeo. Cùm enim animo meo illud fixum & perpetuum sit, ne fide, officio, obsequio, erga S. R. M. V. cuiquam subditorum aut servorum S. R. M. V. concedam: & S. R. M. V. studia in subditorum & servorum, ex optimo animo profecta, illustri gratia Regia, excipere solere perspectum habeam, cur non idem mihi sit à S. R. M. V. expectandum, caussam nullam subesse video: Imò, quò majus in animo meo est studium erga S. R. M. V. hoc persuasio etiam in animo meo de gratia S. R. M. V. oritur illustrior, atque firmior. Domino Jesu, Regi Regum, Domino Dominorum, S. R. M. V. & felicem gubernationem S. R. M. V. commendo, ab eo precibus efflagitans, ut quam diutissimè S. R. M. V. quàm florentissimam, & gloriæ suæ, & Reipubl. bono, & nominis æternitati conservet, & mea humillima obsequia S. R. M. V. offero. Racoviæ 20. Novemb. Anno Christi MDCVIII.

Regiæ Majestatis Vestræ, Domini mei clementissimi,

Fidelis subditus & humillimus servus

JACOBUS SIENIENSKI A Sienno, Palatinides Podoliæ.

De

De Divinitate Domini JESU CHRISTI.

Inter omnia, quæ benignissimus Deus & Pater noster cælestis Ecclesiæ Christianæ revelavit, mysteria, neminem esse puto, qui inficias iturus sit, tantùm non maximum illud esse, quod Domini nostri Iesu Christi personam, & munus respicit. (a) In eo enim mysterio summa Dei gloria, & nostræ salutis certitudo omnis consistit. Hoc autem utroque quid homini Christiano potest esse carius, quid antiquius? Rectè igitur omnes ii faciunt, & optimè sanctissimam collocant operam, qui in asserenda vera Christi præstantia & divinitate, pro viribus desudant.

Sed ea est, proh dolor! temporum nostrorum injuria, ea Sathanæ mira astutia, ut ii (b) qui sanctissimam de Domino Iesu Christo confessionem sequantur, & ipsius Christi causâ nihil non facere, aut perpeti parati sunt, propter hoc solum, quia aliter de eo sentiunt, quàm hactenus per multa secula omnes ferè generatim senserunt, pro hostibus Christi & blasphemis in eum habeantur, & omnium exquisitissimis tormentis & mortibus dignissimi censeantur.

Quanquam vicissim in hoc ipso deficit ista Sathanæ astutia, & ipse causæ suæ parùm rectè consulit, dum nimirum eos, qui Christi nomen publicè profitentur, eumque & ejus sanctissimam religionem vitâ suâ cariorem habent, ita palam traducit, ac si eum, & religionem Christianam prodidissent. Hac enim ratione, Deo (cujus in religionis negotio summa est providentia) sic rem moderante, id, quod Diabolus effectum vellet maximè apud omnes cordatos & probos, ne effectum suum habeat, impeditur. Cum nemo nisi improbus, & judicii inops, vel eodem abutens, pro hoste Christi proclamare audeat eum, qui se Iesu Christi humillimum servum, & cultorem perpetuò venditat. Nos quidem, qui hac gravi à plerisque hodie calumnia premimur, hactenus rectâ animi nostri conscientiâ nosmetipsos so'amur: occasiones etiam captamus, omnibus judicio & probitate præditis, cujuscunque tandem sint conditionis, causam nostram proponendi. Nunc verò datâ operâ, in hunc ipsum finem, hunc libellum edimus, in quo, quod nos, & omnes nobiscum in uno cœtu congregati, de Iesu Christi præstantia & divinitate sentiant, breviter quidem, sed tamen non omnino insufficienter describimus. (c) Omnes, qui Christi nomen nobiscum profitentur, appellamus, eosque per solam veri Dei, & filii ejus Iesu Christi gloriam rogamus, & obtestantur, ut patienti eum animo legere dignentur, ut, si fortassè non possint (quod tamen ex animo illis precamur) hanc nostram confessionem pro perfecta & sufficiente agnoscere, agnoscant saltem pro vera; & ita, si nos non, ut veros Christianos, amore prosequi velint, saltem ut hostes nominis Christi odio prosequi desinant: &, si se Christianos esse gloriantur, semel hoc sciant tandem, nos æque

a Fructus cognitionis Jesu Christi. *b* Veri Christiani plerumque ab iis, qui professione tantum Christiani sunt, premuntur. *c* Cur legendus hic libellus.

æque nihilominus tales esse. Ut verò tantò rectius opus hocnostrum succedat, & tantò faciliùs percipi possint ea, quæ dicturi sumus de Iesu Christi præstantia & divinitate, (d) *considerabimus primùm, qualis & quanta ea fuerit, antequam ex virgine Maria nasceretur: deinde, qualis & quanta ea fuerit ab eo tempore, quo natus ex ea fuit.*

d. Divisio operis generalis.

ELENCHUS.



NOtamus initio in libri titulo, ac passim in tota tractatione, dolum malum, quod Deitatem τὴν θεότητα Jesu Christi oppugnaturus, prætexit commendationem Divinitatis τῆς θειότητος ipsius. Etenim istam Divinitatis vocem adhibens, & à voce illa Deitatis sollicite abstinens, dum videri vult ex Scripturis S. veræ Divinitatis Christi mysterium tractare, illud pervertit, ac facit Scripturas præter intentionem Spiritus S. loquentes de Jesu Christo more Gentilium, qui, ut auctor est *Servius*, *Deos* vocabant perpetuos, *Divos* ex hominibus factos, quasi diem obierint, unde Divos & Imperatores vocant: quemadmodum & Christianos priscos Theologos Divos vocant, more non pio.

II. Est ergo *Smalcio* Jesus Christus *Divus* ex homine factus seu Homo Divinus, precario habens Divinitatem & præstantiam ipsi datam, non verò habens Deitatem illam æternam, quâ sit φύσει θεὸς, *naturâ Deus*: sed tantum θείας κοινωνὸς φύσεως *Divinæ naturæ consors* 2 *Petr.* 1. 4. gradu quidem excellentiori, attamen in consortio & communione fidelium.

III. Exstat quidem vox *Divinitatis* in Scripturis, distincta à voce *Deitatis*. sed non ex voto *Smalcii*: qui fallitur, obtendens in libri sui frontispicio locum *Col.* 11. 9. atque adoptans cum *Sebastiano Castellione* Latinam hanc versionem *Vulgati* Interpretis; *In Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Smalcius* certè, cui Deitas & Divinitas differunt ut infinitum & finitum, non debuit hic adhærere isti versioni, sed agnoscere τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος vertendum esse cum *Pagino* & *Aria Montano*, *Plenitudinem Deitatis*.

IV. Jugulat ergo locus hic illustris illud *Smalcii* postulatum, de infinito inter Divinitatem & Deitatem intervallo. Et collatione factâ hujus loci cum loco altero, ubi vox θειότης Divinitas adhibita est, exprimendæ ipsi Essentiæ & Majestati Creatoris, qui ipso Creationis opere Creaturis impressit suæ virtutis vestigia *Rom.* 1. 20. liquet, Scripturam, ubi juxta *Smalcium* debuisset Deitatis, ibi Divinitatis, & ubi Divinitatis, ibi Deitatis voce uti.

V. Accedit, quod, loco indicato *Rom.* 1. vox conjugata vocis θειότητος *Divinitatis* quæ expressa est *versu* 20. non est θεῖος *Divinus*, sed θεὸς *Deus versu* 19. nominatus: vel, si hoc malimus, τὸ θεῖον, quod Dei veri numen significat, adeoque Deum ipsum invisibilem, in Spiritu adorandum. *Act.* XVII. 29.

VI. Qua-

VI. Quapropter si absque dolo malo secundum Scripturæ usum Christo asseritur Divinitas, asseritur illi omnino τὸ θεῖον seu Numen illud divinum, quod est ipsa veri Dei ἀΐδιος θειότης, hoc est, Deitas æterna & invisibilis, quod factum credimus ab Apostolo, loco ad *Colossenses* jam laudato: qui plenius infra erit vindicandus, hic tantum ad lustrandum titulum operis *Smalcii* illustratus.

VII. Lubet porrò lustrare Dedicationem, Regi Sigismundo tertio inscriptam, Palatinidæ illius, qui libri editioni obstetricatus est, & notare Postulatum illud, quod sibi ille à Regia Majestate videtur promittere, ut libello lecto perspiceret & cognosceret, quantum Racovienses à blasphemando Christo Domino & Deo nostro absint, & de illis melius imposterum sentire vellet.

VIII. Quis hic, non iniatus Socinianorum mysteriis, non gratuletur illis salvam fidem in Christum Dominum & Deum nostrum? quis credat nostram hanc fidem ab illis blasphemari? Enimvero luditur, aut fallacia divisionis, ut quæ verbis videntur componere dividant, neque unam personam salutent, Christum Dominum, & Deum nostrum, sed duas: aut fallaciâ Æquivocationis, quâ apud Reges & Principes cautius, sed non castius, mercantur. Christum enim, quem negant esse naturâ Deum, agnoscunt tantum Nomine dictum Deum λεγόμενον θεὸν: omninò blasphemantes Fidem nostram, qua nos Christum salutamus Dominum & Deum nostrum, nomine, non appellativo, & multis dictis diis communi, sed solius veri Dei proprio.

IX. De Blasphemiis in Christum Dominum & Deum nostrum, meritò illis dicam scribimus, qui non verentur edere hoc de Serveto judicium; *Servetus frater noster, & servus Messiæ unà nobiscum fuit, qui vitam profundere, quàm sententiam de Jesu, quam veram esse credebat, deserere maluit: quæ res valde jucundam ejus apud nos reliquit memoriam, & perpetuam illi apud omnes bonos commendationem, & apud Deum gloriam, paritura est: Calvinus vero Christo, nisi resipuit, rationem ejus facti olim reddet.* Hæc exstant scripta à *Theophilo Nicolaide*, *Socini* hyperaspista, *Tractatu de Ecclesia, Racoviæ edito* MDCXIV. *pag.* 22.

X. Quas autem blasphemias in Christum Dominum & Deum nostrum evomuerit *Servetus*, & post illum Ministri Ecclesiarum cum illo consentientium in Sarmatiâ & Transsylvaniâ, abundè liquet ex editis *Albæ Juliæ Libris de falsa & vera Unius Dei Patris & Filii & Spiritus S. cognitione* MDLXVII. *De Mediatoris Jesu Christi hominus Divinitate & Æqualitate* MD LXVIII. *De Regno Christi & Antichristi, de Pædobaptismo & Circumcisione* MDLXIX. Passim illi S.S. Trinitatem vocant *Anti-Christi Cerberum*, *Geryonem*, & idolis *Baal*, *Moloch*, *Astaroth*, assimilant, & ut *Dæmoniorum doctrinam* proscribunt. *Libri II. de falsa & vera Dei cognitione Cap. IV. fol. E e. ii.* pronunciant, *illum Deum Trinum & Unum, qui Unicam essentiam simul, & tres Personas consubstantiales coæternas & coæquales complectitur, esse idolum ab Anti-Christo introductum, Deumque Scripturis & Patribus nostris incognitum*:

& *meram esse illam Quaternitatem, quæ totum fermè orbem semper rascinavit, totamque Scripturam, & sanam omnem de Uno Deo & Filio ejus doctrinam corrupit: ideoque procul rejiciendum, & Satanæ suo conditori restituendum.*

XI. Liquet autem etiam *Fausti Socini* consensus cum istorum librorum auctoribus, ex inspectione *Animadversionum ejus ad Assertiones Posnanienses de Trino & Uno Deo*, quas ipse profitetur se scripsisse nomine fratrum suorum in Polonia, De Uno vero Deo Unoque Dei Filio consentientium. Et interloquitur ipse ad apologiam pro Auctoribus jam indicatis dictorum librorum (qui & nominantur *ad Assertionem I. & XVI.*) hoc satis atrox præjudicium. *Contra fidem*, inquit, *de Uno vero Deo nullus gravior in Christi Ecclesiam Anti-Christi Spiritu error invectus est, quam in Deo, inque illius simplicissima essentia plures esse Personas inter se distinctas, quarum quælibet sit verus Deus: & non Patrem tantum Domini nostri Jesu Christi esse unum illum verum Deum, sed Filium quoque ipsum & Spiritum S. quo*, inquit, *nihil absurdius, vel, (ut ita dicamus) impossibilius, vel divinis oraculis magis contrarium excogitari potest.*

XII. Hujus præjudicii neutiquam pœnituit *Socinum in Defensione Animadversionum istarum*: neque verba illa sua, *nullus gravior &c.* serio castigavit, sed hoc schemate alicujus dissimulationis interpretatus est *pag. 39. Fit comparatio*, inquit, *non cum omnibus erroribus, sive etiam cum iis, qui invehi potuissent, sed cum iis tantum qui invecti sunt.* Estque proinde illa *F. Socini* dissertatio in libello *de officio hominis Christiani*, olim Franekeræ excuso *Cap. IV.* tantum comparata ad simpliciores irretiendos, quando profitetur, se mitiorem hac in re sententiam sequi, & constanter credere, modo quis Deo & Christo confisus fuerit, eique obedientem se præstiterit, hanc vitam æternam adepturum.

XIII. Eadem hypocrisi laborat *Schlichtingii* pro Socino *contra Meisnerum* apologia, qua videri vult, malle hic in mitiorem peccare partem, quam præcipiti & inconsulto zelo de damandis Euangelicis sententiam pronunciare. Revera enim concinit cum hostilibus præjudiciis contra Fidem Catholicam S. S. Trinitatis, quando mentem suam aperit. *Libenter concedimus*, inquit, *imo urgemus neminem servari posse, qui veritatem .... præsertim ratione articuli de Deo, de Filio* Dei, *de Spiritu* S. *summo studio non exquirat, & inventam non amplectatur, & amplexus non profiteatur. Itaque etsi non omnem circa ista errorem .... damnare protinus putamus, tamen*, inquit, *hactenus Meisnero plane subscribimus: tantis in rebus errorem, si cum malitia & pertinacia sit conjunctus, æterno exitio piandum esse.* Hactenus *Jonas Schlichtingius Disputatione adversus Meisnerum, pro Socino de S. S. Trinitate pag. 2.*

XIV. Inscribunt ergo omnes illi in Sarmatia & Transsylvania consentientes ministri, quorum causam agit *Smalcius*, contra Catholicum de S. S. Trinitate consensum, de Errore, qui, si cum malitia & pertinacia sit conjunctus, æterno exitio sit piandus: & consequenter necessum habent, ut apud conscientiam nostram censeantur blasphemi, qui zelo illo ducimur, ut pro Fide S. S. Trinitatis nobis pugnandum censeamus, ne æterno

exitio implicemur. Hoc ergo agemus, cum bono Deo, pressiori libelli *Smalcii* examine, ad Lydium S. Scripturæ lapidem.

XV. Orditur libellum *Smalcius* à Procemio de fructu cognitionis Jesu Christi, quod in Mysterio illo, *quod Domini nostri Jesu Christi personam & munus respicit, summa Dei gloria, & nostræ salutis certitudo consistat: rectè igitur ii faciant, & optime sanctissimam collocent operam, qui in asserenda vera Christi præstantia & divinitate pro viribus desudant.* Hactenus bene.

XVI. Subnectit vero querelam: quod *Veri Christiani plerumque, ab iis qui professione tantum Christiani sunt, premuntur.* Querelam excipit contestatio de Vero Christianismo, cum gloratione contra Satanæ astutiam & Diaboli conatus, se scilicet eos esse veros Christianos: quia & *Christi nomen publicè profitentur, eumque & ejus sanctissimam religionem vita sua chariorem habent; nemo* vero *nisi improbus & judicii inops, vel eodem abutens, pro hoste Christi proclamare audeat eum, qui se Jesu Christi humillimum servum & cultorem perpetuo venditat.* Ea propter, *omnes qui Christi nomen profitentur,* appellat suo & suorum nomine, eosque *rogat & obtestatur, ut patienti animo dignentur legere hunc ipsius libellum:* ut in illo scriptam breviter, sed non omnino insufficienter, confessionem, *si fortasse non possint pro perfecta & sufficiente agnoscere, agnoscant saltem pro vera: & ita ipsos, si non ut vere Christianos amore prosequi velint, saltem ut hostes nominis Christi odio prosequi desinant.*

XVII. Nos vero hanc litem contestamur, ipsum Smalcium cum suis non esse veros Christianos, sed Christianos tantum professione inanis nominis Christi: ipsâ autem oppugnatione veræ Deitatis Christi quem nos credimus, veri & solidi illius, quod supra omne nomen est, Nominis Christi juratos hostes.

XVIII. Nihilo secius tamen dabimus hoc ipsius rogationi & obtestationi, ut patienti animo & legamus hunc libellum, ac conferamus ejusdem farinæ alios, ex quibus sufficienter intelligere queamus Confessionis hoc libello editæ sententiam, de quâ dabimus ἐπίκρισιν veram secundum Scripturas.

XIX. Facit *Smalcius* divisionem operis generalem, bimembrem, juxta geminam periodum temporis: quarum illa fuit, antequam ex Virgine Maria nasceretur Dominus Jesus, ista ab eo tempore quo natus ex eâ fuit. Illam tractat capitibus primis duobus, istam deinceps dispescit in duas 1. Dum mortalis esset. 2. Ab eo tempore quo immortalis esse cœpit. Sequemur ductum ejus, &, quo præit, per nostram ἐπίκρισιν sequemur.

XX. Dictæ partitionis hypocrisis ista est, quod tacitè hoc voluerit ingerere, se suosque falsò atque immeritò vocari *Ebionitas* atque *Arianos*: quod præ se fert titulus libelli à Socino scripti M D. XCIV. qui Racoviæ editus est M D C XI. ac circa idem tempus à *Conradi Vorstii* discipulis hic Franekeræ, suppresso Socini nomine. Cui libello opposuit *Balthasar Meisnerus* suam *Considerationem Theologiæ Photinianæ*, editam Witebergæ M DC XXIII. Super quâ suum *Anti-Meisnerum* scripsit Socini hyperaspistes ante nominatus *Jonas Schlichtingius* M D C XXXV. & M D C XXXIX.

XXI. Quia enim *Smalcius* partitione ista generali Divinitatem Christo tribuere videtur, & ante & post Nativitatem ex Virgine Mariâ, quin rursum, & ante & post mundum conditum, adeoque videri queat ipsam Æternitatem exhaurire velle; vix olfaciat qui naso caret, quidquam *Smalcio* commune esse cum Ebione aut Ario, quorum olim fuit Discordia Concors, in oppugnandâ æternâ Personarum Trinitate & verâ Christi Deitate.

XXII. Enimvero quo jure Socini asseclæ in Poloniæ regno & magno Ducatu Lithuaniæ Ebionitæ & Ariani vocentur, & quæ illis cum Ebionitis & Arianis veteribus sit Discordia Concors, ostenderunt *Pelargus Admonitione de Arianis recentibus* MDCV. *Meisnerus Consideratione sua jam dicta*, aliique. Et tenentur hic *Ministri Transsylvani*, libro supra nominato de Falsa religione, quando jactant, non esse novam doctrinam quam prædicant, sed per omnes ætates fuisse defensam, *quemadmodum*, inquiunt, *& illa Anti-Christi fuit semper oppugnata. Cap* III. *fol. E. ii. verso.* Adoptant enim hac gloriatione, & illam antiquissimæ ætatis contradictionem Ebionis, qua veritas Deitatis Christi oppugnata est, illa assertione, Christum esse *ψιλὸν ἄνθρωπον*, merum hominem: & deinceps ætate *Hilarii & Athanasii* ab *Ario* dictatam contradictionem, Christum esse *ἐξ οὐκ ὄντων, ex non entibus factum*: unde initio Ariani *Exoucontii* dicti. Item illam vexatam & toties Synodis veteribus explosam sententiam Arii, *ἦν ὅτε οὐκ ἦν, erat, quando non erat*, h. e. fuisse tempus quum nondum ille esset & existeret. Atque iidem Ministri Transsylvani ejusdem libri *Cap.* II. *fol. D. I. verso*, non verentur asserere, olim temporibus Hilarii & Athanasii, gladio igneque, non Dei verbo, tandem Arianos superatos, per Romanum Anti-Christum cum Athanasio inito fœdere.

XXIII. Et revera tota tractatione isthac quam examinamus in præsens hoc agit *Smalcius*, ut quomodocunque interpolatæ istæ Ebionis & Arii hypotheses stabiliantur ex mente *Photini*, qui olim ipsam Arii blasphemiam retinens, quod Christus non sit æternus Dei Filius vel verus per naturam Deus, variare nonnihil voluit, neque hoc largiri, quod largiebatur Arius, per Christum initio mundi creata esse omnia in cœlo & in terra; docens Christum adeo fuisse merum hominem, ut ante Nativitatem ex Maria nulla prorsus ratione extiterit. Hujus *Photini* doctrinam, quoad Christum, quantum ex historiis liquet, per omnia eandem fuisse, quæ hodie Socinianorum est, profitetur *Ostorodus*, *Præfationis ad Institutiones suas pagina* 13.

XXIV. Et aperta hic est *Smalcii* assertio, quæ exstat libelli hujus *Capite* XII. *pag.* 117. verum de Jesu existentia sententiam, quam divinitus edocemur, illam esse, Filium Dei reipsa, ante & extra Jesum Nazarenum natum ex Virgine Maria, non exstitisse. Et non caret mysterio fallacia divisionis, quod in proœmio se dicturum ait de Jesu Christi Præstantia & Divinitate, ut ante Nativitatem ex virgine Maria solam Prædestinationis & Promissionis Præstantiam Christo tribuat, non in ipso, sed in

consilio

consilio & verbo Dei, quemadmodum duobus primis capitibus dicit tantum Præstantiam, sollicite abstinens Divinitatis vocabulo, ut post nativitatem demum ex virgine Divinitatem, ex suo sensu definiendam, Christo tribuat.

XXV. Ut nobis rectius succedant Elenchi quos aggrediemur, præmittimus ad Orthodoxam institutionem in veritate, Assertiones tres sequentes, quas porro tribus Disputationibus complectemur.

DISPUTATIO PRÆLIMINARIS II.

QUA ASSERITUR

Mediatorem Dei & Hominum Christum debuisse esse verum Deum.

MEdiatorem Dei & Hominum debuisse esse verum Deum, asseritur ab orthodoxis Christianis contra Anti-Trinitarios, quâ Judæos, quâ nomine-tenus Christianos. Ad Judæorum Elenchum faciunt Scripturæ V. T. testimonia illa, quibus affirmatur Servatorem & Redemptorem Ecclesiæ venturum, fore Deum ipsum Israëlis: quæ affirmatio expressissima est *Esai* XXXV. 4. *Ecce Deus vester, ipse veniet & salvabit vos. Esai.* XL. 9. 10. *Dic civitatibus Juda; ecce Deus vester: ecce Dominus Jehovah veniet.*

II. Et munit affirmationem illam contestatio illa *Esai.* XLV. *vers.* 21. 22. *Annon ego Jehovah? & non est ultra Deus præter me? Deus justus & salvans non est præter me. Respicite ad me, & salvamini omnes fines terræ: quoniam ego sum Deus & non est amplius.* Concinunt antecedentia, *vers.* 15. *Vere tu Deus abscondens te, Deus Israël Salvator:* Et *vers.* 17. *Israël salvatus est in Jehovah, salute æterna:* & illud *Hoseæ* XIII. 4. *Ego Jehovah, Deus tuus è terra Ægypti, & Deum præter me nescies, & Servator non est absque me.*

III. Accedit, quod illam fidem confirmet meditatio illa *Ps.* XLIX. 8. & 9. à Spiritu S. dictata; *Fratrem non redimendo redimet quispiam, nec dabit Deo propitiationem suam, & preciosa est redemptio animæ eorum, & desinet in seculum.* Quam meditationem excipit illa consolatio *versu* 16. *Veruntamen Deus redimet animam meam, de manu inferni, cum susceperit me.* Unde constat hæc Fidei analogia, nefas fuisse fidelibus V. T. alium expectare Servatorem & redemptorem, qui redemptionem animarum & salutem æternam præstaret, quam ipsum Jehovam, verum Deum Israëlis: quia redemptio illa & salus æterna est supra vires ejus qui tantum homo sit.

IV. Interim à Deo Patre distinctam venturi Servatoris & redemptoris personam intelligendam, aperte satis docet Deus Pater loquens *Hoseæ Cap.* I. 7. *Domus Juda miserebor & servabo eos in Jehovah Deo ipsorum.* Nec aliunde petenda interpretatio verborum Danielis, quibus Deo supplicans

pro redemptione Israëlis (in qua supplicatione exauditus accepit oraculum de tempore adventus Messiæ) dixit שמע אלהינו למען אדני / *audi Deus noster , propter* Dominum. *Dan.* IX. 17.

V. De qua Persona divina secunda, quæ foret Mediator Dei & Hominum, non patiuntur nos dubitare testimonia divina illa, quibus prænunciatus fuit, Ecclesiæ donatus, *Princeps Pacis*, *Deus robustus*, *Pater æternitatis*, אל גבור אבי עד / Persona illa quæ Filius nominatur *Esai.* IX. 6. ad quem est illa Patris loquutio *Psal.* II. 7. בני אתה אני היום ילדתיך / *Filius meus es tu , ego hodie genui te*: de quo mox *vers.* 12. נשקו בר *osculamini Filium.* Qui idem est ille Davidis Dominus אדני / cui Pater יהוה Jehova juravit Sacerdotium æternum secundum ordinem Melchisedech: quod est ipsum inter Deum & Homines officium Mediatorium. *Psal.* CX. Ad cujus functionem assumpta ex matre Virgine natura humana, foret *Immanuel*, Deus nobiscum, θεάνθρωπος *Esai.* VII. 14. *&* VIII. 8.

VI. Accedit quod *Malach.* III. 1. venturus ille Servator, qui (ut mittendus à Patre ad Fœderis illam corroborationem de qua Danieli loquutus erat Gabriel *Dan.* IX. 27.) nominatur *Angelus Fœderis* dicitur *venturus* Ipse *Dominus ad Templum suum* יבוא אל היכלו האדון Quod indigitamentum, Dominus Templi, nulli convenit præter unum verum Deum Israelis, qui solus in Templo colendus est & adorandus.

VII. Hæc in præsens sufficient ad Judæorum elenchum. Anti-Trinitarios nomine tenus Christianos adversarios hic habemus duûm generum: vel non adorantes nec invocante Christum, vel eundem adorantes & invocantes (quamvis sua quoque hypothesi ψιλὸν ἄνθρωπον) sub illo formali quâ Mediator est. Illi sacrilegè adorandam Majestatem & Nomen *invocandum* Mediatori auferunt ; isti non sine Idolo-latria tribuunt. Utrisque autem seu prudenter seu imprudenter velificantur, qui post *Magistrum sententiarum* cum *Stancaro* sentiunt, Christum Mediatorem esse Dei & Hominum, tantum quâ Homo est, obtentu loci 1 *Tim.* II. 5. *Unus enim est Deus, & unus Mediator* Dei *& hominum* , *Homo Jesus Christus.*

VIII. Enimvero locus iste non præscribit contra assertionem orthodoxam, quia in concreto quidem mediator Dei & Hominum Homo dicitur, sed non in abstracto. Nec magis præscribere hic potest nomen Hominis, ad excludendam Naturam divinam, quam contra naturam humanam præscribit nomen *Magni* Dei *& Servatoris*, Christo tributum *Tit.* II. 13. *& Act.* XX. 28.

IX. De cætero demonstramus assertionem, ex eminenti fastigio officiorum Christi incarnati trium, Prophetici Regii & Sacerdotalis, in quo Jesum Servatorem nostrum collocat Scriptura. Ac primo quidem in munere Prophetico illud supra hominem est, quod ipse unus omnibus Prophetis & Apostolis major esse debuit, Doctor omnium & docentium & discentium αὐτόπιστος. Talem autem se agnosci voluit *Matth.* XXIII. 8. ad Apostolos loquens; *Unus est Doctor vester* (καθηγητὴς) *Christus: omnes autem vos fratres estis.*

X. Ad

X. Ad quorum verborum meditationem facit enantiophanes illud, quod dicatur *non erubescere nos appellare fratres Hebr.* II. 11. Illud vero non aliam patitur conciliationem, quam hanc, quod in Officio Mediatorio non spectetur principaliter Caro seu natura humana, in qua, propter communem carnis originem ex uno sanguine, factus est homo, hominum frater & consanguineus, sed persona divina in Carne manifestata, & docens Ecclesiam authenticè, ut ipse æternus λόγος *Joh.* I. I. cui collegæ dari non potuerunt, aut fratres, in docendi munere, αὐτόπιστοι.

XI. De αὐτοπιστίᾳ vero illâ præscribit illa Christi & Johannis Baptistæ antithesis *Joh.* I. 8. *Non erat ille Lux illa, sed missus fuit ut testaretur de illa Luce.* Si Christum nude secundum carnem spectemus, fuit omnino testis de Luce, Johanni similis, qui *ad hoc natus fuit & in mundum venit ut testaretur de Veritate. Joh.* XVIII. 37. Quando ergo supra Johannem extollitur ut ipsa Lux veritatis, credenda per Johannis ministerium, ut Hominis à Deo missi ad testandum de illo, ut omnes in ipsum crederent *Joh.* I. 6. 7. omnino intelligendus est Christus, non tantum testis veritatis ex hominibus πιστός: neque ad veram muneris Prophetici ipsius Divinitatem sat est ipsum agnoscere, humanæ sapientiæ gradu, summum inter homines Theologum: sed credendus est θεανθρώπως idem Theologus & ipsa res Theologica.

XII. Hoc veræ Divinitatis fastigio, ut ipsa Veritatis Lux, adeoque Deus ipse I *Joh.* I. 5. *cum Joh.* VIII. 12. 14. merito contestatus est: *Etiamsi ego testor de me ipso; testimonium meum verum est.* Erat quippe unus ex tribus illis qui è Cœlo testantur. I *Joh.* V. 7. *cum Hebr.* XII. 25.

XIII. Idem θεανθρωπικὸν Christi in munere prophetico fastigium confirmat hæc fidei analogia, quod ipse, ut Verbi à se humano ore prædicati auctor, sibi asserit, quicquid è cœlo missus Spiritus S. Apostolos docuit, ut verbum suum *Joh.* XVI. 14. Nec non potestatem omnem in cœlo & in terra, quam flagitat Verbi & Sacramentorum ministerii institutio *Matth.* XXVIII. 18. nec non missionem & effusionem Spiritus S. ad ministerii efficaciam. *Joh.* XVI. 7. *cum Matth* III. 11. *Luc.* XXIV. 45.

XIV. Nec tantum supra Apostolos ita eximium Christum credit Fides orthodoxa, sed supra V. T. Prophetarum maximum Mosem: ut qui tantum servus fuerit, Christus vero ut Filius Dei, Deo Patri æqualis (*Phil.* II. 6. *cum Joh.* V. 18.) Deus & Dominus Mosis *Hebr.* I. 2. *cum* III. I — 6. ipse Legislator, Legis quæ per Mosem data est in monte Sinaï, atque eo nomine authenticus & αὐτόπιστος Legis interpres: hanc enim emphasin habet illa Christi contestatio, circa quarti præcepti de Sabbato διάνοιαν, *Filium hominis esse etiam Dominum Sabbati. Matth* XII. 6. 8. *Marc.* II. 28. *Luc.* VI. 5.

XV. Atque hæc est vera Divinitas Prophetici muneris Christi, absque qua actum est de omni certitudine Religionis Christianæ. Neque enim ψιλῷ ἀνθρώπῳ mero homini sine blasphemia vindicari potuit illa Doctoratus eminentia, ut unus ipse (hoc axiomate Filii Dei, qui *solus Patrem novit*, quem *nemo vidit unquam Joh.* I. 18. *& Matth.* XI. 27.) credatur, antequam secundum carnem in cœlum ascendisset, & priusquam in carne esset

esset manifestatus, *fuisse ibi*, quo postea ascendit, nimirum in cœlo *Joh.* III. 13. *exivisse à Patre Joh.* XVI. 28. *venisse superne, è cœlo Joh.* III. 31. atque *illic vidisse & audivisse quæ loquutus est in terris. Joh.* III. 11. 32.

XVI. Similiter porro ex eminenti fastigio muneris Regii, quod Mediatori Dei & Hominum tribuit analogia fidei Christianæ secundum Scripturas, evincitur vera Mediatoris Divinitas. Atque illud quidem primo continetur ipso Legislatoris titulo, quo Christum salutant omnes nominetenus Christiani Anti-Trinitarii ipsi, ut Mose majorem. Vide *Thesin XIV.*

XVII. Enimvero, ne fateantur illi hoc ipso Christum verum æternum Deum, fingunt Novum Legislatorem, non veteris sed novæ Legis, qua scilicet nova Lege definienda sit Religio Christiana, ejusque Legislatione Gratia Christi: qua hypothesi veræ Religionis Christianæ fundamentum pervertitur, cum Gratia Christi vera hæc sit, quod ipse, cum esset Legislator, *factus sit sub Lege, assumpta servi forma. Gal.* IV. 4. *cum Phil.* II. 6. 7. *&* 2 *Cor.* VIII. 9.

XVIII. De cætero quod præsentis est considerationis, cum, juxta affirmationem Apostoli Jacobi, *Unicus* tantum sit *Legislator qui potest servare & perdere* (cujus illæ sunt Leges, *non mœchaberis, non occides*) *Jac.* IV. 12. *cum* II. 14. constat assertio nostra quam dedimus *Thesi XIV.* Neque salutari potest Christus Novus Legislator, quin credatur Novus Deus Apostolo Jacobo ignotus. Cum Jacobo autem secundum consensum Scripturarum Propheticarum & Apostolicarum, credendus est Mediator Christus, ipso Regii muneris fastigio esse ipse Verus Deus & Rex Israëlis, Jehovah ipse, qui olim in Legislatione Veteri, & in Reipublicæ Israëlis fundatione, Mosem ut, servum cum fiducia præfecit domui suæ; sub quo & per quem etiam, ut Dominum suum, David aliique in populo reges & judices regnarunt. Conferantur hic loca *Esai* XLIV. 1. *& Joh.* I. 50. *cum Hebr.* III. 5. 6. *& Psal.* CX. 1. *cum Matth.* XXII. 41. 43.

XIX. Minime autem intelligenda est, propter denominationem Regni Mediatorii vel Regii officii, media aliqua infra Deum supra homines Majestas Regia: quæ non dicat veram Deitatem ipsam, sed tantum collatam à Deo Divinitatem, per quam sit Christus ex Homine factus Divus, seu Deus & Dominus, qualem dictat *Smalcius* libro quem aggredimur. Neque enim potuit à Johanne Baptista, aut Christo ipso, tale Regnum cœlorum prædicari, sine manifesta Apostasia à Mose; quæ secundum legem *Deuter.* XIII. 1. Christum, factum sub Lege, fecisset justo mortis supplicio obnoxium.

XX. Ad οἰκείαν ἀνατροπὴν domesticam subversionem istius hæresios abunde sufficit indicasse hoc πρῶτον ψεῦδος, quod contra omnem & Theologiam & sanam Philosophiam pugnat; Deum illum unum Patrem non tantum talem esse, qui omnibus absolute imperat, verum etiam talem, qui alium etiam talem efficere potuerit, qui nomine & vice Dei, potestatem tamen ab eo consecutus, absolutè in Ecclesiam vel populum Dei Dominium habeat. Majus autem Divinitatis opus hoc esse, alium absolutum & sibi parem

rem Dominum efficere, quam absolutum esse Dominum. Verba sunt *Smalcii hoc libro Cap.* XIX. *pag.* 118.

XXI. Ex vi veritatis illud est, quod profiteatur Christum esse absolutum, Deo Patri parem, Dominum Ecclesiæ: sed ab efficacia erroris est, quod alium, quam qui natura Deus est, Dominum Ecclesiæ absolutum & sibi parem Deus Pater effecisse dicitur, suâ natura & essentia ψιλὸν ἄνθρωπον.

XXII. Quamvis autem apud orthodoxos Functio officii Regii & Regnum Mediatorium Christo tribuatur, titulo & jure Dominii Spiritualis in Ecclesiam, ad Ecclesiæ ædificationem & tutelam, ac tandem glorificationem æternam; atque distingui soleat, in Christo θεανθρώπῳ à Regno Christi Essentiali, quod commune est ipsi cum Patre & Spiritu S. & vocatur ad distinctionem Personale Regnum Christi Mediatoris. Est tamen in re, spectata regnantis Majestate, ipsissimum illud Regnum, quo regnat Filius cum Patre & Spiritu S. sola ad Personam Filii appropriatione & œconomiâ distinctum.

XXIII. Nomen enim illud Christi Mediatoris *supra omne nomen, in quo omne genu flectendum Phil.* II. 9. 10. 11. *& Rom.* XIV. 11. ex collatione loci *Esai.* XLV. 23. liquet non esse quidquam personæ creatæ conveniens: ac proinde habere invictam demonstrationem veræ coessentialis & coæternæ Deitatis cum Patre & Spiritu S. extra quam Pater nominis sui gloriam, & plenitudinem Potentiæ & Potestatis omnis in cœlo & in terra *Matth.* XXVIII. 18. non dat alteri. *Esai.* XLII. 8.

XXIV. Appropriatio vero ad personam Filii illa est, quod Regnum illud novo titulo ac jure post exinanitionem sibi vindicarit ac asseruerit à Patre; ut Ecclesiam, quæ corpus ipsius mysticum est, sibi tanquam capiti unitam, in se & à se vivificatam glorificet, atque etiam ordinet totius universi gubernationem ad Ecclesiæ salutem. *I Cor.* III. 21. 22. 23. *Rom.* VIII. 28. *cum Eph.* I. 22. 23. *& Hebr.* I. 14.

XXV. Hinc pendet explicatio loci *I Cor.* XV. 24. in quo dicitur Christus tandem, quando finis erit, traditurus Regnum Patri. Non est illud sic accipiendum, quasi futurum sit, ut post consummatam Ecclesiæ salutem, Regia sua Personali Majestate exuatur Christus, quæ scilicet temporaria fuerit, minime θεοπρεπὴς Deo digna, sed ipsi ut homini propria & conveniens: Sed sensus est, quod finem habitura sit illa ordinatio œconomica communis gubernationis divinæ, ad perficiendam Ecclesiæ glorificationem. Quam ordinationem œconomicam respexit Christus, quando dixit, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Joh.* V. 22. 23.

XXVI. Ex ante dictis consectarium est, non potuisse Mediatorem Dei & Hominum, Hominem Jesum Christum, nec Propheticum nec Regium munus, quale illi secundum Analogiam Scripturarum debetur, sustinere & implere, si non idem fuisset verus Deus Patri coessentialis & coæternus.

XXVII. Quod si verum est, sicut est verissimum, imprudenter faciunt etiam qui hoc largiuntur, Christum ante Incarnationem, cum se

Sponsorem constituit, minorem fuisse Patre. Et illam Sponsionem statim Minoritatem quandam intulisse, sive Officium Mediatorium importare Minoritatem quandam, etiam in divina Christi natura, quia est Mediator secundum utramque naturam.

DISPUTATIO PRÆLIMINARIS III.

QUA ASSERITUR]

Sacerdotem N. T. Christum debuisse esse Verum Deum.

QUod de Mediatore Dei & Hominum Christo asserit Fides & Religio Christiana, debuisse illum esse ipsum Verum Deum, id non evincitur ex sola eminentia Prophetici & Regii muneris, sed vel maxime ex ipso sacerdotali Officio, quod flagitabat, ut idem ipse fieret Verus Homo.

II. Ad Judæorum Elenchum duo hæc faciunt. 1. Venturi Sacerdotis Axioma ipsi Deo vero Israelis vindicatum, hoc indigitamento יהוה גואל ישראל קדושו *Jehovah Redemptor Israëlis, sanctus ejus Esai.* XLIX. 7. Quod posterius קדוש ישראל *sanctus Israëlis Esai.* 1. 4. & deinceps in Esaia vicies & ultra frequentatum: & legitur 2 *Reg.* XIX. 22. *Psal.* LXXI. 22. *&* LXXVIII. 41. *&* LXXXIX. 11. *& Jer.* L. 29. *&* LI. 5.

III. Geminum illi indigitamento sancti Israëlis, est alterum illud יהוה צדקנו *Jehovah Justitia nostra. Jerem.* XXIII. 6. Personaliter illic attributum Germini Davidis justo, quod ultimis temporibus se excitaturum Deus promittit *versu* 5. Qui est ipse à Gabriële Danieli prænunciatus Messias, Fœdus roboraturus, per adductionem æternæ justitiæ, ad peccatorum expiationem *Dan.* IX. 24 --- 27. Idem quippe Davidis Filius & Dominus, cui juravit Pater Sacerdotium æternum *Psal.* CX.

IV. Huic ergo fundamento Prophetico superstructa est Fides Christiana, qua creditur Homo ille à Deo vocatus Sacerdos Jesus Christus, ita *nobis factus à Deo, justitia, sanctificatio & Redemptio* 1 *Cor.* I. 30. ut non tantum habeamus in ipso humanum justitiæ ipsius & sanctitatis meritum, ac donum, ad nos manans, & nobis imputatum, sed gloriemur in ipso, ut Deo Redemptore & Sanctificatore nostro, qui per se ipsum effecit purgationem peccatorum nostrorum, & sanctificationem nostram, hic inchoatam, olim perficiet in Glorificatione.

V. Hac emphasi, in oppositione relativa ad Ecclesiam, dicitur ὁ ἁγιάζων, *Sanctificator*, & Ecclesiæ membra οἱ ἁγιαζόμενοι *qui sanctificantur. Hebr.* II. 11. *Quia Ecclesiam ipse dilexit, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret &c. Eph.* V. 25. 26.

VI. Confir-

VI. Confirmatur autem illa Sacerdotis N. T. divina eminentia generatim, comparatione ipsa Testamenti Veteris & Novi melioris; quæ flagitat ut N. T. Sacerdos sit eminentior unus omnibus Sacerdotibus V. T. etiam eminentissimis: quod urget Apostolus *Hebr*. VII. 22.

VII. Eminentissimi vero V. T. Sacerdotes censentur nominatim duo, Aaron, & ante Aaronem Melchisedek. Aarone, quantus quantus ille fuerit, eminentior fuit Melchisedek, hoc argumento quod illo *Capite VII*. prolixe urget Apostolus ex *Psal*. CX. 4. Quod prænunciatus fuit (post ordinatum jam Sacerdotium Aaronicum, ejusque successionem stabilitam) exoriturus olim Sacerdos N. T. secundum ordinem Melchisedeci, qua prænunciatione continetur permutatio Sacerdotii secundum ordinem Aaronis, cum Sacerdotio melioris & eminentioris ordinis.

VIII. Jam ipso Melchisedek, quantusquantus ille fuerit, eminentior merito censetur ille, quem sui sacerdotii eminenti ordine Melchisedek præfiguravit, ut typus & umbra venturum corpus: qui vere esset quod typicè, nominibus Regis & Regiæ Melchisedeci (ad notandam Sacerdotii Regalis præstantiam præ Sacerdotio Aaronico) expressum erat, Verus Melchisedek, *Rex Justitiæ*, & Rex Salem, *Rex Pacis*, *Jehovah Justitia nostra Jere*. XXIII. quod LXX. contracte reddunt *Josedek*, & Deus *Princeps Pacis*. *Esai*. IX. 6.

IX. Enucleatius porro Assertio nostra demonstranda, accuratiori explicatione Divinæ ἐνεργείας, quam necessum fuit concurrere & cooperari naturæ humanæ, in Officii Sacerdotalis functione, quæ bimembris est: nam & Immolatione & Intercessione continetur. Utraque flagitat Sacrificantis Personæ axioma supra hominem θεανθρωπικόν.

X. In Immolatione tria notamus. 1. Quod seipse 2. Unus pro omnibus, offerre & immolare debuit Sacerdos N. T. 3. Semel tantum. Offerre seipse non potest ut Sacerdos victimam ψιλὸς ἄνθρωπος merus homo. Neque ad Sacerdotalem oblationem sufficere potest, ut, si Deo offerenda sit victima humana, qui poscitur victima, humanæ voluntatis obedientia se devoveat ipse. Si enim hoc sufficit, tam Isaak se ipse, quam Isaacum Abrahamus, dicetur Deo obtulisse, quod est præter Scripturæ analogiam.

XI. Sola ergo humanæ voluntatis obedientia ad mortem, & sui devotione, factus quidem est Christus victima λογικὴ rationalis. Sed non perficit Sacerdotis officium, nisi potestate illa αὐτοκρατορικῇ, qua ipse, ut Persona divina, habebat, in assumptam, & sibi personaliter unitam, naturam humanam, jus vitæ & necis juxta illud; *Ego pono Animam meam, ut eam rursus assumam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi. Joh*. X. 17. 18. Item; *Destruite Templum hoc, & tribus diebus erigam illud. Joh*. II. 19.

XII. Hinc ad Sacerdotalis officii functionem illud maximi momenti, quod affirmat Paulus, Christum ad sanguinis sui effusionem, *se ipsum obtulisse inculpatum Deo, per Spiritum æternum*, atque *ob id Novi Fœderis Mediatorem esse. Hebr*. IX. 14. 16. Spiritus ille æternus Christi est ipsa in Christo vera Deitas: nam πνεῦμα ὁ Θεὸς, *Spiritus est Deus. Joh*. IV. 24. Vocaturque

quoad functionem hanc θεανθρωπικὴν, qua pro Ecclesia se sanctificavit; πνεῦμα ἁγιωσύνης, *Spiritus sanctificationis*. *Rom.* I. 4.

XIII. De cætero, ita meditandum Sacerdotis N. T. se ipsum offerentis, in se ipsum jus necis, ut intelligatur idem, juxta assertionem jam productam *Thesi* XI. habuisse jus vitæ, seu potestatem & robur se ipsum vivificandi, & vivam hostiam inferendi in verum cœleste sanctuarium: ut, reconciliatione per mortem facta, *multo magis reconciliati servaremur per vitam ipsius*. *Rom.* V. 10.

XIV. Debuit ergo ita crucifigi ex infirmitate carnis assumptæ, & mori, ut per mortem tamen non prævaleret ille qui mortis habet imperium, id est Diabolus, sed aboleretur *Hebr.* II. 14. & *expoliata imperia ac potestates traducerentur palam*, *triumphata per crucem*, id est crucifixionem ipsam. *Col.* II. 15. Quod fieri non potuit, sine Sacerdotis, vitam divinam in se ipso habentis, vi & robore majori, quam est robur illius fortis armati & angelorum ejus. Confer *Matth.* XII. 29. *cum* 2 *Cor.* XIII. 4. *&* *Joh.* V. 26.

XV. Nec absque hac assertione constaret Apologia Fidei in Christum pro nobis mortuum, contra Judæorum blasphemias, quibus Christo ex infirmitate crucifixo insultarunt; *Alios servavit*, *se ipsum servare non potest*. *Matth.* XXVII. 42. Quibus blasphemiis, vel in populari Theologia, reponendum illud, robore divinitatis suæ Christum servasse & sustentasse naturam suam humanam; ut nullo quamvis exquisitissimo doloris sensu fatisceret per desperationem, aut ulli ad peccatum tentationi succumberet, aut, ultra præfinitum Redemptionis nostræ negotio tempus, corpus ipsius in morte detineri posset, aut corruptionem videre.

XVI. Notavimus secundo loco illud, quod Unus ipse pro Omnibus redimendis & salvandis se offerre & immolare debuit: juxta illud, *Unus Mediator Dei & Hominum*. 1 *Tim.* II. 5. *Unus pro omnibus mortuus est*. 2 *Cor.* V. 15. *&* *Rom.* V. 15. 17. 19. Antithesis ista Unius & Omnium flagitat omnino ut Sacerdos N. T. non sit ψιλὸς ἄνθρωπος merus homo. Non potest enim meri hominis mors tam preciosa censeri, ullo secundum veritatem judicio, ut precio illo redimi possit tota salvandorum Ecclesia. Vide *Ps.* XLIX. 8. 9.

XVII. Hac ergo Emphasi affirmatur Deus *redemisse Ecclesiam proprio sanguine*, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. *Actor.* XX. 28. Quod omnino de Persona Christi intelligendum, quæ Deus ipse est. Nihil enim dixerit Apostolus singulare de sanguinis Christi precio, quod tantopere nobis commendat Spiritus S. 1 *Petr.* I. 19. *cum* 1 *Cor.* VI. 20. *&* VII. 23. si Dei nomen isthic torquere licebit ad Patris personam. Etenim extra personalem unionem in Christo, communi illa ratione, qua meri hominis sanguis fingitur dici posse proprius Dei sanguis, dici posset idem de hircorum, & omnium bestiarum agri & volatilium sanguine, ex Dei illa contestatione, quæ exstat. *Psal.* L. 10---- 13.

XVIII. Hoc Sacerdotis N. T. Christi axioma, quo ipse Unus est πάντων ἀντάξιος ἄλλων, seu dignior & major omnibus, ut Unus omnium Dominus, habemus ex Apostoli affirmatione expressa 1 *Cor.* XV. 47. *Secundus*

Hom.

Homo ipse Dominus è Cælo: & testimonio Johannis Baptistæ *Joh.* III. 21. *Qui superne venit supra omnes est..... qui è cœlo venit supra omnes est.*

XIX. Hanc fidem porro confirmat illud, quod Apostolus mortem Christi pro nobis vocat mortem *Testatoris*, qui moriens ratum efficere voluerit nobis (tanquam Filiis suis & Semini suo, juxta *Esai.* VIII. 18. *Hebr.* II. 13. *& Esai.* LIII.) à se conditum Testamentum, quo *accipiemus promissionem æternæ hæreditatis. Hebr.* IX. 15. 16. 17. Quo ergo titulo credimus illum unum pro nobis omnibus mortuum, eodem titulo necesse est ipsum credamus, cum Deo Patre unum esse verum Deum, Patrem regenerationis & adoptionis nostræ. Atque sic Unus est κατὰ τῆς Essentiâ, quamvis Personis Trinus, Pater noster qui est in Cœlis. *Matth.* XXIII. 9.

XX. Quamvis ergo τὸ mori & crucifigi cum sanguinis effusione dicat Christum Hominem, qui non erubescit nos fratres vocare & cohæredes. *Hebr.* II. 11. *cum Rom.* VIII. 17. Tamen τὸ offerre se ipsum in mortem ut Testatorem, dicit Christum Sacerdotem Deum, Patrem nostrum omnium. Etenim præter Deum verum nullus esse potest ὁ διαθέμενος Testator. Et aperta est hic negatio Apostoli, non esse hoc Testamentum quod in morte Christi confirmatum est, pactionem Hominis, sed *à Deo confirmatam. Gal.* III. 15. 17. Adeo ut liceat hic affirmare, non est hominis sed Dei Servatoris nostri magni mori ut Testatorem, & proprii sanguinis effusione Testamentum æternæ nostræ hæreditatis roborare & ratum facere. Quemadmodum ejusdem Epistolæ initio affirmat Apostolus, se per Christum Jesum vocatum Apostolum, *non ab hominibus, neque per hominem vocatum*: & Euangelium quod patefactione Jesu Christi didicerat, *non accepisse, neque edoctum esse ab homine. Gal.* I. 1. *&* 12.

XXI. Tertio loco notavimus quod semel tantum facta sui ipsius oblatione, purgationem peccatorum per se ipsum perfecit pro omnium temporum & locorum Ecclesia Catholica. Quod asserit Apostolus prolixè *Hebr.* IX. 25 --- 28 docens; *non oportuisse, ut sæpius offerret semet ipsum, aut sæpius pateretur inde à condito mundo*, sed (*ad redemptionem etiam earum prævaricationum quæ fuerant sub Veteri Testamento, versu* 15. *collato cum Rom.* III. 25.) abunde satisfactum, eo, *quod semel in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius patefactus est.*

XXII. Hæc quoque consideratio, qua retro ad mundi conditi primam ætatem, pariter ut ad finem mundi, ab Apostolo extenditur Sacrificii à Christo semel oblati efficax Gratia, necessariò supponit Sacerdotem, Deo juratum, & pro nobis sponsione infallibili intercedentem, inde à condito mundo. Adeo ut ipsius inter Deum & Homines peccatores Mediatione illa, circiter 4000. annis, antequam Homo factus est, in ipsum esset προκεκυρωμένη διαθήκη, confirmatum ante Fœdus Gratiæ, & juratum ipsi à Deo Sacerdotium æternum.

XXIII. Quandoquidem vero anticipari non potuit initium existentiæ carnis Christi, si fuit ψιλὸς ἄνθρωπος, merus Homo; anticipationem vero illam Gratiæ Christi, ad communem salutem Ecclesiæ Catholicæ Ve-

teris & Novi T. flagitat analogia Scripturarum: omnino credendum est, extitisse in natura divina & Forma Dei Deo æqualem, sine dierum initio, Sacerdotem N. T. olim venturum in carne, ad Sacerdotalis officii functionem, cum immolatione sui ipsius.

XXIV. Robur hujus demonstrationis evidens est, ex Antithesi efficaciæ erroris Socinianorum: qui, negata vera Christi Deitate, omnem ejusmodi Sacerdotalis officii Christi functionem negant, in qua fundari possit communis salvifica fides Ecclesiæ Veteris & N. T. ex Fœdere Gratiæ, cui intercesserit Mors Testatoris Christi ad Satisfactionem pro peccatis.

XXV. Superest meditanda post Assertionis nostræ demonstrationem ex Sacerdotali Immolatione sui ipsius (quâ purgationem peccatorum perficere debuit Sacerdos N. T.) Sacerdotalis Intercessio. Ad quam enucleandam præcognoscemus hoc unum in præsens; quod peragi illa debuit in Sanctuario cœlesti; adeoque ipse in Cœlum ascendere suo jure, ex plenitudine suæ potestatis, sibi adsertæ per consummatam in terris immolationem sui ipsius, juxta illud *Psal.* LXVIII. 19. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem.* Quod Christo vindicat Apostolus hac epexegesi *Eph.* IV. 9. 10. *Cæterum illud Ascendit, quid est; nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descendit, ipse est qui etiam ascendit, longe supra omnes cœlos, ut impleret omnia.*

XXVI. Et Christus ipse ex sua in cœlum Ascensione asseruit sibi veram divinitatem, per quam cœlum & terram impleret, etiam in diebus carnis suæ, antequam per Ascensionem carnem suam cœlo intulisset. *Joh.* III. 13. *Nullus ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

XXVII. Non patitur autem hic nos dubitare, quin veram Divinitatem Sacerdotis N. T. cœleste sanctuarium ingressuri, ad inferendam in cœlum victimam corporis sui in terris immolatam, dictet Scriptura; cum ille in Cœlum ascensurus exserte in oraculo jam indicato, salutetur יה אלהים *Jah Elohim*: & mox יהוה ארני *Iehovah Adanai*. Et fit iterum iterumque Sanctarii mentio, בקדש *versu* 18. ממקדשיך *versu* 36. & Templi *versu* 30. Ut aperta sit de Messiæ Sacerdotali Regno Prophetia.

DISPUTATIO PRÆLIMINARIS IV.

QUA ASSERITUR

Intercessionem Christi Mediatoris esse opus θεανθρωπικόν.

POst Immolationem sui ipsius, pars altera functionis Officii Sacerdotalis est Christi Mediatoris pro nobis Intercessio apud Patrem; quæ est viva apud patrem interpellatio pro Ecclesiæ salute, propter immolationem sui ipsius. *Rom.* VIII. 34. 1 *Ioh.* II. *vers.* 1.

II. Quam

II. Quamvis autem Christi precatio pro Ecclesia, in diebus carnis *Joh.* XVII. solenniter concepta, non debeat poni extra Sacerdotalis officii functionem: tamen antonomasticè hic intelligimus illam Christi Mediatoris pro nobis intercessionem, qua ut fungi posset in Cœlum ascendit, implens typum illum veteris illius Sacerdotalis functionis, qua fungebatur summus Pontifex, semel quotannis ingrediens in Sanctum Sanctorum, in die expiationis solenni. *Hebr.* IX. 7. 24.

III. Asserendum nobis in præsens, hanc Intercessionem Christi Mediatoris esse Opus θεανθρωπικὸν seu θεανδρικόν: adeoque, quod præstare non queat ψιλὸς ἄνθρωπος merus homo, quantumvis exaltatus & glorificatus: ac consequenter, ex ipsa intercessione Sacerdotis N. T. pro Ecclesia, in cœlis, solidè demonstrari veram ipsius æternam Deitatem; non minus, quam ex Immolatione sui ipsius in terris.

IV. Supponimus autem initio; quamvis nulla fiat in cœlis, cum clamore valido & lacrymis, deprecatio, & supplicatio, talis qualis facta est à Christo in diebus carnis *Hebr.* V. 7. tamen non peragi illam etiamnum, sine humanæ Christi commiserationis visceribus, quæ ab intercessione Christi abesse non patitur asseveratio illa Apostoli; *Unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis Pontifex, in iis quæ apud Deum agenda forent, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit quum tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere.* *Hebr.* II. 17. 18. Cui gemina sunt illa; *Non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absque peccato.* *Hebr.* IV. 15.

V. Ex illis ergo humanæ συμπαθείας seu commiserationis visceribus, verè etiam Patrem ut Deum suum pro nobis orat Mediator Dei & Hominum Homo Jesus Christus, qui hoc spectavit, dicens; *Ascendo ad Deum meum & Deum vestrum.* *Joh.* XX. 17. Et huic fini ut Homo post resurrectionem ex mortuis *semper vivens* creditur, *ut interpellet pro iis qui per ipsum accedunt ad Deum.* *Hebr.* VII. 25.

VI. Enimvero si homo tantum esset in Cœlos exaltatus, neque habitaret in Templo carnis ipsius plenitudo Deitatis corporaliter, h. e. vere & solide, per unionem hypostaticam, (secundum quam Deitatem ipse ubique est in Cœlo & in Terra, omnibus ipsum invocantibus præsens) frustra omnino esset sollicitare humanæ commiserationis viscera, & intercessionem atque interpellationem flagitare, ab absente absentes.

VII. Hoc fundamento merito & idololatrica & ridicula ab Orthodoxis censetur Sanctorum, in cœlo à nobis absentium, invocatio Papistica, qua illis occinunt in litaniis suis illud, *Ora pro nobis.*

VIII. Uni vero Mediatori Dei & Hominum Homini Jesu Christo illud acclamare fas est: hanc ob causam, quod, per Omnipræsentem Omniscientiam Deitatis suæ, (quamvis secundum carnem à nobis absens, Officio Sacerdotali non jam in terra sed in cœlis fungatur, *si enim in terris nunc esset, ne Sacerdos quidem esset* *Hebr.* VIII. 4.) ubivis locorum invocantes audit: ut non sit opus humanæ ipsius commiserationis viscera ad orandum

orandum & interpellandum pro nobis cieri alio foris indicio aut intimatione.

IX. Hæc ergo est Fides orthodoxa; quod Sacerdos N. T. Christus, in seipso, eadem Deitatis suæ efficacia, qua se invocantes audit, ciet quoque ad orandum pro nobis humanam naturam suam, ut ad exauditionem efficaciam quidem præstet una Patris Filii & Spiritus S. voluntas divina, ut causa prima & principalis: tamen cooperetur in Persona Christi ad modum causæ & προηγουμένης & procatarcticæ, per repræsentationem juris quæsiti, & per Orationem ac interpellationem apud Patrem pro nobis, Filii voluntas humana, quæ dici potest satiari precum nostrarum à Deo exauditione.

X. Hac Fide loquutus est B. Martyr *Cyprianus*, *Oratione quam die Passionis suæ dixit. Te deprecor Filium Dei vivi... Ego in tuo nomine peto, ut tu à patre petas, & detur mihi... Quoniam tu es potens assertor & advocatus precum & petitionum nostrarum animarum. Die ac nocte interpelles pro peccatis meis: orationem meam perferas ad Patrem tuum. Operum Cypriani Edit. Erasmi* MDXX. *pag.* 513.

XI. Neque metuendum est, ut *non* sit *legitima*, *vel inductiva in hæresin vel Arianam vel Nestorianam*, si exemplo *B. Cypriani* fiat *Invocatio illa, qua rogatur Christus ut ipse pro nobis apud Patrem intercedat, & sua intercessione gratiam aut bona quælibet nobis impetret.* Modo *impetratio* hic non accipiatur stricta illa significatione, qua impetrationem Gratiæ, contra *Socinum*, vindicamus Immolationi, qua se ipsum Christus in mortem obtulit; sed pro impetratæ gratiæ repræsentatione viva, apud Deum Patrem, ut illam nobis à Patre per Spiritum Filius actu conferat, ut Sacerdos magnus nobis è cœlesti Sactuario benedicens ex officio.

XII. Metuendum magis à Stancarismo, seu *Stancari* fermento, si illa Christi Invocatione abstineatur, postquam hoc monuit *Melanchthon* Anno MDLVI. *Consil. & Resp. pag.* 242. *partis* II. *De Quæstione, An Filius Dei Dominus noster Iesus Christus etiam invocandus sit tanquam Mediator. Cum sophistæ quidam*, inquit, *contendunt, Christum nunc post passionem non invocandum esse ut Mediatorem seu intercessorem, sed tantum ut Deum datorem bonorum, & nolint dici, Fili Dei, Domine Iesu Christe, intercede pro me apud æternum Patrem, necesse est explicari quid in hac controversia judicandum sit.*

XIII. Determinatione hac se explicat *Melanchthon*; *Verum est, Filium Dei utroque modo invocandum esse, & ut Deum datorem bonorum cum Patre, & Spiritu S. & ut Intercessorem. Cum sit compellatio ad Deum, semper mens discernat invocationem Christianam ab Ethnica: & hunc verum Deum alloquatur, qui se patefecit misso Filio & Spiritu S. & cum Filio & Spiritu S. omnia condidit. Deinde simul cogitet mens, exaudiri nostros gemitus propter Mediatorem, & hunc Filium intueamur ut fratrem, & Summum Sacerdotem, assumpta humana natura.*

XIV. Ne quid hic videamur asserere invitâ ἀκριβείᾳ & ἀκριβολογίᾳ, adhibebimus ab ipsis qui secus paulo hic sentiunt adhibitas distinctiones (haustas ex *Celebriorum Distinctionum Philosophicarum Synopsi*, auctore Hend. Ludovico

dovico Castaneo.) Distinguitur ergo (secundum veteres, quos movendos non censemus, terminos) in Objecto Adorationis, de quo agimus, *Ratio formalis Quæ seu Quidditativa Objecti, ut res est*, eaque in Christo adorando unica est, nempe Persona Divina Filii Dei: deinde *Ratio formalis Quâ, super quam*, quæ hic in prima & immediata demonstratione quare Adorandus sit ille Filius Dei, est Forma Dei in qua Patri æqualis est. Et de utraque hac Ratione formali, unanimis inter Orthodoxos consensus est.

XV. Quo consensu salvo, nullus est verus status controversiæ, de qua non inter Orthodoxos conveniat, quam de tertia *Ratione formali objecti Adorationis ut Objectum est*, quæ dicitur *Sub quâ*: quæ non est Reduplicativa cum re quatenus res est, sed tantum in certa disciplina determinat τὸ γνωστὸν quod ibi cognoscitur. Atque hic discriminat Christum, quatenus in Religione Christiana est Objectum Adorationis, ex Fide Salvifica salutis per ipsum consummatæ, à Christo, quatenus etiam extra Theologiam Christianam cognoscibilis & Adorabilis est creaturæ humanæ & Angelicæ, ut Dei Filius & Deus verus.

XVI. Qui nuper has dixit *Indisciplinatas Distinctiones*, jure merito à nobis audiet, videri aut ignorare, aut contentionis studio non attendere, qua ratione formali constent limites Disciplinarum trium Physicæ, Mathematicæ, & Metaphysicæ, quæ considerant idem Corpus naturale, alia tantum atque alia ratione formali sub quâ.

XVII. In præsens ergo asserendum omnino censemus (quandoquidem sub ipsa Intercessione Christi pro nobis ad precum nostrarum exauditionem, subest in Persona Christi divina energia, ciens, ut jam dictum, viscera humanæ misericordiæ, ad functionem Officii Sacerdotalis θεανδρικὴν) sub illa ratione formali, qua ab illo ut Mediatore intercessionem flagitamus, pie omnino ex Fide Salvifica Adorari & Invocari, non Hominem in abstracto, seu humanam creaturam Personali unione assumptam, sed Deum in carne manifestatum, atque etiamnum, Sacerdotio fungentem pro nobis, in cœlesti sanctuario.

XVIII. Accedit in eadem Sacerdotii functione, demonstratio Deitatis, (sub illa ratione formali Adorabilis & Adorandæ) à benedictione θεανδρικῇ: qua nobis benedicit Christus, ut Verus summus Sacerdos, non sola benedictionis adprecatione humana; (qua sola benedicere potuere olim Sacerdotes populo Dei, ut ministri apud Deum: neque ultra benedixit Abrahamo ipse Melchisedek) sed auctoritate etiam divina, hauriendam præbens ex plenitudine sua benedictionem omnem, & Gratiam pro Gratia, *Joh.* 1. 16.

XIX. Quæ Sacerdotalis θεανδρικὴ Benedictio, qua in ipso benedicimur omnes, ab ipso ut minime ψιλῷ ἀνθρώπῳ, seu non mero homine, repræsentatur, per allegoriam Corporis Physici applicatam ad Ecclesiam & Christum ut Corpus unum mysticum: quando statuitur Ecclesia adolescere seu incrementum capere vitæ spiritualis in Christo, qui Caput est, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes

suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura unicujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius extructionem per charitatem. *Eph.* IV. 15. 16.

XX. Non potest illâ Corporis Physici allegoria Christus dici Ecclesiæ caput, nisi sub illa ratione formali, qua ad θεανθρωπικὴν functionem Officii Sacerdotalis, ex quo nobis benediceret efficaciter, carnem nostram assumpsit, ut Ecclesia diceretur esse ex carne ejus & ex ossibus ejus, & ex sanguine uno. *Eph.* V. 29. 30. *cum Hebr.* II. II.

XXI. Quamvis ergo, propter Unitatem essentiæ in Trinitate, fit ἀδιαίρετος Adoratio & invocatio Patris Filii & Spiritus S. juxta illud, *qui vidit me vidit Patrem. Joh.* XIV. 9. Ea tamen Fide salvifica, qua διακριτικῶς Christo adhæremus (ut membra corporis Physici adhærent capiti suo) & haurimus ex illo spiritum vivificantem, quidni διακριτικῶς illum adoremus & invocemus? & adoratione testemur ipsum, ut Filium Patri æqualem, esse domui suæ præfectum Pontificem magnum. *Hebr.* III. 6. *cum Hebr.* IV. 14. 15. 16.

XXII. Atque hanc διακριτικὴν Adorationem & Invocationem Filii, ad obtinendam ab ipso benedictionem, ex Sacerdotali quo fungitur officio, censemus imperatam loco posteriori jam indicato: *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei, teneamus hanc professionem: non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum Gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad oportunum auxilium.* Ad Jesum, Filium Dei, Pontificem sedentem in throno Gratiæ, accedere cum fiducia ad inveniendam Gratiam, quid quæso est, quam Filium Dei Adorare, ex Fide salvifica Sacerdotii ipsius quo apud Patrem fungitur?

XXIII. Contra *Stancari* ergo errorem, haustum ex *Magistro Sententiarum*, quem sequitur *Bellarminus*, nos ex illa ab Apostolo imperata Christi Adoratione & Invocatione (sub illo formali, qua Pontifex seu Sacerdos magnus est, à quo ex Fide & cum Fiducia benedictionem exspectamus) concludimus, non esse Mediatorem Christum secundum naturam humanam tantum: nec Intercedere pro nobis apud Patrem in cœlis, ac Sacerdotio fungi, tantum actione aut precatione aliqua humana. Sed necessario credendum Mediatorem secundum illam quoque naturam, per quam solam Adorabilis est & Adorandus, divinam nempe; & Intercessionem quoque ipsam pro nobis, & cum illa connexam Benedictionem Sacerdotalem, quam flagitamus ipsum invocantes, esse opus θεανθρωπικόν.

XXIV. Inanis enim esset, & idololatrica invocatio Jesu Filii Dei, sub illo Formali quâ Sacerdos, à quo benedictionem ex officio flagitemus & exspectemus, si non subesset sub indigitamento Sacerdotis magni, axioma Magni Dei & Servatoris, qui solus Adorandus & invocandus est, ut solus ille, à quo, ut majore omnibus, ad omnes manare potest solida benedictio. Quod typice tantum dignatione divina, & quatenus Dei verbum

bum per ipsos factum est, ipsis adprecantibus, spectat ad Sacerdotes quantumvis maximos *Hebr.* VII. 7. juxta illud Apostoli; *Porro sine ulla controversia id quod minus est, ab eo quod majus est benedicitur.*

XXV. Ex qua asseveratione Apostoli sic argumentamur: si typice Abrahamo major fuit Melchisedek, quia ad illius ut Sacerdotis adprecationem Deus benedixit Abrahamo habenti Promissiones, verè & solide major est, omnibus benedictis Patris sui, Sacerdos ille magnus Jesus Filius Dei, in quo illis benedixit Pater omni benedictione spirituali in Coelis, & per quem universim omnes mittet in possessionem regni cœlestis. *Eph.* I. 3. *cum Matth.* XXV. 34. Ista autem supra omnes eminentia non habet subjectum δεκτικὸν, extra Personam divinam Filii Dei hæredis omnium *Hebr.* I. 2. Qui solus illam Gratiam nobis potuit facere, ut, *quum dives esset, propter nos pauper fieret, ut nos illius paupertate ditesceremus* 2 *Cor.* VIII. 9. & ut pro nobis factus exsecratio, in forma servi assumpta factus sub Lege, in se, Benedictionem nobis quæsitam, nobis largiretur, ut Fidei nostræ ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς, dux princeps & consummator. *Hebr.* XII. 2. *cum Gal.* IV. 4. 5. *&* III. 13. 14.

CAPUT PRIMUM.

DE

Prædestinatione Iesu Christi.

Quod ad eam præstantiam Jesu Christi attinet, quam habuit antequam ex Virgine Maria nasceretur, (a) *ea iterum duplici ratione considerari potest. Nam præstantia ejus, quam & ante & post conditum mundum habuit, fit mentio in sacris literis. Præstantia Jesu Christi, quam ante conditum mundum habuit, ea est, quòd ab ipso Deo fuit prædestinatus, ut ait D. Petrus.* (b) *Ea autem prædestinatio ita se habet.* (c) *Constituerat Deus, qui hominem creaturus erat, & ex materia mortua, terrâ nimirum, vivum eum & rationalem producturus, eidem ita etiam prospicere, ut suo tempore ex hac temporali vita, ad aliam æternam scilicet & immortalem commigrandi, viam & aditum cognitum haberet. Promiserat enim Deus vitam æternam ante tempora secularia; & data nobis fuit gratia ante tempora secularia, ut ait Apostolus.* (d) *Ad hoc igitur tam divinum opus elegit Deus Jesum Christum Dominum nostrum. Hunc ante constitutionem mundi ita dilexit, ut eum & neminem alium, voluerit esse tantæ rei & præconem & perfectorem. Per hunc & neminem alium, constituit omnes eos servare, quicunque ejus dictis audientes futuri essent. Huic & nemini alii tantam etiam in hunc finem gloriam tunc destinavit, quantam nunc eum habere omnes gaudemus, & gloriamur.* (e) *Quanta verò hinc Jesu Christi præ-* *stantia*

a Divisio prioris partis specialis. *b* 1 Petr. I. 20. *c* Ad quid Christus prædestinatus à Deo fuerit. *d* Tit. I. 2. 2 Tim. I. 9. Joh. XVII 24. *e* Joh. XVII. 5.

stantia appareat, ex eo videre est, (f) quòd non nisi singularissima, & divinissima, Deus à tàm multis retrò seculis certò constituere soleat. Certè enim, si singula, vel minutissima Deus ante omnia secula, vel ante conditum (g) mundum certò constituisset & destinasset, non posset D. Petrus, ex eo, quòd Christus ante constitutionem mundi prædestinatus fuit, tantoperè eum commendare, ut facit. Ex eo enim, quod omnibus rebus competit, nulla singularis commendatio ad quenquam redire potest.

(h) *Hic si fortasse quis objiciat; Quam tu nobis præstantiam Christi in eo ostendis, quod omnibus etiam aliis fidelibus commune cum Christo est: si quidem illi etiam electi sunt ante constitutionem mundi, & gratia illis data est ante tempora secularia.* (i) *Huic respondemus. I. Primùm, gloriam, quæ Christo destinata fuit ante constitutionem mundi, tantum differre ab ea, quæ aliis fidelibus destinata est, ut ea pro singulari, & ferè alia haberi possit. Christus enim ad id destinatus fuit, ut esset primus hæres Dei, rex absolutus, & Servator perfectissimus omnium fidelium: Fideles autem omnes à Christo omnia exspectant, & longo pòst tempore tandem, ab eodem Rege, & Servatore suo, ad æternam quidem illam beatitatem producentur, quam nunc Christus habet: sed in ea tamen semper primus erit & præcipuus Jesus Christus. Qua de re infrà plura nobis dicenda erunt. II. Deinde modus destinationis, qui Domino Jesu Christo competit, tantum differt à modo, quo fideles destinati sunt, ut jure ille præ hoc aliquid singulare censeri debeat. Nam Jesus Christus Dominus noster ita ad hanc suam gloriam destinatus fuit, ut nullo modo ea privari potuerit, sed necessariò eam consequi debuerit: At omnes fideles ita sunt destinati ad gloriam divinam, ut ea privari possint; & non nisi [illegible]ingenter eam consecuturi sint, si scilicet fideles sint & maneant, quod totum [illegible] postquam eis Evangelium annunciatur, penes illos est. Sed & de hoc plura i[illegible] III. Denique, etiamsi vel simili, vel etiam pari modo fideles destinati essent ad suam beatitatem, qua Christus: nihil tamen per id Christi gloriæ & præstantiæ decederet. Christus enim & ejus fideles, pro uno habendi sunt; & ex eo, quod populo illius contingere debet, cogitandum nobis est, quantus ille sit, cujus is est populus. Atque ita demonstrata brevissimè, Christi, quam ante conditum mundum habuit, præstantia, pergamus ad ostendendum eam, quam post mundum conditum habuit.*

f Prædestinatio rerum est singularium. *g* pag. 3. *h* Objectio. *i* Eph. 1.4. 2 Tim. 1. 9. Responsio ad eam triplex.

ELENCHUS CAP. I. DISP. V.

INitium facit *Smalcius* hoc Capite primo à Prædestinatione Jesu Christi, qua scilicet definiat *Præstantiam Jesu Christi quam ante conditum mundum habuit.* De Prædestinatione Jesu Christi Thesis ista quidem est extra controversiam; esse Jesum Christum Prædestinatum ante mundum conditum; ex loco Petri qui à *Smalcio* productus est. 1 *Petr.* 1.20.

II. At non venit in mentem Apostolo Petro, ut (citra veram æternam Deitatem & Divinitatem, quæ mundo condito præexstitit in Deo prædestinante) Christo Prædestinato nihil ante mundum conditum tribueret, quam

quam Præstantiam illam Thesi ista expressam, quæ sita sit in Deo, Christum (demum in plenitudine temporis exstiturum) Prædestinante ad gloriam eminentem, supra homines alios.

III. Censemus autem ipsa terminorum explicatione jugulari Definitionem *Smalcianam* Præstantiæ Christi ante mundum conditum. Esto enim ex *Smalcii* sententia Christus Divus ex homine factus in tempore, secundum Prædestinationem factam ante mundum conditum, eo ipso nulla est, neque esse potuit, ante tempus illa Prædestinatione præfinitum, Christi non existentis, Præstantia, quam dici queat habuisse ante mundum conditum, sed tantum Prædestinatio divina, de Præstantia quam habiturus esset in fine sæculorum.

IV. Contra veritatem autem hic luctatur *Smalcius*, non unâ falsâ hypothesi. Prima est, circa illud Problema, ad quid Christus fuerit Prædestinatus à Deo: quod ipse sic determinat. *Ea autem*, inquit, *Prædestinatio ita se habet; Constituerat Deus, qui hominem creaturus erat, & ex materiâ, terra nimirum, vivum eum & rationalem producturus, eidem ita etiam prospicere, ut suo tempore ex hac temporali vita, ad aliam, æternam scilicet, commigrandi viam & aditum cognitum haberet. Promiserat enim Deus vitam æternam, ante tempora sæcularia, & data nobis fuit gratia ante tempora sæcularia, ut ait Apostolus. Ad hoc igitur tam divinum opus elegit Deus Jesum Christum Dominum nostrum. Hunc ante constitutionem mundi ita dilexit, ut eum & neminem alium voluerit esse tantæ rei & præconem & perfectorem. Per hunc & neminem alium constituit omnes servare, quicunque ejus dictis audientes futuri essent. Huic & nemini alii, tantam etiam in hunc finem gloriam tunc destinavit, quantam eum habere omnes gaudemus & gloriamur.*

V. Falsa hic latens hypothesis ista est, quam alibi habemus ab ipso *Smalcio* explicatam, in *Refutatione Thesium Franzii pag.* 124. *Etiamsi nemo hominum unquam peccasset, tamen mittendum fuisse Christum, non ut damnum aliquod illatum sarciret, sed ut hominem quem Deus è terra mortalem creare constituerat, ad perfectionem ad quam Deus in consilio suo tendebat, h. e. ad immortalitatem, perduceret.* Eadem est *Socini* assertio in *Prælectionibus*, à Smalcio editis MDCIX. *Cap.* x. §. 8. Quam Smalcii hypothesin, quod miramur, concedit veram esse *Franzius in Vindiciis suis. fol. P. p.* 3.

VI. Nos secundum scripturarum analogiam credimus, non fuisse nasciturum ex Virgine hominem Jesum Christum, nisi Mediatorem Dei & hominum flagitasset nostri Redemptio à peccato & miseria per peccatum accersitâ; vide *Matth.* IX. 12. *Gal.* IV. 4. 5. & 1 *Tim.* I. 15.

VII. Certe ex scopo Petri, in loco indicato, minime est ut per Prædestinationem Jesu Christi intelligatur singularis aliqua dignatio, qua Deus Christum dignatus sit singulari honore & gloria, eumque & neminem ita dilexerit. Etenim fuit jam *versu* 19. sententia inchoata de sanguine & mactatione Christi quasi agni immaculati & incontaminati: illam sententiam, servato eodem regimine genitivi, persequitur Petrus de Prædestinatione Christi loquens *versu* 20.

VIII. Non potuit ergo Petrus intellexisse Prædestinationem Christi talem, qua ex singulari Dei dilectione aliquod lucrum Christo accederet: sed illam intellexit, qua destinatus fuit Christus ut Agnus ad mactationem & occisionem, ut suam erga nos dilectionem commendaret Deus, posthabita ad tempus dilectione, qua Christum ut Filium diligebat, utque nobis parceret, non parcendo ipsi. *Rom.* VIII. 32.

IX. Ut hoc exprimeret Petrus, adjecit in fine versus illud, δι᾽ ὑμᾶς, *propter vos*: quod flagitat illam verborum Petri explanationem, q. d. ut vos dignaretur Deus vita æterna vestri misertus, sine justitiæ suæ læsione aut detrimento, prædestinavit Filium suum piacularem victimam, ut ille, propter vos, ex ira & indignatione Dei, tanquam Agnus subiret mactationem. Sic quidem Prædestinationem Christi etiam Paulus explicat, per πρόθεσιν Propositum, quo Deus ipsum προέθετο *proposuit placamentum, per fidem in sanguine ipsius, ad declarandum justitiam suam. Rom.* III. 25.

X. Temeraria ergo est *Smalcii* determinatio, qua non ad mactationem & sanguinis effusionem censet Christum Prædestinatum dici à Petro: quod apertius contendit etiam *Socinus in Prælectionibus Cap.* XII §. 8. locum ipsum illum 1 *Petr.* I. 20. de Christi Prædestinatione seu προγνώσει ita torquens, ut neget, *a Petro affirmari ante mundum conditum, aut decretum fuisse ut Christus mactaretur, aut Christum à Deo præcognitum ut mactandum.*

XI. Inficiatio ista apud *Socinum* nititur alia falsa hypothesi, quam hic suæ affirmationi, de Christi ad Præstantiam & Divinitatem Prædestinatione, substernit *Smalcius*, ut hanc scilicet Præstantiam exaggeret. *Quanta verò hinc Jesu Christi*, inquit, *Præstantia appareat, ex eo videre est, quod non nisi singularissima & divinissima Deus à tam multis retro sæculis certò constituere soleat.* Hanc hypothesin dictavit *Socinus in Prælectionibus*: ad quam refellendam sufficiet in præsens indicasse illam erroris efficaciam, quod inficiatur *Socinus Cap.* VIII. *Quidquid fit id futurum esse antequam fiat*: asseratque *Futura (quæ vocamus) Contingentia antequam fiant, nec futura esse, nec esse non futura: adeoque fallere Regulam illam, de qualibet re est affirmare vel negare: neque esse apud Deum de illis determinatam veritatem aut Præscientiam.*

XII. Per istam hypothesin, si procedit *Socini* inficiatio, juxta *Smalcii* affirmationem, ut non ad mactationem & sanguinis effusionem Prædestinatus dicatur Christus, sed ad magnam Præstantiam & Divinitatem, quia non nisi singularissima & divinissima Deus prædestinat ab æterno: non citra impietatem censetur Christi mactatio & sanguinis effusio, non inter singularissima, sed inter minutissima illa, de quibus, si *Socinum & Smalcium* audimus, antequam accidunt, apud Deum non est determinata veritas. Et consequenter nullæ olim exstiterint de Christo mactando Prædictiones Propheticæ infallibiles: de quibus dicendum erit ad *Caput* II.

XIII. Insinuat Smalcius locis ad marginem adnotatis *Tit.* I. 2. & 2 *Tim.* I. 9. & *Joh.* XVII. 5. & 24. aliam similiter falsam hypothesin, eamque latenter præstruit objectioni, quam mox frustra conabitur solvere: scilicet, esse istas phrases parallelas; *Habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus*

mundus existeret, quod de se Christus affirmat, apud Johannem, & *Vitam æternam nobis promissam esse à Deo*, *ac gratiam datam*, *ante tempora sæcularia*, quod de Electis Paulus, locis indicatis.

XIV. Eundem parallelismum pluribus conatur persuadere *Socinus*, *in libello contra Erasmum Johannis*, *refutatione Argumenti VI.* Sed frustra est uterque, donec doceat *Socinus*, quod temere dictat: *Non minus requiritur ut is jam sit cui aliquid detur*, *quam is qui aliquid habeat*. Vide *Edit. primæ pag.* 84.

XV. Neque quid sibi probandum sit satis illic meminit *Socinus*: hoc tantum contendens pro conclusione (ex locis quæ producit 2 *Cor.* v. 2. *Heb.* x. 34. *Joh.* x. 16. *&c.*) *Scriptum inveniri nos id habere*, *quod nondum re ipsa habemus*, *sed nobis tantum decretum est*. Probandum erat, scriptum inveniri, nos, id quod nobis tantum decretum erat, habuisse antequam ipsi extitimus.

XVI. Enimvero, neque illa quæ *Socinus* adducit loca, id tantum loquuntur quod ipse dictat, *Rem ipsam decretam esse*, videlicet potiorem & permanentem substantiam in cœlis, Ædificium ex Deo, Domicilium non manufactum in cœlis. Hoc quidem fieri potuit, & omnino factum est, nobis etiam non existentibus. Aliud loquuntur loca illa, *habere Rem decretam*, *nos qui jam sumus & existimus*; hoc est Donationem secundum æternum Dei decretum nobis factam in tempore, nos per Spiritum Fidei cognoscere & ratam habere, & sperare atque exspectare. Quare manet ingens inter phrases illas dissimilitudo & evincitur ἀναντιῤῥήτως Christi ante mundum conditum existentia divina, ex illa Christi affirmatione: *Joh.* XVII. 5. *Habuisse se gloriam apud Patrem*, *antequam hic mundus existeret*.

XVII. *Versus* ergo 24. ejusdem *Capitis* XVII. *Johannis*, in quo Smalcius *Dationem gloriæ*, *& Dilectionem Patris*, *qua ipsum dilexit*, *Pater ante jacta mundi fundamenta*, accipit pro decreto Prædestinationis divinæ, explicandus est, de ipsa gloriæ societate æterna, & mutua amoris reciprocatione inde ab æterno. Hinc enim, quæ Pater dedit Filio, dicitur, cum emphasi, *dedisse in manum Filii. Joh.* III. 35 Quæ phrasis exprimit dationem aliam, quam quæ fit in manu & consilio dantis, sola destinatione, aut etiam promissione. Similiter non tantum Pater Filium dilexit ante mundum conditum, sed ipse Patri adfuit, ipsique in deliciis fuit cum jacerentur mundi fundamenta. *Prov.* VIII. 30. Hoc notat ineffabilem ab æterno amoris reciprocationem.

XVIII. De cætero nimis dilutum est illud *Smalcii*, quod nectit argumentum: *Si singula*, inquit, *vel minutissima*, *Deus ante omnia sæcula*, *vel ante conditum mundum certo constituisset & destinasset*, *non posset D. Petrus ex eo*, *quod Christus ante constitutionem mundi Prædestinatus fuit*, *tantopere eum commendare ut facit. Ex eo enim*, inquit, *quod omnibus rebus competit*, *nulla singularis commendatio ad quemquam redire potest*. Neque inanis est hic Orthodoxorum exceptio, quam sic ipse format, ac sibi objicit; *Quam tu nobis præstantiam Christi in eo ostendis? quod omnibus etiam aliis fidelibus commune cum Christo est? siquidem illi etiam electi sunt ante constitutionem mundi*, *& gratia illis data ante tempora sæcularia Eph.* I. 4. 2 *Tim.* I. 9.

XIX. Tri-

XIX. Triplicem dat responsionem *Smalcius*, sed pariter inanem. Respondet I. *Gloriam quæ Christo destinata fuit ante constitutionem mundi, tantum differre ab ea, quæ aliis fidelibus destinata est, ut ea pro singulari & fere alia haberi possit. Christus enim*, inquit, *ad id destinatus fuit ut esset primus hæres Dei, rex absolutus, & Servator perfectissimus omnium fidelium. Fideles autem omnes à Christo omnia exspectant, & longo post tempore tandem ab eodem Rege & Servatore suo ad æternam quidem illam beatitudinem perducentur, quam nunc Christus habet; sed in ea tamen semper primus erit & præcipuus Jesus Christus. Qua de re*, inquit, *infra plura nobis dicenda erunt.*

XX. Non anticipabimus itaque quæ infra dicenda erunt. Notabimus tantum, non videri sibi satisfacere *Smalcium*: qui dum evasionem quærit in *Gloria vere alia*, citra æternam Christi existentiam divinam, tantum fingit *Gloriam fere aliam*, qua nos Christus habiturus est, ex hypothesi, suæ divinitatis consortes, similiter Divos, ex hominibus factos, sed serius & gradu interiori.

XXI. Notamus porro obiter illud à *Smalcio* ἐμφατικῶς insertum, *longo post tempore tandem:* habet hoc mysterium, de nulla ante diem novissimum & resurrectionem mortuorum, glorificatione animarum in cœlis, sed una interim prolixa nocte dormienda.

XXII. Denique verba dat *Smalcius de Christo Servatore perfectissimo omnium fidelium*: quia hoc indigitamentum non meretur hypothesis Sociniana explicata, *Cur & qua ratione Jesus Christus noster Servator sit*. Et præscriptum est hic contra Servatorem ψιλὸν ἄνθρωπον, qui merus homo sit, contestatione Jehovæ veri Dei Israëlis, præter ipsum Jehovam neminem esse Servatorem nostrum. *Esai*. XLIV. I. XLV. 17. 21. *Hos*. XIII. 4. *&c.*

XXIII. Altera *Smalcii* responsio est ista. *Modus*, inquit, *destinationis, qui Domino Jesu Christo competit, tantum differt à modo quo fideles destinati sunt, ut jure ille præ hoc aliquid singulari censeri debeat.* Nam, inquit, *Jesus Christus Dominus noster ita ad hanc suam gloriam destinatus fuit, ut nullo modo eo privari potuerit, sed necessario eam consequi debuerit. At omnes fideles ita sunt destinati ad gloriam divinam, ut ea privari possint, & non nisi contingenter eam consequuturi sint, si scilicet fideles sint & maneant: quod totum rursus penes illos est.* Sed, inquit, *& de hoc plura infra.*

XXIV. Neque hic ergo nos anticipabimus, quæ infra dicenda, de fidelium destinatione ad gloriam. Notabimus tantum, in Prædestinatione tali Jesu Christi Domini nostri, qua nullo modo privari potuerit, gloria sibi destinata, sed necessariò eam consequi debuerit, destrui à *Smalcio* argumentm illud, quod ut palmarium urgetur à *Socino in Prælectionibus Cap.*6. contra *divinam nostri Prædestinationem, qua de singulis hominibus Deus nominatim decreverit, quis omnino servandus, quisve damnandus sit.* Quod, scilicet, *si illa Prædestinatio vera esset, tolleretur omnino Religio universa, quia manifeste ex ea consequitur, quæcunque ad pietatem pertinent omnia ex necessitate fieri.*

XXV. Quid enim quæso vel cogitatione fingi potest, quare, magis cum Chisti hominis libera obedientia conciliabilis sit necessitas, ex hypothesi

thesi infallibilis Prædestinationis divinæ, quam eadem conciliabilis est cum religione & pietate nostra?

XXVI. Mirari ergo licet, quomodo aut non descendat *Smalcius* in illam, quam *Remonstrantes* laudant, aliquorum Scholasticorum sententiam, *potuisse Christum & peccare & damnari*, aut saltem *potuisse provinciam semel susceptam deserere, & præmio promisso excidere, non implendo obedientiam.* Aut quomodo Christum queat statuere Servatorem nostrum exemplo suæ obedientiæ, si illa necessaria fuit propter divinam Christi Prædestinationem, nostra autem cum tali necessitate non sit conciliabilis, adeoque posita illa debeat censeri minime pia esse.

XXVII. Quam vero illud absurdum, quod totum illud, ut perseverantes salutem consequamur, *Smalcius* affirmat magis penes nos esse, quam id ipsum fuerit penes Christum? Nam hoc pacto adscribitur nobis, si non plus virium, saltem magis gloriosus acquisitionis modus, quam ipsi Christo. Plus enim gloriari potest contra judicium, & merces illi magis imputatur ex debito, qui salutem assequitur contingenter, per id quod totum penes ipsum est, quam qui ob divinam Prædestinationem necessariò eam consequi debet, ita ut nullo modo ea privari possit.

XXVIII. Enimvero dicemus breviter, etiam falsum esse quod hic à *Smalcio* asseritur, quia Scriptura negat, *esse volentis & currentis sed miserentis Dei*, quod gloriam & salutem sibi destinatam fideles assequuntur. *Rom.* IX. 16. ἡ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, *electio* h. e. electi, *assequuti sunt Rom.* XI. 7. illud quod Israël quæsivit & assequi non potuit. Unde ad consolationem fidelium docetur & urgetur tam excellens destinationis modus, ut tam infallibiliter dicantur consequuturi salutem promissam, quam Deus qui promisit ante tempora sæcularia, & prædestinavit, fallere & mentiri nescit. *Tit.* I. 2. *Hebr.* VI. 17. 18.

XXIX. Tertia *Smalcii* responsio est. *Etiamsi vel simili vel etiam pari modo fideles destinati essent ad suam beatitatem, nihil tamen*, inquit, *per id Christi gloriæ & præstantiæ decederet: Christus enim & ejus fideles pro uno habendi sunt, & ex eo quòd populo illius contingere debet, cogitandum nobis est, quantus ille sit cujus is est populus.* Verum gratis hæc à *Smalcio* dicuntur: quia non possunt fideles esse Populus Christi, si ille non habendus est ipsis pro Æterno Dei Filio, qui suo singulari jure unicus hæres est omnium, ut ipsi, per & propter illum, accipiant adoptionem, & censeantur ipsius gratia filii & hæredes, tanquam semen & filii ipsius. Quo pacto non possunt esse pari modo, ut Christus, ad suam beatitatem destinati.

CAPUT SECUNDUM,
DE
Promissione de Iesu Christo facta.

EA autem præstantia tota in eo consistit, quòd is, qui ab ipso Deo ad tantum opus destinatus antea erat, (a) tot modis designatus, & delineatus per tot secula fuit, & à tot retrò seculis promissus. (b) Plus verò quàm singularem ejus rei dignitatem & præstantiam esse oportet, quâ omnia à mundi conditione secula suo modo occupata fuerunt, & cujus aliqua saltem spe tot homines antiquitus fultos esse Deus voluit, & quam omnes ferè singulares & divinæ actiones, quæ ab initio mundi extiterunt, quodammodo figurarunt. (c) Quod ad illa secula, quæ promulgationem Legis antecesserunt, attinet, haberi quidem potest pro aliqua ejus rei denunciatione id, quod Gen. III. legitur: Semen mulieris conteret caput serpentis. Quatenus nimirum per Iesum Christum astutia & potentia Sathanæ contrita, & conculcata est. Sed quia nullus virorum sanctorum novi fœderis, qui promissionum divinarum antiquitus factarum mentionem faciunt, horum verborum meminit, & non nisi ab Abrahamo illas ordiuntur, pro promissione ea verba haberi vix possunt, nisi fortassis mystico sensu, qui nunc quidem nobis patet, posteaquam Deus nobis Iesum Christum exhibuit: primis verò parentibus tunc temporis vix ac ne vix quidem patere potuit, nec porrò, ut pateret, necesse ullo modo erat In qua re tanto minus laborandum nobis est, quòd multi præstantissimi Theologi tam vetustiores, quàm recentiores, idem planè de loco illo sentiant.

(d) Promissus igitur fuit Messias primum omnium Abrahamo Patriarchæ, cujus in Deum fiducia tanta fuit, ut ab eo omnes, quicunque post illum in Deum crediderunt, ortum suum trahant, & semen ejus (e) appellentur. Huic autem promissio facta est venturi Messiæ, in illis verbis, cum Deus ei dixit: In semine tuo benedicentur omnes gentes. (f) Quæ promissio luculenta quidem est, si tempora novi fœderis, quibus ista promissio illustrata est, spectes: at si eam per se consideres, satis obscura. Possunt enim ista verba intelligi de posteritate carnali Abrahami, quòd scilicet omnibus nationibus benè futurum sit per eam. Et hoc eam modo credibile est generatim intellexisse, si non ipsum Abrahamum, & alios ei similes viros sanctos, (hi enim vel prophetæ, vel prophetarum instar erant) saltem omnes alios ejus posteros. Nos verò, in illis verbis promissionem venturi Messiæ contineri, libenter agnoscimus, adducti inter alia plurima, his sacrarum literarum testimoniis: Suscepit (ait Diva mater Iesu Christi) Israëlem servum suum, recordatus misericordiæ, sicut locutus est ad Patres nostros, Abrahamum

a pag. 4. *b* Promissio rerum singularium est. *c* Promissio Messiæ ante legem. Quid de loco Gen. III sentiendum. *d* Promissio Messiæ unde inchoanda. *e* Rom. IV. II. Hebr. II 16. *f* Gen. XII. 3. & XVIII. 18. & XXII. 18. Quæ sit vis promissionis factæ Abrahamo.

Abrahamum, & semen ejus in seculum. (g) *Quod idem confirmat Zacharias Pater Iohannis Baptistæ, dum in suo cantico sic Deum laudat*: ad faciendum misericordiam cum patribus nostris; & memorari testamenti sancti sui: jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis. (h) *Hoc verò à Divo Paulo tàm apertè repetitur & inculcatur* (i) *in Epistolis ad Romanos, & Galatas, ut nemini, rerum divinarum vel tantillum perito, incognitum esse possit.* (k) *Atque hæc promissio renovata quodammodo fuit Isaaco & Iacobo, qui etiam eandem ad posteros suos propagavit, & de adventu istius futuri Christi aliquid, in benedictione, qua Iudæ filio suo benedixit, innuit.* (l)

Quemadmodum verò promissio de Christo reverà incepit ab Abrahami tempore: sic etiam jure ab eo tempore tantùm numerari debent ea facta, quæ ipsum aliquo modo figurarunt. (m) *Inter hæc est illud singulare, quòd Deus modo præternaturali filium largitus est Abrahamo: quod is solus, ejecto Ismaele, hæres evasit: quod is ab Abrahamo immolatus fuit. Hæc enim omnia Iesu Christi singularem & divinam nativitatem, dominium, addo etiam mortem ipsius figurasse, tutô credi potest. Quod porrò Iosepho accidit, ut Ægyptiis venderetur, in carcere per annos non paucos asservaretur, & tandem ex eo liberatus, primus à Rege Pharaone fieret, id Iesu Christi passionem, mortem, resurrectionem, & exaltationem adumbravit. Quod Iacobus in Ægyptum profectus, & ibidem posteritas ejus, per aliquot secula degens, tandem in extremam incidit servitutem, & mirabiliter à Deo deinceps per Mosen inde educta est, id mysticè, fugam Iesu Christi in pueritia ejus; id munus ejus, quod in liberatione nostri à peccatis & morte consistit, ob oculos ponit.*

(n) *Quod ad secula attinet, quæ post promulgatam legem numerantur, promissus & prædictus fuit, & in libris Mosis, & prophetis & psalmis, sicut ipse Christus de se testatur.* (o) *Quod ad ipsos libros Mosis attinet, peregregium est illud testimonium, quod D. Petrus citat his verbis*: Moses quidem ad patres dixit; quoniam prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis, juxta omnia, quæcunque locutus fuerit ad vos (p) *Hoc autem in Christo intelligendum esse, præter id, quod authoritate Apostolica, quæ omni exceptione major est, nititur, hac insuper insigni ratione probatur*: (q) *quod nullus post Mosen propheta extiterit, tanquam Moses, præter solum Iesum Christum. Omnes enim alii Prophetæ ideo à Deo missi fuerunt, ut legem Mosis populo inculcarent, & servandam eam proponerent: Solus Iesus Christus mediator novi Fœderis fuit, quemadmodum Moses veteris, & Euangelicam doctrinam hominibus revelavit, quæ quanto præstet, & perfectior sit legali, infrà dicendum nobis erit* (r) *Quantum ad Prophetarum scripta attinet, quis est, qui nesciat, quàm crebrò per Esaiam, Ieremiam, Danielem, & alios,*

g Luc. I. 54. 55. *h* v. 72. 73. *i* pag. 5. *k* Promissionis renovatio. *l* Gen. XXVI 3. Gen. XXVIII. 14. Gen XLIX 10. *m* Figuræ Messiæ ante legem. Gen. XVII. 15. &c. Gen. XXI. 9 &c. Gen XXII. Gen. XXXVII & XXXIX. & XL. Gen. XLVI. Exod. XII. Matth. II. 15. *n* Promissio Messiæ post legem, in lege contenta. *o* Luc. XXIV. 44. *p* Act. III. 22. *q* Cur locus Deuter. XVIII. de D. Jesu intelligendus sit. *r* Promissio Messiæ per Prophetas.

alios, prædicetur adventus Messiæ, ita ut ista enumerare planè sit supervacaneum. Tantum hoc addimus, quod, sicut populo universo, (s) sic peculiariter ipsi Davidi, regi populi divini peculiari, promissus, & ab eodem Davide etiam prædictus fuit. Cujus rei fit mentio in multis sacrarum literarum novi Fœderis locis, & respectu ejus Iesus Christus secundum carnem *dicitur esse* ex semine Davidis, (t) *ut scilicet constet, eum esse datum, qui promissus erat, quod de Messia cognovisse pars est eorum, quæ necessariò de eo cognoscenda sunt; vel sine quo Iesus pro Messia agnosci non potest Et tandem dicere fas est, quod Divus Petrus dicit:* Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ. (v)

Quam variè autem designatus, & delineatus fuerit per ea, quæ à tempore datæ legis per multa secula in medio populi Israelitici acciderunt, vix dici potest; nec, ut dicatur, ullo modo necesse est. (x) *Nihil enim ferè omnium est, in quo non aliqua adventuri Messiæ, & eorum quæ per eum revelanda, & quæ ipsi eventura erant, fiat adumbratio, ut sunt, Mactatio agni paschalis, Erectio serpentis ænei in deserto, perpetua sacrificiorum immolatio. Et quid multa? Tota lex Mosaïca umbra fuit eorum, quæ per Messiam hominibus revelanda, & ipsi Messiæ donanda erant, adeo, ut non tantùm generaliter ea, quæ ad Christum spectant, indicata, sed etiam singula quæque, quæ ad eum quoquo modo pertinent, speciatim descripta esse, jure dici possit; & nihil planè sit eorum, quæ ipsi acciderunt, quantumvis parva esse videantur, de quo dici non possit, hoc autem totum ideo factum est, ut impleretur id, quod dictum est per Prophetam hunc, vel illum, vel tale quid. Quibus, quia notissima sunt, enumerandis, nunc libens supersedeo.*

Hic vero, ut sua cuique constet laus & præeminentia, hoc inprimis adnotandum esse credimus, (y) *quod, etiamsi lex & prophetæ, de Messia futuro, & de beneficio per eum in populum Dei conferendo, testarentur: tamen longe aliam esse hac in re rationem veteris, quam novi Fœderis. Nam omnia scripta veteris fœderis docebant quidem, Messiam venturum: sed qualis & quantus Messias is futurus esset, non, nisi per involucra docebant. Beneficium etiam ingens per eum conferendum esse testabantur: sed quale & quantum id futurum esset, non nisi nimis obscure & mystice proponebant. Nam neque vitæ æternæ, quæ proprium est Messiæ beneficium, de quo infra suo loco dicemus, mentionem faciebant, vel eam promittebant; neque id, quod Messias allaturus erat, ad universos homines, nempe ad extraneas etiam gentes spectare, usquam aperte indicabant. Hoc enim præstabant Iudæi gentibus, quod Iudæorum erant promissa: gentes vero carebant spe promissionis.* (z) *Christus circumcisionis fuit servus, ut confirmaret promissa patribus facta:* (a) *gentes vero pro misericordia sui Deum celebrare tenebantur. Atque ita, quod de omnibus promissis Dei aliàs dici potest,* (b) *hic etiam summo jure dici potuit: Deum, ut ut multa promittat, semper tamen plura præstare, quam promiserit.*

Quanta autem in eo, quod tam antiquitus, & toties, & tam varie promissus, prædictus, & figuratus fuit, sit Christi præstantia & singularis dignitas, docere unumquemque id potest, quod licet alia multa divina extiterint facta, quæ Deus prius

s pag. 6. *t* Rom. 1. 3. *v* Act. x. 43. *x.* Figuræ Messiæ post datam legem. *y* Quatenus promissio Messiæ in lege, & Prophetis facta extendatur. *z* Rom. 1 x. 4. Eph. 1 1. 12. *a* Rom. x v. 8, 9. *b* pag. 7.

prius annunciari voluit, quam fierint: tamen jure dici possit, de omnibus tot vaticinia & tot adumbrationes non extare, quot de uno Iesu Christo. Hinc enim apparet, nihil aliud tota illa in re factum esse, quam quod Deus ipse futurum esse providerat, & certo certius destinârat. Quod rursus, non nisi in rebus singularissimis, Deum facere, jam antea semel diximus.

ELENCHUS CAP. II. DISP. VI.

PRomisit *Smalcius* Capitis primi epilogo, se ostensurum *Christi præstantiam eam quam post mundum conditum habuit.* Ait ergo jam, *eam totam in eo consistere, quod is, qui ab ipso Deo ad tantum opus destinatus antea erat, tot modis designatus & delineatus per tot sæcula fuit, & à tot retro sæculis promissus.*

II. Basis dissertationis istius breviter à *Smalcio* in margine expressa est hoc lemmate, *Promissio est rerum singularium*: quod prolixè amplificat Capitis hujus epilogo, quem finit istis verbis: *quod rursus*, inquit, *non nisi in rebus singularissimis Deum facere jam antea semel diximus.* Est ergo ista ex primo capite hic recocta crambe, quam nobis semel refutasse sufficiet, & meminisse rursus, quamcunque hic prædicat præstantiam, nihil habere Divinitatis veræ: adeo ut neque Divinitatis nomen hic à conscientia impetrare potuerit *Smalcius*, magis quam Capite primo.

III. Interim in præsens considerandum nobis, quod non optima fide initio dicat, Dignitate & Præstantia Christi *omnia à mundi conditione sæcula* occupata fuisse, & ejus spe homines fultos fuisse: ilico enim omnium à mundi conditione sæculorum partem, præter propter dimidiatam, duo circiter annorum millia aufert, in quibus nulla fuerit promissio de Jesu Christo facta, adeoque vixerint homines nulla fulti spe istius Promissionis. Determinat siquidem eo pacto quæstionem in margine notatam, *Promissio Messiæ unde inchoanda*, ut asserat, illam demum inchoandam *ab Abrahami tempore, & jure ab eo tempore tantum numerari debere ea facta quæ ipsum aliquo modo figurarunt.*

IV. Occurrit ergo statim illud disquirendum, *quid de loco Gen.* III. 15. *sentiendum.* In qua disquisitione, ex vi veritatis est, quod fatetur, haberi posse pro aliqua ejus rei (quam perfecit Christus, astutiam Sathanæ conterens & conculcans) denunciatione. Sed divinandum nobis relinquit quid denunciationis nomine intelligi velit. Videtur autem hoc spectare, quod non sit directa ulla in verbis istis ad hominem alloquutio, benedictionem ipsi promittens, sed ad Serpentem, maledictionem illi denuncians: quod *in Refutatione Thesium Franzii Disputatione IV. de Justificatione ad Thesin* 106. urget, exagitans hic *Franzium* Sommero respondentem, per concessionem illam, *Maledictionem in illis verbis esse, idque ex parte Dæmonis*: quasi non possit *Franzius* hoc concedens solide tueri, in ipsis verbis contineri etiam promissionem spiritualis benedictionis; *Num*, inquit, *frigidum & calidum simul ex ore Dei exit?*

 V. Enim-

V. Enimvero, vel omnino negandum fuit *Sommero* & *Smalcio*, aliquam illis verbis contineri denunciationem maledictionis, ex parte Dæmonis, conterendi & conculcandi per Jesum Christum, vel concedendum omnino, contineri ipsa illa denunciatione promissionem spiritualis benedictionis, illis destinatam, qui censerentur in Christo: hanc enim benedictionem flagitat ista maledictio, propter positas inimicitias, inter serpentem & mulierem, & semen serpentis ac semen mulieris.

VI. Verba porro dat *Smalcius*, quando ingerit per speciem quandam concessionis, *pro promissione ea verba haberi fortassis posse, mystico sensu, qui nunc nobis patet posteaquam Deus nobis Jesum Christum exhibuit*. Retractat enim concessionem istam ipsa explicatione, qua nullam sensus illius mystici intelligentiam relinquit primis parentibus, aut intelligentiæ necessitatem. Et apertius alibi *in Refutatione Thesium Franzii Disputatione IV. & VII.* pronunciat, *in verbis Gen.* III. *nullam esse promissionem*, adeoque sensum illum mysticum nihil aliud esse, quam *quandam longissime petitam allusionem*; per quam verba ad Christum *quoquo modo* possint accommodari. Quin sensum illum mysticum tanquam alienum à præsenti quæstione exsibilat, conceptis his verbis. *Non enim quæritur, quid nunc, postquam Christus revelatus est, & ea peracta quæ ad salutem nostram pertinent, possit de verbis aliquibus per quandam allusionem dici: sed quo sensu verba illa, tunc cum prolata sunt, prolata fuerint, investigandum est. Multa enim dicta exstant in sacris literis, de rebus aliis prolata, quæ postea sub novo fœdere, ad Christum, & ad ea quæ ad fædus novum pertinent, referri possunt. Habere autem illa pro vaticiniis & promissis, eorum est, qui non habent unde aperte suas probent opiniones.* Hæc *Smalcius dicti libri pag.* 94.

VII. Secundum *Smalcium* ergo verba illa *Gen.* III. *Semen mulieris conteret caput Serpentis*, tunc cum à Deo prolata sunt, nullo alio sensu prolata fuerunt, quam qui spectat ad historiam animalium naturalem: ut loquutus sit Deus citra allegoriam aut sensum ullum mysticum, de bruti animalis Serpentis, & naturæ hominis, antipathia & odio atque aversatione. Quod censemus affirmari non posse, sine impia depreciatione Scripturæ Sacræ apud Atheos & infideles: sive spectemus Mosis Prophetico munere dignam sapientiam, sive Christi & Apostolorum bonam fidem in Scripturarum apertione, quando ex Mose & Prophetis instituerunt demonstrationem Religionis Christianæ, si illi in Scripturas V. T. intulerunt sensum aliquem qui Deo olim loquenti in mentem non venit.

VIII. Ne vero hoc incommodo scilicet urgeatur, contendit verba illa ideo pro promissione vix haberi posse, quia nullus virorum sanctorum Novi fœderis, qui promissionum divinarum antiquitus factarum mentionem faciunt, horum verborum meminit. Verum aperte satis *Smalcius* refellitur; initio quidem, si indigitamentum illud, *Semen mulieris*, conferamus cum illo Pauli, de Christo loquentis, *Factus ex muliere. Gal.* IV.4. Ad quem locum lubet hic exscribere quod commentatus est *Joh. Crellius. Mulier autem hoc loco non opponitur Virgini, ut res ipsa indicat, siquidem ex virgine Christus natus fuit: sed sexum tantum significat.* Et (*nisi apud Hebræos consueta phrasi*

taphrasi natus ex muliere sumeretur pro quovis homine, ac præterea hoc loco Christi cum cæteris hominibus, non dissimilitudo nascendi, sed similitudo potius indicanda Apostolo fuisset) credi posset hanc ipsam ob causam Paulum de Christo dixisse, eum natum ex muliere, ut eum ex virgine absque viri opera natum esse indicaret.

IX. Quidni utrumque de Christo loquens complexus sit Paulus? ut illum dixerit, similitudine nascendi ex matre, Hominem Hominibus similem: attamen dissimilem in eo quod factus ex muliere sine viri opera? Uti autem voluit periphrasi illa, ut denunciatum à mundi initio Semen mulieris, non sine ænigmate illo, exprimeret, cujus spe inde à prima infantia fulta fuerit Ecclesia, exspectaveritque illum in plenitudine temporis nasciturum Redemptorem. Hoc enim flagitat sermo Apostoli inde à versu primo.

X. In illo ænigmate si prolata dixerimus verba *Gen.* III. ut aperte significarit Semen mulieris, similem Filiis hominum Filium hominis, mysticè autem eundem Virginis filium; corruit etiam illa exceptio quam ingerit *Smalcius libro supra dicto pag.* 122. *Christum Abrahæ & Davidis semen dici, Adæ autem & Evæ nunquam.*

XI. Non enim ad Evam matrem præcisè adstrictum censemus indigitamentum illud Semen mulieris, sed indefinite positum, ut ab Eva omnium viventium matre ad seros nepotes exporrigi posset Seminis exspectatio.

XII. Interim fallitur & fallit *Smalcius*, asserens nunquam Christum dici Semen Adæ & Evæ. Quamvis enim conceptis verbis id non legamus, pendet tamen ex Scripturarum analogia, de origine Carnis Christi *ex Patribus Rom.* IX. 5. Patrum autem genealogiam texuit Lucas ex Adamo primo *Luc. Cap.* III. 23. 38. Et non sine hoc mysterio etiam Eva prædicatur *Mater omnium viventium. Gen.* III. 20.

XIII. Quid autem *contritio capitis serpentis* sit, quæ verbis illis denunciata fuit, omnino illustrat Apostolus verbis illis *Rom.* XVI. 20. *Deus pacis contriturus est cito Satanam sub pedibus vestris.* Adprecatur enim Romanis nihil aliud, quam ut partem habeant in victoria illa Christi, qua in morte sua *abolevit eum qui mortis imperium habebat, hoc est Diabolum Hebr.* II. 14. adeo ut citra morosam ipsorum verborum *Gen.* III. citationem, apertior illorum mentio flagitari non debeat.

XIV. Accedit aperta satis mentio promissionis de capite serpentis conterendo, quando Christus emittens discipulos cum potestate ejiciendi dæmonia, utitur verbis istis *Luc.* X. 19. *Ecce do vobis potestatem calcandi & serpentes & scorpios, & in omnem potentiam inimici.*

XV. Non possunt porro, ex illa Analogia Scripturarum, alio, quam ad verborum *Gen.* III. ἀπόδειξιν referri ista; & quod Paulus prædicat Christum *exspoliata imperia ac potestates traduxisse palam, triumphatis illis. Col.* II. 15. & quod Johannes, dicens *à principio diabolum peccare*, subnectit illud, *ad hoc patefactus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli* 1 *Joh.* III. 8. maxime quandoquidem mox *vers.* 12. meminit primarum inimicitiarum, inter filios Adami primos Caïnum & Abelem, Caïnum notans hoc stigmate, *qui ex illo malo erat*, quod periphrasin habet Seminis serpentis, & *versu* 10. continetur appellatione *Filiorum Diaboli.*

XVI. De

XVI. Denique censendum est, Scriptores N. T. non semel meminisse verborum *Gen.* III. de Serpente & Semine serpentis conterendo à semine mulieris, quando mentio fit, victi per sanguinem Agni *Draconis illius magni, serpentis illius antiqui, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem. Apoc* XII. 9. 10. 11. *cum* 2 *Cor.* XI 3. Et quando filii Diaboli vocantur *Serpentes & progenies viperarum*, ὄφεις καὶ γεννήματα ἐχιδνῶν. *Matth.* III. 8. XII. 34. XXIII. 33. *Luc.* III. 7.

XVII. De primis autem parentibus bruta nimis est opinio ista, nihil illos haurire potuisse, aut ut haurirent necesse habuisse, ex verbis Dei, quam quod à bruto animali serpente, & circa illud, exspectandum haberent: quasi nec dolore ullo spirituali ob defectionem à Deo tangerentur, aut animarum ulla consolatione indiguerint, aut Redemptore ullo & liberatore à Potestate Satanæ.

XVIII. Quod jam porro *Smalcius* affirmat, pressius examinandum: *Promissus*, inquit, *fuit Messias primum omnium Abrahamo Patriarchæ, cujus in Deum fiducia tanta fuit, ut ab eo omnes quicunque post illum in Deum crediderunt, ortum suum trahant, & semen ejus appellentur.* Affirmationis hujus πρῶτον ψεῦδος vidimus in vindicatione Promissionis primæ in Paradiso factæ: ipsam vero affirmationem refellit recte *Franzius*, docens illam pugnare cum *Lucæ* I. 55. 70. ubi dicitur quod de Messia locutus sit Dominus, *per os omnium sanctorum, qui fuerunt à sæculo, prophetarum suorum.*

XIX. Elabi conatur *Smalcius in Refutatione Thesium Franzii pag.* 123. primo excipiens, *non fuisse ante Abrahamum Prophetas proprie sic dictos.* Explicat autem se, *quis sit Propheta proprie*: *Prophetas*, inquit, *proprie appellat Scriptura sacra eos, qui ad hoc ipsum à Deo vocati erant, & quorum hoc proprium munus erat, ut futura populo Dei prædicerent*: *quales*, inquit, *extitisse ante Abrahamum non video quomodo quis jure affirmare possit.* Adeo autem strictè hanc explicationem urget, ut *nec ipsum Abrahamum patiatur verbis Zachariæ contineri*, quamvis fateatur *Prophetam etiam appellatum esse* (*ex Gen.* XX. 7.) Verum hoc est vere (quod secus sentientibus hic exprobrat) *nihil aliud quam verbis ludere.*

XX. Nos illos omnes, per quos Deus olim à sæculo Patribus loquutus est, de salute animarum & ventura in nos gratia Christi, credimus à Zacharia intelligi: sive id fuerit proprium ordinarium munus ipsorum, sive extraordinario afflatu Spiritus S. insigniti fuerint, quamvis in alio proprio munere ordinaria vocatione constituti, seu ante seu post Abrahamum.

XXI. Et hic iniquissimum est Prophetam non agnoscere Abrahamum, quem Deus Prophetam declaravit, & qui non potest non illis olim dictis *Videntibus Prophetis* accenseri, Christo affirmante, quod *viderit diem illum Christi & gavisus sit. Joh.* VIII. 56. Petendum enim censemus commentarium in verba illa Christi de Abrahamo, (*Abraham pater vester gestivit ut videret diem istum meum, & vidit ac gavisus est*) ex 1 *Petr.* I. 10. 11. 12. *De qua salute inquisiverunt, & quam scrutati sunt Prophetæ, qui venturam in vos gratiam prædixerunt: scrutantes in quem aut cujusmodi temporis articulum prænun-*

cius ille, qui in ipsis erat, Spiritus Christi declararet eventuras Christo perpessiones, & gloriam illas consequuturam. Quibus patefactum est &c.

XXII. Ante Abrahamum vero retro ad Adamum usque deducta sæculorum Chronologia, ad ipsum mundi exordium merito referimus, cum *Franzio*, verba jam laudata Zachariæ *Luc.* 1. 70. Cum Fidem ad salutem animæ, quam Davidi, Samuëli, ac Prophetis posterioribus vindicat Apostolus, eandem asserat Patriarchis etiam ante Abrahamum, Noacho, Enocho, Abeli; eosque communiter censeat in illa *Testium nube*, quæ nos circumstat in Religionis Christianæ stadio currentes, & intuentes in fidei ducem ac perfectorem Jesum. *Hebr.* x. 39. *cum* xI. 4. 5 7. 8. & 32 & *Hebr.* xII. 1. 2.

XXIII. Inter illos autem Enochum, singulariter de glorioso Christi adventu ad judicium extremum prophetasse, testatur Apostolus *Judas versu* 14. & 15. non sine mentione illius (quæ *Hebr.* xII. 3. ad perpessionem crucis refertur) contradictionis, quam à peccatoribus adversus sese sustinuit Christus. *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adam Enoch, dicens; Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis: ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus quæ impie patrarunt, deque omnibus duris quæ loquuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.*

ELENCHI SECTIO II. DISP. VII.

FUit in priori hujus Capitis Sectione hoc, quod (προφάσει demonstrandæ Divinitatis & Præstantiæ Christi, ex Promissione de ipso facta per omnia à mundo condito sæcula) legit *Smalcius* ut adstrueret, quod alibi γυμνῇ κεφαλῇ asserit, *in Refutatione libri Smiglecii de Satisfactione Christi pag.* 271, *Duobus post orbem conditum annorum millibus & amplius, non potuisse agnosci, credi, & exspectari Christum, de quo nulla*, inquit, *vel minima, non dicam promissio, sed nec mentio, nec mentionis nota vel umbra exstat.* Ibidem; *Promissum in illis* (verbis *Gen.* III. 15.) *fuisse Christum affirmare, est fere cum ratione insanire.*

II. Videndum jam, altera hac Sectione, an meliori fide tractet Abrahamo tandem factam promissionem, post prima duo millia annorum mundi: *Huic autem*, inquit, *promissio facta est venturi Messiæ, in illis verbis, cum Deus ei dixit; In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Adnotat ad marginem loca *Rom.* IV. II. *Hebr.* II. 16. *Gen* XII. 3. & XVIII. 18. & XXII. 18. De verbis illis mox pronunciat; *In illis verbis*, inquit, *promissionem venturi Messiæ contineri, libenter agnoscimus, adducti inter alia plurima his sacrarum literarum testimoniis. Suscepit, (ait Diva mater Jesu Christi) Israëlem servum suum, recordatus misericordiæ, sicut locutus est ad Patres nostros, Abrahamum & semen ejus in sæculum. Luc.* 1. 54. 55. *Quod idem confirmat Zacharias pater Johannis Baptistæ, dum in suo cantico sic Deum laudat; Ad faciendum misericordiam cum Patribus nostris: & memorari testamenti sancti sui: jusjurandum quod juravit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis.* Hoc vero, inquit, *à Divo Paulo tam*

aperte repetitur & inculcatur, in Epistolis ad Romanos & Galatas, ut nemini rerum divinarum vel tantillum perito incognitum esse possit.

III. Hæc in speciem bene se habent, verum dolo malo interjecta est à Smalcio disquisitio ista; *Quæ sit vis promissionis Abrahamo factæ.* Qua Fidem Promissionis intellectæ de venturo Messia Abrahami posteris, quin Abrahamo ipsi, relinquit quasi nullam, consequenter & promissionem nullam: quamvis videri velit Abrahamum & alios similes viros sanctos, qui vel Prophetæ vel Prophetarum instar erant, facere intelligentiores reliquis.

IV. Notanda initio lubricitas Smalcii, qui non ubique consentanea loquitur, de Abrahamo ipso, circa Promissionis de venturo Messia intelligentiam & fidem. Hic quidem fluctuat & propendere videtur in saniorem sententiam. Quam proxime autem ad veritatem accessit, *in Responsione ad Ravenspergerum de loco Joh.* VIII. 56. ibi enim, adnotato ad marginem loco 1 *Petr.* I. 10. 12. *pag.* 16. vel nihil dicit, vel largitur illud quod nos diceba-mus *Disput. præcedenti Thesi.* XXI. in verba illa Christi, *Abraham vidit diem meum*, commentarium (qui explicet, & *quid sit dies Domini, & quomodo Abrahamus diem Domini vidisse dici possit*) petendum esse ex 1 *Petr.* I. 10. 11. 12.

V. Enimvero ibidem contra veritatem luctatur *Smalcius*, solicite abstinens ipsis Petri verbis, quibus hic standum aut cadendum erat, tantum determinans suis verbis; *Abraham Spiritu Prophetico assecutum esse, fore olim singularem Servatorem, & singulare per illum beneficium mundo exhibendum, quod non exspectare non potuit.* A Petri verbis abstinet, ne cogatur agnoscere, Abrahamum Spiritu Prophetico assequutum, eventuras Christo juxta Prædestinationem divinam perpessiones, & in illis consummandam gratiam Satisfactionis Christi, ad salutem animarum, quam prædicat Petrus isto capite prolixè.

VI. Hoc interim notamus S*malcio* à vi veritatis expressum; qualiscunque tandem Servator sit Christus, assequutum Abrahamum Spiritu Prophetico Promissionem ipsi factam, de venturo Christo, & de exhibendo per illum singulari beneficio, quod Petrus quidem vocavit salutem animarum, loco indicato, ad quem *Smalcius* lectorem remittit, in libri margine.

VII. Ab hac veritate autem, post fluctuationem, quam hic ostendunt verba ista, *si non Abrahamum* &c. videtur omnino recedere *in Refutatione Thesium Franzii Disp. IV. pag.* 97. verbis istis quæ repræsentamus. *Quamvis*, inquit, *non negetur in illis verbis, quæ tunc Abrahamo dicta fuerunt, contineri Promissionem de Messia: tamen firmiter statuendum est, illud nobis non aliunde constare, quam quod Apostolus hoc nobis ita explicarit, æternum alioqui ea in re caligaturis. Nec ullo modo* NB *probari potest Abrahamum ipsum hoc ita intellexisse, ut nos hodie illud intelligimus: sed plane credibile est eum ista verba de se & semine suo carnali intellexisse, in quo & per quod Deus esset universum populum suum beaturus.*

VIII. Nihil

VIII. Nihil ergo concedit *Smalcius*, vi Promissionis ipsi factæ, Abrahamum intellexisse de mysterio salutis animarum, quam præstaret Messias venturus; quia scilicet verba Promissionis non habent illum sensum literalem, sed sensus ille mysticus est, profectus demum ab Apostoli explicatione, absque illa non demonstrabilis. Ex qua hypothesi licet nobis asserere, secundum *Smalcium*, factam Abrahamo Promissionem venturi Messiæ, in verbis illis, *in Semine tuo benedicentur omnes Gentes*, nullam esse. Adprobamus enim ista *Smalcii* effata *in Refut. Smiglecii de Satisfactione Christi pag.* 272 partim in margine expressa, partim in contextu; *Accommodari posse ad aliquid, & idem promissum esse, differunt; Promissionem sine intellectu nullam esse; Accommodari posse, quæ non intelliguntur tunc cum dicuntur.* Item: *Nam ubi Promissio est ibi rem quæ promittitur intelligi etiam necesse est, alioqui promissio quasi nulla est: at accommodatio ad ea etiam verba fieri potest, quæ nemini tunc cum verba illa dicerentur nota erant, & si quis ista intelligere velit, parum est verba illa cognita habere: sed insuper necesse est, Spiritu Sancto mentem alicujus illustrari, ut sensum illum in verbis illis subesse agnoscere possit.*

IX. Breviter, liquet ex animi sui sententia *Smalcium* nullam tribuere ipsi Abrahamo Patri credentium, nedum posteris ejus, ante legem quidem latam, Promissionis de venturo Messia Servatore animarum, intelligentiam aut Fidem. Neque carere hypocrisi (ad ὠθοδείαν τῆς πλάνης comparata) si quid largiri videatur, hic vel alibi, Abrahamo (& aliis ei similibus viris sanctis, qui vel Prophetæ vel Prophetarum instar erant) ultra Promissionem de venturo Messia, non intellectam, adeoque, ipso arbitro, nullam.

X. Consequenter liquet, gratis etiam à Smalcio dici ista quæ subnectit *de Promissionis renovatione*; *Atque hæc promissio*, inquit, *renovata quodammodo fuit Isaaco & Jacobo, qui etiam eandem ad posteros suos propagavit; & de adventu istius futuri Christi aliquid, in benedictione, qua Judæ filio suo benedixit, innuit.* Adnotata sunt in margine loca *Gen.* XXVI. 3. *Gen.* XXVIII. 14. *Gen.* XLIX. 10.

XI. Si hæc serio dixit *Smalcius*, consentaneum omnino est ut quod initio hujus capitis dixit in genere, (Promissionis hujus aliqua spe *tot homines antiquitus fultos esse* Deum voluisse) præ aliis credamus de Jacobo morituro, deque benedictionis hæreditate solicito, ut ille Promissionis hujus de Messia spe fultus dixerit verba etiam illa; *Salutare tuum exspectabo*, vel *exspecto, Domine.*

XII Atqui non patitur *Smalcius*, ut hæc loquutus sit spe illius Promissionis fultus Jacobus, sed quidvis potius comminiscitur. Vult enim *in Refut. libri Smiglecii de Satisfactione Christi pag.* 272. *Verba illa Jacobi ad aliud quid quam ad Christum accommodari posse*, obtendens testimonium *Vatabli*, qui sic ait, *id est, auxilium à te exspecto Domine: q. d. libera me ab astutia hujus tribus.* Non fidens autem isti evasioni, (quod nimis evidens sit, Spiritu Prophetico Jacobum, si unquam, in illo extremo vitæ actu, Promissionem Messiæ venturi ad posteros propagatam voluisse, & exspectasse) eluctari conatur alia responsione. *Non*, inquit, *quid Jacob moriens de se dixerit, sed*

quid Deus hominibus promiserit, quæstio est. Potuit autem Jacob aliquid sperare, quod nemini etiam prorsus esset promissum. Nihil vero ultra fatetur, quam *verba Jacobi ad Christum etiam accommodari posse*; subjiciens effata illa quæ *Thesi VIII.* exscripsimus, quibus jugulatur quidquid hic de Promissionis renovatione sanè locutus videri queat.

XIII. Non potest autem melioris commatis esse sequens *Smalcii* dissertatio, *de Figuris Messiæ ante Legem. Quemadmodum vero*, inquit, *promissio de Christo revera incepit ab Abrahami tempore, sic etiam jure ab eo tempore tantum numerari debent ea facta, quæ ipsum aliquo modo figurarunt.* Ad quem quidem prologum in præsens adnotamus, nullo jure id fieri, quod adstringat *Smalcius* Figuras universim omnes, qnibus figuratus fit Christus, ad tempus Promissionis Abrahæ factæ. Nam & Adamum primum, re integra, ut caput & stirpem suæ posteritatis, Apostolus facit typum & figuram Christi, ut Ecclesiæ capitis *Rom.* v. 14. quem typum ipse *Smalcius* agnoscit *contra Smiglecium de satisfactione pag.* 261. Et idem Apostolus figuram & typum facit (mysterii magni, quo Christum maritum habet Ecclesia,) primam institutionem conjugii inter Adamum & Evam. *Eph.* v. 31. 32.

XIV. Nihil ergo dicit *Smalcius*, nisi hoc voluerit præscribere, Figuras quæ Christum olim figurarunt nullas jure numerari posse, nisi in quibus vim Promissionis de Messia venturo intellectæ meditari potuerit Abrahami posteritas, & spe illius se fulcire: adeoque quæ non fuerint figuræ & typi qualescunque, qui nunc post adventum Christi accommodari possunt, sed typi destinati, & dicati ad posteros Abrahami confirmandos in Fide Promissionis. Atqui hac præscriptione videri queat sui oblitus *Smalcius*, qui posteris Abrahami, promissionem de Jesu Christo factam, quasi nullam censuit, quia non intellectam. Quid autem attinet ad Promissionem non intellectam, adeoque nullam, ante an post illam numerentur facta illa quæ Christum figurarunt: cum Figuræ illis nihil figurare potuerint, quibus Promissio facta nulla est.

XV. Hac Nullitate certe, ex *Smalcii* hypothesi, laborant, quas quidem ipse hic commemorat, *Figuræ Messiæ ante Legem.* Nihil ultra ex figuris illis elicit *Smalcius*, quam quod nunc à nobis, per mysticam seu allegoricam interpretationem veteris historiæ, de Christo figuratum fuisse, *tuto credi potest.* At quomodo non pari jure patitur Figuris Messiæ ante legem annumerari omnia illa à mundi initio facta, quæ mystico sensu non minus tuto credi possunt Christum figurasse: cujusmodi est Enochi in cœlum translatio *Gen.* v. *& Hebr.* XI. 5. quidni enim credamus tuto Enochi translatione figuratam Christi exaltationem in Ascensione in cœlum? Item, credimns Petro affirmanti, salutem animarum, per Baptismum Christi, qui conscientias purificat, figuratam salute illa qua servatus est ex aquis diluvii Noachus cum familia. 1 *Petr.* III. 21.

XVI. Hoc porro animadvertendum, quod Sacrificiorum omnino hic non meminit *Smalcius*, quæ mox referet inter *Figuras Messiæ post datam Legem.* Si enim fatente ipso *perpetua sacrificiorum immolatio*, post datam Legem,

gem, habuit adumbrationem adventuri Messiæ, quo jure à Figuratione & adumbratione illa rejici possunt Sacrificia Deo immolata ab origine mundi conditi?

XVII. Atque, ut pressius cum *Smalcio* agamus, si, quod bonum factum, figuris Messiæ post datam Legem ipse annumerat *Mactationem Agni Paschalis*, quæ legem datam antecessit in Exitu ex Ægypto; quare non similiter saltem annumeravit Sacrificia post Promissionem Abrahamo factam ab Abrahamo immolata, ad quæ, iterum iterumque, Altare exstruxisse legitur. *Gen.* XII. 4. & 5. Et cur nullam facit mentionem Sacrificii, ad Fœderis magis solennem confirmationem, extra ordinem Abrahamo divinitus imperati *Gen.* XV. Nullane fuerit, in illa Fœderis per sanguinem confirmatione, figura Fœderis gratiæ, roborandi olim per Sanguinem Christi?

XVIII. Cœcus sit oportet, qui non videat singulariter ex illo *Capite Gen.* XV. arcessendum, quod de Fœdere sancto, cui ad Abrahamum Deus juramento intercessit, loquitur in cantico suo Zacharias *Luc.* I. 72. 73. cujus tunc recordatus sit Deus, quando annunciari cœpit Christus exhibitus in carne.

XIX. Quandoquidem vero, testimonio Zachariæ, Fidem suam Abrahamo datam jurejurando confirmatam Deus demum liberavit Christo exhibito, non potest ullo pacto promissio Abrahamo facta & Semini ejus non fuisse intellecta & credita, nisi, quod absit, Deus jurejurando frustra usus dicatur, non autem ad solidam illorum quibus juravit consolationem in vita & in morte, quam ex Dei juramento arguit Apostolus ad *Hebr.* VI. Si enim hoc recte asseruit *Smalcius*, *promissio non intellecta nulla est*, bis nullum est jusjurandum, non intellectum ex mente jurantis, promissioni non intellectæ superadditum.

XX. Sin dixerit *Smalcius*, & secundum carnalem sensum, & secundum sensum mysticum (illum intellectum ab initio promissionis factæ, hunc demum intelligendum Christo exhibito) datam & juratam Abrahamo promissionem; viderit ne consequens sit, quod absit, ut vel, tanquam Apollo λοξίας, Deus dici possit olim λοξῶς μαντευόμενος; per obscuras & obliquas æquivocationes & mentales reservationes, Patribus loquutus; vel Prophetæ nullas ediderint de Christo venturo Promissiones, quæ sensu literali essent infallibiles, seu verius, in quibus potuisset dici mentitus Deus, etiamsi non venisset Christus.

XXI. Contrarium flagitat Divina auctoritas Scripturæ Propheticæ, ut non potuerit sarta tecta esse Dei veritas & fides, qua olim Patribus fuit fœderatus, si non conspicati fuissent & salutassent, fide illa qua crediderunt in Deum, promissum sibi, ad animarum salutem, Servatorem mundi venturum

XXII. Denique, si dixerit Deum tunc promisisse tantum & jurasse secundum sensum carnalem, & illo tantum sensu loquutos Prophetas, sensum vero mysticum de Messia, verbis Dei & Prophetarum, Apostolos demum docuisse; nulla erit in Novo Testamento genuina αὐτοφυὴς, adeo-

 quenec

que nec fida nec verax, quæ à fidis interpretibus divino & humano jure requiritur apertio seu interpretatio Scripturarum V. T. Aut dicendum erit, ex alia hypothesi, Prophetis loquentibus non fuisse majus cum Spiritu Dei commercium λογικόν, quam Cajaphæ, prophetanti per solum verborum corticem.

ELENCHI SECTIO III. DISP. VIII.

Quod ad sæcula attinet, inquit Smalcius, *quæ post promulgatam legem numerantur, promissus & prædictus fuit, & in libris Mosis, & Prophetis & Psalmis, sicut ipse Christus de se testatur Luc.* XXIV. 44. *&c.* An serio hæc ut scripsit senserit *Smalcius*, an post scripsisse pœnituerit, disquiri potest merito; quandoquidem ipse contra auctoritatem Apostolicam hac exceptione utitur, *in Refutatione Smiglecii de Satisfactione Christi pag.* 272. *Verba etiam Moysis, Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus, ad Josue successorem Moysis referri posse.* Ut scilicet de *illis etiam sæculis, quæ post promulgatam legem numerantur* demonstret, *probari vix posse eos, quibus Messias promissus fuisse creditur, id intellexisse*: adeoque etiam hanc promissionem in illarum censu esse, de quibus ibidem pronunciat, *Promissionem sine intellectu Nullam esse*.

II. Quæ ingerit hic *Smalcius* de Mosis & Christi comparatione, de iis, sicut ipse *infra* sibi *dicendum* ait, ita nos infra respondebimus suo loco. Audiamus ex *Smalcio* jam, *quæ fuerit Promissio Messiæ per Prophetas. Quantum*, inquit, *ad Prophetarum scripta attinet, quis est qui nesciat, quam crebro per Esaiam, Jeremiam, Danielem, & alios, prædicetur adventus Messiæ? ita ut ista enumerare plane sit supervacaneum.* Enimvero, quidquid hic illum audimus plena quasi manu largientem, audiemus mox enervantem; adeo, ut neque patiatur, Promissionem Messiæ per Prophetas de animarum salute intellectam fuisse.

III. Pergamus interim: *Tantum hoc addimus*, inquit, *quod, sicut populo universo, sit peculiariter ipsi Davidi regi populi divini peculiari promissus, & ab eodem Davide etiam prædictus fuit &c.* At vero hic etiam Promissionem sine intellectu quasi nullam supponit *Smalcius*. Alibi enim, (quando etiam non fert *Franzium* interrogantem istis verbis; *qua fronte à Davide ignoratum asserere audebis, qui dominum suum Messiam professus est, teste ipso Christo Matt* XXII. 43.) isthæc verba dat. *Non an David Christum ignoraverit quæritur, hoc enim facile suo modo concedi potest, quatenus scivit futurum olim Regem promissum: sed an David sciverit & crediderit, futurum Messiam merito suo satisfacturum pro peccatis nostris: hoc in quæstione, & hoc probandum Franzio erat. Dominum suum aliquem agnoscere, quod de Davide dicitur Psal.* CX *non est credere eum merito suo pro peccatis nostris satisfacturum, sed tantum significat, Messiam futurum ejus potentiæ, ut etiam in ipsum Davidem imperium sit habiturus. Quod*, inquit, *nos de Domino Jesu lubentes confitemur, & ubi opus est etiam contendimus. Est enim Judex & Dominus à Deo constitutus & mortuorum & viventium. In Refut. Thesium Franzii. pag.* 208. 209. Jam ante, *eodem libro pag.* 141. Davide, (quem ibidem

ibidem nominat, affirmans Christum non frustra Dominum Davidis appellari) Davide inquam non excepto, sic pronunciat: *Nullus Mediator nec promissus nec datus fuit Adamo; nullus reliquis omnibus qui ante Christum fuerunt, qui eis salutem annunciarit, nec ad eos omnes quidquam Christus pertinuit.*

IV. Enimvero, si *non frustra David Christum venturum appellavit Dominum suum*, contradictionem implicat, ut *non ad Davidem quidquam pertinuerit Christus*. Neque (ut novissimo die futurum Judicem & Dominum suum) agnoscere & profiteri Christum potuit David, si non credidit & speravit à Christo venturo salutem animæ suæ, pariter in vita & in morte. Neque ut illam salutem animæ, tantum à Christo ut futuro olim Rege Judice & Domino, non autem ut Mediatore promisso, exspectaret, patitur juratum eo ipse Psalmo Sacerdotium Christi venturi æternum, secundum ordinem Melchisedeci: Sacerdotium enim, sine Mediatore inter Deum & homines ad peccatorum expiationem, definiri non potest.

V. Attexit *Smalcius* sequentia, *de Figuris Messiæ post datam Legem*. Quæ speciose dicta videri possent, & ex vero, si abesset illud πρῶτον ψεῦδος, quod Thesi tertia aperuimus, Christum, qui Figurarum istarum corpus est, ad pios omnes qui ante Christum fuerunt, nihil quidquam pertinuisse; quod mox fiet planius. Interim mirari licet iterum (quandoquidem tam à tempore datæ Legis, quam ante, ab Adamo ad Mosem usque, censet *Smalcius*, nec datam nec promissam fuisse salutem in Christo Mediatore) quo jure magis post Legem datam constituat Figuram Messiæ immolandi, in Mactatione Agni Paschalis, & in sacrificiorum immolatione, quam in eorundem Sacrificiorum prima & antiquissima immolatione ante Mosem, & ante Diluvium.

VI. Item mirari licet, quomodo Erectionem serpentis ænei in deserto agnoscat habuisse figuram Messiæ, qui non patitur in verbis *Gen.* III. 15. *Semen mulieris conteret caput Serpentis*, fuisse nec promissionem, nec mentionem, nec mentionis de Christo venturo notam vel umbram; nec credit ad Israëlitas magis quam ad Adamum, nec universim ad omnes qui ante Christum fuerunt, Christum quidquam pertinuisse. Quando autem intelligitur à nobis *Gen.* III. 15. facta prima Christi venturi & Satanam conculcaturi promissio, omnino illustris conspicitur in æneo serpente (erecto ad sanandos à serpentum morsibus Israëlitas, alias morituros) typus salutis animarum, exspectandæ per Christum, olim in cruce exaltandum, promissum ilico post seductionem primam, ab antiquo Serpente, primorum parentum.

VII. Illud vero jam semel iterumque indicatum πρῶτον ψεῦδος cum crypsi & dissimulatione aliqua, tandem hic etiam urget *Smalcius*, sub hoc lemmate notato ad marginem: *Quatenus promissio Messiæ in Lege & Prophetis facta extendatur. Hic vero*, inquit, *ut sua cuique constet laus & præeminentia, hoc inprimis adnotandum esse credimus; Quod etiam si Lex & Prophetæ de Messia futuro & de beneficio per eum in populum Dei conferendo testarentur, tamen longe aliam esse hac in re rationem veteris, quam Novi fœderis. Nam omnia scripta veteris*

teris Fœderis docebant quidem Mesiam venturum: *sed qualis & quantus Mesias is futurus esset, non nisi per involucra docebant*. Nemo isthæc sanè intellecta diffitebitur: sed qualia & quanta fuerint illa involucra non convenit inter *Smalcium*, & orthodoxos, qui, sub illis involucris, tamen credunt veteris Ecclesiæ fide eminus visum, apprehensum, salutatum & exspectatum Messiam venturum, & censent, ἀπλόκοτα esse paradoxa à *Smalcio* alibi asserta, ad tuendos errores jam detectos, *Diem Christi sine Christo esse & videri potuisse* ab Abrahamo & Prophetis, *Videri potuisse & tamen nulla fide apprehendi*. *Smalcius in Refut. Thesium Franzii pag* 208.

VIII. Nec potest magis ἀπλόκοτον hic asseri Paradoxon, quam quod prima & immediata consequentia sequitur; Moysen & Prophetas id, quod omnia ipsorum scripta docuerunt, ipsos non intellexisse, neque, id quamvis viderint, ulla fide apprehendisse. De Moyse quidem ipso non veretur *Smalcius* pronunciare sequentia, quæ partim gemina sunt illis quæ Thesi *II*. produximus. *Quod ad Mosen attinet*, *nihil usquam legitur*, *unde appareat*, *illum Mediatoris vel Christi cognitionem habuisse vel minimam*. *Nam quæ verba leguntur Act.* 11. 22. *à D. Petro citata*, *ea ex mente tantum & explicatione Apostoli ad Christum pertinent*, *quæ explicatio nemini unquam*, *nec ipsi Mosi nota fuit*. *In Refut. Thesium Franzii pag*. 209. Ubi hoc adjicit quasi argumentum pro suo isthoc Paradoxo; *Nulla enim Prophetia proprii est intellectus*, *teste eodem Petro*. 2 *Petr*. 1. 20. Ingesserat jam *pag*. 208. alium Petri locum 1 *Petr*. 1. 12. ut idem assereret. *Nonne aliquid*, inquit, *videri potest & tamen nulla fide apprehendi*, *si scilicet id non ejus qui illud videt*, *sed aliorum subsequentium causa fiat*? *Et ita*, inquit, *se habuisse omnia quæ Prophetis olim evenerunt*, *testatur Petrus*.

IX. Si secundum *Smalcii* assertionem accipiendum est illud Petri, *nulla Prophetia proprii est intellectus*, prostituitur omnis Scripturæ Propheticæ à Christo & ab Apostolis profecta interpretatio, ut minime fida, quippe non exhibens proprium genuinum & ἀυτοφυῆ Prophetiæ intellectum; sed tantum mentem Christi & Apostolorum, verbis Prophetarum nove accommodatam, quæ nunquam Prophetis scribentibus in mentem venerit. Nec potest non ex hypothesi ludibrium debere Judæis Christus, in sua illa provocatione ad testimonium Mosis *Joh*. v. 45. 46. 47. *Ne putate me accusaturum vos apud Patrem*; *est qui accuset vos*, *Moses*, *in quo vos speratis*. *Si enim crederetis Mosi*, *crederetis mihi*: *de me ille scripsit*. *Quod si illius scriptis non creditis*, *quomodo verbis meis credetis*?

X. Illud vero quod ex 1 *Petr*. 1 12. obtenditur, ex verbis illis, *quibus patefactum est*, *eos non sibi sed nobis ea administrare*, nihil juvat *Smalcii* assertionem illam, quod videre potuerint Patres Christum, & tamen nulla fide apprehendere, quippe non ipsorum sed nostri causa venturum. Manifeste enim sermo Petri duo illa discernit, *salutem animarum*, communem communis fidei mercedem, & *temporis articulum*, quo illam efficeret Christus & consummaret, per eventuras ipsi perpessiones & gloriam illas consequuturam. Posterius hoc, non prius illud, docet nobis reservatum fuisse.

XI. Ex

XI. Ex eodem *Smalcio eadem pag.* 209. non possumus non adnotare de Moyse ista. *Quod vero*, inquit, *Hebr.* XI. 26. *de Mose legitur quod majores thesauris Ægypti arbitratus sit divitias, probrum Christi, id vel probrum fuit populi Israëlitici, qui tum erat unctus Dei suo modo: vel probrum illud, quod tunc subiit populus Dei, Christi appellatur, quia simile aliquid tunc patiebantur Israëlitæ ei, quod Christus passus est cum in mundo adhuc esset.* Prius illud dilutum adeo, ut neque illi se fidat *Smalcius*, sed aliud suggerat, quod probamus & quod *Smalcium* stringit satis. Enimvero ne constrictus teneatur, utitur hac evasione; *Et statuendum omnino est auctorem nostrum non de mente vel consilio Mosis id dicere, sed ex suo sensu de eventu ipso &c.* Atqui hoc pacto ex suo sensu nihil potuit dicere Apostolus, cum dicendum fuerit, de mente & consilio Mosis credentis & habentis Fidem illam, quæ credenti est hypostasis eorum quæ sperantur & non videntur, utpote non præsentia, sed, juxta promissionem, olim futura & eventura.

XII. Audiamus reliqua: *Beneficium*, inquit, *etiam ingens per eum conferendum esse testabantur*, (omnia scripta veteris fœderis) *sed quale & quantum id futurum esset, non nisi nimis obscure & mystice proponebant. Nam neque vitæ æternæ, quæ proprium est Messiæ beneficium, de quo infra suo loco dicemus, mentionem faciebant, vel eam promittebant; neque id quod Messias allaturus erat, ad universos homines, nempe ad extraneas etiam gentes spectare, usquam aperte indicabant. Hoc enim præstabant Judæi Gentibus, quod Judæorum erant promissa, gentes vero carebant spe promissionis Rom.* IX. 4. *Eph.* II. 12. *Christus circumcisionis fuit servus, ut confirmaret promissa Patribus facta: gentes vero pro misericordia sui Deum celebrare tenebantur. Rom.* XV. 8. *Atque ita, quod de omnibus promissis Dei alias dici potest, hic etiam summo jure dici potuit; Deum, ut multa promittat, semper tamen plura præstare quam promiserit.*

XIII. *De promisso vitæ æternæ* respondebimus infra, loco illo, ad quem nos remittit *Smalcius*, videlicet ad *Caput VII.* Alterum illud, de Gentium vocatione & spe promissionis nulla, cum Judæorum essent promissa, ibidem pressius quoque erit examinandum. In præsens notamus, quam exiguum sit illud Judæorum τὸ περισσὸν, quod illis ante Christi adventum relinquit *Smalcius*, supra Gentes extraneas: statuens, ut jam vidimus, Promissiones Judæis factas, quas nec intellexerint, nec participaverint, ad spem vitæ æternæ, in vita aut in morte.

XIV. Quod vero ad universos homines, nempe extraneas etiam Gentes, tunc spectarit etiam id quod Messias allaturus erat beneficium, (juxta consilium Dei, sed arcanum tunc & non revelatum) scilicet ut etiam illis qui tunc vixerunt Gentilibus melioris notæ olim daturus sit vitam æternam, nec promissam ipsis nec speratam, non mussitandum hic erat, sed, si quidem hoc vellet *Smalcius* nos credere, apertius proloquendum, & ex Verbo Dei confirmandum; quod præstabit nunquam.

XV. Locus Apostoli à *Smalcio* adductus *Rom.* XV. 8. 9. Jesum Christum fuisse *ministrum circumcisionis, pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones Patrum, & ut Gentes pro misericordia glorificent Deum*: locus, inquam, ille

nihil tribuit beneficii Christi, nec glorificationis Dei pro misericordia, Gentilibus ante adventum Christi mortuis, seu speratum seu insperatum. Neque optima fide adducit *Smalcius*, quasi verba Apostoli, de præterito illo tempore, *Gentes pro misericordia sui Deum celebrare tenebantur*: Apostolus enim ad præsens tempus N. T. adstrictè loquitur, ac docet, juxta Promissiones olim Patribus factas, Deum misso filio suo ad Judæos circumcisos, implevisse prædictiones Propheticas, de advocandis etiam Gentibus, quæ in N. T. sint futuræ Populus Dei, & pro misericordia Deum glorificaturæ.

XVI. Pro epilogo animadversionum ad *Caput* II. ex ipso hoc loco dicemus contra *Smalcium*, nisi Jesus Christus ad Judæos venisset factus sub Lege, atque apud circumcisionem, h. e. circumcisam Ecclesiam, ministerium Euangelii obiisset, docendo illud secundum Canonem Verbi scripti, qui extra sensum literalem αὐτοφυῆ & genuinum nullus est, actum fuisset de Dei veritate & de Promissionibus quas fecerat Patribus in V. T. Quod pervertere hactenus frustra conatus est Smalcius, dum per hypocrisin videri voluit Dei veritatem & Promissiones Patrum confirmare: atque ex illa ostendere, *qualis & quanta fuerit Jesu Christi præstantia & divinitas antequam ex virgine Maria nasceretur*. Sed nihil præstitit tanto dignum promissor hiatu.

CAPUT TERTIUM.

DE

Jesu Christi conceptione, & nativitate.

SEd jam tempus est, ulterius pergere, ad eam Christi præstantiam & divinitatem, quæ ab eo tempore innotuit, quo in hoc mundo esse cœpit. Ubi iterum nobis in duo membra, ista præstantia & divinitas, distribuenda erit (a) *Quorum prius ea continebit, quæ in eo reluxerunt divina, dum mortalis esset. Posterius ea, quæ in eo relucent divina, ab eo tempore, quo immortalis esse cœpit*

Quæ in Christo reluxerunt divina, dum mortalis esset, partim ad ipsius conceptionem, & nativitatem, pertinent: partim ad ipsius munus.

(b) *Quod ad conceptionem & nativitatem ejus attinet, potest primùm considerari dignitas ejus, qui præcursor Domini fuit, nempe Iohannis Baptistæ. Ex præstantia enim & divinitate præcursoris, facilè erit colligere præstantiam & divinitatem ejus, cujus is fuit præcursor.* (c) *Iohannis autem Baptistæ tanta fuit præstantia, ut & miraculoso modo conceptus, & ab utero matris Deo sanctificatus; in deserto à Deo educatus, omnium, qui ex mulieribus nati sunt, Prophetarum*

a Divisio alterius partis specialis. *b* Quænam Christi nativitatem miraculosam efficiant. *c* Johannis Baptistæ præcursoris præstantia.

phetarum nempe, qui eum antecesserunt, maximus; Eliæ Prophetæ æmulus fuerit; & initium Euangelii ab eodem factum sit, quia scilicet primus resipiscentibus peccatoribus remissionem peccatorum promisit. Is verò tantus vir respectu Domini Iesu Christi, cujus fuit præcursor, adeò fuit humilis, ut se etiam indignum haberet, qui ejus calceamenta portaret; & omnis ejus doctrina, terrenum aliquid, respectu doctrinæ Iesu Christi, jure haberi possit. (d) *Cum tamen per se esset, & ipse verè divinus & doctrina ejus verè cœlestis. Quàm divinum igitur necesse est esse eum, cujus respectu, ea, quæ divina sunt, terrena esse dicuntur?*

(e) *Deinde verò ipsa Iesu Christi conceptio & nativitas, præstantiam & divinitatem summam in se continent. Primum enim ab ipso...... Deo futurum esset in ejus conceptione, & nativitate. At istiusmodi Angeli nunquam adhibentur à Deo, nisi ad præstantissima & singularissima perficienda. Deinde modus, quo conceptus est & natus Dominus Iesus, tam fuit præstans & divinus, ut ei simile quid nunquam acciderit ab initio mundi. Conceptus enim est de Spiritu Sancto, & natus ex Maria virgine.* (f) *Ob quem conceptionis & nativitatis modum, filius etiam Dei vocatus fuit ab ipso Angelo; & ita naturalis Dei filius, (quia scilicet talis natus sit) dici jure potest. Reliqui homines omnes producuntur ex hominibus, nascuntur ex sanguine, ex voluntate carnis, & viri. Solus Iesus Christus à Deo Patre suo, absque opera viri, in lucem productus est. Omnes Angeli creati à Deo fuêre: at Dominus Iesus ab eo genitus fuit, ut ita singularitate etiam hujus rei excederet omnes alias creaturas. Qui quidem modus conceptionis & nativitatis Christi, propterea tanti faciendus est, quod, etiamsi antiquitus promissum fuerit, Messiam fore filium Davidis,* (g) *& ex lumbis illius eum productum iri, (quod requirere omnino videbatur, ut ex eo, cui Maria desponsata erat, Messias nasceretur, is enim erat ex familia Davidis, Maria verò non item) maluit tamen Deus, modo quodam singulari (literis tamen sacris non inusitato) Dominum Iesum filium Davidis appellari, etiamsi ex Iosepho natus non esset, quàm permittere, ut communi more hominum conciperetur & nasceretur. Is autem modus singularis, quo Christus filius Davidis appellatur, est, quòd scilicet ex ea natus est, quæ desponsata erat viro oriundo ex familia Davidis. Non censentur autem filii ex matris, sed ex patris familia. Hoc modo, licet non ita perfecto, sub lege, is, qui ex alicujus uxore, quam maritus viduam reliquerat, & quam frater mariti mortui duxerat, nascebatur, filius non ejus, qui eum genuerat, sed illius, ex cujus uxore vidua frater eum produxerat, habitus & appellatus fuit.* (h) *Quantò igitur magis filius Davidis habendus & appellandus est is, qui ex viri, oriundi ex famila Davidis, uxore jam ei desponsata, natus est, ita ut nullius alterius viri opera unquam accesserit? Et si cui nescio quid inconveniens hac in re videtur (quod tamen nullum reverà est) is cogitet, multò minus id esse, quàm hoc esset, si totius mundi Servator eodem modo, quo omnes alii vulgares homines, conceptus & natus fuisset.*

Crediderim tamen ego, hac miraculosa & divina Christi conceptione & nativitate indicare etiam Deum quodammodo voluisse, quàm miraculosa & divina futura esset ista, quam Iesus Christus mundo allaturus erat, regeneratio; nempe eos, qui

Aaaa 2

d Matth. III. 11. Joh. III. 31. *e* Modus nativitatis. *f* Luc. I. 35. Christus naturalis Dei filius dici potest. *g* Cur *D.* Iesus filius sit *D*avidis. *h* Deut. XXV. 9.

eos, qui sub novo Fœdere vivunt, debere, quantum ejus fieri potest, perfectissimè immutari, & novos homines fieri; & eosdem tandem divina benignitate planè alios futuros, ac si denuò nati essent, cum scilicet immortalitate à Deo donabuntur. Nam & vita hominum Christianorum, quam in hoc præsenti seculo vivunt, novus homo, regeneratio, & nova creatio appellantur: & illa etiam, quam in futuro seculo consecuturi sunt, Regenerationis nomine quandoque insignitur. (i)

(k) *Animadvertendum autem hoc etiam est, Iesum Christum, licet ita miraculose conceptus & natus fuerit, tamen, quoad suam naturam, quam ex ista conceptione & nativitate habuit, corpus habuisse nostris corporibus per omnia simile, nempe, quòd infirmitates vel afflictiones, & mortalitatem attinet. Sic enim res ipsa requirebat, siquidem nostra spes certissima esse debuit. Alioquin si diversæ naturæ fuisset D. Iesus à nostra, semper aliqua justa hærere mentibus nostris potuisset dubitatio, an scilicet immortalitatem, quam Christus promisit & consecutus est, consecuturi ipsi etiam essemus. Hæc verò dubitatio ne restaret, summopere Deus cavit.*

(l) *Non est autem opus hîc commemorare ea omnia, quæ post Christi nativitatem acciderunt præstantia & divina. Ea enim nemini sunt incognita. Per Angelos annunciata fuit pastoribus: ab Angelis decantata: per Magos, qui ab ortu Solis venerant, adoratum recens natum puerum, illustrata: ipse puer Iesus à Deo mirabiliter è manibus Herodis ereptus, & in Ægypto ad certum tempus custoditus: puer annorum duodecim, cum iter fecisset unà cum parentibus Hierosolyma, insigne specimen suæ præstantiæ & divinæ cujusdam indolis præbuit, dum in templo sedens, in medio Doctorum, eos audiebat & interrogabat, adeò ut omnes, qui audiebant, obstupescerent super prudentia & responsis ejus.*

(m) *Non sunt autem audiendi illi, qui affirmant, Iesum Dominum nostrum tunc temporis munus suum propheticum incepisse, & tantum non Servatorem reipsa fuisse, cum in templo Hierosolymitano inter medios Doctores sedit, & cum illis collocutus est. Parum enim est ad tantum Iesu munus constituendum, eum sedisse inter doctores, eisque auscultasse, & eosdem interrogasse: imò indignum Prophetico Domini Iesu munere utrumque hoc quodammodo censendum est. Potest enim auscultare aliis, & eos interrogare, is, qui illorum Doctor & Servator non est. Christi verò munus Propheticum potissimum in doctrina consistit; & tunc reipsa illud, cum Dominus Iesus docere cœpit, initium sumpsit. Et etiam si concederetur, Dominum Iesum tunc temporis jam docuisse aliquid istos Doctores: tamen nondum effectum illud esset, quod in quæstione est. Necesse enim est ostendere, eum id docuisse tunc temporis, quod postea, annos natus triginta, docuit, si ex eo quis docere velit, eum tunc munus suum Propheticum inchoasse. At quomodo id affirmari potest, cum, post finitam hujus historiæ descriptionem, D. Lucas addat, Iesum crevisse sapientiâ? Quæ sapientia nulla alia esse potuit, quam cognitio rerum, non tantum qualicunque modo divinarum, sed earum, quæ æternam salutem hominibus allaturæ essent.*

(n) Sed

i Eph. IV. 24. Ioh. III. 3. Gal. VI. 15. Matth. XIX. 28. *k* Christus quoad naturam, hominibus aliis similis fuit. *l* Divina providentia super Iesu puero. *m* Christus non cœpit munus suum Propheticum anno 12. ætatis suæ.

(n) *Sed & illud nimium esse videtur, quod affirmatur à plerisque, Dominum Iesum etiam muneris regii tunc specimen edidisse, quia scilicet matri suæ ita responderit*, quid, quod me quærebatis? an nesciebatis, quòd in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? *Nonne enim alia causa præter eam, quæ de specimine regni illius affertur, esse potuit, cur Dominus ita loqueretur? & quid cum regio specimine commune habet ejusmodi Christi responsum? Excusare se tantum voluit Dominus Iesus, quod nihil per petulantiam puerilem fecisset, dum in templo remanserit; & matrem simul monere voluit, nihil tale de eo cogitandum fuisse, cujus eum tacitè accusare videbatur. Quod Christo licuisse, & eum etiam decuisse, nemo non videt, præsertim quod mater ejus probè sciebat, quomodo is conceptus & natus, & quàm miraculoso modo conservatus fuerat. Miranda igitur quidem sunt ista in Domino Iesu, quæ eum in tenera ætate fecisse legimus: sed non protinus id dicendum est, quod præjudicata suadet opinio. Imo sepositâ eâ considerandum est, dum ista legimus, qualisnam ab initio Dominus Iesus fuerit, & qualis successivè factus sit, ut hac ratione ad cognitionem ejus & personæ & muneris perveniamus. Hæc enim omnia, quantumvis magna, & suo modo divina sunt, parva & humanum quiddam esse videbuntur, si considerentur ea, quæ ad munus ejus pertinent, cujus causa propriè etiam Christus, & Servator appellatus est, & ad quod describendum nunc accedimus.*

n Ex Christi responso Mariæ matri dato, non colligitur, eum specimen Regii muneris edidisse. Luc. 11.49.

ELENCHUS CAP. III. DISP. IX.

PErgit verba dare, ut prætextu divinitatis Christi asserendæ divinitatem omnem Christo auferat, ante resurrectionem ex mortuis: ut qui ante illam non habuerit aliam quam mortalem hominis naturam, & ne Divus quidem vere ex homine factus sit; quod mox fiet planius.

II. De Johanne quæ recenset (miraculosam conceptionem sanctificationem ab utero matris) agnoscimus vera esse, sed non pariter illud, quod fuerit *in deserto à Deo educatus*, si illud ut priora ista intelligendum miraculoso modo, quod exsculpi minime potest ex illis Lucæ verbis; *Fuitque in desertis ad eum usque diem, quo se ostenderet apud Israëlem Luc.* 1.80. quidquid ex *Nicephoro* fabuletur *Baronius ad Annum Christi* 1. § 56.

III. Non autem optima fide hic silet *Smalcius* miraculosam in utero matris Elisabethæ exsultationem ad ingressum Mariæ Virginis Dominum Jesum habentis in utero: quo indicio, ipsa à Spiritu Sancto edocta salutavit Mariam *Matrem Domini sui. Luc.* 1.41.45. Quod miraculum arguit ἀνανθρώπως Christum, in ipso matris utero latentem, fuisse, citra & supra naturam humanam suam, verum Johannis Deum & Dominum, à matre Johannis adoratum.

IV. Initium Euangelii à Johanne factum non ex vero *Smalcius* interpretatur, *quod primus resipiscentibus peccatoribus remissionem peccatorum promisit.* Exstitit enim semper in Ecclesia V.T. verbum Mosis & Prophetarum, de

peccatorum expiatione, Sacrificiorum cultu obsignatum: & Promissio expressissima est apud *Ezechielem Cap.* XVIII.21.22 23

V. De cætero, si quidem, ex *Smalcii* hypothesi, non Dei sed tantum hominis divini Jesu præcursor fuit Johannes Baptista, cum per se esset & ipse vere divinus homo, adeo ut capite sequenti dicturus sit *Smalcius*; *illud totum ad Christi præstantiam illustrandam & amplificandam similiter spectare, sicut semper quidquid dignitatis habet præcursor, id in legati magni cedit auctoritatem*: dicimus isthac hypothesi perperam *Smalcium* Christo tribuere aliquam Divinitatis accessionem, à divinitate Johannis Baptistæ; ubi analogia Scripturarum dictat contrarium, nihil Johanni Christum, Johannem Christo omnia debuisse, ut candelam ab ipsa vera luce, & sole justitiæ accensam, breviter, ut Hominem Deo suo. *Joh.* I. & III. & *Cap* V. 33 36.

VI. Atque (si Christus tantum fuit naturâ Homo mortalis, Johanni ὁμοιοπαθὴς & per omnia similis, solo primarii magni Legati officio major) certe peccavit Johannes B. in excessu; nec ab idololatria abfuit illud, quod ille tantus vir adeo fuit humilis, ut se etiam *indignum* haberet, *qui ejus calceamenta portaret*: nec sine depreciatione humilitatis Christi exemplaris, prædicari potest ista tanta humilitas tanti viri, sine contestatione simili admissa, qua Angelus à se amolitus est Johannis Apostoli adorationem nimis humilem. *Apoc.* XIX. 10. Neque (quod obiter hic notamus propter affinitatem, ex eadem hypothesi *Smalcii*) magis humilitatem Christi decuisset, mulierem peccatricem admittere ad pedum suorum oscula. *Luc.* VII.38.

VII. Bene autem illud quidem habet, quod *doctrinam Johannis Baptistæ vere cœlestem* fatetur *fuisse*: sed male eandem ut terrenum quid deprimit, infra doctrinam Jesu Christi; quod infra castigabimus *ad Caput IV.*

VIII. Audiamus jam *de Modo nativitatis Jesu Christi* disserentem. Dato non concesso, quidquid hic, de Angelorum primariorum missione non nisi ad opera singularissima perficienda, postulat *Smalcius*, hoc suo loco tamen examinandum erit, quod non omnes Angelos credit *Smalcius* conservos, sed alios aliorum Dominos, stata quadam Hierarcha cœlesti; infra *ad Caput XVI.*

IX. Interim mirari licet non expressum à *Smalcio*, in historia sacra expressum, Gabriëlis nomen. Forte abstinuit, ne cogeretur meminisse ab eodem Gabriële Danieli jam olim annunciatum Christi adventum, & ex illa annunciatione saltem creditum Patribus & exspectatum Christum, sua morte roboraturum fœdus ad peccatorum expiationem. *Dan.* IX. Et observamus altum hic silentium de prædicta apud Esaiam conceptione & partu Virginis *Esai.* VII. quæ Prophetia *ut impleretur*, totum hoc factum esse affirmat Matthæus Euangelista. *Matth.* I. 22.

X. Enimvero meminisse oportet, jam præscripsisse *Smalcium*, de illius oraculi interpretatione; quasi ex mente sua, non ex mente tunc loquentis per Spiritum Dei Esaiæ, de Messiæ conceptione & nativitate ex Virgine, Matthæus illud scripserit, & Christianis tradiderit. Ad ipsius oraculi vindicias in præsens non digredimur ulterius:

XI. Jeju-

XI. Jejunum vero est admodum illud, pro Divinitate Jesu Christi singularissimâ, argumentum, negata vera & æterna ejus Divinitate; *Et simile quid nunquam accidit ab initio mundi*. Hoc enim accommodare possumus pariter, ad primam Adami formationem ex terra, & ad primam Evæ formationem ex viri costa; ergone pariter licebit ex modo divino productionis qui semel tantum accidit & accidetab initio, Divinitatem singularissimam asserere Adamo primo ac secundo, quin uxori Adami primi. Neque porro procedit pro Divinitate Jesu Christi singularissima supra ipsos Angelos, argumentum quod subnectit *Smalcius*.

XII. Adami quidem & Evæ productionem in lucem, singularitate sua non excedit naturæ Christi humanæ in lucem productio ex Virgine, ut jam à nobis dictum. Sed porro ex modo illo singulari, quo producta est ex Virgine Caro Christi, frustra urgetur singularitas tanta, quæ Divinitatem Angelis eminentiorem Christo conciliet. Namque hac ipsa singularitate non obstante, Apostolus in ipsa carnis nativitate statuit Christi similitudinem cum nobis; qua *Angelis* factus fuit *inferior*, tanquam mortalis carnis & sanguinis particeps. *Hebr*. II. 6. 14.

XIII. Neque potuit, ex ipsa *Smalcii* hypothesi, Christus habere in natura humana tempore conceptionis aut nativitatis illud axioma Filii Dei, quo ipse Angelos vocat Filios Dei: hoc enim axioma illud demum est, quod secundum carnem obtinuit in Resurrectione ex mortuis, adeoque tunc demum referri potuit in censum illorum Dei Filiorum ex hominibus, qui dicuntur ἰσάγγελοι, nimirum mori non posse, nam secundum *Smalcium* totus ante Resurrectionem mortalis homo fuit, habens in mortalitate illa non Angelorum sed carnis peccati similitudinem: confer *Hebr*. V. 7. & *Rom*. VIII. 3. *cum Luc*. XX. 35 36.

XIV. Torquetur autem frustra locus *Luc*. I. 35. à *Smalcio*, ut credamus, *ob illum conceptionis & nativitatis modum Christum ab Angelo vocandum dici Filium Dei*. A nuda enim conceptione & nativitate carnis ex Virgine, manavit, non Filii Dei, sed Filii Hominis, appellatio. Quod vero Angelus porro affirmat, illud est, hac Filiatione humana non obstante, etiam vocandum Filium Dei, adhibita exserte particula καὶ, ad conciliandam utramque Filii hominis & Filii Dei uni Christo tribuendam appellationem, per Communicationem idiomatum, citra quam conciliari non posset, in quovis Filio Hominis, qui non foret *Immanuel* ille, *nobiscum Deus*. *Esai*. VII 14. *Matth* I. 23.

XV. Causalis illa in verbis Angeli particula διὸ, *Propterea*, originem illius communicationis idiomatum refert ad mysterium Incarnationis, quod verbis illis continetur; *Spiritus sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrab t te*. Per illam enim obumbrationem seu ἐπισκιασμὸν censemus omnino indicari mysterium, ipsa efformatione carnis Christi ex Virgine majus, atque adeò magnum, ut ejus vix umbram assequamur. Quod non est aliud quam illud, *Deus manifestatus in carne*. I *Tim*. III. 16.

XVI. Illud

XVI. Illud vero omnino frigidum est; *Omnes Angeli creati à Deo fuere; at Dominus Jesus ab eo genitus fuit*; quod cohæret, cum eo quod antecesserat; & *ita naturalis Dei filius* (*quia scilicet talis natus sit*) *dici jure potest*. Naturalis Filius appellatur κατὰ φύσιν generantis, cujus per generationem fit particeps: sic ergo θεοποιητὸς Dei Patris filius naturalis appellari non potest, qui non, sicut Pater, sit φύσει Θεὸς *Naturâ Deus*, & consequenter qui naturam divinam, quæ ἀμέριστος est, non habet in se ἀμερίστως indivise cum Patre communem.

XVII. Aut ergo omnino Jesus Christus dicendus non est *Naturalis Dei Filius*; aut juxta Scripturas credendum habere in se ipso vitam illam quam Pater habet in se ipso, quæ vita est ipsa Dei natura, in qua opponitur mortuis idolis, *quæ non sunt naturâ Dii. Joh.* v. 26. & 1 *Thess.* 1. 9. *cum Gal.* IV. 8. Quemadmodum Filius Dei Jesus Christus, in vitâ illa, *ut verus Deus & vita æterna*, iisdem idolis opponitur. 1 *Joh.* v. 20. 21. Breviter; nisi esset Jesus Christus φύσει Θεὸς naturâ Deus, non esset φύσει υἱὸς Θεοῦ naturâ seu naturalis Dei Filius. Neque ipse hanc consequentiam, quam Judæi imputabant in blasphemiam, quod *se ipsum Deo parem faceret*, *dicens Deum Patrem* ἴδιον, admisisset, nedum confirmasset, per illam naturæ & vitæ, ejusdem quæ in Deo est, possessionem in se ipso. *Joh.* v 18. 26:

XVIII. Etymon vocis *naturalis*, quod *Smalcius* affert, ut Naturalis filius dicatur, qui talis natus sit, urgeri nec potest nec debet alio sensu, quam κατὰ φύσιν secundum naturam generantis. Sin autem hoc dandum *Smalcio*, ut Naturalis filius etiam dicatur κατὰ φύσιν suam tantum, non vero illius à quo genitus est, tam illud erit infra singularitatem illam qua Christus omnes creaturas etiam Angelicas excedat, ut nihil plus contineat, quam quod respectu υἱοθεσίας seu Adoptionis divinæ tribuitur omnibus Abrahami posteris carnalibus *Rom.* XI. 21. 24. Ex quo loco licebit illos appellare Filios naturales, seu κατὰ φύσιν. Rami enim & liberi ibi æquipollent: ut apparet, ex collatione *versus* 16. cum *versu* 28. & ex scopo Apostoli, qui ex dono υἱοθεσίας ἀμεταμελήτου argumentatur pro futura tandem Judæorum nunc rejectorum conversione: hoc urgens inde à *Capite IX. versu* 3. 4. & *sequent.* quod Judæis esset κατὰ φύσιν naturalis illa adoptio in Filios, quæ Gentibus accidit παρὰ φύσιν *præter naturam*.

XIX. Enimvero juxta istam analogiam non sufficit simpliciter aliquem natum esse Filium, ut sit Filius Dei naturalis: sed oportet quoque illum habere genealogiam naturalem *ex Patribus Rom.* IX. 5. Quam Genealogiam siquidem, quod mox videbimus, *Smalcius* Christo nullam relinquit, nihil reliquum facit ex illa phrasi Scripturæ, ob quod appellari possit naturalis Dei Filius. Verum, si cum Scriptura de Christo loquendum erit ex hypothesi *Smalcii*, quam audiemus, dicendus erit Filius non κατὰ φύσιν sed παρὰ φύσιν.

XX. Animum adverte lector: si verum dicit *Smalcius*, noluit Deus ut fieret quod promissum erat, ut ex lumbis Davidis produceretur Messias, & nasceretur vere ex familia Davidis, sed maluit nasci ex matre virgine, non

non oriunda ex familia Davidis. Non fuisset ergo sufficiens Christi Divinitas, si in conceptione & nativitate Christi implevisset Deus Promissionem, de nasciturο ex fructu lumborum Davidis Messia: sed fuerunt hic Dei ipsius δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, & postliminio venit Deo in mentem modus conceptionis & nativitatis Christi magis singularis & divinus.

XXI. Nos contra *Smalcium* affirmamus, Mariam Virginem æque ac Josephum oriundam fuisse ex familia Davidis, & quidem ex Resa fratre Abiud, ex quo Abiud descendit Josephus: utrumque & Resam & Abiud genuit Zorobabel *Luc.* III. 27. *cum Matth.* I. 13. Zorobabel vero per Nathanem oriundus erat ex Davide, ut ex Luca apparet *Luc.* III. 31.

XXII. Sin autem, quod vult *Smalcius*, Christus vere non est ex fructu lumborum Davidis, (adeoque alio non ita perfecto modo est Filius Davidis & ex familia ipsius, quam alii posteri sunt ex familia majorum suorum, quoad originem carnis) 1. Non potest esse ille ipse qui Davidi promissus est, adeoque nec verus Messias juxta promissionem 2 *Sam.* VII. 12. *cum Act.* II. 30. 2. Frustra quoque texta à Luca Matris Christi genealogia, retro ad Davidem, & à Davide ad Adamum usque. *Lucæ Capite* III.

ELENCHI SECTIO II. DISP. X.

MOdum quidem conceptionis & nativitatis Christi, quatenus ex virgine, agnoscimus miraculosum fuisse, & præter naturam: at minime hoc censemus fuisse præter naturam, quod ex matre *carnis & sanguinis factus est particeps Hebr.* II. 14. Eapropter neque respectu participatæ à matre carnis & sanguinis, Christus censendus novus homo aut nova creatura; accenseri enim debet operi primæ creationis generis humani ex uno sanguine, assumpta à Christo natura humana, collatione loci *Act.* XVII. 26. gessit enim in illa Christus nobiscum imaginem primi Adami.

II. Novus vero homo & nova creatura, ac regenerationis nostræ exemplar, credendus Christus, quatenus in natura ipsius humana postliminio instaurata est Imago Dei collapsa: atque hanc instaurationem Imaginis Dei, seu sanctificationem naturæ humanæ Christi in utero Virginis, spectavit Paulus *Eph.* IV. 24. minime autem originem carnis, aut procreationem ex virginis carne & sanguine.

III. Non potest fieri, per istam *Smalcii* hypothesin, (quæ ita facit singularem conceptionem & nativitatem Christi, ipsamque carnis in utero efformationem, ut, etiam quoad ipsam genealogiam ex patribus, fuerit παρὰ φύσιν *præter naturam*, quasi opus novæ creationis) ut ullam relinquat similitudinem veram & solidam naturæ Christi humanæ cum nostra, quam tamen nostræ *per omnia similem* fuisse testatur Scriptura *Hebr.* II. 17.

IV. Hunc nodum voluit videri solvere paragrapho sequenti, cujus istud fecit lemma marginale; *Christus quoad naturam hominibus aliis similis fuit. Animadvertendum autem hoc etiam est*, inquit, *Jesum Christum, licet ita mi-*

raculosè conceptus & natus fuerit: tamen quoad suam naturam, quam ex ista conceptione & nativitate habuit, corpus habuisse nostris corporibus per omnia simile; nempe quod infirmitates vel afflictiones, & mortalitatem attinet.

V. Atqui ista quidem similitudo, quod infirmitates vel afflictiones & mortalitatem attinet, non est, quoad naturam à Deo creatam, substantiæ carnis similitudo cum hominibus, sive illud ὁμοίωμα ἀνθρώπων, de quo Apostolus loquitur *Hebr.* II. 17. & *Phil.* II. 7. 8 sed orta præter naturam, ex maledictione cum peccato in mundum ingressa, & à Christo voluntarie propter nos suscepta, similitudo carnis peccati: de qua alibi Apostolus *Rom.* VIII. 3. Prior illis verbis explicata est *Phil* II. 7 quod Christus *habitu compertus fuerit ut homo*: posterior ibidem, *per obedientiam ad mortem usque &c.*

VI. Est hoc autem πρῶτον ψεῦδος ejusmodi, ut eo animadverso gratis dicantur sequentia ista; *Sic enim res ipsa requirebat, si quidem nostra spes certissima esse debuit. Alioquin si d versæ naturæ fuisset D. Jesus à nostra, aliqua justa hærere mentibus nostris potuisset dubitatio: an scilicet immortalitatem, quam Christus promisit, & consequutus est, consecuturi ipsi etiam essemus. Hæc vero dubitatio ne restaret summopere Deus cavit.*

VII. Nos saniori sensu sic pronunciamus de spei nostræ certitudine; non debuisse naturam Christi humanam diversam esse à nostra, sed nostræ (& secundum substantiam, quæ Dei creatura est, perpetuo, & in infirmitate & mortalitate, ad breve tempus) absque tamen peccato, per omnia similem. Interim non potuisse nec debuisse spem salutis animarum collocari in Jesu Servatore, nisi alteram habuisset, & haberet in æternum (diversam à natura illa humana in qua nobis similis fuit) naturam divinam, in qua Deo Patri esset æqualis. Scriptum est enim, *maledictus, qui confidit in homine, & carnem facit brachium suum. Jerem.* XVII 5. Quapropter necesse fuit, ne maledicta esset in Christum fides nostra & spes, ut in Fidei objecto non esset Homo, sed vere *Magnus Deus & Servator noster Tit.* II. 13. *cum Gal.* IV. I. credereturque in Persona ipsius *Deus* ipse *Ecclesiam redemisse proprio sanguine Act.* XX. 28. ipse se quidem demonstrasse verum hominem per sanguinis effusionem in morte; sed unâ verum Deum, per sustentationem sui ipsius, ad victoriam in mortis perpessione, & ad triumphum, per sui ipsius, secundum carnem mortui, vivificationem ex mortuis *Rom.* I. 4. I *Cor.* XV. 14. 17. *cum Joh.* II. 19. 22.

VIII. Subnectit *Smalcius* meditationem de *Divina Providentia super Jesu puero*: ex qua scilicet porro demonstret singularem Christi præstantiam & Divinitatem. *Non est autem opus*, inquit, *hic commemorare ea omnia, quæ post Christi nativitatem acciderunt præstantia & divina. Ea enim nemini sunt incognita. Per Angelos annunciata fuit pastoribus, ab Angelis decantata; per Magos, qui ab ortu Solis venerant adoratum recens natum puerum, illustrata; ipse puer Jesus à Deo mirabiliter è manibus Herodis ereptus, & in Ægypto ad certum tempus custoditus &c.* Enimvero nituntur & hæc falsa, illa à qua supra exorsus est, hypothesi, de Providentia divina singulari non nisi circa singularissima & divinissima.

divinissima. Qua hypothesi destructa, ex necessitatibus illis, in quibus super Christo puero opus erat singulari & extraordinaria providentia divina, magis consequens est Christi summa exinanitio, qua vel infra hominem se demisit. *Psal.* XXII. 7. 10. 11.

IX. Ex Angelorum legatione ad annunciandam Christi nativitatem, agnoscimus Divinitatem Christi & Præstantiam præ Angelis, qua nimirum nomen Angelis excellentius sortitus est: ipse quippe Filius Dominus, illi servi. Confer *Luc.* II. II. *cum Hebr* I. 2. 6. 7. Atqui illud Angelis præstantius nomen, impossibile est ut concedat *Smalcius* Christo recens nato: quippe cui ille non aliam quam mortalem naturam tribuit, secundum quam *factus ex muliere* Christus *factus est Angelis minor Hebr.* II. 9. quia, si conferantur loca *Phil.* II. 7. *&* *Luc.* XX. 36. Christus (in comparatione naturæ mortalis cum Angelorum natura immortali) *servus* tantum dicendus erit, Angeli vero, nomine supra Christum excellentiori, *Filii Dei* Necessario ergo alia creditur in Christo natura (secundum quam Divinitatem illam habet, quâ Angelis præcellit, ut Filius servis) vere immortalis divina.

X. Quod Nativitas Christi illustrata est per Magos, qui ab ortu solis venerunt adoratum recens natum puerum Jesum, nobis quoque argumentum est Divinitatis Christi; sed majoris & diversæ ab illa quæ cadere potest in puerum mortalem, filium hominis merum, recens natum. Etenim προσκύνησις seu adoratio ista soli Deo debetur teste Christo *Matth.* IV. 10. ubi eadem illa vox est quæ *Matth* II 2. 11.

XI. Neque, quidquid aliis non satis attentis videatur, Adorationem Magorum habere possumus pro civili, non religiosa, pueri Jesu Adoratione. Judicium enim de hac Adoratione fieri debet ex vocatione Dei, qua Magos ex oriente evocavit. Vocavit autem illos Deus, non tantum objecto extrinsecus novo sidere, ex quo illi, scilicet Astrologica divinatione, didicerint natum esse in Judæa Regem. Nulla enim naturali Astrologia aut Magia ista scire fas fuit. At, quemadmodum post, ita omnino ante susceptum iter, censendum est, fuisse illos χρηματισθέντας κατ' ὄναρ, (*vide vers.* 12.) *natum esse Regem* illum qui erat Christus *vers* 4. Jam vero nec θεοπρεπὲς fuerit, Deum, & oraculo, & novæ stellæ miraculo, Christum manifestasse Magis, sine Euangelii & Divinitatis Christi veræ revelatione, absque quo Euangelio Miracula nihil sunt in causa Christi.

XII Post hæc dicturus *Smalcius* Capite sequenti de Christi Prophetico munere, duo hic præoccupat. Primum est, *Christum non cœpisse munus suum Propheticum anno* 12. *ætatis suæ.* Alterum est, *ex Christi responso Mariæ matri dato, non colligi, eum specimen Regii muneris edidisse.* Eodem ore calidum & frigidum efflat *Smalcius*, qui capitis hujus initio promisit, inde à conceptione & nativitate Christi in ipso relucentem præstantiam & divinitatem: ubi vero ad rem ventum est, verba dat de specimine præstantiæ & divinæ indolis, quod audientes omnes obstupuerint, attamen quod non absolute magnum & divinum, sed parvum & futuro munere Prophetico Christi

indignum, censeri debeat, adeoque nullum Divinitatis verum vestigium, ex quo vel Divinus & Magnus Propheta à Deo promissus agnosceretur adolescere.

XIII. Ad illam autem depreciationem speciminis istius vere magni & divini, hoc est *Smalcii* πρῶτον ψεῦδος, docere, & auscultare ac interrogare esse contraria, seu relativè opposita: *nec probari posse Dominum Jesum jam tunc temporis docuisse aliquid istos Doctores.* Atqui ex phrasi Scripturæ frustra satagit contrarium exsculpere; quum etiam dicat Scriptura, fungentem munere Prophetico interrogasse Doctores Judæorum. *Matth.* XXII. 41. XXI. 24. *Interrogabo vos & ego rem quandam, respondete mihi.* Atque sic interrogando Pharisæos publicè in cœtu ipsorum, ea ad quæ nemo ei poterat respondere quidquam, effecit, ut nemo ausus fuerit eum amplius interrogare, ut Doctor discipulum. *Matth.* XXII. 46. Adeo neutiquam indignum fuit Prophetico munere Christi alios interrogare.

XIV. Verba itaque *Lucæ Cap.* II. 46. *& audientem eos & interrogantem*, (etiamsi concederemus Jesum tunc temporis didicisse aliquid ex Doctorum responsis) de puero Jesu intelligemus ἀνὰ μέρος, ut *Audire* discentis, *Interrogare* fuerit docentis, atque non tantum Jesus magistros, sed ipsi quoque magistri Jesum audierint. Et certe se à puero Jesu didicisse, saltem discere potuisse, non obscure fassi sunt, quando *obstupuerunt omnes super intelligentia & responsis ejus versu* 47.

XV. Sed obluctatur porro *Smalcius*. *Et etiamsi*, inquit, *concederetur Dominum Jesum tunc temporis jam docuisse aliquid istos Doctores: tamen nondum effectum illud esset, quod in quæstione est. Necesse enim est ostendere eum id docuisse tunc temporis, quod postea annos natus triginta docuit, si ex eo quis docere velit, eum tunc munus Propheticum inchoasse. At quomodo id affirmari potest, cum post finitam hujus historiæ descriptionem D. Lucas addat Jesum crevisse sapientia. Quæ sapientia nulla alia esse potuit, quam cognitio rerum, non tantum qualicunque modo divinarum, sed earum, quæ æternam salutem hominibus allaturæ essent.*

XVI. Fatemur lubentes ex illo tempore Christum profecisse sapientia, ex *Luc.* II. 52. Sed hinc nullis fidiculis exprimi potest discrimen illud, quod fingit *Smalcius*, inter sapientiam seu cognitionem rerum tantum qualicunque modo divinarum, quam habuerit Jesus 12. annorum puer, & sapientiam earum rerum quæ æternam salutem hominibus allaturæ essent, quam demum acceperit Christus 30. annos natus; adeo ut duodecim annos natus, nondum intellexerit, quod de salute æterna docuit 30. annos natus. Nos contra argumentamur, gradu tantum, non vero natura objecti seu rerum cognitarum, discernendam sapientiam Christi 30. & 12. annos nati, quia illa quam Christus 30. annos natus consecutus est, fuit ex incremento istius sapientiæ quam habuit à puero.

XVII. At, quid cum excusatione de petulantia puerili commune habent verba illa; *An nesciebatis quod in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Quæ intelligi sine mysterio non posse vel invitus fatetur *Smalcius*, dum ad modum conceptionis & nativitatis miraculosum nos hic revocat; ut scilicet,

cet, quia illud probe sciebat mater, puerum duocennem decuerit talis responsio. Saperet potius petulantiam puerilem responsio quæ hoc mysterium tangeret, profecta à puero duodecenni, qui nihil haberet præter mortalitatem in corpore; non minus quam muliebris petulantiæ fuisset, si Eva se contra Adamum extulisset, vel illi responsasset, quia Adam probe sciebat, quomodo ex Adami costa miraculose illam produxisset Deus.

XVIII. Verba Christi longe aliam emphasin habere liquet, ex parallelis istis, ad matrem & de matre prolatis, post annum ætatis tricesimum; *Quid mihi tecum Mulier? Joh.* II. 4. *Quæ est Mater mea? Matth.* XII. 48. Atque & hæc & illa omnino muneri Christi imputanda; quod nisi intellexeris, dedit Christus sine mente sonum, asserens se, non consciis Josepho ac matre, sicut oportuit, occupatum fuisse in negociis Patris sui: nec decuit puerum duodecennem, nec virum, apologia ista, si nixa non fuit & munita privilegio illo muneris Prophetici Sacerdotalis & Regii, expresso *Deut.* XXXIII. 9. 10. quod, qui custodiunt sermones & Fœdus Dei, neque Patrem, neque Matrem, neque Fratres, neque liberos, videre, respicere aut agnoscere habeant. Hoc vero supra omnem humanam apologiam muneris est, in istis Christi verbis, quod Patrem suum dicens Deum, parem se ipsum facit Deo. *Joh.* V. 18.

XIX. Epilogum Capitis hujus habent sequentia. Hactenus itaque de singulari quin singularissima præstantia & divinitate Christi *Smalcius* verba tantum dedit. Nihil absolute magnum & divinum Christo relinquens, nec ante nec post conceptionem & nativitatem, ad annum usque ætatis circiter tricesimum: ac invertens omnia vestigia, quæ Christianos ducunt ad adorandum, inde à matris utero in ipso habitantem corporaliter, veram Deitatem: ex magnis & vere divinis faciens parva & humana. Qua porro fide tractaturus sit Divinitatis Christi vestigia in Muneris publica functione, mox videbimus.

CAPUT QUARTUM.

DE

Initiatione Christi ad Propheticum munus.

HOc autem munus Christi triplex est, ut S. literæ testantur, & omnes hac in re consentiunt Theologi Christiani, Propheticum, Regium, & Sacerdotale. Quorum primum Christus dum in terris fuit, perfecit: ad reliqua verò duo, aditus ei à Deo paratus fuit. (a) *Præstantia & divinitas Jesu Christi ex munere ejus Prophetico elucet, si consideretur primum modus, quo Christus ad id munus initiatus fuit. Deinde id, quod in eo munere continetur.*

a Præstantia muneris Prophetici unde appareat.

Ad modum, quo Christus ad munus Propheticum initiatus fuit, pertinet primùm, quòd Deus apud Jordanem, dum Christus aqua à Johanne baptizaretur, de eo clara voce testatus est, (b) *quod sit suus filius, in quo acquiescat; & quòd Spiritus Sanctus super eum corporali specie descendit, tanquam columba. Quod quidem totum Johannis Baptistæ causa factum fuit, ut is, qui Christi præcursor futurus erat, non tantùm opinaretur, Christum verè adesse: verùm etiam ab ipso Deo edoctus, certissimè cognitum eum haberet, & tantò alacriùs munere suo perfungeretur.*

Deinde & illud ad modum initiationis Christi divinum pertinet, quòd non tantùm singulari modo ad munus suum obeundum, cum tempus esset, à Deo missus: (c) *verùm etiam ab ipso nativitatis suæ puncto ad id destinatus fuit, ut ipse Dominus ait; Se in hoc esse natum, & in hoc missum in mundum, ut testimonium perhiberet illi veritati. Reliquos enim Prophetas plerumque Deus ex aliis vitæ generibus ad Propheticum munus delegebat.*

Quod si quis dicat, (d) *Johannem etiam Baptistam in utero matris fuisse sanctificatum, illud totum ad Christi præstantiam illustrandam & amplificandam planè spectat, quòd scilicet non tantum ipse Jesus talis fuerit: sed quòd etiam ejus præcursorem talem esse Deus voluerit. Semper enim, quidquid divinitatis habet præcursor, id in legati magni cedit autoritatem.*

(e) *Denique & hoc ad modum, quo Christus ad munus suum Propheticum initiatus fuit, pertinet, quòd non, ut alii ante eum Prophetæ & ipse Moses, per Angelos aut visiones, id, quod alios docuit, edoctus fuit: sed ipse præsens, homo jam natus, patrem suum vidit, & ab eo edoctus fuit omnia, quæ deinde nobis exposuit.* (f) *Nimis enim manifesta sunt testimonia sacrarum literarum, cum Christus dicit.* Hoc vos scandalizat; si ergò videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? *& iterum:* Exii à Patre, & veni in mundum: iterum, relinquo mundum, & vado ad Patrem. *In priori enim apertissimè dicitur, Filium hominis ascensurum, ubi erat prius. Quò verò postea ascendit? Nemo est, qui nesciat, eum ascendisse in Cœlos: in cœlis igitur fuit, antequam illuc ascenderet, ut ibi perpetuò maneret. In posteriori similiter expresè affirmatur, Christum ita relicturum mundum, & iturum ad Patrem, quemadmodum exierat à Patre, & venerat in mundum. At Christus reipsa, & localiter (ut loquuntur) ex mundo ad Patrem ivit. Ergò etiam statuendum est, eum, reipsa & localiter, à Patre venisse in hunc mundum, & consequenter, eum prius in cœlo fuisse, quàm in mundum veniret.*

(g) *Ne verò quis credat, Christum fuisse in cœlis, antequam nasceretur ex virgine Maria, & venisse in mundum, ut ex ea nasceretur, (ut hodie vulgo creditur) animadvertendum est, primùm disertè dici, Filium hominis fuisse in cœlo, in quod deinde ascendit. Filius autem hominis nemo est alius, nisi is, quem Maria virgo*

b Christus ipsius Dei voce inauguratus. Luc. III 22. *c* Christus ab utero matris muneri suo destinatus fuit. Joh. XVIII. 37. *d* Luc. I. 15. *e* Christus in cœlo à Deo Euangelium didicit. *f* Joh. VI. 46. Joh. VIII. 28. Joh. VI 61. Joh. XVI 28. *g* Christi in cœlos ascensio & descensio non possunt referri ad incarnationem.

via virgo peperit. Et vanum est effugium, quod dicunt peritiores, per figuram quandam (quam ipsi sibi commenti sunt) communicationem idiomatum, id dici de filio hominis, quod de filio Dei dicendum fuisset. Præterquam enim quod, dum hoc afferunt, apertè principium petunt, dum pro concesso sumunt, filium Dei fuisse, antequam esset filius hominis, & ita præter & ante filium hominis, filium Dei constituunt, optimè tenendum est, (h) *tunc demum recurrendum esse ad figuras, cùm verba quædam absque absurditate proprie, ita ut sonant, intelligi nequeunt; & qui aliter faciunt, & ludibrio illud, quantum in eis est, aliis exponunt. At quænam in eo est absurditas, si dicatur, Iesum, priusquam munus suum obiret, in cœlo fuisse, & ibi à Patre suo omnia edoctum esse, quæ nobis revelavit. Nobis certè, nedum absurdum videatur, D. Iesum in cœlis fuisse, antequam munus suum obiret, & Euangelium docere inciperet, absurdum videretur, eum ibi non fuisse; & alio modo, quàm per ipsam cum Deo conversationem & collocutionem, omnium eorum, quæ nos docuit, cognitionem consecutum esse.* (i) *Multum enim sane decederet præstantiæ & divinitati muneris Iesu Christi, si eodem, quo alii ante eum edocti fuerunt ipse etiam doctus fuisset modo; &, quod majus est, si, qui post eum fuit Apostolus Paulus, in cœlum fuit raptus, ut ibi doceretur ab ipso Iesu Christo, ea quæ alios docturus erat, qua de re etiam gloriatur plurimum,* (k) *cur id, quod servo contigit, Domino contingere non potuerit? Præstantiori ne modo doctus fuerit servus, quam ipse Dominus? Moses, cum legem ei Deus daret, in montem sacrum fuit vocatus, ibi cum Deo per certum temporis spatium commoratus, dei de demum dimissus fuit, & ita eruditus à Deo, multa populum docuit, quæ ibi viderat. Umbra scilicet hæc fuere ejus, quod Christo eventurum erat, quemadmodum ipse Moses figura erat Christi.* (l) *Nihil autem refert, quod non certo statui posse videatur, quando aut quomodo D. Iesus, homo natus, in cœlum prius ascenderit, quam homines docere inceperit. Ne enim, quemadmodum certa res est, de qua scitur, quomodo & quando facta sit: sic rursus incerta ea est, de qua hoc utrumque ignoratur. Veritas enim alicujus rei aliunde peti potest, quam ab his circumstantiis. Credimus procul dubio omnes, verum esse illud dictum Domini Iesu Christi ad Nathanaelem;* (m) Amen amen dico vobis à modo videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis; *& tamen, quando vel quomodo illud factum sit, hactenus, qui diserte explicare potuerit, nemo fuit. Vel, ut exemplo utamur huic simillimo, credimus verum esse id, quod D. Paulus ait;* (n) Novi hominem in Christo, ante annos quatuordecim (sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Et novi hominem hujusmodi (sive in corpore, sive extra corpus, nescio Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui: *& tamen, quomodo vel quando definite illud factum sit, hactenus ab omnibus ignoratur. Cur vero ista credamus, in promptu causa est, quod illi ea dixère, de quorum auctoritate, vel*

tantillum

h Quando ad figuras recurrendum sit. *i* Cur opus fuerit Jesum Christum in cœlis esse, & de cœlo descendere. *k* Gal. 1. & 11. 1 Cor. 1x. 1. *l* Non debet dubitari de re aliqua, quia certæ aliquæ ejus circumstantiæ ignorantur. *m* Joh. 1. 51. *n* 2 Cor. x11. 2. 3.

tantillum dubitare, religio nobis est. (o) *Quoniam igitur hæc etiam ipsius ore Iesu Christi prolata sunt, & absque omni tropo vel figura de filio hominis intelligi possunt, jure fides eis etiam adhibenda est, ut aliis, à Christo prolatis, sermonibus & mysteriis*

p *Sed præterea non videtur omninò esse incognitum, quando aut quomodo Dominus Iesus in cœlum ascenderit. Quod enim ad modum attinet, nihil absurdi plane in eo est, quod D. Iesus eo raptus sit. Hoc enim modo credimus, eum in cœlum post resurrectionem ex mortuis assumptum esse, sicut testatur D. Lucas, eum videntibus Apostolis elevatum esse, & nubem eum suscepisse ab oculis eorum; & idem etiam Angeli repetierunt, dum inquiunt;* (q) Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet *&c. Quo vero modo Deus semel, in elevando filio suo, usus est, quid prohibet, quo minus credamus, isto etiam antea eum usum fuisse? Quod vero ad tempus attinet, plane verisimile est (quod nonnulli inter alios Theologos etiam observarunt) illud tunc temporis factum esse, cum Dominus Iesus jam baptizatus & Spiritu Sancto donatus quidem esset, munus vero suum nondum obire cœpisset, cum scilicet quadraginta dies & totidem noctes jejunus in deserto consumpsit. Quemadmodum enim Moses tot dies & noctes absque cibo etiam à Deo conservatus fuerat, antequam legem per eum daret: sic credibile est, D. Iesum illo cibo cælesti, qui est commercium & conspectus Dei, ita fuisse recreatum, ut nullo naturali alimento, per totum illud tempus, opus habuerit. Tunc enim credibile est, eum patrem suum vidisse, & ab eo doctum fuisse, quod de se utrumque Dominus prædicat.* (r) *Quæ si cui minus probantur, is hoc saltem consideret, nihil à nobis affirmari in hac re, quod cum analogia fidei Christianæ pugnet: nobis autem, id plane se ita habere, persuasissimum est, &, hoc mysterium nobis à Deo per sacras literas revelatum esse, plurimum gaudemus.* (ſ) *Quod si quis præterea objiciat, fieri non potuisse, ut D. Iesus apud Deum esset, cum eo conversaretur, eum videret, cum certum sit, D. Iesum hominem fuisse: & interim legatur, Deum* inhabitare lucem inaccessibilem, *& talem esse,* quem nullus hominum viderit, nec videre possit, (t) *imo ipsum Deum Mosi dixisse:* Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet. (v) *Huic nos respondemus; totum illud, quod in locis citatis dicitur, intelligendum esse, non de eo, quod fieri nequeat, etiamsi Deus velit, sed de eo tantum, quod naturâ suâ fieri nequeat. Natura rei talis est, ut homo mortalis Deum immortalem videre nequeat. At si Deus ita velit, ut homo mortalis se videat, non puto aliquem fore, qui negaturus sit, Deum id præstare posse. Nonne enim Deus ipse, qui dixerat, non posse hominem se videre & vivere, dixit, se misereri, cujus voluerit, & clementem esse, in quem sibi placuerit? Nonne dixit Mosi; Videbis posteriora mea? Videre autem Dei posteriora, tam est impossibile homini, quoad ejus naturam, quam ipsum Deum videre. Hinc etiam hoc quod posteriora Dei Moses vidit, Dei miserationi adscribitur. At in eo, quod quis naturâ videre potest, non opus est propriè miseratione. Nonne etiam*

o Unde potissimum veritas rei pendeat. *p* Modus & tempus ascensionis hujus Christi qualis esse potuerit. *q* Act. I. 9. *r* Joh. VI. 46. & VIII. 28. *ſ* Hominem mortalem posse aliquo modo Deum videre. *t* 1 Tim. VI. 16. *v* Exod. XXXIII. 29.

etiam D. Paulus, cum in tertium cælum vel paradisum raptus, ea audivit, quæ homini effari non licet, D. Iesum (x) vidit: cujus tamen naturam tunc Dei naturæ similem & divinam fuisse, certo certius est: idque in corpore ei mortali accidere potuisse, colligi potest ex illis verbis, dum ait: An in corpore, an extra corpus, nescio, Deus scit. Nam si in corpore fieri nullo modo illud potuisse Paulus scivisset, nunquam ita locutus fuisset, ut, in corpore illud contingere ei potuisse, inde colligi posset. Unde aliquo saltem modo apparet, posse etiam hominem mortalem videre Deum & D. Iesum Christum, si ita Deus velit, & Dominus Iesus Christus.

Quanquam multò magis statuendum est, id Domino Iesu contigisse, quàm vel Mosi, vel D. Paulo. Si enim Moses, de quo nusquam legitur, eum transfiguratum unquam à Deo fuisse, (ideoque mirum non est, si Dei faciem videre non potuit) tamen aliquid divinæ vidit præsentiæ. Si Paulus, etiamsi transfiguratus itidem non fuit corpore, & tamen affirmare ausus est, se Dominum vidisse, & ea in cælo audivisse, quæ effari non licet. Quantò magis hoc Domino Iesu adscribendum est, cujus Moses tantum figura, & qui Dominus Pauli fuit? de quo legimus, eum transfiguratum suo tempore fuisse ita, ut facies ejus mortalis, instar Solis splenderet, vestes verò, ut lux vel nix. (y) Multò enim aptior est ad videndum Deum, & ad conversandum cum eo, is, qui aliquo modo mutatus est; quàm is, qui nihil habet præter mortalitatem in corpore. Quod contingere ei potuisse, nihil prohibet. Non potest quidem corpus mortale perpetuò cum Deo vivere, ut etiam Apostolus ait, carnem & sanguinem non posse hæreditare, (z) hoc est, perpetuò obtinere regnum cælorum; sed tamen ad tempus, si Deus ita velit, & ita requirat ejus gloria, potest illius faciem aliquo modo aspicere. Quemadmodum etiam non potest quidem immortale corpus in hoc seculo præsenti, quod est locus mortalitatis, perpetuò degere; potest tamen ad tempus hic esse, si Deus ita velit, & gloria ejus id requirat, ut ostendit exemplum eorum, qui in Christi adventu ex mortuis resuscitabuntur. (a) Illi enim erunt incorruptibiles, & tales, quales in æternum futuri sunt, & tamen in hoc seculo apparebunt, (cum reliquis enim, quos Christus vivos offendet, in aërem rapientur) propter insignem scilicet Dei gloriam, & pœnam etiam hominum impiorum, qui oculis suis aliquo saltem modo aspicient illos, quos Deus ex mortuis resuscitatos, immortalitate donabit, & ita seipsos accusabunt, quod tantum bonum volentes scientes contempserint. Itaque tandem certum est, D. Iesum, mortalem licet, Deum Patrem suum vidisse, & ab eo immediatè doctum fuisse. Quod totum non parum facit ad commendandam nobis & omnibus hominibus à Christo promulgatam religionem, quæ, ut est singularissima & divinissima, sic etiam singularissimo & divinissimo modo ab ipso Deo D. Iesu sit revelata.

x 1 Cor. IX. 1. y Matth. XVII. 2. Marc. IX. 3. z 1 Cor. XV. 38. a 1 Cor. XV. 32. 1 Thess. IV. 17.

ELENCHUS CAP. IV. DISP. XI.

MUnus Christi, inquit, *triplex est, ut S. literæ testantur, & omnes hac in re consentiunt Theologi Christiani, Propheticum, Regium, & Sacerdotale. Quorum primum Christus dum in terris fuit perfecit: ad reliqua vero duo, aditus ei à Deo paratus fuit.* Est in hoc *Smalcio* cum Theologis Christianis concordia discors; quod non vult ipse, Christum in terris obiisse, ante adscensionem in cœlos, nec Sacerdotale, nec Regium, sed Propheticum tantum munus. De qua controversia dicendum erit infra ad *Cap. XV. & XXV.*

II. *Præstantia*, inquit porro, *& divinitas Jesu Christi ex munere ejus Prophetico elucet, si consideretur, primùm Modus quo Christus ad id munus initiatus fuit: deinde id quod in eo munere continetur.* Ad modum quo Christus ad munus Propheticum initiatus fuit, tria ista refert. 1. *Quod Christus ipsius Dei voce inauguratus.* 2 *Quod Christus ab utero matris muneri suo destinatus fuit.* 3 *Quod Christus in cœlo à Deo Euangelium didicit.* Primum ergo illud ponit; *Quod Deus apud Jordanem, dum Christus aqua à Johanne baptizaretur, de eo clara voce testatus est, quod sit suus filius, in quo acquiescat; & quod Spiritus Sanctus super eum corporali specie descendit tanquam columba Luc* III. 22. *Quod quidem totum*, inquit, *Johannis Baptistæ causa factum fuit, ut is, qui Christi præcursor futurus erat, non tantum opinaretur, Christum vere adesse; verum etiam ab ipso Deo edoctus certissime cognitum eum haberet, & tanto alacrius munere suo perfungeretur.*

III. Agnoscimus visibilem Christi inaugurationem, ad muneris sui publicam functionem, factam esse voce illa Patris è cœlo delata, & Spiritus S. descensu *Luc.* III. 22. & *Matth.* III. 16 17. Hoc vero totum ita Johannis Baptistæ causa factum fuisse, ut ille non tantum opinaretur, sed certissime cognitum haberet Christum vere adesse, parum digna Johanne Baptista assertio est. Neque illam assertionem probat illud Johannis Baptistæ testimonium; *Ego non noveram illum &c. Joh.* I. 33. eo enim nihil aliud significavit, quam sibi nec familiari conversatione, neque de facie, notum fuisse Christum, ante illum temporis articulum. Neque vero fieri potuit, ut non à puero fide divina crediderit natum vere esse Messiam, cum latere illum nequiverint (per Zachariæ patris & Elisabetæ matris traditionem διὰ παντός) illa quæ toto capite primo & secundo Lucæ Euangelistæ commemorantur, de concepto miraculose & nato ex Virgine Christo Domino. Neque cum illa fabula, (quam supra adoptabat *Smalcius*) de educatione Johannis divina miraculosa in deserto, consentaneum est, demum tunc cum baptisavit Christum, credidisse fide divina Christum vere adesse.

IV. Enimvero negamus illam inaugurationem tantum fuisse ad munus Propheticum: fuit vel maxime ad Sacerdotale quoque & Regium munus. Vox enim illa cœlestis & descensus Spiritus S. obsignavit Christo idem illud, quod

quod ipse sibi obsignari voluit suscipiens Baptismum Johannis, se nimirum esse illum qui omnem justitiam impleturus esset, tanquam foederis novi sponsor seu Sacerdos. Confer *Matth.* I I I. 16. *cum Hebr.* V I I. 21. 22. & *Rom.* X. 4. Atque illius justitiæ vadimonium se admisisse & admittere Pater testatus est, dicens, *in te acquiesco Luc.* I I I. 22. Neque vero nuda tantum vadimonii, seu sponsionis sacerdotalis, approbatio ista voce cœlesti continebatur, sed obsignatio quoque hæreditatis Regni, verbis illis, *Tu es filius meus*: quod confirmat collatio *Capitis primi ad Hebræos.*

V. Deinde negamus, visibili illa inauguratione Christum, ut declaratus fuit, ita demum tum revera factum esse Prophetam, Regem & Sacerdotem. Fuit quidem præstitutus ille temporis & ætatis Christi articulus, ad exercitium istorum munerum publicè cum authoritate obeundum. Attamen ipsa dignitas seu axioma personæ, quatenus idonea & digna censetur istis muneribus, non cœpit cum illo temporis articulo, quo cœpit ipsa visibilis inauguratio: sed *citra initium dierum* existit cum ipsa Filiatione Christi. *Hebr.* V I I 3. Adeo ut in in dierum carnis initio censeri debeat natus Rex, Propheta, & Sacerdos: sicut Magorum testimonio & adoratione salutabatur, *Natus Rex Matth.* I I. 2. & ante, Angelorum annunciatione ad pastores Bethleëmiticos, *Natus Servator Christus, Dominus Luc.* II. 11.

VI. Pervertit hæc *Smalcius*, nihil tribuens Christo citra dierum carnis initium: sed tantum circa visibilis inaugurationis initium.

VII. Enimvero, si ab initio nativitatis nihil in se habuerit Christus quare Rex Propheta & Sacerdos natus dici potuerit, debuerit, sed hoc tantum Christo tribui queat singulare, quod ab ipso nativitatis puncto ad munus destinatus fuerit: evidens est singularitatis istius nullitas, quia similiter ad munus suum obeundum cum tempus foret, ab utero matris segregati dicuntur Scripturæ affirmatione, & Jeremias *Jer.* I. 5. & Paulus *Gal.* I. 15. &, quod mox fatebitur *Smalcius*, Johannes Baptista.

VIII. Neque de Johanne Baptista nodum solvit verbis sequentibus: *Quod si quis dicat*, inquit, *Johannem etiam Baptistam in utero matris fuisse sanctificatum Luc.* I. 15. *illud totum ad Christi præstantiam illustrandam & amplificandam plane spectat, quod scilicet non tantum ipse Jesus talis fuerit; sed quod etiam ejus præcursorem talem esse Deus voluerit. Semper enim quidquid dignitatis habet præcursor, id in legati magni cedit auctoritatem.* Responsionis hujus nervos jam incidimus, *ad Caput III. Sect.* I. *Thes. VI.*

IX. De cætero, fallit & fallitur *Smalcius*, quando antithesin facit Christi, & reliquorum Prophetarum, quos plerumque Deus ex aliis vitæ generibus ad Propheticum munus delegebat. Etenim si hac consideratione fuit divinior Christi initiatio ad Propheticum munus, præ illorum initiatione, perperam jam aliquoties *Smalcius* ex singularitate majori majorem divinitatem exsculpsit. Certè magis singularis & extraordinaria censenda fuit illorum Prophetarum ad munus Propheticum initiatio, quos Deus ex aliis vitæ generibus deligebat, quam illorum qui in spem illius muneris Prophetici à pueritia educabantur, ut Prophetarum filii: ad quos

se comparans Amos, dixit ad Amasiam; *Non sum Propheta, neque filius Prophetæ sum, sed armentarius & colligens sycomora. Tulit autem me Jehovah, euntem post pecora, & dixit ad me Jehovah, vade, propheta populo meo Israeli.* Amos VII. 14. 15. Quemadmodum singularissima eo nomine fuit Unctio Davidis in Regem, quod Deus illum *à caulis ovium* evocavit. *Psal.* LXXVIII. 70.

X. Atqui ne hoc quidem verum est, non ex alio vitæ genere evocatum fuisse Christum, mox publice initiandum muneri Prophetico. Contrarium arguit illud Judæorum arreptum scandalum, de Christo Fabro, Fabri filio. *Marc.* VI. 2. 3. *cum Matth.* XIII. 54. 55.

XI. Rectius ergo, & ex vero, affirmabimus, citra illam ad Jordanem è cœlo initiationem Christi, ad publicam muneris functionem, meditandam potius Christi (infra prophetas insigniores quin ipsum Johannem Baptistam) humiliationem visibilem, quam eminentem præstantiam & divinitatem, quæ in Christi secundum carnem educatione, aut genere vitæ singulari emicuerit. Huic autem accepto à Judæis scandalo hoc opponendum, quod inde à matris utero assumpta sit, in unitatem personæ divinæ, natura humana: ac præstiterit persona illa divina, Christo nato, Prophetæ Regi & Sacerdoti illud eminens ac verè divinum axioma, ut unus ipse factus sit summus Propheta & Rex & Sacerdos, infinito intervallo post se relinquens quotquot ex hominibus unquam fuere Prophetæ Reges & Sacerdotes.

XII. Hæc vera est muneris quidem Prophetici Christi Divinitas: quam contestatus est Christus, affirmans, *se prius fuisse ubi quo postea ascendit, nimir. in cælo* *Joh.* III. 31. *se exiisse à Patre* *Joh.* XVI. 28. Atque *ea quæ loquitur, se illic vidisse & audivisse* *Joh.* III. 11. & 32. Ista enim contestatione muneri suo Prophetico vindicat (supra omnem humanam in terris sapientiam) superpondium illud cœlestis sapientiæ, qua *Deus solus sapiens* agnoscendus. *Rom.* XVI. 27.

XIII. Ut hic elabatur, comminiscitur *Smalcius* Paradoxon, ad quod in margine adnotata sunt loca *Joh.* VI. 46. *Joh.* VIII. 28. *Joh.* XVI. 28. Quæ bene habet, quod nimis manifesta agnoscit esse, sicut illis parallela, testimonia sacrarum literarum, quam ut explicari queant, per aliquid tale, quod similiter de aliis ante Christum Prophetis, vel de ipso Mose prædicari possit; adeoque agnoscat tacite, nihil solide responderi posse contra æternæ Deitatis Christi (per ipsissimam in Christo cœlestem sapientiam) ex istis testimoniis demonstrationem, si fallat ista, ad quam confugit, sacra anchora, Paradoxon nempe illud jam examinandum, *de locali descensione Christi ex cælo, antequam munus Propheticum publice obiret.*

XIV. Localem descensionem ex cœlo opinatur se confirmare satis, per localem post resurrectionem ex mortuis ascensionem, quæ illis testimoniis tangitur. Verum nihil ultra evinci potest quam illud, quod *Smalcius* verbis ultimis istis expressit, *eum prius in cælo fuisse quam in mundum veniret.* Hoc autem nullis fidiculis exprimetur ex ullo Scripturæ testimonio, Christum antequam in mundum veniret, secundum carnem in cœlo prius fuisse.

fuisse. Donec autem illud probetur, soli divinæ Personæ Christi asserimus Descensionem è cœlo: quam intelligimus non localem, proprie dictam, sed συγκατάβασιν condescensionem gratiæ, ad naturæ humanæ extra cœlum assumptionem in matris utero: quem matris uterum Spiritus alibi vocavit *inferiores terræ partes*, תחתיות ארץ / *Psal.* CXXXIX. 15. *cum Eph.* IV. 9.

XV. Neque localem illam Christi è cœlo Descensionem tueri potest *Smalcius*, (relicta *Anabaptistis* hæresi, de Carne Christi è Cœlo in uterum virginis illata, in conceptione ex Spiritu S.) quin abeat ab illa Analogia Fidei quam urget Apostolus *Eph.* IV. 10. Descensionem Christi, ut *Humiliationem*, Ascensione, ut Exaltatione, priorem esse. Contra autem *Smalcius* fingit Ascensionem Christi in Cœlum priorem Descensione è cœlo; de qua altum est in Scriptura silentium.

XVI. Initio non est accuratum lemma in margine positum; *Christi in cœlos ascensio & descensio non possunt referri ad incarnationem.* Descensionem enim tantum è cœlo ad incarnationem referimus modo jam explicato. Ascensionem differimus post resurrectionem Christi ex mortuis.

XVII. De cætero animadvertendum, quod modo ait *Smalcius*, *Christum prius in cœlo fuisse quam in mundum veniret*, modo negat, *Christum fuisse in cœlis antequam nasceretur ex Virgine*, illud niti, hic suppressa, sed alibi expressa, hypothesi; *Venire in mundum non idem valere quod Nasci, vel Nasci idem quod venire in mundum*: atque in verbis Christi illis *Joh.* XVIII. 37. *Ego propterea natus sum, & in mundum veni, ut testarer de veritate, aperte distingui, tanquam res diversas; quemadmodum etiam reipsa sunt*, inquit *Smalcius Homilia V. supra initium Joh. pag.* 55. Cui præivit *Socinus*, sed fluctuans inter duas expositiones, initio sequens receptam lectionem, & *in Explicatione primæ partis primi istius capitis pag.* 28. interpretationem verborum istorum *Joh.* I. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Sed mox censens *germanam lectionem & interpretationem esse, quæ illuminat omnem hominem veniens in mundum.* Atque illud posterius nuper dictavit, in eundem locum, *Grotius*.

XVIII. Præsidium quærit post *Socinum Smalcius* in Christi de se verbis istis *Joh.* XII. 46. *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat*: valde autem oscitanter, aut ad fallaciam aliquam, *Smalcius* Christum sic facit loquentem, *se lucem in mundum venisse, ut is qui se audit, in tenebris non ambulet.* Temere vero *ibidem pag.* 56. hæc subnectit: *Nemo autem est qui ausit affirmare Christum Jesum re ipsa Lucem fuisse tunc cum nasceretur, nisi quis nihil non audeat, cum quo nos*, inquit, *contendere nolimus.*

XIX. Ut ergo cominus hic pugnemus ad lucem, non ut Andabatæ in tenebris, hæc esto litis hujus contestatio: *Fueritne Christus* tunc demum *re ipsa Lux mundi*, quando munus suum Propheticum ipse publice obiit, post Baptismum à Johanne susceptum, an *ab eo etiam tempore quo in hoc mundo esse cœpit*? qua phrasi de Jesu Christi conceptione & nativitate usus est *Smalcius supra Capitis* III. *initio.* Prius contendit *Smalcius*, posterius nos asserimus.

XX. Pro nostra assertione facit; quod non potuit verum esse testimonium Johannis de Christo, ut vera luce mundi jam exhibita, ut digito posset monstrari & dicier hæc est, si non fuit, tunc cum hoc testaretur, reipsa lux, sed futurus demum Lux, post aliquod temporis intervallum, rapiendus in coelum, & sic è coelo, scilicet, in mundum venturus. Et consequenter, quod etiam intempestiva fuerit Christi, qui nondum in coelo didicerat Euangelium quod doceret in mundo, inauguratio è coelo ad Propheticum munus.

XXI. Retro autem ut accedamus ad tempus nativitatis Christi, si non fuit Christus re ipsa Lux, ex quo in mundo esse cepit, deceptus fuit & delusus, quod absit, Simeon; quando *dimitti* voluit *in pace*, dierum satur, professus *se jam oculis suis vidisse Lucem illam*, quam mox etiam Gentes visuræ essent & totus Israel. *Luc* II. 29 ---- 32.

XXII. Sive ergo unum sint per epexegesin Nasci & Venire in mundum, sive distincte venire in mundum sit apparere & exhiberi hominibus, salva res est; Christum non demum post annum ætatis tricesimum, sed ilico à nativitate cepisse exhiberi, ut Lucem illam veram & solem *orientem ex alto*, ἀνατολὴν ἐξ ὕψους. *Luc.* I. 78. 79.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XII.

VEllicavit *Smalcius*, verbis quæ *Sectione I. Thesi XVII.* exscripsimus, Figuram sermonis de Christo, quam communicationem idiomatum vocant orthodoxi, sed non sine calumnia orthodoxis affingens sensum *Nestorianum*, de alio atque alio Filio in Persona Jesu Christi: quasi dicant, per communicationem idiomatum *dici de Filio Hominis*, *quod de Filio Dei dicendum fuisset*, & constituant *Filium Dei præter Filium Hominis.* Nobis unus est Jesus Christus, ejusque Persona unica, in naturis duabus post incarnationem subsistens: sed bifariam denominationem habens, Filii Dei, & Filii Hominis, quarum illam habuit ante Incarnationem, hanc in Incarnatione accepit. Sive autem sub hac sive sub illa denominatione de Jesu Christo loquatur Scriptura, promiscue, sed inconfuse, illi adscribit alterutrius naturæ propria, ut Personæ jam communia. Atque hanc inconfusam communicationem proprietatum naturæ utriusque (qua communicantur non alteri naturæ ab altera reciproce, sed Personæ uni, habenti naturam utramque) flagitant, & expressæ illæ in Scriptura formulæ κατὰ σάρκα *Rom.* I. 3. & τὸ κατὰ σάρκα *Act.* II. 30. *Rom.* IX. 5. quæ alias nulli essent usui: & aperta illa Antithesis *Carnis*, secundum quam mortuus fuit Christus, & *Spiritus* vivifici, secundum quem, ut ipse Dominus è coelo, suæ vitæ & necis jus habuit ipse, adeoque sese ipse, & in mortem obtulit & ex mortuis vivificavit. I *Petr.* III. 18. *Hebr.* IX. 14. I *Cor.* XV 47. *Joh.* VI 63. *Joh.* II. 19. 22. *Joh.* X. 17. 18.

II. Audiamus quare nos vetet *Smalcius* hic ad figuram illam recurrere. *Optime tenendum est*, inquit, *tunc demum recurrendum esse ad figuras*, *cum verba quædam*

ba quædam absque absurditate, proprie ut sonant, ita intelligi nequeunt: & qui aliter faciunt, ii ex sacrosancto Dei verbo ludum & jocum faciunt, & ludibrio illud, quantum in eis est, exponunt. At quænam in eo est absurditas, si dicatur, Jesum, priusquam munus suum obiret in cœlo fuisse, & ibi à Patre suo omnia edoctum esse quæ nobis revelavit? R. In eo maxima est absurditas, quæ si admittatur merito ludibrium debebit infidelibus Religio Christiana: (non, si dicatur Jesum priusquam in mundum veniret in cœlo fuisse, sed) si dicatur tunc in mundum demum venisse, quando post Baptismum à Johanne susceptum, & tentationes in deserto superatas publice Prophetico munere fungi cepit; non venisse autem in mundum, neque quando in mundo esse cœpit, neque etiam quando jam venit ad Jordanem, & Baptismum flagitavit à Johanne, & baptisatus est, & voce Patris è cœlo, ac visibili descensu Spiritus S. publice initiatus fuit muneri suo.

III. Absurditas autem omni absurditate major ista est, in re, ex hypothesi, præpostere gesta: quod, si *Smalcium* audimus, Initiatio illa Jesu Christi ut unici summi Doctoris & Prophetæ, cum mandato isthoc, *Hunc audite*, facta est, cum ipse necdum vidisset, nec audivisset, nec didicisset Euangelium; quod ab ipso audiri jubebat Pater, post demum in cœlum vocandus, ad discendum id quod doceret. Merito quidem vel inter homines male audiunt, qui Doctores creant & renunciant tales, in quibus non eruditionem præsentem sed spem tantum coronant.

IV. Pergit tamen *Smalcius* offucias facere, quasi deductione ad absurdum pugnans. *Nobis certe*, inquit, *neque absurdum videatur, D. Jesum in cœlis fuisse, antequam munus suum obiret, & Euangelium docere inciperet, absurdum videretur eum ibi non fuisse, & alio modo quam per ipsam cum Deo conversationem & collocutionem, omnium eorum quæ nos docuit cognitionem consecutum esse. Multum enim sane decederet præstantiæ & divinitati muneris Jesu Christi, si eodem quo alii ante eum edocti fuerunt, ipse etiam doctus fuisset modo.* Et nobis absurdum illud videtur, D. Jesum in cœlis non fuisse antequam munus suum obiret: gratis ergo hoc objicit *Smalcius*. Verum asserimus in cœlis illum fuisse inde à creationis cœli & terræ principio, antequam etiam Veterum Prophetarum ullus munus suum obiret in V. T. non ut hominem Prophetici muneris candidatum, Dei in cœlis discipulum, sed ut ipsum summum Ecclesiæ à mundi initio Magistrum & Doctorem, per cujus Spiritum Prophetæ olim fuere illuminati è cœlo 1 *Petr.* 1. 11.

V. Minime autem (si animum adverras ad sequentia) antecedentibus consentanea loquitur *Smalcius*, gradatione usus. Ad quam non alia in præsens responsione nobis opus, quam ultimis illis antecedentibus *Smalcii* verbis; multum sane decederet præstantiæ & divinitati muneris Jesu Christi, si eodem quo alii ante eum edocti fuerunt ipse etiam doctus fuisset modo. Dicemus nos, si eodem aut simili modo tantum doctus fuit, quo ante eum Moses, & post eum Paulus.

VI. Minimè quoque de Paulo vero consentanea loquitur *Smalcius*, puta Paulum in cœlum fuisse raptum, ut ibi doceretur ab ipso Jesu Christo, ea

quæ

quæ alios docturus erat: neque in eam sententiam accipi potest Pauli gloriatio *Gal.* I. & II. & I *Cor.* IX. I. Contra enim ipse testatur, se raptum in Paradisum audiisse *ineffabilia verba, quæ non liceat homini eloqui*: neutiquam ergo quæ alios doceret. Atque hoc mirari licet à *Smalcio* neglectum, neque tentatam conciliationem ullam, cum tamen mox Pauli de suo raptu testimonium expresserit, ex 2 *Cor.* x II.

VII. Quandoquidem vero res ipsa loquitur, & conscius sibi est *Smalcius*, nihil hactenus ipsum produxisse, quod tanti sit momenti ad veritatem Fidei & Religionis Christianæ: adeo ut secundum *Smalcium*, absque eo Euangelium à Christo prædicatum non possit dici esse è Cœlo: sudat admodum, ut credatur non fabulam sed veram historiam referre, quamvis hactenus ignoratam. Ac initio postulare videtur Fidem historicam implicitam, cum ignoratione quomodo & quando res gesta sit, præstruens lemma istud marginale: *Non debet dubitari de re aliqua, quia certa aliqua ejus circumstantiæ ignorantur.*

VIII. Sermonis istius κυρίως ῥηθέντος, de Descensione locali è cœlo absque omni tropo vel figura, jam rejecimus: illa non demonstrata, obtrudi non debet fide divina credenda (prior locali illa descensione) localis ascensio Christi 30. annos nati, cujus nec vola nec vestigium aliud est in historia Euangelica: & quam nos vetat credere Apostolus, affirmans ἐφάπαξ Semel, & quidem demum post resurrectionem ex mortuis, factam localem Christi in Cœlum ascensionem. *Hebr.* I x. I 2.

IX. Quod *Joh.* I. 51. Christus dixit ad Nathanaëlem, id factum certo credimus, sed non absque omni tropo vel figura: loquitur enim Christus, in ænigmate visionis veteris, scalæ illius Jacobo Patriarchæ visæ *Gen.* XXVIII. 12. de apparitionibus Angelorum miraculosis, maxime in sua ex mortuis resurrectione, & ascensione in cœlum; & de jure ad cœlestem hæreditatem, & communione cum Angelis cœlestibus, quam ipse in se credentibus erat quæsiturus. De Pauli vero in tertium cœlum raptu, quæ ignorantur, & totum negotium illud, huic de quo disquirimus, dissimile est; non similiter tangens Euangelii è cœlo certitudinem & auctoritatem divinam, sed tantum, circa illam, personalem Pauli Apostolatus confirmationem.

X. Enimvero ultra pertendit *Smalcius* in hac disquisitione, ad Fidem etiam explicitam, timidius initio facto à lemmate isthoc marginali, *modus & tempus ascensionis hujus Christi qualis esse potuerit*; sed tandem concludens audaci assertione. *Sed præterea*, inquit in contextu, *non videtur omnino esse incognitum, quando aut quomodo Dominus Jesus in cœlum ascenderit. Quod enim ad Modum attinet, nihil absurdi plane in eo est, quod D. Jesus eo raptus sit. Hoc enim modo credimus eum in cœlos, post resurrectionem ex mortuis, assumptum esse: sicut testatur D. Lucas eum videntibus Apostolis elevatum esse, & nubem eum suscepisse ab oculis eorum: idem etiam Angeli repetiverunt, dum inquiunt, Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet &c. Quo vero modo Deus semel in elevando filio suo usus est, quid prohibet, quo minus credamus, isto etiam antea*

cum

eum usum fuisse? De modo quidem ascensionis *Smalcium* verba dare, neque ex animi sententia loqui, apparet ex discursu quem subnectit, sub isto lemmate marginali; *Hominem mortalem posse aliquo modo Deum videre*; in quo discursu sudat valde circa conciliationem suarum hypothesium, de ingressu Christi in cœlos post resurrectionem ex mortuis, abdicato corpore illo in quo mortuus fuit & resurrexit, & ascito novo corpore glorioso, cum prima quam tuetur ascensione, qua in cœlum intulerit corpus mortale. Planiora illic fient omnia.

XI. *Quod vero ad tempus attinet*, commentum apocryphum sic concludit. *Quæ si cui minus probentur, is hoc saltem consideret, nihil à nobis affirmari in hac re, quod cum analogia fidei Christianæ pugnet: nobis autem id plane ita se habere persuasissimum est: & hoc mysterium nobis à Deo per sacras literas revelatum esse plurimum gaudemus.* Non jam ergo ultra problematicè disquirit *Smalcius*; sed quod fide divina se credere persuasus est, asserit.

XII. Inanis hujus commenti ante Smalcium auctor fuit *Socinus*, *in Catechismi opere imperfecto pag.* 127. 128. 129. 130. qui porro hariolatur (quod miramur *Smalcium* non tangere) Christum antequam munus suum obire inciperet, in cœlum ad Deum, *fortasse non semel*, ascendisse, ibique aliquamdiu cum eo fuisse; *Moses enim*, inquit, *ante primam legis promulgationem ad Deum in montem Sinaï ter, si quis diligenter animadvertat, ascendisse legitur &c.* De tertiata Mosis ascensione in montem Sinaï, consentit ex nostris Doctissimus Theologus Sedanensis olim *Iacobus Cappellus in Historia sacra & exotica pag* 84. Socino autem incumbit probatio consequentiæ, quam nectit à Mosis ascensione ad ascensionem Christi localem.

XIII. Illi autem, quam fingit *Smalcius*, circumstantiæ temporis reclamat apertissime historia Euangelica, quæ affirmat, illos 40. dies Christum in deserto tentatum fuisse à Diabolo, & fuisse cum feris. *Marc.* I. 13. *Luc.* IV. 2. Neque hic consentanea secum ipse *Smalcius* loquitur: dicens, Christum 40. *dies, & totidem noctes jejunum in deserto consumpsisse.*

XIV. Nisi forte hic latet mysterium istud, ut quemadmodum de monte Sinaï, in quem Moses ad Deum ascendit, commentatur *Socinus*, de deserto in quo tentatus est & jejunavit Christus hariolетur *Smalcius*. Verba *Socini* hæc sunt. *Quin etiam ipse mons, propter Dei, quæ tunc ibi fuit, præsentiam, cœlum eo tempore fuisse dici potest; certe Moses Dei vocem, quæ de illo monte extitit, & audita populo fuit, de cœlo auditam fuisse ait.* Atqui sic non sine omni tropo & figura poterunt accipi verba Christi: & porro jugulabit *Smalcius* suum illud postulatum, quo vult, in idem cœlum, in quo prius fuerat Christus, ipsum ascendisse post resurrectionem ex mortuis, iterata locali proprie dicta ascensione.

XV. Longe vero convenientius illi tempori istorum dierum 40. quos jejunus in deserto consumpsit Christus, dixerit aliquis Christum localiter descendisse ad inferos, quam in cœlum ascendisse: propter Satanæ, quæ tunc ibi fuit, præsentiam, & continuas tentationes quibus in Christum incurrit, quas ut experiretur Christus in desertum à Spiritu subductus fuit. *Matth.* IV. I.

XVI. Neque ullo pacto raptus Pauli in cœlum 2 *Cor.* XII 2 3. respondere potuit isti in desertum subductioni Jesu Christi; sed verius illa afflicto Pauli à raptu illo secuta, quando ipsi datus est Angelus Satan, ut ipsum colaphis cæderet; *ibidem versu* 7.

XVII. Et aliena est hic *Smalcii* digressio, de visa in deserto à Christo facie Dei Patris: cum nullo modo raptus ad videndam faciem Dei repræsentari queat, per subductionem in desertum, ut tentaretur à Diabolo, & esset cum feris. Sed, si animum advertas, videtur potius huc facere ex Veteri Testamento typus hirci illius, quem anniversario expiationis die peccatis populi onustum Deus jubebat mitti in desertum, atque illic feris exponi. *Levit.* XVI. Ut fuerat verius hæc, isti typo respondens, ablegatio aliqua à facie Dei, non sine maledictione à Christo pro nobis tolerata, quam accessus ad Patrem ad videndam faciem ejus.

XVIII. Ad digressionem *Smalcii*, cujus lemma marginale est, *Hominem mortalem posse aliquo modo Deum videre*, singulari Disputatione mox nobis erit digrediendum; ut hominem sequamur κατὰ πόδα. In præsens sufficiet meminisse, quod *Thesi X* notabamus, incurrere istac assertione *Smalcium* in suas hypotheses de corpore Christi glorioso, in quo post resurrectionem ex mortuis in cœlum ascendit: quod fingit aliud substantia, quam istud in quo Christus mortuus fuit & resurrexit: quia scilicet istud exui debuit, ut in alio spirituali corpore in cœlis Deum videre posset.

ELENCHI SECTIO III. DISP. XIII.

Mirabili [illegible] *Smalcius* ostensurus Prophetici muneris Christi Divinitatem, ex eo, quod ante functionem muneris in cœlis Deum viderit, eo delabitur, ut disputet, Hominem mortalem posse aliquo modo Deum videre. Ad quod impertinens cum ipso nobis jam digrediendum. Sudat autem in hac digressione *Smalcius*, ut conciliet suum [illegible], quandoquidem hic affirmat Christum, cum adhuc Homo mortalis esset, & præterea nihil, in carne mortali localiter in cœlum ascendisse, & ibi Deum vidisse: alibi vero negat, hoc argumento, carnis resurrectionem, ad vitam æternam in cœlis degendam, quia non sumus in hac carne cœlum ingressuri, neque possumus in hac carne Deum videre.

II. Testimonia duo illa 1 *Tim.* VI. 16. & *Exod* XXXIII. 20 nimis aperte præscribunt contra Visionem Substantiæ Dei per externam oculorum inspectionem, quam ut elabi possit *Smalcius* exceptione ista, non esse illam impossibilem, *si Deus ita velit*. Non potest enim Deus velle id, quod contradictionem implicat cum substantia divina, cujus hic non tam attenditur immortalitas, quam natura spiritualis absolute infinita. *Joh.* IV. 24. 1 *Reg.* VIII. 27.

III. Necessaria ergo hujus erroris gangræna est, ut statuat *Smalcius*, Dei substantiam corpoream, & sua dimensione absolute finitam, quamvis nos lateat corporis Dei figura & mensura. Et quidem non potest non ex inferis

feris revocari *Anthropomorphitarum* hæresis, si animum advertas ad *Smalcii* istas hypotheses, quibus Hominis Christi glorificato corpori naturam divinam Dei naturæ similem tribuit, in proportione ad externam nostrorum oculorum inspectionem.

IV. Hoc illud est quod scribebat olim *Conradus Vorstius in Tractatu de Deo*, velificans Socinianismo. Asseruerat *pag.* 200. *nos Dei faciem visuros in futuro seculo, non tantum mentis visione, sed etiam oculorum.* Ut hoc tueatur, subjunxit *pag* 201. *Cc.* 2. *Si vocabulum Corporis in significatione latiore sumamus, nihil vetat Deo etiam Corpus adscribere.* Hoc porro explicuit in hunc modum *pag.* 237. *Gg* 4. *Substantia Dei*, inquit, *videbitur olim à nobis facie ad faciem.* 1 *Joh.* III 2. *Apoc.* XXII. 4. *Ergo non est prorsus & simpliciter infinita: nam quod tale est nullo sensu apprehendi potest: quia scilicet proportio esse debet inter objectum percipiendum, & rem seu personam percipientem.*

V. Nullum vero est exceptionis illius, *si Deus ita velit*, subsidium in *versu* 19. *Exod.* XXXIII. ex quo *Smalcius* illam conatur exsculpere, quasi dixerit Deus, quod per naturam est ἀδύνατον potest fieri divina miseratione. Et non potest quin Deo illic loquenti obloquatur *Smalcius*, contendens, si miseratione divina videri possint Dei posteriora, posse quoque videri Dei anteriora: scilicet, quia tam est impossibile homini, quoad ejus naturam, videre Dei posteriora, quam videre Deum ipsum. Etenim Deus exsertè docet se illud tanquam possibile velle Mosi largiri per miserationm suam, alterum vero esse simpliciter impossibile; neque in eo miserationi locum esse unquam futurum. *versu* 20 & 23.

VI Hypothesis vero illa falsa est, qua affirmat *Smalcius*, utrumque homini per naturam ejus æque esse impossibile; siquidem hic sine æquivocatione intelligit, *per naturam*, quod intelligi debet, ipsam Dei creaturam. Non enim univoce dicitur per naturam hominis impossibile, id quod per miseriam naturæ fieri nequit, & id quod contradictionem implicat cum naturæ finitæ modulo, quem habere censetur ex primæva creatione.

VII. Ad rem ergo; affirmamus, hoc posteriori sensu quoad naturam ipsam impossibile esse, ut homo, in quocunque naturæ statu, sive mortalis sive immortalis factus, unquam Dei substantiam videat oculis corporeis.

VIII. *Videre* autem *Dei Posteriora*, (si de oculis corporeis illic accipiendum sit, quod non abnuimus) citra *Anthropomorphitarum* hæresin non potest intelligi de ipsa Dei substantia: intelligendum vero erat de humani corporis specie, in qua Mosi Deus apparens faciem nullam, neque anteriora corporis videnda exhibuit, sed posteriora; docens in ænigmate illo stupendo, immensam & creato intellectui incomprehensibilem naturæ suæ perfectionem, neque cognoscibilem per Demonstrationem à priori, sed tantum à posteriori, ex effectis.

IX. Quatenus autem Videri Dei posteriora, ænigmate explicato, significat cognitionem divinitatis, per demonstrationem à posteriori, utilem

& salvificam, illa impossibilis est, non per primævam naturæ conditionem, etiam re integra, sed tantum per miseriam & maledictionem, quæ jam naturæ incumbit: quam miseriam tollens miseratione sua, restaurat naturam ad primævæ creationis imaginem Deus.

X. Ad videndum autem εἶδος σωματικὸν, (in quo præsentiam suam quasi videndam oculis corporis unquam exhibuit vel exhibiturus est Deus, absque illuminatione utili intellectus) perperam refertur illa misericordiæ divinæ libera dispensatio, verbis illis expressa, *miserebor cujus miserebor*: cum multos, qui ita viderunt Deum præsentem, exspectet judicium sine misericordia.

XI. Impertinentia autem sunt, quæ de mutatione & transfiguratione corporis Christi, & corporum nostrorum disputat *Smalcius*, qua ille aptior factus sit, & nos futuri simus aptiores, ad videndum Deum oculis corporeis. Nam I. Vult ipse Christum etiam citra hanc transfigurationem ad tempus potuisse videre faciem Dei. II. Deinde Christus etiam transfiguratus in monte sacro necdum cepit habere corpus immortale: frustra ergo negatur carnis resurrectio, & flagitatur hujus in quo nunc vivimus corporis permutatio cum novo spirituali corpore, ut Deus à nobis videri olim queat in corpore.

XII. Enimvero negamus ullam ejusmodi μεταμόρφωσιν vel olim ad breve tempus fuisse, aut nunc factam in Christo, aut post resurrectionem in nobis futuram, quâ ipsa à Deo creata natura corporis exuatur, & induatur corpus simile naturæ Dei; quod chimæricum est. Non enim in Resurrectione mortuorum abolebitur caro ipsa quæ jam corruptibilis & mortalis est, sed restaurabitur, abolita morte & corruptione quæ illam destruxit: adeo ut corruptibile hoc ἀφθαρσίαν, & mortale hoc ἀθανασίαν induat: & salva substantia carnis, mutetur substantiæ σχῆμα, quod Apostolus vocavit μετασχηματίζειν. Confer *Phil* III. 21. *cum* I *Cor* XV. 53. 54.

XIII. Ad locum Pauli I *Cor* XV 50. *Carnem & sanguinem non posse hæreditare regnum cœlorum*, non alia responsione opus est, quam ipsa ibidem expressa exegesi Apostoli, οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ, *neque corruptio incorruptibilitatem*. Urget ergo Apostolus ad possessionem vitæ immortalis, non corporum Transsubstantiationem, sed illum tantum quem diximus μετασχηματισμόν.

XIV. Neque corporum transsubstantiationem, per quam non resurgat hæc caro, patitur analogia resurrectionis nostræ & Christi, quia corpus nostrum debet esse σύμμορφον corpori Christi in resurrectione. *Phil* III 21. Habuit autem corpus Christi, tam post resurrectionem quam ante, carnem & ossa *Luc.* XXIV. 38. Quamvis etiam Apostolus simili phrasi, qua nostri corporis infirmitates vocat carnem & sanguinem, tempus illud quo Christus infirmitatibus in carne fuit obnoxius, vocet *dies carnis Christi. Hebr.* V 7.

XV. Est autem in tota hac digressione hoc geminum, non unum, πρῶτον ψεῦδος *Smalcii*. I. Quod carnem sanguinem & ossa Christi, quæ mors

mors ipsa abolere non potuit, & in quibus se post resurrectionem videndum & palpandum exhibuit Christus per dies 40 non intulerit in cœlos Christus; ut scilicet non ad breve tempus Deum videret miseratione divina in corpore mortali, sicut in prima isthac quam fingit Ascensione, sed in æternum in novo corpore glorioso immortali. 11. Quod tamen caro mortalis hæc & corpus illud gloriosum non ita toto cœlo, nec à se invicem, nec ab ipsa Dei substantia sint disproportionata, quin etiam homo mortalis, & impii etiam, si Deus ita velit, substantiam Dei videre possint saltem ad breve tempus.

XVI. Enimvero hæc errorum monstra, quæ & veri corporis naturam, & naturam Dei, & Scripturæ analogiam destruunt, talia sunt, ut non citra impietatem *Smalcius* à Christi Adscensione in cœlum, qua in corpore mortali Deum viderit, arcessat Muneris Prophetici Christi Divinitatem, & αὐθεντείαν Religionis Christianæ. Quid enim quæso hoc distat ab impia illa curiositate, quam Spiritus S. redarguit? *Deut.* XXX. 12. *Rom.* X. 6. exprobrans voces illas; *Quis nobis ascendet in cœlum?*

CAPUT QUINTUM.

DE

Christi præceptis, quæ Legem perfecerunt.

Adhuc igitur de modo, quo D. Jesus ad munus Propheticum initiatus fuit, disserentes, præstantiam & divinitatem illius ex eo ostendimus. Nunc eandem ex eo etiam ostendere conabimur, quod in munere D. Jesu Prophetico continetur.

(a) *Totum autem illud, quod in munere D. Jesu Prophetico continetur, est divinæ voluntatis revelatio & confirmatio.*

(b) *Divinæ voluntatis, quam Christus revelavit, duæ sunt præcipuæ partes: una præcepta ejus respicit, altera promissa.*

(c) *Præcepta, quæ Christus revelavit, duplici modo considerari possunt. Quædam enim sunt additamenta & perfectiones istius partis legis Mosaicæ, quæ moralis appellatur: quædam verò sunt plane singularia, & quasi nova. Nolumus autem nunc quicquam de eo dicere, quòd reliquas partes duas legis Mosaicæ, nempe ceremonialem & judicialem, D. Jesus abrogarit, revelato cultu spirituali, & lata lege charitatis.* (d) *Hoc enim D. Jesus non fecit, quatenus erat Propheta, sed quatenus Rex populi Dei. Itaque, cum de regno Christi sermo nobis erit, hujus etiam rei paucis mentionem faciemus. Nunc dicimus, Deum noluisse, ut D. Jesus, quamdiu in terris degebat, & cum Iudæis conversabatur, apertam abrogationis partium istarum*

a Munus Jesu Christi Propheticum in quo consistat. *b* Partes divinæ voluntatis. *c* Præcepta Christi quotuplici modo consideranda. *d* Christus legem non sustulit, quamdiu Propheta fuit.

istarum legis Mosaicæ mentionem faceret, ne scilicet justam causam habere viderentur eum rejiciendi illi, quorum causa inprimis missus erat. Imò propter hoc ipsum voluit Deus D. Iesum sub lege esse, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. (e) *Erant enim alias satis magna & multa, quæ eos à Iesu Christo recipiendo deterrere poterant, quæ tamen Deus extare voluit, ad ostendendam suam sapientiam & potentiam, & probandam atque exercendam fidem hominum, nempe quòd D. Iesus, quem Prophetæ Regem insignem illustrem & potentem fore prædicebant, tanta humilitate circumdatus venerat, & omnium injuriis expositus erat. Non erant igitur augendæ dubitandi causæ, absque ulla gravi causa. Imò, quemadmodum decebat Deum, primùm mittere Messiam humilem, infirmum & mortalem: sic rursus eundem decebat abrogationem partis legis differre in aliud tempus, ut illius sapientiæ & justitiæ Dei, quâ semper in docendis hominibus utitur, hic etiam vestigium & specimen appareret, nempe quod sensim & pedetentim Deus omnes suas actiones ad perfectionem perducit, hominum scilicet infirmitati in eo consulens. Monuerat olim Deus populum suum, si surrexisset in medio eorum Propheta, aut qui somnium se vidisse diceret, & prædiceret signum atque portentum, & eveniret, quod locutus esset, & diceret illis, ut irent, & sequerentur Deos alienos, quos ignorabant, & servirent eis, ne audirent verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia scilicet tentat eos Dominus Deus eorum, ut palàm fieret, an diligerent eum, nec non, in toto corde & in tota anima sua &c.* (f) *Jam si D. Jesus, qui Deum se esse non negabat, imò, ubi opus erat, docebat, & demonstrabat, se jure Dei filium vel Deum esse, si, inquam, is docuisset, legem ceremonialem & judicialem nullam esse, sed aliam esse rationem Deum colendi, certè Judæis, quæ illorum erat in Dominum Jesum malevolentia, speciosa occasio data fuisset suspicandi, eum esse falsum Prophetam, quia scilicet alium modum colendi Deum præscriberet, quàm Moses, in quem Judæi sperabant, & cui plurimùm tribuebant, præscripsisset, & sic omnis opera periisset. Non ita autem se res habet in aliis, quæ in D. Iesu inesse & apparere Deus voluit, cum vaticiniis Prophetarum, primo intuitu consideratis, parùm convenientia.* (g) *Nec enim Deus promiserat unquam disertè, Regem illum promissum statim, postеaquam natus vel exhibitus esset, illustrem & potentem futurum: sed tantùm simpliciter prædictum fuerat, eum illustrem & potentem futurum. Imò, ut D. Petrus ait, testati sunt Prophetæ, primùm de afflictionibus ejus, & deinde de consecutis eas gloriis.* (h) *Nihil igitur culpari jure potuit, si tandem talis factus est D. Iesus, qualem eum fore vates prædixerant. Quemadmodum etiam David (qui hac in re typus Iesu Christi fuit) non statim, posteaquam ad regnum electus fuit, in solio consedit, & regnare cœpit: sed post aliquot demum annos eam dignitatem obtinuit.* (i) *Sed ad rem. Non docuit igitur Iesus Christus, legem, vel ullam ejus partem, abrogandam esse: sed lege sartâ relictâ, docuit eum modum colendi Deum, quem deinceps omnes observaturi, & qui perpetuus futurus esset. Ex quo, quomodo D. Iesu præstantia & divinitas appareat, nunc videamus.*

(k) Tra-

e Gal. IV. 4. 5. *f* Deut. XIII. 1 *g* Quomodo intelligenda promissio divina de dando Rege vel Messia. *h* 1 Petr. I. 11. *i* 1 Reg. XVI. 12. 2 Reg. II. 11. & V. 1.

(k) *Tradidit igitur D. Iesus Christus hominibus, legem moralem servandam totam, excepto eo præcepto, quod cerimoniale esse omnes confitentur, de observando scilicet Sabbatho. Hoc enim eadem de causa sublatum est, propter quam alia plurima hujus generis sublata sunt. Voluit autem Deus, legi morali illud insertum esse, ut defectus & imperfectio ejus tantò magis appareret, & correctioni tanto amplior locus esset.* (l) *Singulis autem legis moralis præceptis ea D. Iesus addidit, quæ summam ejus qui illud facere potuit præstantiam & divinitatem indicant.*

(m) *In lege dictum erat, ne alios Deos præter unum haberemus, aut coleremus. Implevit eam & perfecit D. Iesus, dum & modum orationis (quæ una ex potissimis cultus divini partibus est) certum, & perpetuum, eumque planè divinum præscripsit; dum etiam modum colendi Deum novum, qui antea planè erat inauditus, revelavit & præcepit. Lex enim nusquam apertè præcipit orationem, nedum ut certum orandi modum præscribat. Cujus rei investigatio, si fortassè alicui curiosa videtur, is, si ea, quæ mox dicturi sumus, animadverterit, ad præstantiam D. Iesu & doctrinæ ejus multum eam facere, nobiscum confitebitur.* (n) *Rationes autem, cur in lege oratio præcepta non sit, hæ videntur esse. Primùm, quòd promissa omnia in lege proposita non superabant id quod homines facere tenebantur: imò plus lex videbatur præcipere, quàm promittere. Itaque jure quodam debebatur id, quod lex promittebat, ei qui illam observaret, nec, ut id præterea oraret, ullo modo opus erat. Deinde, quòd ea, quæ lex præcipiebat, absque singulari ope divina præstari poterant, eo saltem modo, in quo Deus acquiescebat. Nec enim ea alioquin præcipere salvâ justitiâ Deus potuisset, si nullo modo præstari potuissent. Quòd verò certus orandi modus in lege præscriptus non fuit, hoc ideò factum fuisse videtur, quod non semper Deus id, quod in lege cultoribus suis promittebat, daret. Quomodo igitur orare illud perpetuò potuerint? Id verò, nempe quòd Deus id, quod in lege promittebat, non semper dabat, salvâ justitiâ suâ facere potuit. Interim enim, alio modo sese obedientiam ipsorum remuneraturum, constituerat, nempe felicitate futura & æterna, cujus aliquem gustum iis saltem, qui in hoc seculo tam graviter afflictati fuere, concessum à Deo fuisse, nihil prohibet, & plusquam credibile est. At in novo Fœdere, & oratio nobis præcepta est & modus orationis. Oratio quidem ipsa primùm, quia promissa Euangelii superant omnem obedientiam nostram, & nemo vitam æternam, propriè loquendo, mereri potest: sed quantumvis quis obediat, precibus tamen insuper ardentissimis à Deo eam impetrare unumquemque, necesse est. Deinde, quia tanta est præceptorum Euangelii perfectio, ut, nisi subinde auxilio Dei juvemur, nullo modo ea simus completuri. Auxilium autem illud Dei summo cum conatu exorandum itidem est. Modus autem orationis certus præscriptus est, quia certò ea, quæ Deus in Euangelio promittit, petere ab eo possumus; & nemini illorum, qui Deo sub eo obediunt, negat is ea, quæ semel promisit; si æternam illam vitam & immortalitatem eis neget, .. quo æquè contenti esse possint, atque vitâ æternâ, nedum magis, quam vitâ æternâ.*

(o) *Quàm*

k Cur lex de Sabbatho abrogata. *l* Perfectio legis moralis per Christum. *m* Perfectio 1. præcepti. *n* Cur oratio in veteri Fœdere præcepta non fuerit: nunc autem præcepta sit.

(o) *Quàm porro divinus sit iste orandi modus, quem D. Iesus præscripsit, hinc apparet, quòd in tam brevi orationis formula multò plura continentur mysteria, quàm verba. Docet enim nos, quis sit ille Deus, qui nobis perpetuò invocandus est, nempe Pater. Consolatur nos, dum summi illius Dei filios nos esse tacitè innuit. Docet nos, quanta nos erga proximum charitate præditos esse oporteat, dum oramus, ut scilicet tam aliis, quàm nobis, omnia bona precemur; & , licet solus quis oret, ut Patrem tamen nostrum, communem scilicet omnibus Christianis, invocet. Docet nos, Deum Patrem, qui favore & potentiâ suâ ubique est, sedem suam habere in cœlis, nempe illis supremis & increatis. Docet nos simul, mercedem nostram in cœlis repositam esse, ubi Pater noster est. Docet nos, quænam sint ea, quæ necessario & perpetuo Deum orare possumus & tenemur. Docet nos, maximè petenda à Deo esse, quæ gloriam ejus, & salutem nostram spectant. Docet, semper majoris faciendam esse Dei gloriam, quàm omnia, & nostram etiam ipsorum salutem. Docet, quibus & quot modis, & quàm perfectè, gloriæ Dei studere debeamus, nimirum verbis, animo, & factis. Docet, celebrationem divini nominis, quæ verbis & ore absolvitur, particulam esse, eamque non postremam cultus divini sub novo fœdere; atque ita congregationes, quæ in eum finem, ut scilicet nomen Dei celebretur, fiunt, maximè commendat. Docet, hunc demum ore Deum rite celebrare, in cujus corde Deus regnet, qui sincero sit præditus animo, & qui se totum Deo regendum permittat. Docet, cor nostrum fundamentum esse cultus divini sub novo fœdere. Docet, cultum internum absque externis operibus nullum esse posse: & tunc demùm corda nostra Deo esse accepta, cùm ea reipsa facimus, quæ nobis sunt præscripta. Docet, posse aliquem, si velit, & Dei auxilium imploret, perfectè divinam voluntatem præstare, & omnes eam præstare teneri. Docet, quantâ & quàm assiduâ, imo perpetuâ Dei ope & auxilio salutis nostræ promotio indigeat. Hoc autem auxilium est donum Spiritus S. Simul etiam docet, quàm paucis, in rebus temporaneis, contentus esse possit & debeat homo Christianus: nempe si victum habeat. Docet, quomodo is etiam, qui jam victum habet, eumque abundè, totus tamen ex Deo pendere debeat, eumque rogare teneatur, ut victum ei det, hoc est, ut eo, quem habet, frui Deus sibi permittat. Docet, quantum sit bonum æterna salus, quæ scilicet hominibus eâ indignissimis oblata sit. Peccata enim remitti necesse est illi, qui salutem consequi velit: imò ipsa peccatorum remissio ipsa æterna salus est. Quid tamen eos inprimis & necessario facere oporteat, & quomodo ad eam aspirare illi debeant, qui eâ gaudent, apertè etiam monet, nempe ut in remittendis unicuique offensis faciles sese præbeant. Docet denique, quàm multa adversa ferenda sint homini Christiano; & quàm constanter ea ferri possint, ab illo, qui spem suam in Deo collocavit; & quam felix catastrophe istarum afflictionum tandem speranda sit. Hæc tot & tanta sunt mysteria, quæ tam brevi oratione continentur, & tamen vix aliquid eorum, quæ in ea continentur, obiter indicatum est. Divinus ergo is fuerit necesse est, qui tam divinam orationem concinnârit. Humanum enim ingenium vix multis verbis rem perexiguam satis perspicue explicare potest: rursus res maximas & plurimas paucissimis verbis & disertissime comprehendere, divinæ est industriæ.*

(p) *Modus*

o Præstantia Orationis Dominicæ. Matth. VI. 9. Luc. XI. 2.

(p) *Modus colendi Deum novus est, colere eum per Iesum Christum. Quod quidem duplici modo fit. Colimus enim Deum per Iesum Christum, dum cultum divinum Deo Patri tribuimus, non tanquam discipuli vel sectatores Mosis, sed tanquam Christi serv & subditi. Colimus etiam Deum per Iesum Christum, dum ipsum Iesum Christum colimus. Omnis enim cultus, qui Christo tribuitur, divinus in solius Dei Patris gloriam cedit. Hunc autem cultum tantùm hodie Deo acceptum esse, testis est D. Petrus,* (q) *dum ait:* Et ipsi tanquam lapides vivi, superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre hostias spirituales, acceptabiles Deo per Iesum Christum. *Quod idem etiam confirmat Autor Epistolæ ad Hebræos,* (r) *dum ita monet Fideles:* Per eum (*Christum*) itaque offeramus hostiam laudis semper Deo; id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. *Et ubicunque jubemur aut dicimur aliquid, quod ad cultum Dei & religionem attinet,* (s) *per Iesum Christum facere, ibi duplex ista significatio locum habet, & jure consideranda est. Quis verò dubitet, eum esse divinum, sine quo divinus cultus hodie nullus est?*

(t) *Præcipit lex, ne ullius rei, quæ in cœlo desuper, & in terra deorsum, & in aquis sub terra est, imaginem vel similitudinem, neque faciamus, neque adoremus, neque eidem serviamus.* (v) *Perfecit eam & implevit D. Iesus, dum per Apostolos omni ratione vitare jubet idola, adeo ut etiam loca illa vitemus, ubi ea coluntur.* (x) *Præcipit lex, ne nomen Domini in falsum vel vanum assumamus. Perfecit eam & implevit D. Iesus,* (y) *dum nec in rebus veris illud assumere vel invocare permittit, (nisi tale quid à nobis exigat gloria Dei) ut ita nomen DEI semper apud nos sit sacrosanctum, & nunquam vilescat; & ne sæpe jurando, pejerare etiam assuescamus.* (z) *Præcepit lex sanctificare diem Sabbathi. Hoc præceptum, quia cæremoniale est, D. Iesus non perfecit, sed illud sustulit, ut & alias cærimonias, de quo nobis posteà sermo habendus erit.* (a) *Præcipit lex, ut honoremus patrem & matrem. Hoc, quia ita comparatum est, ut perfici & augeri non possit, hodie etiam ratum manet: auctum verò est & perfectum à Christo, quatenus etiam parentibus, & omnibus aliis, qui parentum loco sint, utpote magistratui, dominis, maritis, præcipit, quid eis faciendum sit. Nempe, ut, quemadmodum Deus ipse, qui anteà Dominus tantùm omnium erat, per Iesum Christum patrem sese exhibuit: ita etiam omnes, qui in alios imperium habent, non ut domini tantùm, sed magis ut patres sese gerant erga eos, quorum domini sunt; & ne ipsi etiam parentes imperio suo in liberos, quod post ipsius Dei imperium absolutissimum est, abutantur. Parentibus igitur* (b) *præceptum est, ne irritent liberos; sed ut eos educent in timore, & correctione Domini.* (c) *Magistratui, ut agnoscat, se à Deo potestatem in alios consecutum esse; & ut proinde ea ad defensionem innocentium, & pœnam improborum utatur.* (d) *Dominis, ut remittant minas, reddant quod justum est, memores suum & servorum suorum Dominum esse in cœlis, & non esse apud eum*

p Modus colendi Deum novus per Christum. *q* 1 Petr. II. 5 *r* Hebr. XIII. 15. *s* Phil. I. 11. *t* Perfectio II. præcepti. *v* 1 Cor. X. 14. *x* Perfectio III. præcepti. *y* Matth. V. 34. 2 Cor. I. 23. *z* Perfectio IV. præcepti. *a* Perfectio V. præcepti. *b* Eph. VI. 4. Col. III. 21. *c* Rom. XIII. 1. *d* Eph. VI 9. Col. IV. 1. Col. III. 19.

personarum acceptionem. (d) *Maritis, ne sæviant in uxores: sed eas ament ut seipsos, & honorem eis, ut infirmiori vasi, exhibeant. Quod enim ad ea attinet, quæ subditi magistratui, quæ servi dominis, quæ uxores maritis debent, ea hic commemorare non est necesse. Ex eo enim, quòd lex charitatis, exercenda à magistratu in subditos, à dominis in servos, à viris in uxores præscribitur, manifestè apparet, omne genus obedientiæ, honoris, timoris (quod obedientiæ, honori, & timori Dei non adversetur aut detrahat) deberi à subditis magistratui, à servis dominis, ab uxoribus maritis.*

(e) *Prohibet lex, ne occidamus.* (f) *Perfecit eam & implevit D. Iesus, dum non tantùm prohibet, ne cuiquam irascamur, ita, ut de vindicta cogitemus; & ne vel verbo, vel facie austera, quæ vindictæ sunt fomites & igniculi, alium offendamus: verùm etiam dum neque per magistratum injuriam ulcisci permittit, &, ne injuria nobis inferatur, nihil non facere, & ex iis, quæ habemus, aliis etiam dare & accommodare jubet* (g) *Prohibet lex, ne adulteremur.* (h) *Perfecit eam D. Iesus & implevit, dum ita intueri etiam vetat mulierem, ut eam concupiscamus, pro adulterio cordis illud reputans Dum uxorem nulla de causa dimittere permittit præter adulterii: Dum omnem scortationem & impuritatem, turpiloquium, obscœnitatem, & urbanitatem, (quæ apud Philosophos ethicos inter virtutes numeratur) planè interdicit Et ut quam continentissimi esse possimus, summoperè nobis commendat jejunium* (i) *Quod aliud nihil est, quam abstinentia à cibis & potu ad certum tempus, eum in finem instituta, ut res sacræ tantò commodius peragi possint* (k) *Prohibet lex, nè furemur. Perfecit eam & implevit D Iesus, dum non tantum aliena rapere prohibet, & egentem iuvare præcipit verum etiam non permittit, ut quis, quantumvis id absque alicujus injuria facere possit, plus bonorum acquirat, quam ei opus est ad sustentandam hanc vitam: & si tamen plus acquisiverit aut possideat, quam ei opus est, id totum suadet in liberalitatem erga egenos, & in alios usus pios, convertere: miram denique & divinam quandam in omni vita temperantiam præscribit, ne ulla ratione id in nosmetipsos conferamus, quod aliis jure charitatis debetur.*

(l) *Prohibet lex, ne falsum testimonium dicamus adversus proximum Perfecit eam D Iesus & implevit, dum omnis generis mendacia & levitates planè tollit, obtrectationes etiam, censuras, judicia, & condemnationes, à suis cultoribus longissimè abesse vult, quæ omnia mendacii species sunt.* (m) *Prohibet denique lex, ne concupiscamus quicquam eorum, quæ proximi sunt: Perfecit eam D Iesus & implevit, dum non tantum prohibet, quemadmodum lex prohibebat, ne istiusmodi concupiscentiis delectemur, sed ne unquam apud animos eas nostros concipiamus. O divinam legis divinæ perfectionem. O divinum eum, cui tantæ rei perfectio reservata fuerat, quam nemini Deus unquam, ne in minimo apice legis, concesserat. Soli sibi Deus hanc libertatem reservârat: Solus eam D Iesus ad effectum perduxit. Verè igitur proximus à Deo & divini similis est D. Iesus.*

ELEN-

d Eph. v 25. 28. 1 Petr. III 7. *e* Perfectio VI. præcepti. *f* Matth. v 23. v. 39 v 42. Luc VI 35. *g* Perfectio VII præcepti *h* Matth. v. 28. Matth. XI 9. Eph. v. 24. *i* Quid sit jejunium *k* Perfectio VIII præcepti. 1 Tim. VI. 8, 17. *l* Perfectio IX. præcepti. *m* Perfectio X. præcepti.

ELENCHUS CAP. V. DISP. XIV.

Nihil hic complectitur *Smalcius*, quod non contineatur intra peripheriam externi illius ministerii, quod homini, ut Dei hypodidascalo, mandari potuit. Atque in isthoc ministerio hominis, negari non potest, Christum Collegas habuisse (& qui ante, & qui cum ipso, & qui post ipsum docuerunt) Prophetas V.T. Johannem Baptistam & Apostolos. Qui similiter, ut Homo Christus Jesus, dederunt cognitionem salutis populo Dei, & annunciarunt omne Dei consilium, ut immediate à Deo edocti Hypodidascali Dei. *Luc.* I. 77. *Act.* XX. 20. Ea propter nulla hic singularitas ac Divinitas Christi, quæ vetet illos omnes appellare Christi Fratres, ab uno Patre θεοδίδακτοις *Joh.* VI. 45. esto Christus inter illos emineat ut *primogenitus*. *Rom.* VIII. 29.

II. Christus vero aliam longe asserit muneri suo Prophetico Divinitatem; quando (secus quam in iis quæ spectant originem carnis & subjectionem ad obedientiam *Hebr.* II. 11.) erubescit ipsos Apostolos, eminentissimos ex hominibus Ecclesiæ Doctores, Fratres appellare *Matth.* XXIII. 8. *Vos autem*, inquit, *ne vocemini Rabbi*; *Unus enim est Doctor vester Christus*: *omnes autem vos Fratres estis*. Et mox *vers.* 10. *Ne vocemini Doctores*: *unus enim vester est Doctor Christus*.

III. Vindicandum ergo necessario plus aliquid Uni absolute summo omnium Doctori Christo, quam illa voluntatis Divinæ revelatio & confirmatio, quæ Prophetarum & Apostolorum cum Christo communi ministerio continetur: à quo Christus non Dominus denominatur, sed Diaconus seu minister, διάκονος περιτομῆς *Diaconus Circumcisionis*, id est servus seu minister Dei in Verbi prædicatione ad Ecclesiam Circumcisam Judæorum. *Rom.* XV. 8.

IV. Singulare autem & divinum illud, quod relinquitur Christo supra omnes Fratres Verbi ministros, est foris quidem αὐτοπιστία illa, de qua ipse contestatur *Joh.* VIII. 12. 14. *Etiamsi ego testor de me ipso, testimonium meum verum est*. Quia ipse ipsa veritatis *Lux*, adeoque Deus ipse è Cœlo testatus *Joh.* I. 6. 7. I *Joh.* I. 5. & V. 7. *Hebr.* XII. 25. Intus vero ἐνέργεια illa & efficacia, qua ipse, similiter ut Pater, ita docet, ut quibus & quando vult mentem aperiat, ut intelligant *Luc.* XXIV. 45. *cum Joh.* VI. 35. In quo genere docendi Apostoli fatentur *se nihil esse*. I *Cor.* III. 7. Deum vero esse, qui det labori ipsorum isthoc incrementum.

V. Post hujus Capitis præliminaria, quæ jam vidimus, antequam titulum capitis exsequatur, præmittit *Smalcius* Diatribam de Legis Mosaicæ Cæremonialis & Judicialis abrogatione, ut scilicet stabiliat illud πρῶτον ψεῦδος, (quod nulla non habet ψευδώνυμος religio Christiana, extra Ecclesias Euangelicas & Reformatas) Euangelium esse Novam Legem, ejusque Novum Legislatorem esse Jesum Christum.

VI. Animum adverte Lector. Hypotheses *Smalcii* istæ sunt. I. Non ante revelatum esse solide cultum spiritualem, neque latam Legem charitatis, quam cum abrogatæ fuerunt partes duæ legis Mosaicæ, quæ abrogandæ erant, nempe cæremonialis & judicialis. II. Duas illas partes legis nec abrogavit nec abrogandas docuit D. Jesus quamdiu Propheta fuit. Judica, an ex istis duabus præmissis sequatur conclusio ista; Ergo D. Jesus quamdiu Propheta fuit, non solide revelavit cultum spiritualem, neque tulit Legem charitatis.

VII. Quandoquidem jam Euangelium Nova Lege, & Gratiam quæ per D. Jesum facta est Nova Legislatione, definit *Smalcius* cum sociis: necessariâ consequentia D. Jesus, quamdiu Propheta fuit, nec Euangelium nec Gratiam Euangelicam solide revelavit aut docuit, sed revelationem illam, (à qua esset finis Legis & initium Euangelii putandum) distulit post gloriosam in cœlum Ascensionem.

VIII. Hic quærere nobis licet; cui bono ergo asserta à *Smalcio* (prior gloriosâ illa Ascensione) Ascensio Christi in Cœlum, ut in Cœlo disceret Euangelium, quod in terris doceret, munere Prophetico fungens. Nihil enim illa muneris Prophetici divinitate opus fuit, puta Descensione è cœlo locali, si, quamdiu Propheta fuit, premere debuit quæ in cœlo viderat & audiverat, & hærere tantum Legi Legislatoris veteris Mosis.

IX. Hæc illa est quam alibi notavimus gangræna Theologiæ Anabaptisticæ, circa quæstionem *de Fine Veteris & Initio Novi Testamenti:* quod similia nobiscum loquentes (nempe, *non impletam per Christum Legem ante toleratam Mortem*) hoc monstri alant; *Novæ Legislationi Christi colophonem demum accessisse post mortem Christi, cœpta Apostolorum prædicatione. Adeoque nec doctrinam Christi pariter firmam & ratam habendam esse in omnibus, ante passionem, atque post mortem ipsius: neque tam solide stari posse prædicationi & exemplo Christi nondum exaltati, ad fugam pollutionis spiritualis Euangelio dignam in Ecclesia Christiana, atque doctrinæ ab Apostolis traditæ.*

X. Certe si D. Jesus, demum postquam Propheta esse desiit, non per se ipsum, sed per Apostolos à Spiritu S. edoctos, revelavit æternum illud Euangelium, quod in cœlo didicerat; non licebit D. Jesu parem (in muneris Prophetici functione) bonam fidem tribuere, ac Mosi: neque ex vero dixit Apostolus D. Jesum *Apostolum professionis nostræ*, πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, ὡς καὶ Μωσῆς ἐν ὅλῳ οἴκῳ αὐτοῦ· *Hebr.* III. 1, 2. *cum Num* XII. 7.

XI. Quam vero pudenda, & Religioni Christianæ probrosa, ista πρόφασις, quare non revelarit in terris D. Jesus quamdiu Propheta fuit, quas in cœlo à Patre acceperat tabulas novæ Legis? *Ne scilicet justam causam habere viderentur eum rejiciendi, illi quorum causa inprimis missus erat.* Cedendum scilicet fuit *Judæorum malevolentiæ, quibus certe speciosa occasio data fuisset suspicandi eum esse falsum Prophetam*, qualis describitur *Deuter* XIII. 1 Imo, *propter hoc ipsum, Deum voluisse ut D. Jesus legi illi se subjiceret.* Quod est, si scapham scapham nomines, ut sub pœna capitis se contra promulgationem

Euangelii

Euangelii, quod in cœlo didicerat, Legi Mosis obstringeret, quamdiu Propheta esset.

XII. Si vero (quod supponit *Smalcius*) D. Jesus, post gloriosam in cœlum Ascensionem, præscripsit alium modum colendi Deum, quo præter verum Israëlis veterem Legislatorem, ipse quoque ut Deus & Legislator Novus coleretur; non debuit unquam vel ad momentum se subjicere Legi tali, qua ex hypothesi, veritas Euangelii detineretur sub Judæorum malevolentia captiva, ad injustam ipsius occisionem.

XIII. Enimvero Lex illa *Deuter.* XIII. I. hoc pacto non citra impietatem à *Smalcio* traducitur, tanquam τὸ κατέχον, quod remoratum est revelationem Euangelii, quia, propter illam Christus ipse Judæorum malevovolentiæ cedere debuit ad subjectionem, quamdiu Propheta fuit, majorem Divinitatem muneris Prophetici relicturus Apostolis suis, eosque, ut Rex, donaturus majori spiritu fortitudinis, ad prædicandum Euangelium magis γυμνῇ κεφαλῇ, quam ipse habuerat, etiamsi è cœlo descendisset. Apage.

XIV. Neque vero contra Euangelii Christi revelationem illa lege præscriptum dici potest, quin auferatur etiam Apostolis Christi, illa pro Religione Christiana Apologia, qua negarunt à se doceri *Apostasiam à Mose Act.* XXI 21. & contestati sunt, se in ipsa Religionis Christianæ prædicatione, qua testabantur Christum jam in cœlis regnantem, nihil quidquam dicere, extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerant *Act* XXVI. 22.

XV. Contra ergo censemus merito, & Christum in terris prophetantem, & Apostolos à Christo in cœlis regnante missos ad promulgandum Euangelium, in Muneris Prophetici functione fuisse non exleges, sed ad Legem scriptam adstrictos: ut de jure divino fuerint obnoxii interdicto illi *Deuter.* XIII. I. puniendi ut falsi Prophetæ justo mortis supplicio, si aliud Euangelium docerent, quam quod è scripto Canone Mosis & Prophetarum cognosci & confirmari posset.

XVI. Hoc pacto credimus Christum, sine muneris Prophetici exemptione, universaliter *factum sub lege*, ὑπὸ νόμον *Gal.* IV. 4 ut etiam fideli functione muneris illius, secundum Canonem scriptæ legis perfectum, omnem justitiam impleret, in assumpta forma servi, factus ex muliere: quod persuadet Christi provocatio ad Scripturarum scrutationem, & ad Mosis testimonium, in doctrinæ suæ examine, ut nollet ratum aut verum haberi, quantumvis αὐτόπιστον suum de se ipso testimonium, absque Mosis & Prophetarum scripto testimonio. *Joh.* V. 36. 39-46. *cum vers.* 31.

XVII. Locum illum *Gal.* IV. 4. sua μεθοδεία τῆς πλάνης *Smalcius* torquet in contrarium, tacitâ ad alterum locum I *Cor.* IX 20 parodiâ, ubi dicit Paulus, *se iis qui sub lege erant factum sub lege, ut eos qui sub Lege erant lucrifaceret, cum liber esset ab omnibus*: loquens de libertatis Christianæ usu, prudenter à se temperato aliqua servitute veteris Legis jam antiquatæ, ad Ju-

dæos lucrifaciendos, tempore illo inter Christi mortem & templi atque urbis excidium intermedio. At fallitur & fallit.

XVIII. Non venit in mentem Paulo scribenti ad Galaticas Ecclesias, (de *Plenitudine illa temporis*, qua *emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum ὑπὸ νόμον, sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut Adoptionem acciperemus*) ut prædicaret aliquid, quod, tanquam paradoxum prudentiæ Christi factum, imputandum esset Judæorum malevolentiæ, cui illum cedere voluerit Deus, & ad tempus cohibere uberioris gratiæ revelationem: ac propter Judæos, quamvis ipse liber esset ab omnibus, vivere ἰουδαϊκῶς. Sed propositum fuit Apostolo commendare Gratiam Christi, factam omnibus Dei Filiis, qui in Christo baptisati Christum induunt: qua ipse, ut esset Mediator Dei & Hominum, nasci voluit ex muliere, in forma servi, ut, sua pro nobis obedientia secundum Legem Dei, omnem justitiam impleret, & omnem Legis maledictionem nobis debitam exantlaret, ad nos redimendos & vindicandos in plenam libertatem filiorum Dei.

XIX. Est autem hic intercurrens, minus principalis ex scopo Apostoli, consideratio subjectionis Christi in diebus carnis, sub lege cæremoniali: quæ tantum habebat visibilem obsignationem, ceu chirographum peccatorum, quod cruci affixurus esset Christus, purgatione peccatorum per se ipsum peracta. Non poterat fieri ex muliere Mediator Dei & Hominum Christus, ut non fieret sub Lege debitor, & sustinendæ maledictionis, & implendæ omnis justitiæ. Non poterat fieri ex muliere Judaïca, quin fieret sub lege cæremoniali, & acciperet Circumcisionis signum, in sigillum justitiæ, ut debitor totius legis implendæ, ad justitiam, nobis imputandam ex Fide in ipsum. *Gal.* v. 3. *Coloss.* II. 14. *Rom.* x. 4. & IV. II.

XX. Mirari vero licet, quomodo, ut colorem aliquem dicat *Smalcius*, quid coëgerit Christum, si liber esset à servitute Legis cæremonialis, cedere Judæorum malevolentiæ ad subjectionem, quamdiu Propheta esset, plane mutata priori velificatione, qua circa initiationem in Prophetico munere, si vera est fabula, localiter in cœlum ascenderat, ut cœlo deduceret Novæ Legis tabulas) quomodo inquam nunc ex 1 *Petr.* I. II. liberaliter adeo loquatur de prædictionibus Propheticis, quibus prænunciatæ fuere eventuræ D. Jesu afflictiones, & deinde consecuturæ gloriæ: quasi prædictiones illæ Judæis intellectæ satis fuerint, ut minus speciosus fuerit prætextus in scandalo humilitatis, qua circumdatus fuit Christus, quam hic fuisset, si γυμνῇ κεφαλῇ revelasset totum Euangelium cœlitus allatum. Cum supra (prætextu verborum Petri 2 *Petr.* I. 20. *Nulla Prophetia proprii est intellectus*) contenderit omnes de Christo prædictiones Propheticas, tantum ex mente & explicatione Apostolorum in N. T. docentium, non vero ex Prophetarum loquentium mente, ad Christum pertinere: *nec ad eos omnes qui ante Christum fuerunt, quidquam Christum pertinuisse.*

XXI. De cætero nos, neque justam causam, neque speciosam occasionem, de Christo tanquam de somniatore & falso Propheta (miraculis abutente ad Apostasiam à Mose) cogitandi aut sentiendi Judæis datam esse, aut dari potuisse, per Euangelii fidelem prædicationem, concedimus. Neque hoc damus, Christum quamdiu Propheta fuit non docuisse Canonem illum Euangelii, seu Principium illud doctrinale, cui nititur, sequuta post mortem ipsius, legis cæremonialis abrogatio. Aperta quidem est Christi ad Samaritanam affirmatio; *Venisse horam, quando non ultra Hierosolymis adorandus esset Pater, sed ubivis locorum in spiritu & veritate Joh.* IV. 19. 24. Et Judæis aperte prænunciavit extremum, & Templi & Urbis sanctæ, excidium; quod non poterat non secum trahere sacrorum cæremonialium abolitionem *Matth.* XXIV. 12. *&c*

XXII. Neque vero, iis qui sensus habebant in Scriptura Prophetica exercitatos, opus fuit alio Principio aut Canone Theologiæ, aut ad discendam Legem Charitatis, (est enim illa nihil aliud quam Lex moralis Mosaica Mosis & Prophetarum concionibus explanata; quod infra erit confirmandum) aut ad exspectationem oportunitatis melioris, qua abrogaretur cultus cæremonialis vetus. Exstabant enim oracula Prophetica, de Sceptri & Legis ac Sacrificiorum cessatione in diebus Messiæ *Gen.* XLIX. 10. *Jer.* III. 16 *Dan* IX 26 & de Sacerdotii mutatione in persona Messiæ. *Psal.* CX. *Hebr.* VII.

XXIII. Et fuit constans doctrina Prophetica in ipso V. T. de cultu cæremoniali, quod ille tantum esset institutus in confirmationem & obsignationem pædagogicam cultus spiritualis: adeo ut citra istum ille ne quidem mandatus esset aut præscriptus. I *Sam.* XV. 22. *Psal* L. 13. *Esai* I. 12. *Mich.* VI 6. 7.

XXIV. Hinc solidè Apostolus demonstrat, esse ritus istos legales comparatos εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, ut ipso usu corrumpantur, promulgato Euangelio de Christo exhibito *Col* II 22. Quia ritus isti tantum sanciti sunt *usque ad tempus correctionis Hebr* IX 10 & citra jusjurandum voluntatis divinæ ἀμεταμέλητον *Hebr* VII 21. cum ἐπεισαγωγῇ *spei melioris ibid. vers.* 19. tanquam *umbræ* prænunciæ venturi corporis, dispariturae per ipsam corporis præsentiam *Hebr.* X 1. *&* *Col.* II 17.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XV.

Reliquum nunc est, ut videamus quomodo Dignitatem D. Jesu in functione muneris Prophetici ostensurus sit *Smalcius*, consentanee suis hypothesibus, de Lege veteri Mosis sartâ relictâ, quam demum regnans in cœlis esset abrogaturus novæ legis promulgatione: quæ hypotheses non patiuntur verum esse, (quod videri voluit asserere supra, *initio Capitis IV.*) Christum dum in terris fuit perfecisse munus suum Propheticum.

II. Ad

II. Ad illud τὸ ναὶ καὶ τὸ οὒ occultandnm, dicturus de Christi præceptis quæ legem perfecerunt, miscet iis quæ præcepit Christus quamdiu in terris Propheta fuit, plurima, quæ demum regnante in cœlis Christo scripserunt Apostoli Christi, adeoque quæ ex *Smalcii* methodo non probant ipsius D. Jesu muneris Prophetici (sed muneris Apostolici discipulorum ipsius) divinitatem, ut videri possint magistrum in terris docentem, ipsi in terris similiter docentes superasse.

III. Si dixeris pro *Smalcio*, probari divinitatem muneris Prophetici Christi, eo ipso, quod Apostoli, quæ docuerunt à Christo magistro didicerunt. Respondebimus. I. Nihil *Smalcium* istud juvare, nisi probaverit, didicisse illos omnia, quæ per Spiritum S. docuerunt, à D. Jesu quando in terris Propheta fuit: quod non consentit iis quæ præstruxit *Smalcius*; non fuisse revelatum cultum spiritualem, nec latam legem charitatis, quantisper factus fuit sub Lege D. Jesus. II. Si exceperis à D. Jesu privatim didicisse Apostolos, quæ non docuerit D. Jesus publice quatenus Propheta fuit, refellitur hoc illa Christi ad Cajapham apologia de doctrina sua; *Ego palam loquutus sum in mundo: ego semper docui in Synagoga & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto loquutus sum nihil. Joh.* XVIII. 20.

IV. Sed *Smalcium* præeuntem porro sequamur. *Tradidit igitur*, inquit, *D. Jesus Christus hominibus legem moralem servandam totam: excepto eo præcepto, quod cæremoniale esse omnes confitentur, de observando scilicet Sabbato. Hoc enim eadem de causa sublatum est, propter quam alia plurima hujus generis sublata sunt. Voluit autem Deus legi morali illud insertum esse, ut defectus & imperfectio ejus tanto magis appareret, & correctioni tanto amplius locus esset.* Si verum hic dicit, falsum illud quod supra asseruit, non docuisse Jesum Christum Legem vel ullam ejus partem abrogandam esse. Huic enim universali neganti contradictorie opposita est ista particularis affirmans.

V. Enimvero Christum sustulisse ex Lege morali præceptum illud quartum *Smalcius* dictat, at non docet. Neque ex vero affirmat, quod illud Cæremoniale esse omnes confitentur. Atque si ex Lege morali præceptum illud sustulit Christus Propheta factus sub lege, Legem non perfecit, sed mutilavit, & peccavit in Legem, contra interdictum *Deut.* IV. 2. de quo mox dicendum erit: & mendacem facit Christum *Smalcius*, qui protestatus est, *non auferendum à Lege jota unum aut unum apicem Matth.* v. 18. & vetuit, *solvi unum de mandatis istis minimis & sic doceri homines versu* 19.

VI. Fatemur quidem in libris V. T. exstare mandata circa quartum præceptum Cæremonialia, de Judaïca, cui nunc non obstringimur, sanctificatione, per appropriatos Sabbato ritus, & auctiora Sacrificia: quibus accensemus jus positivum computi Judaïci, quo numeranda fuit feria post hexaëmeron creationis septima recurrens, ad recordationem quietis, seu Sabbati primi, quo Deus quievit completo opere primæ creationis.

VII. Sed hoc non est τὸ βαρύτερον Legis quarti præcepti, quod negamus in religione Christiana sublatum; est autem situm in convictione conscientiæ,

scientiæ, de necessaria aliqua vacatione à laboribus quotidianis, in stato aliquo temporis articulo, quo publice colatur Deus, ad curam animæ. Quem temporis articulum præscribere est juris positivi illius, quod proxime connexum est juri naturali divino: cum ipsa natura dictet, diffluere cœtus omnes, qui non habent stata tempora congregationis, & Ecclesiæ publice congregandæ tempora & opportunitates determinare esse solius Dei.

VIII. Censemus itaque manere etiamnum in quarto Decalogi præcepto Christianæ libertatis legem, & sic se habere τὸ ῥητὸν quarti præcepti, ut, etiam computo Judaïco feriæ septimæ abrogato, non pereat jota unum aut unus apex verborum, aut sensus literalis, quantisper post sex dies aliquis septimus quietis sanctificatur in Ecclesia, ad asceticam spiritualis & sempiterni Sabbati parasceven in hac vita.

IX. Sed neque Cæremonialia circa quartum præceptum mandata, pædagogiam Judaïcam spectantia, nedum ipsum præceptum quartum de Sabbato externo, aut doctrinâ aut exemplo suo, sustulit Christus. Verum hic quoque se exhibuit πληρωτὴν τοῦ νόμου, qui venerat, *non solvere legem, sed implere. Matth.* v. 17. Eapropter postulatus à Judæis de Sabbato violato, provocavit ad severum sine personæ suæ acceptione judicium. *Joh.* VII. 24. Et quamvis meritò se assereret *Dominum Sabbati* id est Legislatorem ipsum, adeoque Legis de Sabbato interpretem αὐτόπιστον, tamen judicari voluit secundum illam Legis scriptæ διάνοιαν quæ ex ipso Mose disci poterat, seu sensum literalem. *Matth.* XII. 6. & 8. *Marc.* II. 28. *Luc.* VI. 5. &c.

X. Et de futuro etiam in posterum Sabbato externo loquitur ad conscientias Christus, verbis illis *Matth.* XXIV. 20. *Orate ne fuga vestra fiat in Sabbato.* Gratis enim hoc dixerit Christus, si nulla Christianis ultra futura esset cura Sabbati externi; vel si religionem quarti præcepti ita voluisset sublatam, ut Sabbato Judaïco cessante nullum illi succederet Sabbatum Christianum.

XI. Pergit Smalcius. *Singulis autem Legis moralis præceptis ea D. Jesus addidit, quæ summam ejus, qui istud facere potuit, præstantiam & divinitatem indicant.* His additionibus scilicet constat *Perfectio Legis moralis per Christum*, ut in margine loquitur, quam modo vocabat *correctionem*, cui propter *defectum & imperfectionem* (quæ scilicet apparuit ex inserto quarto præcepto) locus erat. Atqui hoc pacto γυμνῇ κεφαλῇ contradicitur expresso in Scriptura Perfectionis elogio, *Lex Domini perfecta convertens animas. Psal.* XIX. 8. Et pro nihilo habetur severa prohibitio divina, cum maledictionis & anathematis denunciatione, qua vetuit Deus Scripturis, ut perfectis, *aliquid addere vel detrahere. Deut.* IV. 2. & XII. 32. *Josuæ* I. 7. *Prov.* XXX. 6.

XII. Et Perfectionem illam Legis & testimonii Mosis & Prophetarum testatur Paulus, commendans Timotheo illam Scripturæ V. T. (de illa enim loquitur) sufficientiam, quod salvandos posset σοφίσαι εἰς σωτηρίαν *sapientes reddere ad salutem, per fidem quæ est in Jesu Christo*: & porro *utilis sit* ad omnes usus necessarios, *ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem*

 quæ est

quæ est in justitia, ut perfectus sit ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, *Vir Dei* (איש אלהים / h. e. etiam Propheta seu Doctor Theologus) *ad omne opus bonum* ἐξηρτισμένος *perfecte instructus.* 2 *Tim.* III. 15. 16. 17.

XIII. Si vere, ut dixit, sensit *Smalcius*, unam ex potissimis cultus divini partibus esse Orationem, iniquum est postulatum, apertius præceptum flagitare de Deo orando, ubi præceptum est apertum de Deo habendo & colendo: & non caret impietate, institutum à Deo ipso cultum divinum accusare istius defectus & imperfectionis, ut unâ ex potissimis sui partibus mutilus fuerit.

XIV. Refellitur vero illud πρῶτον ψεῦδος de non præcepta in Lege oratione, ex frequentata praxi orationis credentium in V. T. & privata & publica, Abrahami *Gen.* XVIII. 22. 23. XX. 7. XXII. 5. Servi Abrahami *Gen.* XXIV. 48. Isaaci *Gen.* XXV. 21. XXVI. 25. Jacobi *Gen.* XXXII. 9---12. XLVIII. 15. 16. *Hebr.* XI. 21. Neque sine Oratione Deum coluerunt sacrificantes ex Fide, inde ab ultima mundi antiquitate. Neque loca sacra Deo dicata fuere, nominatim in Schilunte, & deinde Hierosolymis, nisi ut essent οἶκος προσευχῆς, בית תפלה / *Domus orationis Esai.* LVI. 7. *Matth.* XXI. 13. *Marc.* XI. 17. *Luc.* XIX. 46. *cum* 1 *Sam.* I. 3.

XV. Si non præcepta fuit in Lege Oratio, ex Fide esse non potuerunt, neque Deo placere, orationes piorum: vel de ipsa oratione Deo oblata, & Sacrificiorum oblationibus obsignata, dicendum, quod temere papisans *Grotius* pronunciavit de Sacrificiis, non ex præcepto divino sed humano venisse instituto: proinde neque *Col.* II. 23. omnem ἐθελοθρησκείαν damnare Paulum. *Voto pro pace. pag.* 73. 74.

XVI Exserte vero mandatur Oratio, verbo Dei in V. T. וקראני / *& invoca me. Ps.* L. 15. *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est Esai.* LV. 6. Et quî potuit apertius flagitari præceptum, de orando Deum, in templo ut domo orationis, quam continetur dedicatione Templi ista, in qua sexies Deum rogavit Salomo, ut in Templo isto gratas haberet Deus populi προσευχάς; ac Deus oraculo suo respondit, se ita velle ac jubere. 1 *Reg.* VIII. 33. 35. 42. 44. 48. *&* 2 *Paral.* VI. 21. 26. 32. 34. 38. *cum* 2 *Paral.* VII. 14. *Si oraverint & requisiverint faciem meam, revertentes à viis suis malis, vicissim ego exaudiens è cœlis condonabo peccatum eorum.* Et observationem meretur quod, locis indicatis, LXX eodem etymo Græco expresserunt Hebræum והתפלל / quo usus est Christus præscribens orationem Dominicam. *Matth.* VI. 9.

XVII. Quæ in reliqua *Smalcii* dissertatione proprie tangunt Promissionem vitæ æternæ, an data fuerit Patribus in V. T. differemus ad *Examen Capitis VII.* Hic animadvertemus quæ hujus loci sunt. Si tum demum modus orationis certus esse intelligi debet, quando certo, ea quæ Deus promittit, petere ab eo possumus, neque Deus ea negat quæ semel promisit; non minus certus fuit Orationis modus in Veteri quam in Novo Testamento. Quod enim non semper Deus, id quod cultoribus suis promittebat, daret, idem in Novo quoque Testamento locum habet. Nam etiam in N. T. *Pietas promissionem habet vitæ præsentis* 1 *Tim.* IV. 8. & tamen, *si in*

si in hac solum vita speremus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus. 1 *Cor.* XV. 19.

XVIII. Quæ vero fidelium in N. T. αὐτάρκεια est, quod contenti sint præsentibus, illa nititur promissione eadem, qua populum suum Deus consolatus est jam olim in V. T. qui dixit, *non te deseram neque te derelinquam. Hebr.* XIII. 5. *Deut.* XXXI. 6. 8. *Jos.* I. 5. Adeoque quo ad vitam præsentem, qua illi promissione contenti fuere, eadem nos jam contentos esse jubet Apostolus. Sed fuit illis, & nobis est, accessoria tantum illa vitæ præsentis promissio, & προσθήκη τῆς διαθήκης seu fœderis, quod sancit Deus, primo quærentibus patriam cœlestem. *Hebr.* XI. 13. 16. *cum Matth.* VI. 33.

XIX. De cætero injurius in Deum est *Smalcius*, quando ait, opus nullo modo fuisse ei qui legem observaret, ut id præterea oraret, quod lex promittebat, quia plus lex videbatur præcipere quam promittere. Paulus quidem gentiles ex ipsa luce naturæ convincit, quod *Deus manibus hominum non colitur, ut alicujus rei indigens Act.* XVII. 25. Unde sequitur Deum non esse homini debitorem, nisi se ipsum obliget liberali promissione. Atque adeo quando mercedem largitur, etiam quoad vitam præsentem, Christi affirmatione, *facit de suo quod vult. Matth.* XX. 15. Et in eandem sententiam ait Christus *Luc.* XVII. 9. 10. Dominum non habere gratiam servo illi, qui fecit quæ præcepta fuerunt, atque ita homini, *cum fecerit omnia quæ præcepta sunt illi, dicendum, servus inutilis sum, nam quod debui facere feci,* Confer *Rom.* XI. 35. *&* *Job.* XXXV. 7.

XX. Dato ergo, non concesso, quod *Smalcius* insinuat, de Legis perfecta observatione, quasi illam præstiterint, saltem præstare potuerint, fideles in Veteri Testamento; sequitur tamen, illam legis observationem, vel exactissimam, nunquam potuisse esse æquipollentem, ex se & intrinseco suo precio, mercedi promissæ, nedum ut, quod vult *Smalcius*, præponderaret mercedi.

XXI. Enimvero omnino hoc quidem est contra Scripturas, quod de Lege divina ita perfecte præstita vel præstabili asserit *Smalcius.* Testabatur enim imperfectionem obedientiæ totus sacrificiorum cultus, habens *chirographum peccati Col.* II. 14. & juxta sacrificia solennes peccatorum confessiones, à sanctissimis editæ, & suo & Ecclesiæ veteris nomine, quibus professi sunt, se vel minima benedictione, etiam vitæ, indignos esse. *Psal.* CXVI. *Dan.* IX. *Psal.* CXLIII.

XXII. Hæ vero confessiones totidem fuerunt orationes, sensu necessitatis & indigentiæ, cum omni diffidentia de proprio merito, expressæ: quibus testati sunt omnino se opus habere, ut id, quidquid sibi à Deo sponderent, precibus exorarent *Jer.* XIV. 20. 21. 22. cui ipsi fatebantur se acceptum ferre, etiam quidquid ipsi offerebant. 1 *Paral.* XXIX. 13 — 15

ELENCHI SECTIO III. DISP. XVI.

SEquitur digressio Smalcii *de Præstantia Orationis Dominicæ. Matth.* VI. 9. *Luc.* XI. 2. Ad cujus commendationem quidquid dictum vult Smalcius cum depreciatione Scripturæ (ut quæ mysteria in formula hac continentur sint in illa inaudita) temere asseritur; contra assertum jam à nobis Perfectionis encomium. Verum latent in *Smalcii* isthac Paraphrasi plurima Socinianismi mysteria, quæ ex verbis orationis Dominicæ satagit frustra exsculpere, Christo autem in mentem non venerunt.

II. I. Non venit Christo in mentem formulâ illâ invocationis *Pater noster*, præscribere de sola Persona Patris perpetuo invocanda; contra Fidem illam Catholicam, qua ad nominationem Patris, propter S. S. Trinitatis τὸ ἀδιαίρετον creditur una adorari Filius & Spiritus S. & similiter ad nominationem Filii Dei D. Jesu, in Filio invocari una Pater & Spiritus: quia trium una & individua est divina Majestas, ut colatur Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate.

III. II. Ad quæstionem ergo, *quis sit ille Deus, qui nobis perpetuo invocandus est*, si respondeas ex Oratione Dominica *Pater*, non excluditur à perpetuo invocationis objecto Filius nec Spiritus S. maxime quia, cum significatione Patris ad Filium unigenitum ὑποστατικῶς relata, miscetur notio impropria Patris ad nos relata θετικῶς.

IV. III. Latet porro in illa *Smalcii* assertione, (de illo Deo qui perpetuo nobis invocandus sit Patre) aliud mysterium de invocatione Christi, ut alterius Dei seu Divi, non definito imperio præscriptâ, nec perpetuâ: Qua hypothesi non potest non pro ἐθελοθρησκεία censeri invocatio nominis Jesu, (non expresso Patris) ad D. Jesum διακριτικῶς directa *Act.* VII. 59. 60. Tangimus obiter Quæstionem prolixe disputatam à *Socino contra Franciscum Davidis*, & *contra Christianum Francken*.

V. IV. Verba quoque illa, *Summi illius Dei Filios nos esse*, ex mente *Smalcii*, D. Jesu summi Dei axioma auferunt, ipsumque faciunt Deum Deo summo inferiorem, contra Christi affirmationem. *Ego & Pater unum sumus. Joh.* X. 30. In qua Unitate Deitatis, etiamsi διακριτικῶς Patrem D. Jesu salutemus Patrem nostrum, tamen ἀδιαιρέτως credimus ut Patris, ita & Filii D. Jesu, nos liberos esse, juxta Scripturas; *Videbit Semen. Esai.* LIII. 10. *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus. Hebr.* II. 13. *Esai.* VIII. 18. Nec non Spiritus S. *Joh.* III. 5. 6. 8.

VI. V. Cum porro ait *Smalcius*, *Deum Patrem favore & potentia sua ubique esse*, tacite insinuat, argumentum, quod in Theologia Sociniana urgetur contra Essentialem Immensitatem & Omnipræsentiam Dei; *Non esse Deum ubique per essentiam, sed tantum in Cælis: quia scilicet Christus jubet ut invocemus Patrem nostrum, qui est in Cælis. Matth.* VI. 9. XVIII. 10. Sic argumentabatur *Conr. Vorstius Tractatu de Deo pag.* 236. sed contra Scripturas. I *Reg.* VIII. 27. *Job.* XI. 8. 9. *Esai.* LXVI. 1. *Jer.* XXIII. 24.

VII. VI. Ani-

VII. VI. Animadvertendum quoque, affirmare *Smalcium*, *Cœlum supremum increatum esse, in quo Deus habeat sedem suam* (cui sententiæ favent etiam *Ubiquitarii*, qui id volunt esse illocale) contra Scripturas. *Ps.* CXV. 15. *Nehem.* IX. 6. *Hebr.* XI. 10.

VIII. VII. Quærere porro licet, quandoquidem affirmat *Smalcius*, *Deum favore suo ubique esse*, an in Utopia sit Infernus, sine loco aut Ubi, & an, si vel alicubi vel ubique sit Infernus, reprobis hominibus & Diabolis favore suo adsit Deus in inferno. Quæstioni ansam præbet illud quod (ad loca illa Scripturæ quæ Dei favorem ita commendant, ut irascatur, non in sæculum, sed ad momentum *Psal.* XXX. 6. *&* CIII. 9. *&* CXVIII. 17. 18.) ex Socinianorum placitis proposuit idem jam nominatus *Vorstius de Deo pag.* 458. *Loca* jam indicata *proprie & generatim de omnibus omnino hominibus, imo & dæmonibus absque hæsitatione accipienda.*

IX. Multa hic cumulantur quæ sunt ἐξαγώνια, de quærenda ante omnia Dei gloria & nostra salute, & in eum finem celebrandis congregationibus &c. Nec de eo quisquam dubitat, quin sano sensu hoc verum sit, cor nostrum fundamentum esse cultus divini sub Novo fœdere: nempe ut frustra colatur Deus, si non colitur ex corde per fidem purificato. Verum illud contestamur, non demum in Novo Testamento illam cordis devotionem ad cultum internum & spiritualem revelatam fuisse.

X. Expressa est etiam in Veteri Testamento illa stipulatio devoti cordis in cultu divino. *Novi Deus mi te esse scrutatorem cordis, & quæ recta sunt velle &c.* 1 *Paral.* XXIX. 17. 18. *En veritate delectaris in præcordiis. Psal.* LI. 8. *Supra omnem observationem custodi cor tuum, nam ex eo sunt egressiones vitæ. Prov.* IV. 23. *Credo, fili mi, animum tuum mihi. Prov.* XXIII. 26. *Ego Jehova scrutator cordis, probator renum, idque ut dem cuique secundum vias suas &c Jer.* XVII. 10. Confer *Esai.* XXIX. 13. *Ore suo & labiis suis honorant me, cor autem suum procul amovent à me. Convertimini ad me ex toto animo vestro, & jejunio & fletu & planctu. Lacerate igitur corda vestra, ac non vestes vestras. Joël.* II. 12. 13.

XI. Istis omnibus nihil potuit in Novo Testamento dici expressius, ad commendationem cultus interni & spiritualis. Quemadmodum ex Veteris Testamenti quoque Scripturis illa sunt; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & tota cogitatione tua. Matth.* XXII. 37. *Deut.* VI. 5.

XII. Neque consentaneum est τῇ διανοίᾳ neque τῷ ῥητῷ Orationis Dominicæ, quod videri vult ex illa deducere *Smalcius*; posse aliquem, si velit & Dei auxilium imploret, perfecte divinam voluntatem præstare. Quorsum ergo docuisset Christus perpetuo precari; *Remitte nobis debita nostra.* Aspiramus quidem cum suspiriis ad perfectionem, quando precamur, *fiat voluntas tua, in terra, sicut in cœlo*: sed perfectionem neutiquam hic assequimur; *in multis enim impingimus omnes. Jac.* III. 2. Est enim, vel in sanctissimis, *Spiritus quidem promptus, sed caro infirma Matth.* XXVI. 41. quæ caro jugiter luctatur *contra Spiritum. Gal.* V. 17. 1 *Petr.* II. 11. *Rom.* XIII.

 14. Adeo

14 Adeo ut, tametsi *secundum hominem interiorem delectentur Lege Dei Rom.* VII. 22. *habitet* tamen *in illis peccatum*. *Rom.* VII. 17. 18, 20. 21. Quod *contundunt* quidem, *& in servitutem redigunt 1 Cor.* IX. 27. non exuunt tamen, neque deponunt plene, nisi in morte, ac tunc demum in animabus evadunt *perfecte justi Hebr.* XII. 23. ac tandem in resurrectione demum mortuorum plene corpore & anima sanctificati, atque æquales Angelis, promptitudine & plenitudine obedientiæ ad exsecutionem voluntatis divinæ.

XIII. Confirmatur porro nostra assertio, ex collatione locorum *Luc.* XX. 36. *& Phil.* III. 11. Illic Christus ait Filios Dei, quando *filii* erunt *resurrectionis*, *fore pares Angelis*: istic autem Paulus ait, se experiri, *ecquo modo perveniat ad resurrectionem mortuorum*, ostendens se in ea sperare perfectionem illam, quam *versu* 12. negat se hic adeptum esse.

XIV. Ex illo ergo Pauli voto optima emergit interpretatio petitionis istius in Oratione Dominica. Nos nimirum precari Deum, ut magis ac magis promoveamur hic in terris ad illam perfectionem, qua tandem in cœlis pares queamus esse Angelis cœlestibus, gloriosi, *non habentes maculam aut rugam, aut quidquam ejusmodi*, *sed* plene *sancti & inculpati*. *Eph.* V. 27.

XV. Paraphrasis petitionis quartæ, *de Pane quotidiano*, nihil habet quod non expressissime suggerat etiam V. T. scriptura, ex voto Jacobi, petentis tantummodo *panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum Genes.* XXVIII. 20. *&c.* ex verbis Agur; *paupertatem & divitias ne dederis mihi, ale me cibo dimensi mei*. *Prov.* XXX. 8. Quibus accedit meditatio divinæ providentiæ, in quotidie pascendis hominibus, quam dictant loca *Psal.* XXXVI. 8. CIV. 21. 27. CXLV. 15. 16. CXLVII. 9. & CXLIV. item meditatio maledictionis divinæ, in *frangendo scipione panis*. *Lev.* XXVI. 26. *Esai.* III. 1. *Ezech.* IV. 16. *&* V. 16. *&* XIV. 13. *cum Agg.* I. 6. *Hos.* IV. 10. & in immittenda per morbos nausea ad panem & quemvis cibum. *Psal.* CVII. 18.

XVI. Paraphrasis petitionis quintæ, *remitte nobis debita &c.* admodum mutilata est *à Smalcio*; sublata quotidiana peccatorum exomologesi, quam & petitionis & exauditionis fundamentum necessarium esse dictat *Johannes Ep.* I. *cap.* I. 8. 9. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra; & purget nos ab omni iniquitate.*

XVII. Sextæ petitionis paraphrasis ita est jejuna, ut nihil habeat institutionis spiritualis, de fidelium etiam à Deo tentationibus, & desertionibus spiritualibus, & in iis lucta fidei & spei cum desperatione; qua institutione tamen ne quidem Scripturæ V. T. destituuntur, ad quas etiam Christiani remittuntur ab Apostolo Jacobo *Jacob.* V. 10. 11. & à Paulo *Hebr.* XI. & XII.

XVIII. Anathema illi, qui detractum velit aliquid de laude etiam humani ingenii Christi, cui Spiritum dedit Pater ἐκ ἐκ μέτρου, *non dimenso aliquo modulo Joh.* III. 35. At quando, ex hypothesi *Smalcii*, hominis divini

viri industria in concinnanda oratione tam divina extollitur tantopere, ad deprimendum & imperfectionis arguendam ipsius Dei digito scriptam Legem Mosis, totamque adeo Veteris Testamenti Scripturam θεόπνευστον, quasi mysteria ex Oratione Dominica eruenda in V. T. sint inaudita, iniqua est illa commendatio, & parum abest à blasphemia, in Dei Patris sapientiam: quam nos ὑποστατικῶς credimus esse ipsum D Jesum, qui unus est cum Patre summus doctor & Legislator Ecclesiæ, & Veteris & Novi Testamenti. *Proverb.* VIII.

XIX. Hoc est ergo, si *Smalcium* audimus, alterum primi præcepti Additamentum bipertitum. I. Modus colendi Deum per Christum novus, qui (ut jam initio dixit) antea plane erat inauditus. II. Ipsum Jesum Christum quoque coli cultu & religione illa, ad quam obstringimur primo præcepto, tametsi non sit naturâ Deus. Ex utraque hypothesi sequitur potius, abrogatum esse à Christo primum præceptum. Est enim præceptum primum negativum, excludens à cultus religiosi objecto, omne numen, præter illum unum, qui erat in V. T. verus Deus Israëlis. Solvitur autem manifeste omne præceptum negativum, quocunque mandato affirmante rei ab initio vetitæ. Verum nulla abrogatione præcepti primi opus fuit, ut Christo locus esset in Adorationis objecto, quia *ipse & Pater Unum sunt. Joh.* X. 30.

ELENCHI SECTIO IV. DISP. XVII.

ENimvero neque modus colendi Deum per Christum, quo jam colitur, absolute novus est & veteri populo inauditus, sed quoad ipsam cultus substantiam obtinuit jam olim cultus & adoratio Filii cum Patre. Non enim alius à Filio Dei fuit ille quem invocavit Israël Josephi liberis benedicens *Gen.* XLVIII. 16. *Angelus ille qui eripuit me ab omni malo benedicat pueris istis.* Qui idem sub eadem Angeli appellatione Israëlitis datur dux peregrinationis in deserto, atque eo schemate commendatur *Exod.* XXIII. 20. 21. ut intellexerint, & *nomen Dei*, quod invocabant, *esse in ipso*, & ipsi datam esse potestatem remittendi vel non remittendi peccata ipsorum. Et celebratur idem, dictus Angelus Faciei Jehovæ, ut unus cum Patre & Spiritu S. Deus *Servator Israëlis*, in peregrinatione jam dicta in deserto *Esai.* LXIII. 7---10 Et per ac propter illum Dominum Daniel à Deo exauditionem flagitat, למען אדני *Dan.* IX 17.

II. Et apertissime Apostolus Fidem Patrum testatur fuisse, æque ac nostram, per Christum in Deum, & ex Christo eandem communicationem ejusdem Spiritus à Patre: quando affirmat, *omnes eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibebant enim*, inquit, *ex sequente Petra spirituali: Petra vero erat Christus.* 1 *Cor.* X. 3. 4.

III. Adoratio vero & cultus ipsius Christi exserte quoque in Scriptura V. T. sancitus est, mandato divino; *Cave tibi ob præsentiam ejus, & ausculta voci ejus, ne exacerbes eum. Exod.* XXIII. 21. *Osculamini Filium. Ps.* II.

6--- XII.

6—12. Item, prædictione divina; *servient Jehovæ Deo suo, & Davidi Regi suo, quem excitabo ipsis.* *Jer.* XXX. 9. Confer *Ezech.* XXXIV. 23. & XXXVII. 24. 25.

IV. Unde, contra *Smalcium*, hoc saltem evincimus, Deum etiam ante adventum Christi in carnem docuisse cultum & religionem illam, qua nunc ad colendum Christum obstringimur. Atqui (juxta *Smalcium* ipsum) tunc docere & mandare cultum & adorationem religiosam illius qui non esset natura Deus, fuisset contra religionem primi præcepti, docere & mandare Idololatriam, damnatam non uno anathemate. *Jer.* X. 11. *Dii qui non fecerunt cœlum & terram exscindentur de sub terra & sub cœlo.* *Jer.* XVII. 5. *Maledictus vir qui confidit in homine, & qui carnem ponit brachium suum.*

V. Anathema ergo Numini ejusmodi, quale Christo affingit *Smalcius*, fingens, nunc auctum esse primum Præceptum isthoc Additamento, ut præter Deum Patrem, qui scilicet solus fuit verus Deus Israëlis, adoretur quoque & colatur religioso cultu Homo Jesus, qui non fuit verus Deus Israëlis, neque est naturâ Deus.

VI. Nos credimus, ex isthac hypothesi, non posse non idololatricam esse Adorationem, qua D. Jesum vult adorari *Smalcius*, citra & præter legem Mosis & Prophetarum præscriptum, quia manifestus est nimis Scripturarum Veteris & N. T. consensus. Quibus enim verbis sibi soli in V. T. cultum & adorationem religiosam vindicavit verus Deus Israëlis, iisdem illam eidem asseruit D. Jesus, jam muneri Prophetico inauguratus. *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.* *Deut.* VI. 13. & X 20, *cum Matth.* IV. 14. Et juxta Pauli Theologiam, nunc quoque damnata est Idololatria, colere *creaturam παρὰ τὸν κτίσαντα juxta Creatorem Rom.* I. 25. *& servire illi qui non est naturâ Deus.* *Gal.* IV. 8.

VII. Ea propter Apostolus, Numen illud & Nomen D. Jesu *in quo flectitur ipsi omne genu* *Phil.* II. 10. 11. confirmat per Scripturam illam, qua Jehova ipse Deus Israelis omnis genu flexionem sibi vendicat. *Rom.* XIV. 10. 11. *Omnes*, inquit, *sistemur apud tribunal Christi; scriptum est enim, vivo ego, dicit Dominus, certe mihi sese flectet omne genu.*

VIII. Necesse est ergo, Christum non esse novum Numen, sed ipsum illum Deum, qui apud Prophetam loquitur, *annon ego Jehovah, nullusque amplius Deus præter me? Deus fortis, justus, & servator, nullus præterquam ego. Respicite ad me: servemini omnes fines terræ; nam ego sum Deus fortis, & nullus præterea. Per me juravi, prodit ex ore meo juste verbum, quod non revocabo, mihi incurvatum iri omne genu &c.* *Esai.* XLV. 21. 22. 23. Si ista dicta essent tantum in Persona Patris, exclusive ad Personas alias Trinitatis, nullo schemate Apostolus dicere potuit, scriptum esse illud, in gratiam istius religionis, in qua etiam Christus Dominus adoratur, ac ipsi unâ cum Patre omne genu flectitur.

IX. Quod enim Apostolus *ibidem versu* II. affirmat fieri ad gloriam Dei Patris, ex ista interpretatione exclusivâ, esset in præjudicium & ad detrimentum

mentum gloriæ Dei Patris. Qui enim ibi loquitur, ipse hoc interpretatur in præjudicium gloriæ suæ, si illa alteri detur, ter inculcans illud, *nullus præterquam ego*: addens insuper, se, juramento quod non sit revocaturus, velle sibi uni adsertam illam gloriam: in quam sententiam alibi inquit, etiam in futurum, *gloriam meam alteri non dabo*. *Esai*. XLII. 8.

X. Ex quibus omnibus concludimus; adorationem D. Jesu religiosam non esse nixam novo, & antea inaudito, ad primum præceptum Additamento: (quale nullum, citra idololatriam, saltem ipsa *Smalcii* confessione in V. T. anathemate damnatam, primo præcepto assui potuit) sed primæva præcepti istius religione, propter naturæ divinæ Unitatem in Personarum Trinitate.

XI. *Perfectio II. Præcepti.*] De locis vitandis ubi coluntur idola, non cautum est in N. T. lege magis strictâ, quam quæ exstat *Deut*. XII. 2. qua veteri populo mandatum fuit, ut illa demolirentur. Et quando Apostolus accuratissime præcepit vitari idololatriam, utitur, non temere, iisdem conceptis verbis, quibus Deus usus est olim per Prophetam; *Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite, tum ego excipiam vos*. 2 *Cor*. VI. 17. *ex Esai*. LII. 11. Ita ergo omnino hoc præceptum comparatum est, ut perfici & augeri non potuerit.

XII. Etiam in V. T. Deus vetuit, ut ne assumerent aut invocarent nomen Domini, qui id non facerent ad Dei gloriam. *Psal*. L. 16. 17. Et impiorum character erat jurare, (non exigente id Dei gloria) piorum vero, *juramentum metuere Eccl*. IX. 2. Ita etiam ergo hoc præceptum comparatum est, ut perfici & augeri non potuerit.

XIII. Habet hic præterea *Catechismus Racoviensis* pro Additamento, quod non solum Dominum Deum, sed etiam Dominum Jesum Christum, testem invocare possimus: quoniam ipse quoque hominum corda & renes novit. *Apoc*. II. 23. Atqui esset hoc proprie Additamentum primi præcepti, quatenus in juramento est cultus religiosus Adorationis, de cujus Objecto agitur proprie in primo præcepto. Enimvero, quod Christus quoque hominum corda & renes novit, nos habemus pro solido argumento æternæ & essentialis Deitatis Christi. *Deus enim solus novit animum omnium Filiorum hominis*. 1 *Reg*. VIII. 39. Quod continetur etiam affirmatione Apostoli, qua Deum verum vocat *solum sapientem Rom*. XVI. 17. Et ejusdem negatione qua universaliter negat *quemquam hominum nosse ea quæ sunt* alterius *hominis*. 1 *Cor*. II. 11. Esto, viderint Prophetæ nonnunquam, per divinam revelationem, rem aliquam occultam in corde latentem, nunquam tamen cuiquam tributum est, id quod Deo characteristicè adscribitur, videre & scrutari ipsum cor. *Jer*. XVII. 9. 10.

XIV. *De Perfectione IV. Præcepti.*] Suo loco dabimus sermonis habendi Elenchum. Interim ridiculus *Smalcius*, qui in margine notat Perfectionem IV. Præcepti: in textu vero libri, ait hoc præceptum D. Jesus non perfecit sed sustulit.

XV. *Ad V. Praeceptum*] Iterum καὶ καὶ ὁ illud notamus; *Ita comparatum est, ut perfici & augeri non possit: Auctum vero & perfectum est à Christo.* Conciliet illa qui potest. Accipimus interim confessionem quam expressit τὸ ἰσχυρὸν veritatis. Atque sic censemus etiam quoad praecepta omnia & singula, ea ita comparata esse, ut perfici & augeri non potuerint. Attamen ea lege, ut similiter, atque hic factum, ad ea referamus, omnia quae vel à Prophetis veteribus, vel à D. Jesu, vel ab Apostolis tradita sunt, officia Charitatis vel in Deum vel in proximum, eaque accipiantur pro vero & genuino in Legem commentario.

XVI. Illud quod ingerit *Smalcius*, Deum, qui antea Dominus tantum omnium erat, per Jesum Christum Patrem sese exhibuisse. 1. Neque absolute verum est, si pariter, ut olim Dominum omnium, ita nunc Patrem omnium intelligat: evidenter enim hic discrimen facit Scriptura inter *omnia* seu *omnes* quorum Deus est Dominus, & multos filios quorum Pater est per Jesum Christum. *Hebr.* II. 10. *Decebat eum propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, multos filios in gloriam adducendo &c.* 2. Neque hoc verum est, quod intendit, Deum, ante Jesum Christum exhibitum, se non exhibuisse Patrem credentium, sed Dominum. Reclamant aperta Scripturarum V. T. testimonia. *Deut.* XXXII. 6. *Ps.* LXVIII. 6. *Esai.* LXIII. 16. & LXIV. 8. *Jere.* III. 4. 19. & XXXI. 9. *Malach* I. 6. &c.

XVII. *Ad VI. Praeceptum.*] Et Moses prohibuit cogitationem de vindicta, inter privatos; *ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo. Levit.* XIX. 17. *Ne ulciscitor neque iram asservato. ibid. vers.* 18. Similiter Salomo; *Ne dicas, rependam malum: exspecta Jehovam, & servabit te. Prov.* XX. 22. Quin ipsis Magistratibus, in V. T. privato affectui ne quid darent, in vindictâ quae sumenda esset bono Reip. lege Mosis interdictum fuit. *Deuter.* XXV. 2. 3. Publicam vero ex officio vindictam, quam in V. T. Magistratui mandavit Deus, eandem eodem fine etiamnum mandatam credimus.

XVIII. Finis quidem vindictae, per Magistratum exercendae, divino mandato, sanctus & pius fuit: neque habuit quid quod non etiamnum Christianus Magistratus omni operâ tenetur procurare. *Tolles malum illud è medio, ut omnes Israëlitae audiant & timeant. Deut.* XXI. 21. *Tolles malum illud ex Israële, ut omnis populus audiant & timeant, neque superbiant deinceps. Deut.* XVII. 18. *Ut audiant omnes Israëlitae & timeant; ne pergant ulli facere secundum rem malam hanc in medio tui. Deut.* XIII. 11.

XIX. Et mandatum, Magistratum armans ad vindictam, esse διηνεκῶς μένον non abrogatum in N. T. sed sartum tectum relictum, confirmant. I. Affirmatio, Magistratum *non frustra gerere gladium, quia Dei minister est, vindex ad iram ei qui quod malum est fecerit*: adeoque necessum esse *subjici, & propter conscientiam. Rom.* XIII. 4. 5. 2. Johannis Baptistae instructio, quam dedit militibus baptisandis in nomine D. Jesu; non bellum, quin neque mercenariam militiam, prohibens, sed tantum interdicens privato odio, & malitia ac violentia. *Luc.* III. 14.

XX. De cætero, captiose illa dicuntur, per Magistratum injuriam ulcisci. Quod si est, Magistratum adhibere non ἁγνῶς ad piam tutelam innocentiæ & tranquillitatis, sed tantum ad explendam libidinem animi, contra proximum exacerbati & irreconciliabilis, nunquam lege morali divina permissum fuit. Ut autem non fiat, præstare non potest Lex aut constitutio ulla politica in Christianismo, magis quam in Judaïsmo: sed tenetur hic quisque suam conscientiam probare Deo καρδιογνώστῃ, quod verbo & Spiritu Dei edocti fuere, quotquot Deo placuerant, tam in Veteri quam in Novo Testamento, neque nova aut inaudita in V. T. praxis pietatis est, quam locis à Smalcio indicatis, docuit & jussit D. Jesus.

ELENCHI SECTIO V. DISP. XVIII.

NOn est illa nova à D. Jesu ad *Præceptum VII.* addita Perfectio, sed jam decimo præcepto Decalogi expressa, de non concupiscenda uxore proximi. Et non illud novum est, aut in V. T. inauditum, quod in fornicatione, non tantum spirituali, sed etiam carnali, pro adulterio cordis reputarit Deus etiam oculorum libidines vagas. Docuit enim, fieri *scortationem post oculos Num.* XV. 39. & hinc illud; *ne desiderato pulchritudinem ejus cum animo tuo, neque capiat te palpebris suis. Prov.* IV. 25. *&* VI. 21. Et audita Jobi illa praxis pietatis; *Fœdus pepigi cum oculis meis, nam cur cogitassem de virgine?* Et severæ Dei vindictæ (qua liquet Deum odisse fornicationes & adulteria, ut peccata clamantia) patefactionem, ad conscientiam Christianorum, non aliunde petit Apostolus, quam ab exemplis V. T. Israëlitarum 23000. uno die occisorum. 1 *Cor.* X. 6. 7. 8.

II. Uxorem nulla de causa dimittendam, nisi causa adulterii, non docuit Christus ut Novus Legislator, Legi morali aliquid adjiciens novæ perfectionis, sed ut Legis moralis fidus interpres, & primævi juris divini index & vindex: contestans hoc Mosaïcum vetus institutum, de libello repudii, non esse Legis moralis, adeoque nec in foro conscientiæ unquam licitum, sed Politici tantum indulti, ob duriciem cordis. *Matth.* XIX. 8. 9. Easdem juris divini moralis vindicias videre est apud Malachiam, qui, ut D. Jesus, rem revocat ad primam matrimonii legem *Genes.* II. 24. *cum Malac.* II. 14. 15. 16. qui tamen unicè sartam tectam esse voluit Legem Mosis. *Cap.* IV. 4.

III. De cætero, omnem scortationem & impuritatem, turpiloquium, & obscœnitatem, non minus in Veteri quam in Novo Testamento, vetuit Spiritus S. damnans omnes meretricias scortationis illecebras, sive in factis sive in verbis sitas. Quo faciunt ista *Prov.* II. 16. *Mulier alienigena & extranea dicta sua emollit.* Et *Cap.* III. *Favum stillant labia extraneæ, & mollius oleo palatum ejus. Cap.* VI. 24. *Ad servandum te à muliere malefica, à blanditia linguæ alienæ.* Et *Cap.* VII. 13. *Prehendens eum osculata est eum.* Et *vers.* 21. *Flexit eum multitudine disciplinæ suæ, mollitie labiorum suorum impulit eum:* & *Cap.* XV. 14. *Os stolidum pascitur stultitia.*

IV. Obsesva, inter damnatas scortationis illecebras recenseri quoque, רב/ לקח *multitudinem disciplinæ*, quæ voces vix aliter Græce exprimi queant, quã per *εὐτραπελίαν* à Paulo damnatam *Eph.* v. 4. quæ est *scurrilitas*, apud gentiles Urbanitatis nomine palliata, ut virtutis aliquis habitus, multa conversationis familiaritate apud quosvis quæsitus.

V. Urbanitas autem non scurrilis, quæ non fuit à Spiritu S. prohibita aut damnata in V. T. sita in jocis & salibus, quibus stulto respondetur, in loco & tempore, secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur *Prov.* XXVI. 5. quæ confirmata exemplo Eliæ, jocose ludificantis Baalitas 1 *Reg.* XIX. 18. illa neque in Novo Testamento prohibita est, aut damnata, sed Apostolico quoque exemplo confirmata. Paulus enim scribens ad Corinthios, asperâ satis ironiâ, illos pungit 2 *Cor.* XI. 1. inquiens; *Utinam sufferretis paulisper insipientiam meam.* Item *vers.* 10. *Alioquin, vel ut desipientem recipite me.* Item *vers.* 19. *Lubenter enim suffertis desipientes, quod sitis sapientes &c.* Quæ si dicenda fuissent sine ironiâ, dixisset Corinthiis, sicut Galatis dixit, *O amentes.* Eandem enim amentiam perstringit in utrisque, quod sufferrent, si quis attolleret sese, ipsosque in servitutem redigeret. Confer *Gal* III. 1. & V. 1. *cum* 2 *Cor.* XI. 19. 20.

VI. De Jejunio, si illud facit ad perfectionem Legis moralis, quam illi adjectam voluerit demum D. Jesus, inauditam in V. T. mirandum sane (extra illud non imitandum jejunium 40. dierum, quale fuit etiam Mosis & Eliæ in V. T.) neque exemplo neque mandato illud præscripsisse discipulis suis, & hic reliquisse majoris in speciem perfectionis laudem Johanni Baptistæ & discipulis ejus; quin contestatione usum contra discipulos Johannis, nolle se quamdiu ipsis præsens esset, illos jejuniis macerare. *Matth.* IX. 18. 19. & II. 14. 15.

VII. Verum & hoc mirari licet, quo modo D. Jesu *Smalcius* tribuat in N. T. Legem *σωματικῆς γυμνασίας* corporalis exercitionis, in abstinentia à cibo & potu, quæ in V. T. ita erat frequentata, ut jam olim Prophetæ Dei nomine contestati sint, esse illam in se *ἀδιάφορον* & parum utilem, nec Deo placere posse, nisi quatenus ancillaretur veræ contritioni resipiscentium à peccatis, & testaretur zelum precantium. Vide *Esaiæ Caput* LVIII. & *Joël.* II. ubi ita comparata est institutio de jejunio, (quomodo celebrandum sit, ut Deo placeat) ut perfici & augeri hac parte non potuerit Lex V. T.

VIII. Sed hoc quoque non caret ineptia, quod Jejunium refert *Smalcius* ad observantiam tantum secundæ tabulæ, & quidem præcepti septimi: cum semper fere in Scripturis copuletur, nexu individuo, cum precibus & oratione, quas ipse supra retulit ad cultum religiosum primi præcepti.

IX. *Ad VIII. Præceptum*] Si hic idem sentit cum Smalcio *Volkelius*: bene habet hoc quidem, quod *Volkelius de vera Religione Lib.* IV. *Cap.* 18. concedit, vitæ hujus sustentatione, *non vitam unius tantummodo hominis, sed omnium qui ad illum respiciunt, utpote uxoris, liberorum, familiæque, contineri*: ita

neri: ita ut tum demum avaritiæ culpa meritò in aliquem conferatur, *cum iis, quæ ad omnem illius familiam alendam pertinent, minime contentus, plura cupit, eaque solicite vel quærit vel asservat, nec cum opus est in pauperes erogat.* Item; licere nobis ea retinere, *quæ ad vitam honeste ac sine molestia traducendam sunt necessaria.* Item, *non ipsa superantia bona pauperibus eroganda, sed superantium bonorum fructus, ut benignitas nostra exhauriri non possit.* Item; *Futuri temporu habendam esse rationem, propter ea quæ incidere possunt, in quæ sumptus fieri oportet: veluti est liberorum educatio, filiarum elocatio, totaque adeo* (saltem *proxime futura*) *tum nostra, tum eorum qui ad nos respiciunt, vivendi ratio.*

X. Enimvero, quandoquidem hæc indefinite tantum accipi possunt, ita ut relinquatur, citra scandalum, possessorum conscientiis illud discretionis judicium de possessionibus, an necessariis ad sustentandam vitam, an superantibus; non potest dici aliqua facta adjectio majoris perfectionis ad præcepti universalis διάνοιαν. Nec tale quid contineri exhortatione Apostoli, loco indicato 1 *Tim.* VI. 8. 17. neque in sermone Christi quem hic laudat *Volkelius* ex *Luc.* XII. 15. *Videte & cavete ab avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.*

XI. Neque, ex illa hypothesi, (de erogandis in pauperes non ipsis bonis superantibus, sed bonorum superantium fructibus) quidquam perfectionis in Lege Mosaïca desiderare queat, qui animum advertet ad legem de primitiis & decimis proventuum erogandis in eleëmosynas & pios usus. *Deut.* XIV. & XXV. *cum Num.* XVIII. Qua lege, colono etiam parco minusque liberali de 6000. residui tantum mansere 4779. calculo *Scaligeri*, quem vide in *Commentariolo Clar. S. Amama de Decimis Mosaïcis.*

XII. Ac non est sine atroci injuria in Scripturam Propheticam illud, quod fomitem avaritiæ, nunc à Christo damnatæ, *Smalcius* supra retulit ad ipsum cultum V. T. à Deo institutum (vide *Disput. XV. Thes.* 17. 18) Et concinit *Volkelius*, loco indicato asserens; *in avaritia & luxu, longe plus illis* (Judæis) *quam hodie Christianos licuisse.* Itaque, *modo quis ab omni fraude atque injuria abstineret, & certa illa benignitatis genera, quæ Lege sunt definita, non omitteret, in immensum etiam opes cumulare ac recondere*, inquit, *permissum erat.*

XIII. Cum veritate autem luctatur hic *Volkelius*, locum *Esai.* V. 8. quo vidit se premi, vellicans hoc schemate, quasi non *avaritiæ* nec *luxui*, aut *fastui*, illorum *qui domum domui agrum agro adjungebant*, væ illic denuncietur, sed tantum *injuriæ* intercurrenti, *qua aliis nocebant.*

XIV. Neque uno aut altero tantum Scripturæ V. T. testimonio liquet, impie ipsam argui istius defectus & imperfectionis, quod non *severe notarint* Moses & Prophetæ, tum avaritiæ crimen, tum luxum omnem; neque accurate commendarint liberalitatem pauperibus debitam: sed hoc demum præstiterit D. Jesus, ipsiusque deinceps Apostoli, quo conspirans hic utraque *Catechesis Racoviensis, major & minor*, & *Volkelius*. Etenim videre est, & avaritiæ detestationem severissimam, in Davidis illa

precatione; *inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad avaritiam* *Ps.* CXIX. 36. & inustam infamiæ notam illam filiis Samuëlis; *declinaverunt post avaritiam* 1 *Sam.* VIII. 3. Et character illorum qui Deum timent, à focero Mosis, ille notatur, *odio habere avaritiam. Exod.* XVIII. 21.

XV. Neque accuratius commendari possunt liberales eleëmosynæ in pauperes, orphanos, viduas, erogandæ, quam factum *Esai.* LVIII. 6. 7. 8. *Eccl.* XI. 1. 2. *Dan.* IV. 24. aut severius notari utrumque crimen, & avaritiæ & luxus, quam factum *Esai.* LVI. 11. 12. cum recensione totius mundi muliebris *Esai.* III. 14. 15. & proposito Sodomæ exemplo *Ezech.* XVI. 49. *Ecce ista fuit impietas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia otii fuit ei, & filiabus ejus: & manum egeni & pauperis non apprehendit.* Adeoque liquet, sufficientissime in V. T. patefactam è cœlo iram Dei, contra omnem avaritiam fastum & luxum, ut hic defectus & imperfectio Legis nulla fuerit, circa octavi præcepti διάνοιαν, quæ novum Legislatorem flagitaret.

XVI. *Ad IX. Præcept.*] Divinandum nobis, an bona *Smalcii* venia *Volkelius* ab omnis generis mendaciis excipiat *quædam mendacia, quæ vulgò officiosa mendacia solent appellari*, de quibus sic pronunciat; *Pro illicitis nunquam fuere habita, nec à nobis habentur, præsertim, si videantur necessitate quadam expressa, & ad quempiam, vel periculo, vel damno non exiguo, liberandum pertineant; modo omne absit juramentum, aut quippiam simile quod ad divini nominis contumeliam spectare possit.* Absque concordia discordi, per novam Logicam conciliata, contradictoriæ sunt propositiones istæ; *omnis generis mendacia plane tollit D. Jesus*; &, *hoc genus mendacii non tollit D. Jesus.*

XVII. Enimvero exceptio ista mendacii officiosi, ut liciti, saltem in V. T. nulla quidem auctoritate divina à *Volkelio* probatur, sed producit ille tantum exempla quatuor, Obstetricum Ægyptiacarum *Exod.* I. 19. Rachab *Josuæ* II. 4. 5. Micholis 1 *Sam.* XIX. 17. & Jonathanis 1 *Sam.* XX. 6. 28. 29 Ad quæ exempla non opus est alia responsione, quam ista, non exemplis sed legibus vivendum fuisse & esse timentibus Deum, & olim, & nunc. Exempla vero τῆς ἀνομίας seu dictorum & factorum sine Lege, esse exempla τῆς ἁμαρτίας seu peccati, saltem ex ignorantia & infirmitate, hærente etiam in sanctissimis; pro quibus fiebant olim & quotidiana & anniversaria sacrificia, & flagitabatur à Deo remissio. *Psal.* XIX. 13.

XVIII. Nobis illud est catholicæ veritatis axioma, non esse facienda mala ut eveniant bona: & consequenter nulla Veteris aut N. Testamenti temporis periodo limitata est conclusio, ex isto axiomate ab Apostolo elicita, non esse committendum mendacium, etiamsi veritas Dei per meum mendacium redundaret in gloriam ipsius. *Rom.* III. 5. 6. 7. 8. Universaliter ergo censemus præscriptum, omni tempore, contra omnis generis mendacia, non tantum contra *ea, quæ spectare possint ad injuriam proximi, vel ad divini nominis contumeliam*: sed contra illa etiam, *quæ prodesse non parum queant*, & per quæ Dei etiam veritas promoveri queat, ad Dei gloriam.

XIX. *De*

XIX. *De Perfectione X. Præcept.*] Explicatius *Volkelius*, sequutus Catechesin majorem Racoviensem, (minor enim omnino silet) asserit, in Lege x. præcepti, concupiscere esse, *id animo agitare, deliberataque voluntate in id incumbere, ut quocunque tandem pacto alterius uxore vel bonis alienis perfrui possis.* Et *separatim hoc* de Concupiscentia *præceptum traditum* esse ea de causa, *quia neutra concupiscentia vel furti vel adulterii loco olim numerabatur.* Hoc autem in N. T. *adjunctum videri* huic præcepto, *ut non solum ardenti incitatoque studio ea quæ proximi nostri sunt minime appetamus; sed ne simplicem quidem de iis ad nos pertrahendis cogitationem, quæ animis nostris forte obrepere possit, foveamus, eave nos oblectemus, ac veluti titillemus. Volkel. lib. IV. cap.* 20. Est autem πρῶτον ψεῦδος *Volkelii*, hoc præcepto ejusque perfectione *exstirpari*, tantum *duorum peccatorum, præcepto* VII *&* VIII. *probibitorum, furti & adulterii, fontem atque originem.*

XX. Nos contra asserimus, duorum istorum peccatorum, furti & adulterii, fontem hoc præcepto tangi, exempli tantum gratia; esse autem hujus præcepti solidam διάνοιαν, exstirpare omnis universim peccati fontem atque originem illam, quam damnat *Jacobus Cap.* 1. 14. 15. ne ulla ad quodcunque peccatum, vel contra primam vel contra secundam tabulam, tentatione nos oblectemus, ac veluti titillemus. Quod existimamus satis liquere ex eo, quod Apostolus *Capite ad Rom.* VII. Præceptum hoc decimum laudat, verbis tantum istis expressis, *non concupisces*: laborans & ingemiscens de peccato inhabitante illo, quod universim operatur πᾶσαν ἐπιθυμίαν *omnem concupiscentiam. versu* 7. *&* 8.

XXI. Solidam vero illam X. Præcepti διάνοιαν, qua vetantur ipsæ titillationes, & motus, quos vocant, primo primi, ad quodcunque peccatum, Paulus non novæ Legislationi acceptam fert in Christianismo, sed purgatiori in Lege institutioni, citra Pharisaïcum fermentum: in illa, inquam, ipsa Lege, quæ dixit, *non concupisces.*

XXII. Contra *Smalcii* exclamationem, qua caput hoc concludit, nobis merito exclamare licet; ô blasphemiam! qua fingitur tanta Legis divinæ per Mosem traditæ imperfectio, ut Perfectionem suam debeat ψιλῷ ἀνθρώπῳ mero homini, qui demum existere cœpit annis circiter mille quingentis post Mosem. O Impietatem! qua tot sæcula Deus fingitur nemini dedisse Spiritum intelligentiæ illius secundum quam coli vellet in spiritu & veritate. Anathema illis quibus non est D. Jesus unus cum Patre & Spiritu S. verus Deus Israëlis, cui in Legislatione serviit Moses; atque eo nomine absolute summus omnium Unicus Doctor & Magister.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

DE

Præceptis Christi singularibus.

SEd hæc omnia, quantumvis permagna sint, & divinitatis Domini Iesu satis conspicua documenta: tamen, si cum reliquorum præceptorum ejus divinitate conferantur, multò illa evidentius apparebit (a) *Ne enim quicquam deesset eorum quod ad summam vitæ integritatem pertinet, præcepit præterea D. Iesus, ut, qui suus discipulus esse velit, seipsum abneget, crucem suam quotidie tollat, & se sequatur. Quibus tam paucis verbis tantam comprehendit sanctitatis perfectionem, ut angelicam vitam superare, & ad divinam accedere videantur illi, qui isto modo piè vivere conantur. Quicquid enim in nobis naturâ est Deo adversum, id totum hæc tria verba D. Iesu Christi funditus extirpare valent.* (b) *Amamus nosmetipsos omnes naturâ, & delectamur nostris cupiditatibus, adeò, ut is humanitatem perdidisse videatur, qui ista perdidit. At D. Iesus Christus eo nos adducit perfectionis, ut is Christianus homo esse nullo modo possit, qui ea planè non exuerit. Nihil hic ortus generis, nihil divitiæ, nihil potentia valet: sed ea tantùm valent, quæ apud ipsum Deum preciosa sunt. Preciosa autem apud Deum ea esse non possunt, quæ is corruptioni necessariò obnoxia esse voluit.*

(c) *Qui seipsum odisse, & sibi ipsi valedicere incipit, is sublimem quidem in pietate Christiana gradum assecutus est: attamen ad multò sublimiorem ei aspirandum est. Pro eo enim, quòd, dum ita vivit, amicitiam & amorem omnium polliceri se sibi posse credet, omnia odia in se convertet, & semetipsum omnium calumniis, & tandem extremæ calamitati prostituet, adeò, ut ei quotidiè, non quidem alterius ullius rei, sed solius D. Iesu Christi causâ, non tantum sit expectanda, sed alacri animo, si ita Deus velit, excipienda, non tantùm jactura famæ aut facultatum, sed etiam vitæ discrimen subeundum, idque modo omnium, qui dari potest, violentissimo & detestabilissimo.*

(d) *Ita confirmato animo, necesse est hominem Christianum, in omnibus vitæ actionibus, sermonibus & cogitationibus, Domini Iesu Christi vitam sibi imitandam proponere, & totum se ad ejus perfectissimas qualitates componere, ut scilicet Deo totum se regendum permittat, & illi confidat; ut ardentissimo in Deum & proximum amore flagret, adeò, ut pro fratre vitam ponere, pro acerrimo verò hoste, nedum ut de ulla vindicta cogitet, Deum etiam orare paratus sit; in summa animi demissione coram Deo altissimo perpetuò versetur; & amicitiæ ejus per crebras sese preces insinuet, & eandem iisdem perpetuandis foveat. O vere divina (licet mihi denuò ita exclamare) præcepta! ô verè divinum talium* præceptorum

a Præcepta Christi singularia moralia Matth. XVI. 24 *b* Quid sit abnegare seipsum. *c* Quid sit sumere crucem suam quotidiè. *d* Quid sit Christum sequi.

præceptorum promulgatorem! Quicquid divinitatis (ut sic loquar) in doctrina illorum summorum Philosophorum inesse videbatur, & in ipsa lege Mosaica inerat, hic adeò vilescit & obscuratur, ut umbra tantùm rei, & ipsissima imperfectio, respectu præceptorum D. Iesu Christi, jure censeri debeat, quemadmodum etiam D. Paulus, (e) *dehortans Christianos, ne modum cultus divini aut veræ pietatis petant, vel ex Philosophia, (quam inanem seductionem, si scilicet ea quis ad hoc utrumque ex ea statuendum uti velit) vel ex illis mundi elementis, hoc est lege, (quam traditiones humanas ideo appellare videtur, quia tunc traditiones & dogmata divina esse desierant, ea, quæ in lege, præsertim ceremoniali, traduntur) hoc ipso argumento utitur, dum ait:* (f) Quoniam in ipso, *nempe Christo, hoc est, in doctrina Christi, opponitur enim ibi Christus non personis sed doctrinis*, habitat omnis illa plenitudo divinitatis corporaliter. *Divinitatem aliquam non negat Apostolus fuisse in Philosophicis præceptis. Quicquid enim à Deo est divinum est; quicquid vero veræ sapientiæ est, illud à Deo est. Multò verò minus in lege Mosaica. Hæc enim Deum autorem habuit. Sed tantùm istis omnibus opponit Christi doctrinam, ita ut utrumque planè evanescat, quemadmodum exoriente lucifero, vel ipso etiam sole, evanescunt stellæ, evanescit luna, & nulla esse videtur: dum ait,* in Christo habitare, *hoc est, perpetuò & constanter reperiri, non corrigi, non augeri posse, ut ea, quæ in Philosophia & in lege speciem & nomen divinitatis habebant, correcta & aucta fuêre:* divinitatis, *hoc est, quicquid ad cultum divinum & veram pietatem pertinet:* plenitudinem, *hoc est, non ex parte:* corporaliter, *hoc est, reipsâ, non per umbras, ut in lege antea. Divinitatem igitur ejus planè insignem esse oportet, cujus doctrina tanta divinitate refertissima est.*

Est unum adhuc præceptum singulare D. Iesu Christi, quod, quia externum & cæremoniale est, videri fortasse alicui possit à D. Iesu Christi tam divina doctrina alienum, & est ritus celebrandi cœnam Domini, per fractionem & comestionem panis, & per infusionem & bibitionem vini. Sed ego, ut nunc alia taceam, crediderim, vel ex eo ipso posse constare unicuique, de ejus quadam divina præstantia, quòd ab eo, qui legem Dei cæremonialem tandem abrogavit, quique merè & purè spiritualem cultum docuit, hæc sola cæremonia in numerum præceptorum ejus perpetuorum & universalium cooptata sit. Insignem enim esse oportet eam cæremoniam, quæ sola inter præcepta merè spiritualia locum habet. (g) *Extare autem eam Dominus Iesus voluit, & perpetuis temporibus à populo suo celebrari, ut tantæ rei, quanta est mors ejus illa violenta, cujus consideratio efficacissimum in nobis, ad verum erga Deum & D. Iesum Christum amorem, & ex eo manantem fiduciam & pietatem, incitamentum est, perpetua extaret quædam quasi adumbratio, & solennis ac publica ejusdem commemoratio, annunciatio, & concelebratio; dum scilicet panem ita frangimus & mandimus, & vinum infusum bibimus, quemadmodum olim Christi corpus sanctissimum, nostri hominum causâ, crudeliter contusum, & ante mortem, & in ipsa morte, & post mortem afflictum, & quasi fractum, ut Apostolus* (h) *etiam loquitur; & sanguis ejus sanctissimus, nostri causâ largissimè & ante mortem, & in ipsa morte,*

e Explicatio loci ad Colos. II. *f* Col. II. 9. *g* Finis cœnæ Dominicæ. *h* I Cor. XI. 24.

morte, & post mortem effusus fuit, & pro isto tanto Dei & inprimis Iesu Christi amore, debitas Deo & Iesu Christo gratias agimus, & cultum eis divinum exhibemus. Ob quam causam ista tota actio frangendi panem & bibendi vinum (i) *corpus & sanguis Domini appellata est, non aliter, quàm olim ista comestio agni paschalis inusitata (stantes enim, & baculos manibus tenentes, & calceatos, & properantes Israelitas edere illum oportebat) Phase Domini appellabatur,* (k) *quia scilicet istiusmodi agni comestio, istius Paschæ vel transitus, quo Deus, cum primogenituram omnem Ægypti interimeret, salvato suo populo, domus ejus transierat, solennis sacrosancta & publica commemoratio, annunciatio, concelebratio, & pro ea gratiarum actio, & cultus quidam divinus esset. Et hæc est propriissima, & unica ferè causa, ob quam cæremonia ista à Christo instituta fuit, & omnibus ejus discipulis, perpetuis temporibus, usque ad Christi adventum adeò præscripta, quia causa, cur celebrari debeat, nempe solennis & publica commemoratio mortis Christi, perpetuò etiam usque ad adventum ejus duratura est. Præter hanc, quicunque aliam sequuntur, ii vel in idololatriam, vel graves alioqui errores, ut incurrant, necesse est. Sed non est hic de eo dicendi locus. Nobis id nunc propositum est, ostendere, actionem istam, quantumvis cæremonialem, dignam tamen esse, quæ pro divina habeatur. Quod quia effectum esse credimus, (quomodo enim non sit divinum, quod ad veram Dei & Iesu Christi gloriam pertinet?) jam ad alia pergere, compendiosa, quam proposuimus, tantæ rei tractatio requirit.*

i Matth. XXVI. 25. 28. *k* Exod. XII. 11.

ELENCHUS CAP. VI. DISP. XIX.

AUt nihil dicit *Smalcius*, aut non citra blasphemiam Legi Mosaicæ morali, quæ Deum auctorem habuit, illam tribuit imperfectionem, ut (quamvis illam singulorum præceptorum nova perfectione adjecta D Jesus interpolaverit) non effecerit tamen, citra novorum singularium præceptorum cumulum, ne quidquam deesset eorum, quæ ad summam vitæ integritatem pertinent. Contradicit hic præfractè Apostolo, testanti de Scripturæ Canonicæ Mosis & Prophetarum V.T. perfectione, *ad omne opus bonum* sufficientissima. 2 *Tim.* III. 16. 17.

II. Temeraria vero illa assertio est, tantam comprehendi in tribus, quæ dictat, præceptis Christi singularibus sanctitatis perfectionem, ut Angelicam vitam superare, & ad divinam accedere videantur illi, qui isto modo pie vivere conantur; ac redolet præsumptionem illam, quam antiquus serpens Evæ insusurrabat; *Eritis sicut Deus Elohim. Gen.* III. 5. Non potest ulterior sanctitatis perfectio homini imperata esse, quam illa est, quam in meta curriculi assequemur, ut evadamus ἰσάγγελοι *Angelis pares. Luc.* XX. 36. Exercita vero sanctitas illorum qui piè vivere conantur in terris, longe est infra Angelicam Perfectionem. Vide *Disput. XVI. Thes.* XII. XIII.

III. Et, quo major est in præceptis sanctitatis perfectio imperata, eo majus est τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός *Rom.* VIII. 3. ut gratis dicatur,

dicatur, sua accuratione valere aut posse tria ista verba D. Jesu funditus exstirpare quidquid in nobis naturâ est Deo adversum. Exstirpare enim ex natura malitiam non est per se causæ exemplaris, sed causæ principalis; quæ ut naturæ formatrix est, ita eandem sola refingere potest.

IV. Enimvero tantum abest ut cunctis illis tribus verbis D. Jesus urgere voluerit justitiæ & sanctitatis nobis inhærentis Perfectionem Angelicæ parem, nedum majorem; ut primum illud ἀπαρνησάσθω ἑαυτόν, ex mente Christi intellectum, omnem præsumptionem, de sanctitatis perfectione in hac vita, quin de ulla in nobis citra regenerationem inchoata sanctitate aut justitia, prorsus perimat.

V: Etenim tangere voluit D. Jesus Pharisæorum fermentum, qui confidebant in se ipsis, se justos esse *Luc.* XVIII. 9. *&c* & de hac verborum Christi interpretatione præscriptum sufficienter ab Apostolo *Phil.* III. 7. 8. Quo loco (postquam *versu* 4. dixit, de sibi non affectata fiducia in carne, iis de quibus gloriari poterat hoc accenset *versu* 6. quod *irreprehensus* vixisset, *quod ad justitiam quæ est in Lege*) subjungit hanc sui ipsius abnegationem. *Sed*, inquit, *quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damnum esse. Quin etiam certe duco omnia damnum esse, propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei: propter quem omnibus istis me ipsum mulctavi, eaque duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam justitiam &c.*

VI. Quæ vero à *Smalcio* referuntur ad abnegationem sui ipsius, esto huc referri quoque possint, tamen proprie magis magnam partem referri possent ad secundum illud verbum, *tollat crucem suam*. Spectant enim peristasin persecutionum, in qua parati esse debemus ad relinquendum omnia, ut sequamur Christum. Ac deinde nihil continent quod non Legis moralis Perfectione, quam vidimus ad caput antecedens, abunde contineatur.

VII. Neque in verbi secundi, *tollat crucem suam*, expositione, quidquam tradit *Smalcius* pietatis in V. T. inauditæ. Nihil certe ad quod Christianos non vocet nubes illa testium, quos ex Vet. T. arcessit Apostolus, Hebræos hortaturus ad tolerantiam crucis. *Hebr.* X. XI. & XII.

VIII. In verbo autem Christi tertio, ἀκολουθείτω μοι, *sequatur me*, non habemus expressam istam quæ à *Smalcio* ingeritur μίμησιν imitationem Christi. Duo illa *Sequi* & *Imitari* confudisse initio videtur Germanismus illorum, qui de Imitatione Christi in Germania scripsere, usi vocabulo æquivoco **Nae-volginge**. Sunt autem illa distincta. *Sequi* est simpliciter imperanti præstare obsequium. *Imitari* est insequi & premere præeuntis vestigia, ἐπακολουθεῖν τοῖς ἴχνεσι, ejus nimirum qui ambulationis ὑπογραμμὸν exemplar ipse reliquit, in illa quam mandat obedientia. I *Petr.* II. 21.

IX. Utrumque debemus Christo; primum, (quod flagitat hoc verbo, *sequatur me*) debemus ipsi ut Deo & Domino Legislatori nostro; alterum, ut facto sub Lege fratri nostro nobis per omnia simili excepto peccato. *Gal.* IV. 4. *Hebr.* II. 12. Cum hac autem proprie dicta imitatione

Christi miscetur quoque Imitatio ipsius Dei & sanctitatis divinæ. *Matth.* v. 48. *Eph.* v. 1. Sed hæc univoce nomine Imitationis Christi contineri non potest.

X. De cætero; quicunque tandem esse possit istorum trium verborum Christi commentarius, ineptè & indoctè ex istis cuduntur tria præcepta Christi singularia, cum sint nihil aliud quam universalia, ad universalem justitiam & omnem obedientiam Deo debitam, celeusmata & monita, quasi transcendentalia; quæ stimulant quemvis, ad cujusvis præcepti divini gratam cum ὑπομονῇ in afflictionibus obedientiam: non multiplicant autem præceptorum numerum, nec præcepta ipsa alterant, ulla additione perfectionis novæ ad obedientiæ normam.

XI. Explicatio loci *ad Colos.* II. 9. *Nam in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, quæ à *Smalcio* hic ingeritur, mera perversio est & detorsio verborum Apostoli: qui loquutus est de plenitudine τῆς θεότητος Deitatis, implentis jam, non Tabernaculum aut Templum manufactum inhabitatione typica & umbratili *Matth.* XXIII. 21. *cum* I *Reg.* VIII. 10. 11. 12. *&* *Exod.* XL. 34. 35. sed vera inhabitatione, per unionem hypostaticam, Templum verum corporis Christi. *Joh.* II. 19. 20. 21.

XII. Substituit vero *Smalcius* pro Deitate Divinitatem; quæ quamvis sano sensu intellecta unum sunt in Christo, cujus citra Deitatem nulla est Divinitas, tamen mala fide hic receditur ab expressa voce Græca τῆς θεότητος, quæ extra controversiam latina voce Deitatis vertenda est, & quæ nullo schemate se torqueri patitur ad *Smalcii* glossam.

XIII. Secundum istam vero glossam, etsi Divinitas tribuatur Christo, ut Doctori Ecclesiæ, & plenissima quidem, in concertatione Euangelii cum Philosophia accuratissima, & cum ipsa Lege Mosaïca: tamen velit nolit cogitur *Smalcius* ex Divinitate quâ referta est Doctrina Christi, concludere Divinitatem Personæ Christi. Nisi verba det in Conclusione ista. *Divinitatem igitur ejus plane insignem esse oportet, cujus doctrina tanta Divinitate refertissima est.*

XIV. Verum si animum advertas, indignè Divinitatis vocabulo & profane ludit *Smalcius*, tanquam pilam sursum & deorsum illam agens: modo enim illam facit inesse in Philosophorum doctrina, ac vere quidem, ut aliquid saltem veræ sapientiæ à Deo profectum: modo, si *Smalcium* audis, tantum inesse videbatur. Rursus, modo Divinitas vere inerat in Lege Mosaïca Morali: modo, si ipsum audis, actum est de omni Divinitate Legis Mosaïcæ, etiam moralis, & ipsa vilescit & obscuratur, quin plane evanescit, ut umbra tantum rei & ipsissima imperfectio: adeo ut desierint ejus dogmata divina esse, & ab Apostolo appellari videantur traditiones humanæ.

XV. Veritati à Deo profectæ, & veræ sapientiæ portioni vel minimæ, sua semper constat θειότης ex Deo. Unde in Methodo Fidei qua ad Religionem Christianam adducendi sunt Athei & Infideles, hoc serio agendum, ne *in iis quæ φυσικῶς sciunt corrumpantur Judæ* 10. & urgenda omnino Theologiæ

logiæ naturalis Principia & Theoretica & Practica, ut eorum Divina veritas & pietas atque æquitas, citra Scripturas à Deo cordibus inscripta, Scripturam illa suo testimonio illustrantem & confirmantem à contemptu vindicet, ac frænum injiciat conscientiis, ne supernaturalem Theologiam in Scripturis porro traditam legentes, quam ignorant, blasphement.

XVI. Atque hanc concertationem Verbi Dei supernaturaliter patefacti, cum Theologia naturali, in Principiis Theoreticis & Practicis, utilem ad Ecclesiæ Dei contra Gentium sapientes gloriationem, commendat Moses *Deut.* IV. *vers.* 5. 6. 7. 8. & idem agit Apostolus *Act.* XVII. *&* *Rom.* I.

XVII. Non potest autem citra impietatem homini Christiano ita vilescere verbum θεόπνευστον Mosis & Prophetarum, ut umbra tantum & ipsissima imperfectio, in iis quæ ad cultum divinum spiritualem & veram pietatem pertinent. Cum præscriptum sit divinitus ibidem *Deut.* IV. *vers.* 4. contra quamcunque, obtentu majoris perfectionis coloratam, adjectio-ctionem: & concinant Apostolorum testimonia de Scripturarum V. T. perfectissima perfectione 2 *Tim.* III. 16. 17. & protestationes, se nihil extra Mosem ac Prophetas sapere, in prædicatione Euangelicæ veritatis & sapientiæ. *Act.* XXVI. 22.

XVIII. Neque hic impiæ isti depreciationi, divinæ accuratissimæ sapientiæ quæ legitur in Mose & Prophetis, quicquam patrocinatur, quod in N. T. nulli usui sint Leges Mosaicæ cæremoniales, quæ antiquatæ sunt & abolitæ, stabilita plena libertate Christiana. Fuere enim mandata illa carnalia, ipsa prima institutione divina, cortex tantum, nunquam autem nucleus, Religionis & Theologiæ; atque corporis venturi umbra, evanitura quando venisset Christus. Adeoque noluit Deus ab initio, ut in precio essent tanquam divina, ultra præstitutum tempus διορθώσεως *correctionis*. *Hebr.* IX. 10.

XIX. Nec præsidium aliquod esse potest in simili illo, quod exoriente lucifero, vel ipso etiam sole, evanescunt stellæ, evanescit luna, & nulla esse videtur. Etenim quamvis lucente sole nulla esse videtur, non tamen revera nulla est luna. nec vere evanescunt stellæ, exoriente lucifero aut sole. Et similiter, data non concessa Legis veteris moralis minori perfectione, quam præceptorum Christi, non tamen præcepta Legis moralia desiissent esse traditiones & dogmata divina; quod insinuat *Smalcius*, quanquam fluctuantem hic conscientiam arguant verba adjecta, *ea, quæ in lege, præsertim cæremoniali, traduntur.*

XX. Quia autem videtur hic à *Smalcio* allusum ad verba Petri *Epist.* 2. *Cap.* I. 19. *Et habemus firmiorem* βεβαιότερον *sermonem Propheticum, cui recte facitis quod attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usque dum dies illucescat & lucifer exoriatur in cordibus vestris*: notandum, loqui Petrum non potuisse verbis illis, de antithesi Legis Mosaïcæ & sermonis Prophetici, ad præcepta Christi, tanquam lucernæ splendentis in obscuro loco, ad exorientem luciferum, & lucentem solem: quia loquitur jam habenti-

bus Euangelium prædicatum, sub excessum suum ex hac vita, ut liquet ex *verf.* 15. ipsisque commendat sermonem Propheticum, ad fidei ab Apostolis prædicatæ confirmationem, quam promittit solidissimam, affirmans sermonem Propheticum firmiorem esse iis qui ipsi attendunt; qui comparativus non rectius explicari potest, quam comparatione reducta ad vocem è cœlo ad Christum delatam, de qua loquutus Apostolus *versibus* 17. & 18. ut significet majus & permanentius meditationis subsidium in scripto sermonis divini signo. Per diem vero illucescentem, & exortum luciferi in cordibus, obsignationem veritatis & consolationum intellexit, quam intus præstat Spiritus Christi, per quem in credentibus habitat Christus.

XXI. Omnino autem in verbis Apostoli *Col.* II. 9. non metonymice Christum pro doctrina Christi, sed proprie personam Christi intelligendam esse, dictat ac docet verborum sequentium, in eodem relativo pronomine, cohæsio. *Versu* 10. & 11. *Et estis in eo completi, qui est caput omnis imperii & potestatis, in quo etiam circumcisi estis &c.* Sicut porro sermo est de Persona Christi *versibus* 12. 13. 14. 15. & 20. & sermo fuerat *versu* 2. 5. 6. Quapropter neque illud *versu* 8. *secundum Christum*, non tribuitur personæ Christi: quamvis consignificet doctrinam Christi.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XX.

NOtamus initio Methodi *Smalcianæ* crypsin, qua dicturus de præcepta à Christo celebratione Cœnæ Dominicæ, illam nominat *unam & solam Cæremoniam*, à Christo imperatam præcepto universali & perpetuo. Sic tacitè expungit ex censu mandatorum Christi, *institutionem Baptismi Aquæ*, quo initiantur (communi consensu totius Christianismi) Ecclesiæ Christianæ credentes & liberi ipsorum.

II. Indubitatum fuit, usque ad *Socini* tempora, apud Christianas Ecclesias, puriores, impuriores, fundamentum universalis praxios Baptismi Aquæ; quod Christus in cœlum ascensurus dixit, *profecti docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Matth.* XXVIII. 19. *Profecti in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit servabitur: qui vero non crediderit condemnabitur. Marc.* XVI. 15. 16. Ac creditum ab omnibus, ad hanc Baptismi Aquæ institutionem respexisse Apostolum Paulum, cum dixit; *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptisma. Eph.* IV. 5.

III. *Socinus* vero, in *Disputatione*, quæ exstat, *de Baptismo Aquæ*, & *Smalcius in Refutatione Thesium Franzii, Disp. X. de Baptismo*, fundamenta hæc convellunt, asseruntque, *non esse in verbis Christi, sermonem vel præceptum de Baptismo Aquæ, neque eundem ab Apostolo significari.*

IV. Contra hanc inficiationem militant ista, quæ dicemus. 1. Quod non potuit nec debuit ab Apostolis intelligi loquutus Christus, de alio Baptismo, quo ipsi discipulos credituros baptisarent, inter gentes, quam quo,

quo, per ipsos, jam in diebus carnis, usus erat Christus prædicans Euangelium inter Judæos, qui idem fuit Baptismus aquæ, quo ipsum Christum & credentes in nomen ipsius baptisavit Christi πρόδρομος Johannes Baptista. *Matth.* III. 16. 17. *cum Joh.* III. 22. *&* IV. 2. Adeoque non potuit nec debuit accipi præceptum Christi *Matth.* XXVIII. *& Marc.* XVI. ut *omnino nova institutio* aliqua; sed tantum, ut *dedicatio nova, inter Gentes* (ad quas profecturi erant Apostoli) Baptismi è cœlo divinitus instituti, & usurpati inter Judæos, in Christum exhibitum credentes, cum principio Euangelii Jesu Christi Filii Dei, prædicati à Johanne Baptista, & mox à Christo ipso. *Marc.* I. 1. 4. *cum Luc.* III. 2. *& Matth.* XXI. 25. *& Joh.* I 33.

V. II. Et porro de præcepto Baptismo Aquæ, Apostolos etiam per effusum in ipsos Spiritum S. illuminatos constanter intellexisse mandatum Christi, ipsis valedicentis die Ascensionis suæ, non sinit pium quenquam dubitare, ab ipso die Pentecostes omni occasione continuata praxis Apostolorum; qua resipiscentiam & fidem in D. Jesum profitentibus, mandarunt in nomine D. Jesu Baptismum Aquæ; *Resipiscite, & Baptisetur unusquisque vestrum*, dictum est ad illa quasi ter mille capita quæ crediderunt die Pentecostes *Act.* II. 38. 41. Atque sic à Spiritu S. per Apostolos loquente, cum Euangelio de Christo exaltato, promulgatum est præceptum de Baptismo Aquæ: cujus religione, deinceps qui Euangelisantibus crediderunt, quæ ad regnum Dei & Nomen Jesu pertinebant, baptisabantur, tum viri tum mulieres. *Act.* VIII. 12. 16. *&* 36. Nec sine Baptismo Aquæ Apostolatui suo initiatus Paulus, per Ananiam, à Domino Jesu missum, cum mandato *Act.* IX. 18. qui Paulo dixit; *Exurge & baptisare, & ablue peccata tua, invocato nomine Domini*, referente Paulo. *Act.* XXII. 16.

VI. Similiter Petrus ad Cornelium, & cognatos ac necessarios amicos ejus [illegible]no mandato accersitus, in conspectu Dei exponens omnia quæ ipsi à Deo præcepta erant, τὰ προστεταγμένα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, προσέταξε præcepit, eos Baptismo Aquæ baptisari in nomine Domini. *Act.* X. 33. 47. 48. Item, Commentariensis ille, ad interrogationem illam, *quid me oportet facere?* cum Paulus & Silas loquuti essent ei sermonem Domini, & omnibus qui erant domi ipsius, baptisatus est ipse & omnes domestici ipsius ilico *Act.* XVI. 33 Sicut eodem Capite *versu* 13. 14 *&* 15. quando Lydiæ Dominus adaperuit cor ad flumen sedenti, ipsa baptisata est & domus ejus. Sic *Act.* XVIII. 8. Crispus præfectus Synagogæ cum tota domo sua, multique Corinthiorum, qui Paulum Silam & Timotheum audierant, credentes baptisati sunt.

VII. Pudenda autem est illa *Smalcii* evasio, quam opponit *Franzio ad Thesin* 101. *pag.* 318. Deinde, inquit, *plane incertum est*, an Petrus respectu hujus præcepti (Christi) jusserit baptisari aquâ istos 3000. *Act.* II. in nomine Domini Jesu Christi: *imo prorsus falsum est*; nisi prius probetur, Christum de Baptismo aquæ locutum fuisse. *Matth.* XXVIII. Fatemur nova logica opus esse, ut discamus, idem dici posse, *plane incertum, & prorsus falsum*. Neutrum vero dici potest, quin evasio ista vertatur in accusationem Petri, omnium Apostolorum nomine loquentis per Spiritum Sanctum,

quasi

quasi non loquuti sint ipsi, cum dixerunt, baptisetur unusquisque vestrum; id quod in mandatis acceperant à Domino Jesu, qui tamen ibidem *Matth.* XXVIII. mandatis suis adstrinxit ipsorum docendi munus; *Docentes*, inquit, *eos servare omnia quæ mandavi vobis.*

VIII. Neque hic juvat *Smalcium*, quod ad *Thesin Franzii* 100. excipit, de non adhibita, in verbis Petri, forma Baptismi à Christo præcepta, *in Nomine Patris Filii & Spiritus Sancti.* Non enim existimandum, hoc Christum voluisse, ut adstrictus esset Baptismus, quem mandavit *Matth.* XXVIII. ad istius formulæ verborum corticem, aut syllabarum numerum, tanquam ad carmen aliquod magicum, (quemadmodum neque sic ad Orationis Dominicæ formulam, quam tradidit *Matth.* VI. adstrictas esse voluit Christianorum precationes privatas aut publicas.) Spectavit Christus præscripta Baptismi formula, ut ederetur à baptisandis Fidei professio, qua crederent Euangelisantibus ea quæ ad Regnum Dei & Nomen Jesu pertinebant *Act.* VIII. 12. Erant autem ista, Adoptionis Filiorum à Patre, in Filio, per effusum ab utroque Spiritum Sanctum, obsignatio. *Act.* II. 32. 38.

IX. Videri posset alicujus momenti scrupulus, quem urget *Smalcius* contra *Franzium*, *Christum non præcepisse Apostolis, ut aqua baptisarent: quia Paulus ait, Christus me non misit ad baptisandum* 1 *Cor.* I. 17. Si, quod contendit ipse, *hæc verba idem valerent, ac si diceret Paulus; Christus non præcepit mihi ut aliquem aqua baptisarem. pag.* 319. Quid ergo? Non loquitur Apostolus absolute, sed comparatione negotii principalis & minus principalis, quod ipsi in Apostolatu mandatum erat. Non misit me Christus ut baptisarem, sed ut euangelisarem, scil. principaliter. Neque insolens Apostolo, ita comparate negare, quod tamen extra comparationem absolute affirmari debet; sic enim necessario interpretandum illud, hac eadem Epistola 1 *Cor.* IX. 9. *Num boves curæ sunt Deo?* Comparate hoc dictum, ad hominem, quem Deus principaliori cura dignatur: nam absolute loquendo, propter curam nostri necessarium est nos Deo curam boum commendare, ut fit *Psal.* CXLIV. 13. Est ergo hic remittendus *Socinus & Smalcius*, ad libellum *Socini de Elenchis Sophisticis*, ubi Socinus ipse notavit III. loco, *tertiam fallaciam, quæ dicitur, à secundum quid ad simpliciter.*

X. Ut res ipsa sit explicatior; principale mandatum cum quo missi Apostoli in mundum universum, fuit, ut prædicarent verbum Euangelii: adeo ut hæc illis prima incumberet cura, ut in prædicatione essent assidui ipsi, singuli accepturi suam mercedem, secundum suum laborem. 1 *Cor.* III. 8. Conjungenda fuit cum Verbi prædicatione Baptismi Aquæ administratio, qua baptisarentur resipiscentiam & fidem professi: sed hujus administrationis αὐτουργία non incumbebat pari necessitate omnibus & singulis, ut sicut suo ore docerent sic sua manu baptisarent; poterat hoc ex multis uni mandari, ut quod per unum fieret, omnium consensu, id omnes facere viderentur; neque interesset quicquam ad reddendam Deo bene gesti muneris rationem, pluresne an pauciores sua manu quis baptisasset

lasset aqua; sed hoc potius, plureine an pauciores quis docuisset Baptismum resipiscentiæ, & illum iisdem persuasisset fideli institutione.

XI. Hoc non animadverso, & præpostere neglecto, à docentibus, qui ab Apostolis præficiebantur Ecclesiis, gliscebant superstitiones de Baptismi αὐτουργία, per quas a baptisantis ministri dignitate æstimabatur ipsa Baptismi dignitas: & hinc schismata, quasi non, in unius Christi crucifixi nomen, unum esset Baptisma, & Fides una, sed varium, in varia Apostolorum & Euangelistarum nomina. Horum schismatum semina apud Corinthios eruncaturus Apostolus, sibi gratulatur, rarissimam inter ipsos fuisse occasionem τῆς αὐτουργίας illius Baptismi, quam lubens aliis cesserit. Minime tamens negans, sed asserens in rei veritate, se quos baptisavit aqua baptisasse in nomen Christi: quod sine præcepto Christi factum, ex phrasi & analogia Scripturarum est ἀδύνατον. Hæc, non alia, est διάνοια vera contestationis Apostoli ad Corinthiorum Ecclesiam *Ep.* 1. *Cap.* 1. in qua, (citra αὐτουργίαν Pauli, Paulo tamen cooperante ad docendum Baptismum) multi dicuntur baptisati, qui Paulum Silam & Timotheum audierant; puta à Sila & Timotheo Pauli cooperariis. *Act.* XVIII. 8. Hæc in præsens sufficient, ad assertionem Baptismi Aquæ à Christo non minus mandati præcepto perpetuo & universali, quam Cœnæ Dominicæ.

XII. Jam de Cœna Dominica mirabilis est *Smalcii* μεθοδεία τῆς πλάνης; qua (scilicet ex præcepto singulari de celebratione Cœnæ Dominicæ confirmaturus Christi Divinitatem) per circulum, ex divinitate reliquæ doctrinæ Christi, & ex abrogata tandem per Christum lege Dei Cæremoniali, arguit divinam hujus singularis præcepti præstantiam; quod nisi Domino Jesu visum esset cooptare in numerum præceptorum perpetuorum & universalium, ac mere spiritualium, ut mere Cæremoniale, situm in fractione & comestione panis, & infusione ac bibititione vini, videri possit à D. Jesu Christi divina doctrina alienum.

XIII. Est autem hoc πρῶτον ψεῦδος *Smalcii*, quod finem Cœnæ Dominicæ definiat, sola mortis Christi quadam quasi adumbratione, & solenni ac publica commemoratione, annunciatione & celebratione, qua à nobis Deo & Jesu Christo aguntur gratiæ & cultus exhibetur, nulla autem actione divina, qua nobis obsignet Fœdus Gratiæ, ac fidem confirmet & adaugeat.

XIV. Non est operæ precium prolixe, contra negantem hæc Christianismi principia, disputare: sufficiet indicasse Paradoxa plura, quibus Paradoxam istam inficiationem cumulat *Smalcius*, *in Refut. Thesium Franzii Disput. XI.* Sunt autem hæc.

1. In verbis Christi, cœnantis cum Discipulis, *Hoc est Corpus meum*, vocem *hoc* non significasse istum panem quem Christus tunc porrigebat.

2. In verbis Christi, Hic vel Hoc est Sanguis meus, per vocem *Hoc* Christum non loquutum de Vino.

3. Christum nunc non habere illud Corpus, quod pro nobis traditum fuit aut fractum: & non esse in Cœlo carnem & sanguinem Christi.

Iiii 4. Sacra-

4. Sacramentalem, quam vocant, unionem symbolorum Cœnæ Dominicæ, panis & vini, cum corpore & sanguine Domini, & consequenter Sacramentalem comestionem corporis & bibitionem sanguinis Christi in Cœna Domini, pro meris & magnis nugis censenda esse.

XV. Hæc indicasse est refutasse, apud omnes, qui sensus habent in Scriptura exercitatos: qui vident indoctè & impiè torqueri harmoniam verborum institutionis Cœnæ Dominicæ *Matth.* XXVI. 26. 27. 28. *Marci* XIV. 22. 23. 24. *Luc.* XXII. 19. 20. 21. 1 *Cor.* XI. 23. 24. 25. 26. *cum* 1 *Cor.* X. 16. Et nihil minus probare *Smalcium* ex præcepto hoc singulari, quam Divinitatem Jesu Christi. Cum omnem Christi convivatoris δύναμιν, qua nobis corpus & sanguinem suum Sacramentaliter manducandum & bibendum donat, Cœna Dominica excludat.

CAPUT SEPTIMUM.

DE

Promisso vitæ æternæ.

Absolutis igitur D. Jesu Christi præceptis, & ostensa, ex illorum summa perfectione & divinitate, promulgatoris eorum etiam singulari divinitate, veniamus ad promissa, quæ munere D. Jesu Prophetico continentur, ut ex his etiam divinitas D. Jesu appareat, qui ea revelavit.

(a) *Sunt autem duo potissimùm promissa, quæ D. Jesus nobis revelavit. Alterum est vitæ æternæ: Alterum Spiritus Sancti.*

(b) *Vitam æternam promissum esse Euangelii proprium, quantumvis hodie paucissimi id intelligere videantur, adeò veritati consentaneum est, ut aliquid non minimum, ad veram Domini Jesu & muneris ejus cognitionem, deesse illis jure affirmari possit, qui hoc vel ignorant, vel de eo dubitant.* (c) *Quod duplici modo fit: nempe dum semel affirmatur, Adamum creatum fuisse immortalem: & iterum, dum affirmatur, eandem vitam æternam in veteri etiam fœdere promissam Dei cultoribus fuisse. Quomodo enim id Euangelii proprium esset, quod vel in Adamo naturaliter fuerit: vel aliis ante Dominum Jesum revelatum, & cognitum fuerit.* (d) *De Adamo, eum immortalem creatum non fuisse, res apertissima est. Nam ex terra creatus, cibis usus, liberis gignendis destinatus, & animalis ante lapsum fuit. Quæ omnia nihil cum immortalitate commune habent.* (e) *Qui enim immortales aliquando futuri sunt, illi cœlestes erunt, cibis non utentur, nec uxores ducent nec nubent, & spirituales evadent, vel sp.ritus vivificantes, qualis nunc est Dominus Jesus Christus.* (f) *Quod ad tempora veteris Testamenti attinet, fatentur hodie*

a Promissa Euangelii duo. *b* Primum est vita æterna. *c* Dogmata huic veritati contraria. *d* Adamus non fuit creatus immortalis. 1 Cor. XV. 47. Gen. 1. 28. 29. & 11. 7. *e* 1 Cor. XV. 49. 1 Cor. VI. 13. Luc. XX. 35. *f* In veteri fœdere non extat promissio vitæ æternæ.

tur hodie omnes Judæi, qui legis non possunt esse non peritissimi, & ejusdem observantissimi, quosque ideò nihil prætermissuros plusquam credibile est, quod ad legem Mosaïcam ostentandam pertinere posset, quale non esset, si vitæ æternæ promissum in ea extaret: imo quos sibi non defuturos, nec tanta re seipsos frustraturos certum est: fatentur, inquam, omnes illi Judæi prudentiores, nullum vitæ æternæ apertum extare in ipsorum lege, vel, ut apertius loquar, in fœdere, quod Deus cum eis per Mosen pepigit, promissum. In fœdere autem id contineri necesse est, & non alibi, quod ad omnes Judæos in universum pertineat. Quæ igitur hæc amentia est, Christianos, quorum hoc minus interest, quàm Judæorum, an in veteri Fœdere promissum extet vitæ æternæ, imò quorum interest, Christi Domini sui, & suæ etiam præ populo Israëlitico præstantiæ rationem habere, velle tamen ex sacris literis veteris Testamenti probare, quòd Deus in illo veteri fœdere vitam æternam promiserit? Quod verò de fœdere diximus, in quo oporteat contineri tale promissum, si ad omnes debeat pertinere, id ideò fecimus, ne scilicet quis producat quædam ex Prophetis veteris fœderis loca, quibus istam rem probare aut confirmare velit. Nam, ut ut id plausibile foret, non tamen sufficeret ad probandum id, quod in controversia est: cùm certum sit, non ita ad omnes pertinuisse, vel etiam pervenisse voces Prophetarum, quemadmodum ad omnes pertinebat & pervenit vetus fœdus. Quanquam nos persuasi sumus, nec in ipsis etiam Prophetarum scriptis, ullum extare apertum promissum vitæ illius beatæ & immortalis, cujus toties repetita promissio in sacris literis novi fœderis inculcatur. Sed nolumus hac de re nunc disputare: demonstrare tantùm voluimus brevissime, Domino Jesu soli & primo acceptum esse ferendum, quòd promissionem & spem certam vitæ æternæ habeamus; unde appareat, nostros cœtus, licet Christum blasphemare dicantur, rectius hac in parte eum cognovisse, quàm omnes alios Christiani nominis professores. Nostri enim cœtus confitentur, & demonstrare parati sunt validissimis testimoniis & rationibus, Jesum Christum primum & solum tantæ reï fuisse præconem. Hinc illa: In eo (*Christo*) illa vita erat. (g) *Quænam verò illa vita sit, idem Johannes explicat, dum alibi* (h) *ait*: Hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus est. *Hinc D. Paulus, de Christo* (i) *loquens, ait*; Qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem in Euangelio. *Hinc Christus dicitur habere verba vitæ æternæ: hinc fœdus, cujus Christus mediator est, dicitur in melioribus promissis sancitum esse: Imò ipsa hæc est Euangelii periphrasis, quod superintroductio spei melioris appellatur, & hoc ipso legi opponitur.* (k) *Et quid multa? Propter hoc ipsum Jesus Christus seipsum vitam & resurrectionem* (l) *appellavit, quia scilicet primus utrumque hoc beneficium mundo exhibuerit, & tandem credentibus daturus sit: quemadmodum etiam propter hoc ipsum veritatem* (m) *sese appellavit, quia primus veritatem illam cœlestem hominibus annunciavit. Tantum igitur bonum, quod solum divinum appellari meretur, quia nemo omnium unquam aliis revelavit & promisit, præter Jesum Christum, quis eum divinum esse dubitet? vel quis potius divinitatem ejus non admiretur, & præ admiratione ejus totus non obstupescat?*

Iiii 2 (n) No-

g Joh. I. 4. *h* I Joh. V. II. *i* 2 Tim. I. 10. *k* Joh. VI. 68. Hebr. VIII. 6. Hebr. VII. 19. *l* Joh XI. 25. *m* Joh. XIV. 6.

(n) *Nolumus autem quemquam opinari, nos, dum istud de Christi præstantia dicimus, negare, fideles illos Dei sub veteri fœdere cultores notitiam aut spem ullam vitæ æternæ habuisse. Qui enim credit Deum esse, hunc etiam credere necesse est, vitam esse æternam. Hanc enim Deus vivit. Rursus verò, quomodo homo non speret id, quod non potest esse non desiderabilissimum homini mortali & corruptioni obnoxio? Scitè enim illud dictum est; Immortalitatem quia maximè cupimus, Diis eam invidemus immortalibus. Quid denique est, quod videatur verisimilius, quàm Deum hominibus se timentibus daturum æternam vitam, præsertim si eos in hac vita miris modis affligi patiatur, & id eis non largiatur, quod in veteri fœdere cultoribus suis promisit? Præterea extabant aliqua ejus rei indicia, raptus scilicet Enochi ante latam legem, & Eliæ post latam legem in cœlum translatio. Quæ, si nihil aliud, saltem hoc, hominibus probioribus & divinarum rerum studiosioribus suadere poterant, fieri posse, ut homo mortalis immortalem vitam consequatur. Non negamus igitur, homines pios semper sperasse vitam æternam, & eandem cupiisse: sed in eo tota versatur res, quòd affirmatur, istud bonum vitæ æternæ, nec fœdere inclusum, nec usquam populo apertè promissum fuisse. Spes omnis illorum conjecturis & consideratione justitiæ Dei nitebatur. At nostra nititur Dei promissis, sæpissimè iteratis & firmissimè confirmatis, ita ut in Deo (o) esse dicatur: & Apostolus, suam spem de resurrectione, quam Judæos expectare ait, in Deo (p) sitam esse glorietur.*

(q) *Et tamen rursus, ne quid dissimulemus, firmiter statuimus, etiamsi promissio nulla aperta extet in veteri Fœdere vitæ æternæ: eam tamen aliquando datum iri omnibus illis, quicunque Deo unquam confisi sunt, & eidem obedierunt. Hoc autem totum didicimus, aliquo modo ex eo, quòd nihil impedit, quo minus Deus id etiam det alicui, quod ei non promisit: quemadmodum etiam Ethnicis datus est Messias, & per eum salus, licet apertè illis promissus non fuerit, quin imò, ut Apostolus loquitur, olim spe promissionis (r) caruerint: proprium enim Dei est, plus dare, quàm promisit: maximè verò didicimus illud ex certis quibusdam argumentis, quibus Dominus Jesus usus fuit ad demonstrandam resurrectionem hominum justorum, Abrahami, Isaaci, & Jacobi (s) unde etiam de viris eorum similibus idem statuere jure possumus. In qua tota re tamen, nisi ea nobis à Christo digito quasi ostensa fuisset, proculdubio caligaremus, & verè cæcutiremus.*

Quod si quis quærat, cur Deus non omnibus illis vitam æternam revelarit & promiserit, quibus eam daturus est? Huic respondemus, Deum, præterquam quòd, cur aliquid faciat, vel non faciat, nemini rationem reddere tenetur, voluisse, ut omnibus sufficientissimè constaret, vitam æternam non esse naturale aliquid, nobiscum natum, sed merum purum Dei beneficium, ut tantò etiam magis ab hominibus appeteretur, & in majori precio esset. Ad id autem efficiendum hunc Deus pro sua profunda sapientia modum elegit, ut homines id planè lateret per tot sæcula, nec cuiquam certò constaret, eam datum iri homini mortali: ut ita vel ex hoc beatitas eorum,

n Sub veteri Fœdere cognitio fuit & spes esse potuit vitæ æternæ. *o* 1 Joh. III. 3. 1 Petr. I. 21. *p* Act. XXIV. 15. *q* Vita æterna dabitur etiam illis, quibus promissa non fuit. *r* Eph. II. 12. *s* Matth. XXII. 31. Luc. II. 37.

eorum, qui hisce ultimis sæculis vixerunt, apertè colligi possit, qui, ut Christi verbis utamur, videant & audiant ea, quæ multi reges, prophetæ & justi videre & audire cupierunt, (t) nec tamen ea vel viderint, vel audierint. Sæcula illa omnia, quæ Christi adventum in mundum antecessere, infantia mundi fuêre. Ergò ut infantes Deus etiam omnes illos tractavit, qui tunc temporis fuêre; (infans (v) autem licet hæres sit, nihil differt à servo) promissa scilicet terrena tantùm eis dando. At sæcula hæc, quæ à Christi in mundum adventu adhuc labuntur, sæcula sunt ultima, &, ut ultima, sic etiam perfectissima & plenissima, & fines; hoc est, perfectiones sæculorum. (x) In hæc igitur Deus reposuerat tanti boni, vitæ æternæ, revelationem, quæ est propria Euangelii promissio, quemadmodum benedictiones terrenæ, propriæ fuerunt legis promissio.

(y) Quanquam ad Euangelii præstantiam ostendendam notandum est, non tantùm in hoc id præstare lege, quòd Euangelium cœlestia & æterna bona promittit, quæ lex non promittebat: verùm etiam præter illa cœlestia & æterna, non negat hæc terrena & temporalia, quæ lex promittebat. (z) Habet enim promissionem pietas Christiana hujus & æternæ vitæ. Promittit igitur Euangelium tantum bonorum terrenorum & temporaneorum, quantum nobis ad vitam hanc sustentandam satis est; (a) & quodcunque veri commodi aut jucunditatis, ex terrenis & temporaneis rebus, sperari potest, id totum concessit generaliter Deus omnibus, qui in Christum credunt. Quod verò tantum nobis bonorum terrenorum non promittit, quantum lex, hoc ipsum, beatitatis nostræ particula vel causa quædam ad eam adjuvans, censendum est. Cultus enim Dei, præsertim is, qui in novo fœdere nobis præscribitur, cum possessione bonorum, quæ ad vitam sustentandam necessaria non sunt, difficulter convenit, &, si ea non necessariò vitam æternam tollit, saltem difficillimum ad eam aditum facit. (b) Dat igitur vel, ut ipse Dominus loquitur, adjicit (c) Deus omnia ista, quæ ex animo regnum Dei & illam justitiam ejus quærunt. Quòd si verò cui Deus ista bona terrena, quæ Euangelium promittit, non dat, vel etiam data iterum ei adimit, hic tantùm abest, ut infelix propterea censendus sit, ut potiùs beatum se prædicare possit. Compensabitur enim ei id omne abundè, uno illo vitæ æternæ præmio, quod tanti precii est, ut Deus salvâ justitiâ potuerit iis omnibus, quibus summam affluentiam bonorum terrenorum in lege promiserat, ea denegare, propter hoc solùm, quia scilicet vitam eis æternam dare decreverat, licet eam illis non promisisset: nedum ut grave videri debeat, si Deus Christianos, quibus bona terrena parcissimè promisit, egestate exploret. Videat nunc, & consideret pius lector, quomodo omninò incomparabile bonum sit vita immortalis, & hinc eum divinum esse agnoscat, qui primus hanc mundo revelavit, &, ut prægnante illa Iohannis voce utamur, enarravit, (d) hoc est, disertissimè absque umbris & involucris prædicavit, & sæpissimè, imò quotidiè & continenter per aliquot annos prædicando iteravit, cujus rei causâ etiam Dominus ipse dixit: Ecce hic plus est, quàm Salomon; Ecce hic plus est, quàm Jonas. (e) Salomon enim terrenam tantùm sapien-

t Matth. XIII. 17. Luc X. 24. v Gal. IV. 1. x Hebr. I. 2. Gal IV. 4. 1 Cor. X. 11. y Euangelium promittit etiam bona terrestria. z 1 Tim. IV. 8. a Quatenus ista promissio extendatur. b Matth. XIX. 23. 24. c Matth. VI. 33. d Joh. I. 18. e Matth. XII. 41. 42.

tiam docere alios poterat, verè cœlestem nullo modo: Ionas verò minas solas, easque semel tantùm prædicabat.

Et certè, quanta sit hujus rei, quòd tantum bonum hominibus annunciavit Iesus Christus, præstantia & divinitas, ex eo constare unicuique potest, quòd Christus Iesus, ostensurus, se Iohannis Baptistæ testimonio amplius non indigere, sed jam alia extare, quæ cuivis fidem facere possint, eum esse illum, qui venturus erat, tàm ejus, quod legati Iohannis audire poterant, nempe doctrinæ, quàm eorum, quæ tunc videre poterant, nempe miraculorum, (de quibus posteà dicemus) meminit; (f) & ex eo etiam, quòd pauperibus, (hoc est, si Dei voluntatem respicias, hominibus mortalibus & peccatoribus, si effectum, ex animo humilibus,) Euangelium, hoc est, illa promissio vitæ æternæ, annunciatur, colligi vult, se esse Christum illum venturum. Nam neminem alium decebat, tantæ rei annunciatorem esse, præter promissum Messiam: & jure is Messias & Servator mundi habendus est, cui tanti boni (quod omnem humanum intellectum superat) annunciationem creditam esse constabat. Sed nunc pergamus ad alia.

f Matth xi. 4.

ELENCHUS CAP. VII. DISP. XXI.

ORthodoxa, contra veteres & novos Ebionitas, assertio (Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον *merum hominem*) luce meridiana clarius elucescit, ex Apostolica antithesi Adami primi & secundi 1 *Cor.* xv. 45. & 47. *Factus est primus homo Adam* εἰς ψυχὴν ζῶσαν *in Animam viventem*, h. e. Animal vivens: *posterior Adam* εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν *Spiritum vivificantem. Primus homo è terra terrenus: secundus homo* ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ *ipse Dominus è cœlo.*

II. *Smalcius* ut veram Christi divinitatem, illo testimonio assertam, Personæ Christi auferat, Paulum torquet, faciens illum loquentem, de divinitate muneris Prophetici Christi, sitâ in promulgatione Promissionis vitæ æternæ, ante Christum, scilicet, inauditæ; & ne quidem ante lapsum primo Adamo revelatæ. Quod cum directe non possit ullo schemate exprimi ex verbis aut scopo Apostoli (nimis manifeste opponentis Personam Personæ) per ambages eo contendit *Smalcius*, ut scilicet loquutus sit Apostolus, *qualis nunc sit Dominus Jesus, adeptus ipse Vitam æternam, quam ipse in terris prædicans promulgaverat primus.*

III. Est autem (ad *versum* 45.) violenta nimis illa detorsio, qua facit Synonyma, *Corpus spirituale* σῶμα πνευματικὸν, & *Spiritum vivificantem* πνεῦμα ζωοποιοῦν; quod tacite insinuat, dicens hic, illos, *qui immortales aliquando futuri sunt, evasuros spirituales, vel Spiritus vivificantes.* Prolixe verò hoc contendit *Johannes Crellius, in explicatione sua Capitis* xv. *prioris Epistolæ ad Corinthios*, ita explicans τὸ ζωοποιοῦν; *Vivificans*, inquit, *illud dicendum erit, quod ita vivit, ut vitam etiam suam perpetuo tueatur, ac conservet.* Nihil tamen ultra probat, quam, quod nemo negat, ζωοποιεῖν, sicut ζωογονεῖν, *esse etiam viventem in vita conservare.* Quod videns ipse non sufficere, ad id quod probandum erat, munire porro satagit verbis sequentibus: *Etiamsi*

verò

verò hæc verba soleant esse transitiva, non raro tamen fit, ut verba hujusmodi conjugationum fiant quodammodo reciproca, vel plane intransitiva. Adducit autem ex usu communi *verbum* ἐπιστρέφειν *convertere*, pro *se convertere*; & ex *Act.* XXIV. 16. *verbum* ἀσκεῖν *exercere*, pro *se exercere*.

IV. Respondemus ad hanc Criticam *Crellii*, esse ista dissimilia. I. Quia τὸ ζωοποιεῖν necessario in significatione transitiva accipiendum in verbis Pauli, propter antithesin expressam ad τὴν ψυχὴν ζῶσαν; ac nisi intransitivo huic vocabulo opponatur illud transitivum, ediderit Apostolus sine mente sonum. II. Producenda erant *Crellio* exempla, non verborum, sed nominum aut participiorum compositorum, per mixtionem Thematis intransitivi, cum verbo ποιέω efficio, quæ servent significationem intransitivam.

V. Ad rem ipsam, animadvertendum, auferre *Smalcium* & *Crellium* impie à Domino Jesu, ante mortem ipsius, Spiritum vivificantem, quem sibi asseruit ipse *Joh.* VI. 63. τὸ πνεῦμα ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, *Spiritus est qui vivificat*: per quem *Spiritum æternum se ipsum & Deo obtulit inculpatum Hebr.* IX. 14. *& mortificatus in carne, fuit* mox ζωοποιηθεὶς *vivificatus* I Petr III. 18 ipse nimirum excitans tertio die templum corporis sui. *Joh.* II. 19.---22. Ac omnino hoc voluit Apostolus in antithesi Adami primi & secundi, Christo fuisse potestatem, ita moriendi, ut poneret ipse animam suam, & rursus eam assumeret *Joh.* X. 28.

VI. Jam quod Adamum primum attinet, vocatur ille, in antithesi ad Spiritum vivificantem, *Anima* h. e. Animal *vivens*; illa emphasi, quod non acceperit cum prima creatione jus ad vitam æternam cœlestem, (quam per ascensionem in cœlos adiit Christus, secundum carnem ex mortuis redivivus) sed aditus tantum illi patefactus fuerit, per obedientiam perseverantem; quam quia non præstitit, incurrit necessitatem moriendi, & revertendi in pulverem, ut erat ex pulvere creatus. Atque hactenus (ut ex terra creatus fuit homo animalis) sano quidem sensu, & nos dicimus, *non fuisse Adamum creatum immortalem, neque in Adamo naturaliter fuisse vitam æternam* nobis in Euangelio promissam, quam in cœlis expectamus.

VII. Attamen affirmamus, Vitam æternam cœlestem (ut mercedem non ex gratia sed ex debito) Fœdere operum originali Adamo promissam fuisse: ac Promissionis Sacramentum fuisse Arborem vitæ. *Genes.* II. 9. & III. 22. Quod docet Christus ipse *Apoc* II. 7. promittens credentibus cœlestem æternam vitam, sub illius primi Sacramenti symbolo, manducatione ex arbore vitæ quæ est in medio Paradisi Dei; volens ostendere, nos postliminio, per ipsum, ut secundum Adamum, accipere (quia omnium quotquot sunt promissionum 2 *Cor* I. 20.) primæ illius promissionis, Adamo primo isthoc sacramento obsignatæ, τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμὴν *Etiam atque Amen.*

VIII. Interim quamvis non fuerit creationis beneficio immortale conditum corpus Adami, detestanda tamen est *Socini* ista hæresis, *in Epistola ad Vol-*

ad Volkelium V. pag. 489. *Non esse ex ipsa creatione in homine agnoscendum quidquam immortalis vitæ*: loquitur autem, *in quæstione de Immortalitate animæ*, quam sine Atheismo negari non posse hactenus credidit Christianismus.

IX. De vita autem compositi, quam in corpore vivebat Homo ante lapsum, cui opponitur Mors proprie dicta, (quæ vitæ privatio est per dissolutionem unionis naturalis animæ & corporis) negamus unquam vitam illam cum morte commutandam fuisse, si homo non peccasset. Adeoque quamvis non fuerit creatus Adam immortalis, mortem tamen non esse sequelam naturæ creatæ, neque secundum naturam: sed contra, ex hypothesi si non peccasset, recte affirmamus, secundum naturam perennandam fuisse Adamo vitam.

X. Atque hoc sensu *ultra Immortalitatem Animæ*, fuisset Adamo etiam naturalis *Immortalitas compositi*. Quia ut non moreretur sed in æternum ipsi vita perennaretur, nulla opus erat tali mutatione viventis naturæ, qua naturalis Animæ & Corporis Unio, corpus vivificans, à primo creationis momento facta à Deo Creatore, pateretur ullam vel incisionem vel intercisionem.

XI. Hoc statu controversiæ formato, facilis est solutio argumentorum, quæ hic unâ periodo conglomerat *Smalcius*; *Nam*, inquit, *ex terra creatus, cibis usus, liberis gignendis destinatus, & animalis ante lapsum fuit*. Primum quidem, de origine creationis ex terra, plane inconsequens est, ad probandum, mortem esse sequelam naturæ: non enim sine Creatoris arbitrio, magis in terram & pulverem revertendum est illi creaturæ, quæ formata est ex terra & pulvere, quam universim omnibus creaturis revertendum in nihilum, quia ex nihilo creatæ sunt. Neque in contrarium præscriptum est, illa Dei sententia; *pulvis es, & in pulverem reverteris Gen.* III. 19. Quia verba illa tantum indicant sequelam naturæ, ex causa materiali, (posita causa mortis meritoria, ac morte ingressa) ut per mortem non resolvatur corpus in aliam materiam quam ex qua factum est.

XII. Argumenta duo sequentia (quæ prolixius tractat *Smalcius in Refut. Thesium Franzii Disput. VII. de Extremo Judicio*) *de usu ciborum, & generatione liberorum*, non probant quod probandum erat; cum cessaturo usu ciborum, & liberorum procreatione, cessaturam necessario unionem animæ cum corpore naturalem: quando adipisceretur homo Immortalitatem & vitam æternam.

XIII. Nec magis hoc efficitur ex ultimo isto, quod *animalis ante lapsum fuit*. Etenim antithesis vitæ & corporis, animalis & spiritualis, qua utitur Apostolus 1 *Cor.* XV. 44. & 46. perperam sic accipitur, quasi corpori spirituali Apostolus auferat simpliciter vitam animalem; seu hominem in vita æterna exuat illo in quo hic vixit corpore. Sic quidem impie subvertitur, & ex Christianæ Apostolicæ fidei Symbolo expungitur, *Resurrectio Carnis*, de qua infra erit dicendi locus.

XIV. Apo-

XIV. Apostoli διάνοια est; non provectum ultra Adamum primum, & in ac cum illo genus humanum, extra Christum, quam ad brevem animalis vitæ usuram: quia excidit Adamus, suo lapsu, promisso vitæ æternæ præmio. Minime autem hoc docet Apostolus, exuendum fuisse Adamum vita animali, per translationem in vitam spiritualem cœlestem; cum neque in Euangelio, *cupiamus exui, sed superindui* 2 *Cor.* v. 4. ita ut neque τὸ φθαρτὸν τοῦτο, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο, *corruptibile hoc & mortale hoc*, secundum substantiam abolendum sit, sed futurum, ut induat ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν immunitatem à corruptione & immortalitatem. 1 *Cor.* XV. 53. 54.

XV. In Veteri Testamento non exstare promissionem vitæ æternæ, impudenter asserens *Smalcius*, impudentius jubet nos hic stare aut cadere, Judæorum qui hodie vivunt testimonio, à quibus scilicet ut legis peritissimis & observantissimis, ac minime negligentibus salutis suæ, neque sibi defuturis, petenda sit hic clavis scientiæ. Quæ ista est prævaricatio? apertionem Scripturarum credere Judæorum filiis; quos jam olim Dominus noster Christus culpavit, ut *cæcos & fatuos ductores*? *Matth.* XXIII. 16. 17. 19. 24. 26. & incusavit, de *clave scientiæ ablata Luc.* XI. 62. & de quibus testatus est Paulus, *velamen cordibus ipsorum impositum esse* ut Mosem & V. T. legentes non intelligant. 2 *Cor.* III. 14. 15.

XVI. Enimverò, an mysterium illud habet? quod audire nos jubet, *quid fateantur hodie omnes Judæi? & quidem Judæi prudentiores?* Videtur omnino voluisse *Smalcius* effugere, ne premeretur Christi affirmatione, secundum quam Judæi olim scrutantes Scripturas Mosis & Prophetarum, *censebant se in illis vitam æternam habere. Joh.* v. 39. Desperatæ autem causæ illud tribuimus, quod à Judæis istis provocat ad prudentiores, id est à Pharisæis, ad Sadducæos, alio plane spiritu, quam quo à Sadducæis ad Pharisæos provocabat Apostolus *Act.* XXIII. 6. 7. 8. Loquuntur hic etiam hodie pro se contra *Smalcium* accuratioris sectæ Judæi.

XVII. Quæ autem Christianæ aures non abhorreant, quod certum esse pronunciet *Smalcius*, si in Mose exstaret promissum vitæ æternæ, Judæos prudentiores sibi non defuturos, nec tanta re se ipsos frustraturos? longe aliter Christus & Paulus pronunciaverunt, meditati θεήλατον Judæorum excœcationem & indurationem *Matth.* XI. 25. *Rom.* XI. Sed hæc non sunt hujus loci. Habemus testatam à Christo Judæorum qui Scripturas scrutabantur δόξαν seu δόγμα, haberi in illis promissum vitæ æternæ. Quam δόξαν si dixerit *Smalcius* fuisse erroneam δόκησιν (quomodo scimus torqueri illud δοκεῖτε *Joh.* v. 39. à *Smalcio Refutat. Thes. Franzii Disp. VII.*) præscribit tamen ipse contra Judæorum prudentium Legis peritorum veterum testimonium, quod hodie loquentium Judæorum testimonio debebat esse antiquius.

XVIII. Facit autem lectori offucias *Smalcius*, flagitans apertum vitæ æternæ promissum. Apertum vocans illud scilicet, quod citra omnem ἐρευνᾶν τῶν γραφῶν, h. e. scrutationem Scripturarum, etiam oscitans & aliud

agens legendo intelligat. Neque pium hoc est, quod scrutationis Scripturarum methodum necessariam aufert, collationem Mosis & Prophetarum; vetans ne quis producat quædam ex Prophetis loca, sed adstringens probationem & confirmationem, nude ad Fœdus quod Deus cum Judæis per Mosem pepigit, quod revera est auferre clavem scientiæ.

XIX. Præscribit iniqua illa lege *Smalcius* contra methodum demonstrationis, qua usus est ipse Christus, contra Sadducæos probans & confirmans ex Mose veritatem Resurrectionis mortuorum ad Vitam æternam: non sine tacita exprobatione, quod apertius promissum flagitarent, dicens; *De resurrectione vero mortuorum non legistis? quod vobis dictum est à Deo dicente, Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi. Matth.* XXII. 31. 32. Quin aperte exprobans in errore versantibus *ignorationem Scripturarum. Ibidem versu* 29.

XX. Dictat autem *Smalcius* temere, non docet, certum esse, non ita ad omnes pertinuisse, vel etiam pervenisse voces Prophetarum, quemadmodum ad omnes pertinebat & pervenit Vetus Fœdus; puta ad omnes Judæos in universum. In hac scilicet hypothesi, non licebit ex vocibus Prophetarum petere aut accipere interpretationem Fœderis, seu Promissionis qua Fœdus sancitum est Mosis ministerio, cum populo Judaico. Atqui tamen ipsius Christi testimonio, ad Christum usque spes Judæorum, qui vitam æternam expectabant, fundabatur in testimonio Mosis *Joh.* v. 45. & eo nomine docentium Cathedra dicebatur *Cathedra Mosis Matth.* XXIII. 2. Ut non potuerint à diebus antiquis aliter audiri voces Prophetarum docentium, quam ut destinatæ ad apertionem librorum Mosis, & enucleationem eorum quæ ipse primus divino mandato scripserat: qua emphasi dicitur *Actor.* XV. 21. *Moses ab ætatibus antiquis in singulis civitatibus habet qui ipsum prædicant, quum in Synagogis per singula Sabbata legitur.*

ELENCHI SECTIO II. DISP. XXII.

A Blasphemia non liberat cœtus suos *Smalcius*; quandoquidem Christum non agnoscit ipsum vitæ æternæ nostræ fontem vivum, sed præconem tantum, ad præconium tantum hominis divini torquens illustria Scripturæ testimonia, sed frustra. Etenim, illa quidem verba *Joh.* I. 4. *In ipso vita erat, & vita erat Lux illa hominum*, de præconio seu testimonio humano intelligi, non permittit consequens *versu* 6. 7. 8. 9. antithesis Johannis Baptistæ, qua ipse contradistinguitur Christo, ea lege, ut Christus ipse fuerit Lux illa, (adeoque vita ipsa,) Johannes vero homo missus à Deo, qui venit ad dandum testimonium de Luce. Omnino ergo sublimior homine Johanne Christus, & eo ipso indigitamento Lucis & Vitæ Deus ipse, juxta illud 1 *Joh.* I. 5. *Deus Lux est.* Et 1 *Joh.* V. 20. *Hic est verus Deus & Vita æterna.* Adeoque non sine blasphemia eo deprimi potest Christus, ut instar Johannis censeatur præco tantum & testis de Luce, ex hominibus, *natus* ad hoc natus homo *Joh.* XVIII. 37. sed omnino audiendus est

dus est, ut è cœlo loquens, juxta Patrem & Spiritum S. testis αὐτόπτης supra omnes ex hominibus testes unus & summus Doctor. *Matth.* xxiii. 8. 1 *Joh.* v. 7. Atque ex hac analogia Fidei, Christus dicitur *habere verba vitæ æternæ Joh.* vi. 68. non ut Homo à Deo missus ad testandum de vita æterna, sed ut ipse Auctor, & vitæ æternæ, & verbi promissionis de vita æterna, verus אבי עד *Pater æternitatis. Esai.* ix. 6.

II. Hac majestate Christi sarta tecta, parvi illud momenti est, quod non dicamus primum & solum promissionis vitæ æternæ præconem fuisse Christum hominem factum; longe enim augustius est quod profitemur de Christo, ipsum primum & solum esse fontem & auctorem vitæ æternæ promissæ, & unicum promissionis quæ nobis facta est fundamentum. Quanquam & hoc profiteamur ad gloriam officii Prophetici Christi, quam ipsi auferunt *Sociniani* cœtus, Jesum Christum primum & solum fuisse vitæ æternæ præconem αὐτόπτην.

III. Nos ergo longè rectius hac in parte pronunciamus, Domino Jesu soli & primo acceptum esse ferendum, quod promissionem & spem certam vitæ æternæ habeamus; quum ipsum supra omnes tantæ rei præcones πρῶτον credamus & profiteamur eximium, divini è cœlo testimonii αὐτοπιστία, ut Filium Patri ὁμοούσιον. Neque hoc tantum, sed potissimum eo nomine, quod ipse unus & solus factus est Dei & Hominum Mediator, Mediationem præstans ut Fœderis ἔγγυος Sponsor. *Hebr.* vii. 22.

IV. Blasphemiæ vero isti, (qua adstringit *Smalcius* promissionem & spem certam vitæ æternæ, acceptam ferendam Domino Jesu soli, ad tempus Novi Testamenti, & ad præconium Euangelii de morte destructa, de quo Paulus 2 *Tim.* i. 10.) frustra obtenditur, & locus iste, & alter ille *Hebr.* viii. 6. ubi Fœdus cujus Christus Mediator est, dicitur *in melioribus promissis sancitum esse.* Nam priori illo loco verba illa de Christo, *qui & mortem abolevit, & in lucem produxit vitam & immortalitatem, per Euangelium*, φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ εὐαγγελίου, non sunt accipienda, de prima antiquitate promissionis Euangelii: quæ si hic definitur, differendum erit initium promissæ vitæ æternæ, & Fœderis cujus Christus Mediator est, usque ad Christi ex mortuis resurrectionem. Quod ἀλλόκοτον. Quid ergo? φωτισμὸς ille seu productio in lucem vitæ & immortalitatis accipienda est de vindicatione & assertione Christi ipsius in vitam immortalem ex mortuis, ut luce ex tenebris orta in resurrectione Christi; cui testimonium perhibuerunt Apostoli suo præconio.

V. Alter locus non loquitur de prima promissione Fœderis cujus Christus Mediator est. Nam habemus testimonium Apostoli expressum, de Fœdere à Deo *sancito in Christum*, à diebus antiquis, longe ante Mosem. *Gal.* iii. 17. Sed sermo est *Hebr.* viii. 6. de Testamento novo Fœderis in Christum sanciti, in quo ipse Christus per se officio Mediatoris functus est ad peccatorum expiationem. *Hebr.* i. 3. Hujus Novi Testamenti Promissiones *meliores* vocat Apostolus, non intelligens Promissionum nomine

mine ipsam rem promissam. Vitam hic scilicet æternam, illic animalem & temporalem tantum.

VI. Quid ergo? Citra metonymiam illam, propria significatione Promissiones ejusdem communis salutis & vitæ æternæ, alias aliis meliores, id est, solidiores & confirmatiores, intellexit Apostolus. Breviter autem, eo pacto meliores sunt promissiones in Novo quam in Veteri Testamento; quod in V. T. Promissio vitæ æternæ, omnesque connexæ, tantum typicè obsignatæ erant morte & sanguine pecudum: in N. T. jam sint plenissimè roboratæ & confirmatæ, morte & sanguine ipsius Testatoris. Atque in hanc, olim futuram, veram & solidam confirmationem promissionis, tanquam necessariam novam fœderis corroborationem, eo pacto in Veteri Testamento recumbebat Fides & Spes atque Exspectatio credentium, ut eminus illam salutarent, tanquam suarum animarum salutis τελείωσιν, perficiendam in præfinita à Deo temporis plenitudine. *Hebr.* XI. 13. 32. 40. *cum Hebr.* IX. 15.

VII. In concertatione autem ipsius Fœderis Gratiæ in Christum confirmati, cum Fœdere Legali operum veteri ante lapsum, rursus ejusdem vitæ æternæ, utrobique promissæ, Promissiones in Novo Fœdere Gratiæ meliores sunt, quam in Veteri Fœdere operum: quia in veteri fœdere suspensæ erant, à conditione lubrica & incerta perfectæ obedientiæ & perseverantiæ Adami primi; in novo autem donatæ ἀμεταμελήτως, propter certitudinem infallibilem satisfactionis & obedientiæ Christi Sponsoris, imputandæ fœderatis.

VIII. Unde in Novo fœdere Promissio vitæ æternæ cumulata quoque est & roborata novis promissionibus, non solum de illa justitiæ Christi donatione & imputatione, qua acquirendum erat olim, & nunc quæsitum est, Jus ad vitam æternam: sed etiam de præstanda ipsa quoque illius Justitiæ participatione, per donationem Fidei ἀμεταμέλητον, & de Spiritus S. operatione efficaci in fœderatis, qua præveniente, operentur perseveranter salutem suam. *Jac.* I. 6. *cum Hebr.* VI. 20. *& Hebr.* X. 14. 17. *ex Jer.* XXXI. 31. 32. 33. 34. *&* XXXII. *vers.* 39. 40. Ubi expressum est illud V. F. ἀνωφελὲς correctum meliori promissione N. F. *Isti non perstiterunt in illo meo Fœdere, & ego despexi eos.* A quarum promissionum meliorum consummatione, & obsignatione Testamentariâ verâ, in morte Christi, singulariter Novo illi Testamento Fœderis Gratiæ, omnium promissionum, antecedentium in ejusdem Fœderis Testamento veteri, veritas seu τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμὴν asseritur. *Joh.* I. 17. *&* 2 *Cor.* I. 20.

IX. Non est ergo, quod *Smalcius* dictat, ista Euangelii post Christi resurrectionem promulgati periphrasis, quæ legitur *Hebr.* VII. 19. ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος *superintroductio spei melioris*: sed verius periphrasis est fidei Veteris Testamenti, citra quam nihil fuisset cultus Lege cæremoniali institutus, atque ad justificationem & sanctificationem omnino inutilis. At ex Fide illa habebant accedentes ad Deum, rerum sperararatum illis, nunc nobis exhibitarum, hypostasin. *Hebr.* XI. 1. 40.

X. Neque

X. Neque consequenter solida ratio ob quam Jesus Christus se ipsum vitam & resurrectionem appellavit *Joh.* XI. 25. ista est; *quia scilicet primus utrumque hoc beneficium mundo exhibuerit, & tandem credentibus daturus sit.* Neque solida veritas ista est, quod propter hoc ipsum veritatem sese appellavit *Joh.* XIV. 9. *quia primus veritatem illam cœlestem hominibus annunciarit.* Prima enim & princeps ratio illa est, quam dedimus *Thesi VIII.* qua subversa, inanis esset, & veritate omni cassa prædicatio Promissionis de vita & resurrectione beata.

XI. Ex vi veritatis est, quod fateatur *Smalcius*, sub veteri Fœdere cognitionem fuisse vitæ æternæ, & pios sperasse semper vitam æternam & cupivisse. Et vitæ æternæ indicia fuisse, raptum Enochi, & Eliæ in cœlum translationem. Sed luctatur contra veritatem *Smalcius*, quando contendit, bonum illud vitæ æternæ nec fœdere inclusum, nec usquam populo aperte promissum fuisse, adeoque spem illorum nixam fuisse non Promissis Dei, sed conjecturis, & consideratione Dei & justitiæ Dei. Hac scilicet Methodo; Si Deus est, est vita æterna: hanc enim vivit. Est ergo desiderabilis homini mortali, & maxime cupienda, & vel Deo invidenda, vita illa, ac speranda. Atqui est hæc Methodus *δαιμονιώδης*, quâ Evam vetus ille serpens seduxit, suggerens, ut neglecto verbo Dei, affectaret non promissam, Deo invidendam, quam Deus sibi habebat, beatitudinem *Gen.* III. 5.

XII. Præter omnem vero Scripturæ analogiam, in conjecturis quæ destituuntur verbo revelationis & promissionis divinæ, fundatur spes & exspectatio vitæ æternæ, & proba hic est *Franzii* censura *Disput.* VII. *Thesi* 55. *Quomodo sperassent nisi credidissent? Quomodo credidissent, de quo non audivissent? Quomodo audiissent nisi prædicatum ipsis fuisset? Quomodo vero prædicassent ipsis aliqui, nisi ad hoc ipsum prædicandum à Deo missi, & hoc ipsum affirmate prædicare jussi: ut Rom.* X. *in simili negotio argumentatur Apostolus gentium.*

XIII. Contra censuram dum luctatur *Smalcius in Refutatione Thesium Franzii pag.* 224. nihil relinquit iis qui ante Christum sperarunt & exspectarunt vitam æternam, præter *vanam persuasionem*: sic scilicet exspectationem & spem sine fide describens. *Duplex enim datur*, inquit, *exspectatio vel spes alicujus rei. Altera infirmior quæ est nuda exspectatio & vana persuasio, quæ conjecturis tantum nititur, qualis erat Pharisæorum de Resurrectione* (*Act.* XXIV. 14.) *Altera firmior quæ in Deo hoc est promissis divinis nititur. Hæc ubi est, ibi etiam fidem esse necesse est: at talem fuisse in iis qui ante Christum vixerunt nunc probandum est.* Nobis quidem non videtur alia deductione ad absurdum opus, quam jam dicta.

XIV. Neque ita se discerpi patiuntur verba Apostoli *Act.* XXIV. 14. ut inter se & Pharisæos ita partiatur spem & exspectationem resurrectionis mortuorum, ut illis, tantum ex majorum traditione, adscribat, *sine fide Scripturarum, spem, & nudam exspectationem, ac vanam persuasionem* resurrectionis mortuorum: sibi vero asserat suam *in Deo hoc est promissis divinis nixam spem.* Nimis aperta est in verbis Pauli contestatio communis spei & exspectationis, ex Fide communi qua utrique credebant Prophetis. *Hoc*

vero tibi confiteor, inquit, me secundum viam illam, quam sectam dicunt, ita servire patrio Deo, ut quœrendam omnibus quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt: & spem habeam in Deum, fore, quam etiam ii ipsi exspectant, resurrectionem mortuorum, tum justorum tum injustorum. Act. XXIV. 14. 15. Et in sequenti coram Agrippa apologia, Apostolus ad eandem communem Fidem Scripturarum provocat; *Credis Rex Agrippa Prophetis? scio te credere* Act. XXVI. 26. 27. præmissa protestatione illa *nihil se dixisse extra ea quæ prædixerant Moses & Prophetæ. ibid. vers.* 22 Confer *Thesin nostram* XVII. *Disput.* XXI.

ELENCHI SECTIO III. DISP. XXIII.

ENimvero quomodo *sine fide nuda spes & exspectatio, ac vana persuasio,* aut pie aut verè dici potest à *Smalcio*? quæ equidem non pudefaciet eos, qui illa spe pleni in V. T. mortui sunt, & in exspectatione vitæ æternæ animas suas Deo commendarunt? Quidni illum Spiritum fidei illis tribuamus? quo non caligarunt nec cœcutierunt, sed viderunt & didicerunt vitam æternam sibi promissam, verbo illo fœderis, quo Dominus Jesus usus fuit *Matth.* XXII. 31. *& Luc.* XX. 37. ad demonstrandam ipsorum resurrectionem ex mortuis.

II. Quod *Smalcius conjecturu*, ad spem sine fide gignendam, adnectit *considerationem justitiæ Dei*, ἀνάλογον est. Quia præscribit omnino de fide argumentum à Justitia Dei, ad spem & exspectationem universalis judicii; per quod in futuro, secus quam in hoc, sæculo, bonis bene sit, & malis male. 2 *Thess.* 1. 6. 7. 8. Neque fallere potest Deum timentes (præsertim quos Deus *hic miris modis affligi patitur*, & quibus non largitur bona terrena & visibilia, quæ videri queat cultoribus suis promisisse) Fides illa; in ænigmate rerum visibilium, & vitæ in terris longæ & beatæ, Deum cultoribus suis promisisse bona invisibilia in vita æterna fruenda. Atque sic fuit Patrum in V. T. fides, affirmatione Apostoli, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, *elenchus & demonstratio rerũ quæ non videbantur. Heb.* XI. 1.

III. De cætero *sine fide spem, & persuasionem vanam*, quam indigne piis Deum timentibus Patribus in V. T. tribuit *Smalcius*, relinquendam censemus profanis & Gentilibus, quos *sine Deo sine spe* fuisse pronunciat Apostolus *Eph.* I I. 12. Quamvis notamus spiritum contradictionis, in eo quod illam, quam *Smalcio* vocare lubet inanem persuasionem credentium & timentium Deum in V. T. idem tamen implendam asserat; *firmiter* scilicet *statuens vitam æternam aliquando datum iri omnibus illis quicunque Deo unquam confisi sunt & eidem obediverunt.* Vanam ergo persuasionem implebit Deus? quæ hæc portenta?

IV. Quam vero frigida ista demonstratio *Smalcii*? *Vita æterna dabitur etiam illis, quibus promissa non fuit: hoc firmiter statuimus, quia hoc totum didicimus aliquo modo ex eo, quod nihil impedit, quo minus Deus id etiam det alicui quod ei non promisit: proprium enim Dei est plus dare quam promisit.* Ne vero audiat, hoc didicisse quod non docet Scriptura, & quod est præter & contra

contra analogiam Scripturarum, etiam Scripturas torquet: primo quidem de Ethnicis sic pronuncians; *quemadmodum etiam Ethnicis datus est Messias, & per eum salus, licet aperte illis promissus non fuerit, quin imo, ut Apostolus loquitur, olim spe promissionis caruerint. Eph.* II. 12. Atqui fallit & fallitur *Smalcius*. Quibus enim Gentibus seu Ethnicis datus est in N. T. Messias, & per eum salus, illis apertissime promissus fuit in V. T. Illis vero qui olim vixerunt & mortui sunt sine spe, nunquam, neque in hoc neque in futuro sæculo, datus est aut debitus Messias, neque per eum salus. Quamvis autem & hi & illi misceantur ut corpus unum, (de quo per Synecdochen partium, distributione temporum facta, successive utrumque affirmatur, ut hic Ephesii Ethnici, olim sine Deo & sine spe in mundo, nunc autem Deo fœderati & spem habentes) unus quidem populus intelliguntur, sed in aliis successive individuis.

V. Secunda vero *Smalcii* instantia ista est: *maxime vero*, inquit, *didicimus illud ex certis quibusdam argumentis, quibus Dominus Jesus usus fuit ad demonstrandam resurrectionem hominum justorum, Abrahami Isaaci & Jacobi, unde etiam de aliis eorum similibus idem statuere jure possumus. Matth.* XXII. 31. *Luc.* XX. 37. Atqui non patiuntur verba Christi se torqueri in illam sententiam, ut Abrahamo Isaaco & Jacobo Deus vitam æternam in mortuorum resurrectione daturus sit, quam illis non promiserit se daturum, neque ipsorum similibus. Aperte enim reclamant ista; *De Resurrectione vero mortuorum non legistis quod vobis dictum est à Deo dicente. versu* 31 Et quod *versu* 39: Sadducæos accusat Christus de Scriptura lecta, non intellecta; *Erratis nescientes Scripturas.* Sciant ergo qui *Smalcium* hic sequuntur cœcum ducem, se proculdubio caligare & vere cœcutire cum Sadducæis, quando à verbo illo Fœderis, quo Deus fœderatus legitur Abrahamo, Isaaco, Jacobo, auferunt promissionem vitæ æternæ, illis dictam, à Mose scriptam, & à filiis promissionis lectam intellectam. Atque sic censuram Christi à Sadducæis derivant ad Pharisæos, quod supra ostensum.

VI. Nihil juvant *Smalcium* illa quæ congessit ex variis Scripturæ testimoniis ad hoc extorquendum, *per tot sæcula plane homines latuisse promissionem vitæ æternæ, nec cuiquam certo constitisse, eam daturn iri homini mortali.* Non probant id verba Christi *Matth.* XIII. 17. *Luc.* X. 25. Nomine enim eorum, quæ multi Reges Prophetæ & justi videre & audire cupierunt, nec tamen ea vel viderint vel audierint, minime intelligi debebat potest Verbum promissionis de vita æterna, (quasi nullum habuerint, cui superstruxerint certam ex fide spem, & exspectationem melioris vitæ) sed Promissionis vitæ æternæ in venturo Fœderis Sponsore ἀπὸ τῶν ... ut Testamentum Fœderis (quod habebant verbo juratum) haberent tandem aliquando solide roboratum & ratum ipsa Testatoris morte *Hebr.* IX. 15. 16. 17. Atque hæc est clavis intelligentiæ etiam reliquorum testimoniorum, quibus *Infantia Ecclesiæ* tribuitur sæculis illis quæ Christi adventum in mundum antecessere *Gal.* IV. I. & sæculis quæ nunc labuntur à Christi adventu plenitudo & perfectio adultæ ætatis. *Hebr.* X. 2. I *Cor.* X. II.

VII. Nullis

VII. Nullis autem fidiculis, ex illa infantiæ & adultæ perfectioris ætatis allegoria, hoc exprimi potest, quod temere asserit *Smalcius*; Deum omnes illos qui ante Christum exhibitum hæredes fuerunt vitæ æternæ, ita tractasse ut promissa terrena tantum eis daret; adeoque viverent & morerentur illi suæ hæreditatis ignari, saltem incerti, quamvis neque terrena bona & benedictiones hic essent adepti, quæ, ex hypothesi, sola Deus promiserat. Tunc scilicet, si id eis Deus non largitus esset quod in V.T. cultoribus suis promiserat, verisimilis tantum ipsis nascebatur conjectura de exspectatione vitæ æternæ, cupitæ, sed non promissæ. At quæ illa cupido boni ignoti? quippe non revelati.

VIII. *Quod Euangelium promittebat etiam bona terrestria*, juxta illud Apostoli, *pietas ad omnia utilis est, habens promissionem vitæ præsentis ac futuræ* 1 *Tim.* IV. 8. & illud Christi *Matth.* VI. 33. *& ista omnia adjicientur vobis*, ἰξαγάνη est. Illud quoque extra controversiam; non esse Promissionem extendendam, ad possessionem bonorum, quæ ad vitam sustentandam necessaria non sunt, affectandam. At dictat non docet *Smalcius*; cultum & religionem in V.T. præscriptum Lege Mosaïca, habuisse solam bonorum terrestrium, nullam vero cœlestium, Promissionem; adeo ut non sit catholicæ veritatis illud Apostoli axioma de pietatis utilitate, sed ad N.T. pietatem Christianam adstrictum. Nos asserimus esse catholicæ veritatis, in omni Theologia Viatorum in terris peregrinantium.

IX. Quod porro *Smalcius* V.T. Promissiones bonorum terrestrium divinas extendit, etiam ad possessionem bonorum, talem quæ cum religione & cultu qui promissionem habet vitæ æternæ difficulter convenit, & quæ, si non necessario vitam æternam tollit, saltem difficillimum ad eam aditum facit, juxta *Matth.* XIX. 23. 24. Hoc si introspicias vertitur in accusationem *Marcioniticam* Dei, qui Patribus loquutus est in V.T. per cujus scilicet Promissionem nimis profusam bonorum terrenorum, fere necessario sublata fuerit vita æterna, ut ad illam tunc utilis non fuerit pietas.

X. Nasum vero cereum habet *Smalcii* determinatio ista, possessionis bonorum quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt vel non sunt, & consequenter avaritiæ & luxus non damnati in V.T. sed demum in N.T. super quo sat dictum, circa *Perfectionem* VIII. *Præcepti ad Caput V.* Addimus quod hujus loci est, Christum *Matth.* XIX. 23. 24. non præscribere contra minime affectatam malis artibus, sed affluentem divina liberalitate, divitiarum possessionem: quæ quidem paucorum est sive piorum sive impiorum, atque ex se indifferens, piis vero ad erogandas eleëmosynas utilis, & eo nomine etiam *beatitatis* ipsorum *quædam particula*, juxta illud Christi; *Beatum est dare potius quam accipere Act.* XX. 35. & illud; *Fœneratur Deo qui miseretur pauperis. Proverb.* XIX. 17. Quid ergo? Divitum nomine intellexit Christus omnes qui sua sorte non contenti *volunt ditescere*, juxta periphrasin Apostoli 1 *Tim.* VI. 9. & damnavit affectum carnis, qui dominatur in divitibus mundi hujus, & in piis etiam concupiscit adversus Spiritum.

XI. Lu-

XI. Luctatur autem nimis manifeste contra veritatem *Smalcius*, quando (*agnoscens propter hoc solum potuisse salva justitia Deum pios in V. T. etiam destituere effectu promissionis bonorum temporalium, & permittere ut miris modis affligerentur, quia vitam eis æternam dare decreverat*) non patitur tamen ut asseramus, in ænigmate promissionis terrestrium bonorum, (quæ non præstabantur omnibus & singulis) vidisse credentes omnes & singulos sibi datam Promissionem vitæ æternæ cœlestis: adeoque habuisse, illam pro cortice, hanc pro nucleo Fœderis, quo non erubescebat Deus eorum Deus vocari. Hanc certe ipsorum Fidei Spei & Exspectationis analogiam enucleatè docet Apostolus. *Hebr.* XI. 1. 13. 14. Et loquitur Scriptura etiam Veteris Testamenti apertius, quando imprecatio illa fit in derelinquentes Deum, *in terra scribantur. Jer.* XVII. 13. Et Salomo, quem *Smalcius* hic pronunciat, temere, terrenam tantum sapientiam docere alios potuisse, docuit *iter vitæ sursum esse intelligenti, ut recedat ab inferno deorsum. Prov.* XV. 24. Confer *Eccl.* III. 21.

XII. Luctam illam contra veritatem magis prodit *Smalcius* ipsa illa periphrasi vocis *Enarravit Joh.* 1. 18. *hoc est*, inquit, *disertissime & apertissime absque umbris & involucris prædicavit, & sæpissime, imo quotidie & continenter per aliquot annos prædicando iteravit.* Esto enim (quod facile concedemus) non fuerit ita diserta & aperta, nec absque umbris & involucris, prædicatio promissionis vitæ æternæ, non ideo nulla fuit promissio illa, aut promissionis prædicatio Prophetica.

XIII. Et indoctum illud est, quod Jonam Prophetam æstimaturus *Smalcius*, in concertatione cum Christo, ut Propheta majori, Jonæ ministerium definit, unica ad Ninivitas facta prædicatione de excidio Nineves; *Jonas vero*, inquit, *minas solas, easque semel tantum prædivavit.* Meminisse debuit etiam extra illam legationem Nineviticam Scripturam recordari Jonæ, ut Prophetæ, qui vixerit & prophetarit in Israële sub Jeroboamo filio Joæ, annis aliquot post mortem Elisæi. 2 *Reg* XIV. 25.

XIV. Enimvero aliam longe emphasin habent verba illa Christi; *Ecce hic plus est quam Salomon*; *Ecce hic plus est quam Jonas.* Maxime enim spectavit Christus, in Salomone quidem, ut Davidis filio, hoc quod tantum Davidis filius ille esset: ipse vero, idem filius Davidis secundum carnem, & Davidis Dominus, axiomate veræ Deitatis. *Matth.* XXII. 41. 46.

XV. Jona vero major merito Christus censetur. 1. Propter prænuncium in Jona, sicut in reliquis Prophetis V. T. Spiritum Christi 1 *Pet.* 1. 11. 2. Propter relationem singularem, inter Jonam ut umbram, & Christum ut corpus, in signo illo Jonæ, ad quod à Christo remittuntur Judæi, signum flagitantes, versibus antecedentibus *Matth.* XII. 38. 39. 40. & *Matth.* XVI. 4.

XVI. Quam vero pudenda illa *Smalcii* prævaricatio in tractatione loci *Matth.* XI. 4. qua Caput hoc Septimum claudit? quasi principale momentum responsionis Christi, qua fidem faciat discipulis Joannis, se esse Christum illum venturum, qui amplius testimonio Joannis non indigeat, in

eo situm sit, quod ipse annunciaret hominibus mortalibus promissionem vitæ æternæ, tanti scilicet boni, cujus annunciatio decebat neminem alium, præter promissum Messiam. Ista quidem glossa elabi nequit *Smalcius*, quin prematur collatione prædictionis Propheticæ, quam quis Christianus non palpet ex Esaïa relegi voluisse Christum? ubi quis & quantus censendus sit Messias, ille venturus [illegible], ipse nimirum Deus Israëlis, expressissime docetur *Esai.* XXXV. 4. *Ecce Deus vester, ipse veniet & salvabit vos.*

XVII. Cum hac autem Personæ vera divinitate connexa divinitas & præstantia Euangelii in N. T. à Christo prædicati constat non qualitercunque promissa vita æterna: sed, ut ante ostensum, Promissionis vitæ æternæ roboratione Testamentaria, quæ opus est θεανθρωπικόν magni Dei & Servatoris manifestati in carne. *Tit.* II. 13. I *Tim.* III. 16.

CAPUT OCTAVUM.
DE
Promisso Spiritus Sancti.

Adhuc de priori promisso, Euangelii proprio, sermonem habuimus. Nunc ad alterum transimus, quod diximus esse promissum Spiritus sancti. Quod quale sit, ut tantò rectius intelligatur, operæ precium est probè attendere, quid sacræ literæ, præsertim verò scripta novi Fœderis, per hanc vocem, Spiritus Sancti, intelligant, ne diversa vocis significatio rei etiam ambiguitatem pariat.

(a) *Significat igitur primùm vox ea Spiritus Sancti propriè eam Dei virtutem, quâ res, quibuscum ea communicatur, ab aliis quasi separantur, & ita sanctificantur. Ob quam causam etiam ipsum Euangelium & ejus annunciatio Spiritus Dei appellatur, ut, cum Apostolus dicit, ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, & quæ in cor hominis non ascenderunt, quæ scilicet Deus præparavit diligentibus illum, ea (inquam) Deum revelasse per spiritum suum* (b) *Ea enim, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, nihil aliud sunt, quàm ipsa vita immortalis, & via eam consequendi. Certum autem est, ea per Euangelium esse revelata, ut apertè testatur locus supra à nobis citatus, in quo Apostolus ait, Christum vitam & immortalitatem illuminasse per Euangelium* (c) *Certum igitur similiter est, Euangelium appellari spiritum Dei. Ob quam causam etiam Divus Paulus seipsum & alios Apostolos appellat ministros novi Testamenti, non literæ, (legem, ut ex sequentibus videre est, intelligens) sed spiritus.* (d) *Paulus autem fuit minister Euangelii. Imo infra in eodem Capite* (e) *ait:* Dominus est spiritus, *intelligens per Dominum, eum qui*

a Prima significatio vocis Spiritus Sancti. *b* 1 Cor. II. 9. *c* 2 Tim. I. 11. *d* 2 Cor. III. 6. *e* v. 17.

eum qui κατ' ἐξοχὴν *in novo fœdere sic appellatur, Iesum Christum. Is enim est nobis unus Dominus.* (f) *Per Iesum Christum verò* μετωνυμικῶς *doctrinam ab eo traditam, nempe Euangelium, quemadmodum versu præcedente per Mosem legem per eum traditam intelligit, dum ait:* In hunc usque diem cum Moses legitur &c. *Hinc etiam ait idem Paulus:* Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto. (g) *Quod certè idem est, ac si dicat, neminem agniturum, Iesum esse Dominum, nisi per Euangelium Iesu Christi id ei reveletur, ut locus ipse id satis apertè docet. Opponuntur enim ista verba præcedentibus, in quibus Paulus Corinthiis in mentem revocat eorum infelicem conditionem, in qua hærebant, dum adhuc erant ethnici, quod scilicet tunc ad simulachra muta, prout ducebantur, abducti fuerint. Ergò sequentia verba conditionem eorum, in quam translati deinde fuerunt, significare necesse est. Ea autem conditio est, quòd Euangelium Domini Iesu, & per illud Deum & ipsum Iesum Christum cognoverant. Hinc denique de illis, qui Christi Euangelium audiverunt & receperunt, dicitur, eos esse in spiritu, & spiritum Dei in eis habitare,* (h) *quantumvis fieri possit, ut illi, sua tamen culpa, pereant, si scilicet secundum illum spiritum non vivant, ideoque ut secundum illum vivant, ibidem Apostolus summoperè adhortatur Romanos.*

(i) *Sic verò visum est Deo appellare Euangelium, nomine Spiritus Dei vel Spiritus Sancti, primùm, quia omnia ea, quæ in Euangelio continentur, non sunt commenta humani ingenii, nec in captum hominis, quantumvis prudentissimi & sagacissimi, cadunt: sed à divino pendent afflatu, qui cum hominibus per revelationem communicatur. Hinc illud Pauli:* (k) Animalis homo (*hoc est, homo naturaliter consideratus*) non percipit, *hoc est, non est tantæ sagacitatis, ut possit à seipso indagare & expiscari,* ea quæ sunt spiritus Dei, *hoc est, vitam æternam, & in primis viam ad eam perveniendi, quod utrumque Deus hominibus in Euangelio revelavit.* Stultitia enim illi est, *non quidem simpliciter vita æterna, hanc enim nemo non expetit: sed via, quam Deus monstravit hominibus eam certo consequendi. Nec immeritò quidem. Cùm enim nulla religio & cognitio Dei sit naturalis, sed opus sit eam alicui divinitùs revelari, quomodo ea religio & cognitio Dei, quam Euangelium proponit, quæ est omnium perfectissima, naturalis esse, & ab humano cerebro dependere dici potest? Tanta est enim præstantia & sublimitas promissorum Euangelicorum, ut ne acutissimum quidem hominis ingenium tantam sibi salutem imaginari ausum sit, nedum eam sperare potuerit. Tanta etiam præceptorum Euangelicorum sanctitas & puritas, ut omnes omnium probissimorum hominum, nedum mores & actiones, sed & cogitationes, quas de bene vivendi ratione concipere ipsi, & aliis proponere, potuissent, longissimè superet. Qua de re jam dictum aliquid est.*

Deinde ob hanc causam Euangelium Iesu Christi, Spiritus Dei vel Spiritus Sanctus appellatur, quia ejus promissa & præcepta propriè Spiritum nostrum & mentem respiciunt & afficiunt, & eundem etiam Deo consecrant, & ex hominibus carnalibus spirituales efficiunt. Sola enim mens nostra sentit & sapit, quid sit immortalitas: caro & corpus nostrum ad ista stupidum & quasi truncus

 est. Quæ

f 1 Cor. VIII. 7. *g* 1 Cor. XII. 3. *h* Rom. VIII. 9. *i* Cur Euangelium Spiritus appelletur. *k* 1 Cor. II. 14.

est. Quæ vero aliæ sunt voluptates, ad illas summâ vi rapitur, & eas avidissimè expetit, & seipsam eis explet & recreat. Sola etiam mentis illustratio tantam pietatem producere potest, & ita animam & corpus Deo mancipare, ut nihil aliud agant, quàm quod voluntati ipsius sit maxime consentaneum.

Denique etiam ob hanc causam Spiritus nomine Euangelium Iesu Christi appellatur, quòd non tantùm facienda præcipiat: verum etiam vires ad ea, quæ præcipit, exequenda suppeditet. Hinc Apostolus ait, (l) Literam occidere, Spiritum vero vivificare; per literam, legem, per Spiritum verò, Euangelium intelligens, ut ipse locus testatur. Legem appellat literam, quia tantum præcipiat multa facienda. Occidere eam ait, non per se, nam respectu divini decreti data erat (m) ad vitam: sed per accidens, nempe respectu infirmitatis humanæ, quæ, quia perexiguis à lege juvabatur promissis, non poterat præstare id quod lex præcipiebat, & ita mortem ex Dei decreto consequi necesse fuit. Euangelium autem Spiritum appellat, quia divina in eo promissa proponantur. Vivificare autem illud ait, quia ista promissa plurimùm juvant ad præstanda Dei præcepta, & vitam ex decreto Dei consecuturam pariter certum est.

(n) Deinde verò Spiritus Sancti voce notatur insigne aliquod donum, quod iis, qui Christi doctrinam sibi annunciatam recipiunt, & eidem parere conantur, à Deo datur, quo illi sanctificantur: hoc est, ab aliis omnibus, qui Christi doctrinam sibi annunciatam repudiant, & eidem obedire nolunt, separantur. Illud autem donum duplici modo, sub ipso novo fœdere, consideratur. Aliud enim est, quod ad certum tantum tempus duravit aliud perpetuum, & hoc quidem invisibile est: illud verò visibile fuit.

(o) Donum Spiritus sancti, quod ad tempus duravit, continebat illa stupenda miracula, & alias miraculosas operationes, quæ primitus contingebant generatim iis, qui in Christum crediderant, erant enim alii vates, alii linguarum periti, alii sanationis dono præstabant, & plerique miraculis celebres erant. Quæ de re videantur in primis C. XII. & XIII. prioris ad Corinth. Epistolæ. Cujus Spiritus primitias, (p) hoc est, partem potiorem & primam, consecuti erant Christi Apostoli, tanquam duces istius militiæ Christianæ, & fundatores Ecclesiæ. Quanquam istæ primitiæ Spiritus, quibus Apostoli præditi erant, ad alterum etiam illud Spiritus sancti donum invisibile scilicet & perpetuum, referri possunt. Nam & in eo proculdubio, ut primi, sic præcipui omnium Apostoli erant, de quo deinde dicemus.

(q) Priùs enim id expediemus, cur Deus ista dona Spiritus sancti aspectabilia ad tempus tantum durare voluerit, ne quis fortasse minoris nunc faciat Christianam religionem, quàm eam fieri par est, propter hoc ipsum, quòd donis istis aspectabilibus hodie caret. Tantum autem abest, ut propterea religio Christiana minoris fieri debeat, ut potius hinc ejus summa præstantia necessario appareat iis, qui oculos mentis à Deo illustratos habent. Erant enim ista miraculosæ operationes fulcrum quodam modo, quo recens revelata Christi doctrina & religio fulciebatur, ne propter suam novitatem apud homines, qui externis magis semper moventur,

l 2 Cor III. 6. *m* Rom. VII. 10. *n* Altera significatio vocis Spiritus Sancti. *o* Dona Spiritus sancti temporaria *p* Rom. VIII. 23. *q* Cur dona Spiritus Sancti aspectabilia cessarint.

ventur, quàm internis, contemptibilis esset. Quemadmodum etiam vetus illud fœdus, tot apparitionibus, tot miraculis, & aliis rebus similibus subinde propterea confirmabatur, quia scilicet imperfectum esset, & facilè ad illud spernendum adduci potuissent homines, nisi subinde his confirmationibus suffulti fuissent. Postea verò quàm ista novitas Christianæ religionis cessavit, & homines paulatim divinissimis, quibus ea nititur, fundamentis assueverunt, & ita doctrina jam satis superque confirmata fuit, voluit ipse Deus, ut ista omnia miracula & miraculosæ operationes cessarent. Requirebat hominum infirmitas, ut ad tempus novitas Christianæ religionis eis commendaretur. Rursum requirebat Christianæ religionis perfectio, ut non perpetuò istis niteretur fundamentis, quasi per se tantas non habeat internas rationes, quæ homines probos, ad eam avidissimè amplectendam & constantissimè retinendam, permovere possent. Noluit Deus ab initio nimium aliquid ab hominibus postulari, ne tàm perfectæ religioni, absque evidentibus & palpabilibus argumentis, fidem adhiberent. Probè enim Deus sciebat, illud superare humanam infirmitatem. Noluit autem vicissim Deus perpetuò ea argumenta extare, quæ homines quodammodo cogerent: ut, licet nullo pietatis affectu ducerentur, tamen miraculorum impetu, & vitæ æternæ, quæ annunciabatur, nimia cupiditate, raperentur ad fidem Christo habendam: sed iis sublatis, ea tantùm restare voluit, quæ non omnibus in universum, sed solis tantùm probis & sanabilibus, & ad vitam æternam aptis, satis essent ad fidem in Deo per Jesum Christum collocandam, quæ, qualia & quanta sint, deinceps, cum de confirmationibus doctrinæ Christi agendum nobis erit, recensebimus. Itaque, ut his Christi verbis utamur, (r) beati quidem erant omnes, qui tunc credebant, cùm miracula & aliæ operationes divinæ inter homines durabant: at multo beatiores sunt illi, qui nec Christum nec miracula viderunt, & tamen crediderunt. Et certè plures hominum myriades in Christum & olim credidisse, & nunc credere, qui nulla unquam miracula externa viderunt, quàm fuerint eorum, qui ea viderunt, plusquàm verisimile, imò ipsissima veritas est. Quod ipsum rursus maximi ... miraculi loco ducendum est, nempe absque externis illis auxiliis, qualia fuère olim miracula, tàm perfectam religionem & olim susceptam esse, & hodie à tot hominum millibus foveri. Et hæc quidem quasi obiter dicta sunto, infrà enim denuò aliquid hac de re dicendum erit.

Hoc autem significatum vocis Spiritus Sancti, de quo hactenus disseruimus, nondum id est, de quo sermo noster institutus est, quia scilicet nec universale nec perpetuum erat illud; nec signum omninò certum & indubitatum erat, veri discipuli Iesu Christi, istâ potentiâ præditum esse: cum non minus etiam quandoque improbis eadem concederetur, qui scilicet Christi nomen profitebantur: ut vel hinc augusta ejus religionis magnificentia omnibus elucesceret, quæ non tantùm iis, qui eam reipsâ receperant, verùm etiam illis, qui oretenus tantùm eam profitebantur, tantum concederet donorum plane divinorum. (s) Multi enim, *ait Dominus*, dicent mihi in illo die; Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus: & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. *Quanquam rursus omnino credibile*

LlII 3

r Joh. xx, 29 s Math vii. 22, 23.

dibile est, istam virtutem ademptam fuisse illis, qui plane essent insanabiles: ut iterum hinc appareret Christi doctrinæ præstantia, quòd scilicet, quantumvis Deus magnifaceret confessionem religionis Christianæ in hominibus: tamen ea non sufficeret ad salutem, sed requireretur præterea ipsissima pietas. Videndum est igitur, quodnam sit illud Spiritus Sancti donum, de quo hic nominatim loquimur.

(t) *Donum vero hoc Spiritus Sancti inaspectabile & perpetuum quid sit, certè operæ pretium est diligentissimè indagare. Nec enim frustra jussit Christus baptizare eos, qui discipuli sui futuri essent, tam in nomen illius Spiritus Sancti, quàm in nomen illius Patris, & illius Filii:* (v) *Imò hinc apertissimè constat, tàm necessariam esse doctrinam, quæ est de Spiritu Sancto, generaliter accepto, quàm eam, quæ est de Patre & Filio. Quam autem sit necessaria doctrina de Patre & Filio, vel hinc apparet, quod in cognitione Patris, qui est ille solus verus Deus, & Filii, quem scilicet ille misit, vita æterna, Christo ipso teste, consistit.* (x) *Cognitionem autem Patris & Filii non nisi per doctrinam contingere, omnes confitentur.*

(y) *Sic igitur statuendum est, Spiritum illum sanctum, qui est promissum novi fœderis proprium, nihil aliud esse, quàm spem vitæ æternæ nobis à Deo promissæ, quam in animis nostris sentiamus, certam & firmam. Propterea enim appellatur spiritus ille pignus, vel pignus hæreditatis nostræ, & simul de eo dicitur, quod in animos nostros infundatur.* (z)

Extare autem tale promissum, quod omnibus in universum & singulis, qui in Christum credunt, sperandum sit, apertissimè docent illa Christi verba. (a) Si vos, mali cum sitis, nostis bona dona dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum Sanctum petentibus se? (b) *Quod quidem promissum in veteri fœdere omnibus propositum fuisse, nemo, opinor, affirmabit.* (c) *Ubi enim apud Mosem tale quid legitur, quòd Deus, omnibus sibi obedientibus, Spiritum sanctum daturus sit? Et certè, si tunc Spiritus sanctus promissus & datus fuisset omnibus, non ita impossibile fuisset, ut lex Dei perfectè observaretur. Quod tamen impossibile fuisse, abundè testatur Divus Paulus Cap. VII. & in initio Cap. VIII. Epist. ad Romanos.*

Non debet autem aliquis suspicari, nos negare, Deum multis fidelibus Spiritum suum sanctum dedisse sub veteri etiam fœdere. Is enim, qui sic suspicaretur, graviter erraret. Credimus Deum dedisse spiritum suum multis: sed non omnibus legi obedientibus; & illis multis credimus Deum dedisse illum spiritum, ex singulari sua gratia, sed non ex promisso. Dabatur Spiritus Sanctus Prophetis & Regibus piis, partim ut futura prædicerent, partim ut alios ad legem Dei observandam tantò acriùs extimularent, partim denique ut legi Dei, quantum quidem humana fert imbecillitas, parerent. Nam quod Rom. VII. legitur, illud generaliter, non autem universaliter intelligendum est; & non de eo, quod sub veteri fœdere fiebat à quibusdam: sed quod vi veteris fœderis fiebat, accipiendum. Potuit autem Deus semper, præter id, quod

t Necessariam esse doctrinam de Spiritu Sancto. *v* Matth. XXVIII. 19. *x* Joh. XVII. 3. *y* Quid sit Spiritus Sanctus qui est promissum novi fœderis. *z* 2 Cor. I. 22. & V. 5. Eph. I. 14. *a* Luc. XI. 13. *b* Ubi extet promissio Spiritus Sancti. *c* In veteri Fœdere non extabat promissio Spiritus Sancti.

quod in fœdere continebatur, facere, quodcunque volebat. At nunc ea res, omnibus & singulis, qui in Christum credunt, promissa est. Sed ad rem. Dicimus igitur, Spiritum Sanctum nihil aliud esse, quàm certam & firmam spem vitæ æternæ.

(d) *Quantumvis enim certum sit, homines per ipsam auditionem Euangelii spem vitæ æternæ concipere posse: (cur enim in Euangelio vita æterna promitteretur, si homines ex ejus prædicatione spem ejusdem concipere non possent?) tamen vicissim certum esse videtur, ad gignendam istam certam & firmam spem vitæ æternæ, adeò ut quis vi illius nihil non facere & pati Christi causâ possit & velit, omninò requiri, ut ista promissio, in Euangelio externo modo annunciata, interno modo à Deo in cordibus nostris confirmetur. Nimis enim sublimia sunt, quæ Christus nobis promittit: ut etiam nimis sunt vires nostras superantia, quæ præcipit.*

(e) *Nec statuendum est, omnibus illis, quibus Euangelium annunciatur, statim etiam donari hoc alterum Euangelii promissum: sed observandum est, hanc esse inter utrumque promissum differentiam, quòd licet Euangelium utrumque hoc promittat, tamen non omnibus simili modo. Nam prius promissum vitæ æternæ omnibus contingit, ad quorum aures pervenit Euangelium, & qui illud recipiunt, ita, ut illud totum à Dei potiùs voluntate, quàm ab ullo studio hominum pendeat. Hoc verò alterum Spiritus sancti promissum contingit tantùm illis, qui Euangelio ex animo obedierint, adeò, ut, licet ipsa obedientia donum hoc non mereatur: tamen absque obedientia antecedente nemini unquam sit eventurum. Quod ex re pari colligere facillimum est. Non dabatur Spiritus Sancti donum, illud aspectabile & ad tempus durans, nisi iis, qui verè & ex animo in Christum credidissent. Quomodo igitur hoc donum Spiritus Sancti inaspectabile & perpetuo durans daretur ei, qui in Christum verè & ex animo non credat, hoc est, ei non confidat, & obediat? Nec mirum sanè. Cur enim donum superadderetur dono absque omni urgente necessitate? Cùm non necesse habeat is, cui annunciatur Euangelium, ut interno aliquo præterea modo à Deo ad credendum cogatur; nec, ut cogatur à Deo, religio, quæ spontanea est, fert asserere, aut sentire. Nihil enim aliud, postea quàm Deus hominem antevertit annunciatione Euangelii, ad id, ut fides eidem adhibeatur, requiritur, quàm hominis voluntas, quam liberrimam Deus creavit, & semper esse voluit. At tunc, cùm quis totum se Deo permisit, & motus vitæ æternæ amore, viam pietatis ingressus est; interim verò plurima sunt, quæ eum oppugnant, & saluti ejus insidiantur, planè justitia ipsa requirere videtur, ne Deus talem in medio cursu deserat, sed omni eum ratione juvet, ut ita inceptum perficere possit.*

(f) *Videtur autem & hoc observandum, promissum quidem esse omnibus & singulis in Christum credentibus, donum Spiritus sancti; & certum esse omnibus illud dari: sed tamen non videri omninò necesse esse, ut in hominibus, quibus semel datum est, perpetuò illud habitet & duret. Durat quidem Spiritus Sanctus perpetuo, quatenus nemini credenti negatur: at non durat perpetuò isto modo, ut perpetuò in hominibus*

d Cur necesse sit, Spiritum S. promissum esse. *e* Spiritus sanctus non datur, nisi obedientibus Euangelio. *f* Spiritus S. donum non necessariè semper durat in credentibus.

hominibus habitet. Imo causa subesse videntur, cur non sit omninò necesse, ut perpetuò in iis habitet, quibus semel est datus. Primum enim obscuraretur planè virtus prioris promissi, nempe vitæ æternæ, quæ tamen non potest efficacia sua carere, propter suam singularem præstantiam & certitudinem. Si enim vulgaris boni incerta spes homines sui oblitos reddit, adeò, ut extrema perpeti, & vitam profundere paratissimi sint:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:

Miles summa cum alacritate mille molestias & ipsum vitæ discrimen adit, ut vel gloriam, quam somniat, immortalem, vel commoda hujus seculi consequatur: Adeòne erimus injusti rerum æstimatores, ut illud idem summi boni certissimam spem efficere posse negemus. Potest igitur homo planè multùm præstare absque ista Spiritus Sancti singulari opera. Imo ut, quod sentio, palam proferam, tanta est vitæ æternæ vis, ut, si quis ex animo eam esse credat, omnia facere & perpeti possit, quæcunque Christus nobis præcepit. Quòd verò plerique auxilio præterea singulari opus habent: hoc non fit imperfectione spei vitæ æternæ, sed imbecillitate hominum. Quam quidem Deus sublevat, non aliud quid suggerendo fidelibus, præter id, quod antea audivere ex doctrina Euangelii: sed illud ipsum in memoriam eis revocando, quod ex ea, vehementia afflictionum vel cupiditatum, extruserat. Deinde, si perpetuò homini inesset semel ei datum donum Spiritus Sancti, facile fieri posset, ut suspicaretur, se suâ id industriâ consecutum esse, nec ei id adimi posse, & ideò tantum bonum vilesceret. Voluit ergò Deus, ut subinde homines illud à se precibus exorarent, & tanquam rem rarissimam haberent carissimam, & ita semper toti à se penderent.

Utitur igitur Deus auxilio isto suo singulari adjuvandum fideles, eo modo, quo Angelorum operâ eum uti, Sacræ testantur literæ, nempe sicut emittit, quoties opus est, angelos, ad ministerium eorum, qui salutem consecuturi sunt: sic etiam quotiescunque opus est fidelibus, toties istud auxilium Deus habet paratissimum; & eo, si quid desit hominibus verè probis, illud totum supplet (g) Qui quidem modus, quo Deus id facit, adeò divinus est, ut nemo fando illud assequi possit: & tamen reipsâ illud dari, nemo negare potest. Videmus & experimur, homines aliàs infirmos & timidos, omnia extrema ferre & superare: audimus homines, anteà timore tantum non exanimatos, intrepidè sese in extremo mortis violentissimæ agone gerere: accidit etiam nobis ipsis sæpenumerò, ut ardentiores ad omnia pietatis officia simus, quàm alias sumus; & tamen, quomodo illud vel nobis vel aliis accidat, nescimus. Adeò scilicet divina est hæc nostræ sanctissimæ religionis Christianæ particula, adeò augusta in ea omnia. O divinissimum bonum, quod religio nostra continet, omnibus, ad quorum ea aures pervenerit, promissum! O divinissimum omnibus, qui eam receperunt promissum auxilium! Divinissimum igitur etiam tàm divinarum rerum annunciatorem Iesum Christum. Quod si verò hîc ostendere vellemus, Iesum Christum istius tanti doni, Spiritus sancti, solum datorem etiam, ab ipso ascensionis suæ tempore fuisse, & etiam nunc esse, bone Deus, quanto clariùs Domini Iesu elucesceret divinitas. Sed hoc reservamus ad Christi munus Regium & Sacerdotale. Nunc ad alia, ut pergamus, tempus est.

g Modus, quo datur Spiritus Sanctus, divinus.

ELEN-

ELENCHUS CAP. VIII. DISP. XXIV.

UT porro destruat *Smalcius* argumentum veræ Deitatis Christi solidum, à Promisso Spiritus Sancti, Consolatoris mittendi, ut testis è cœlo tertii juxta Patrem & Filium *Joh.* XIV. 16. *&* XVI. 7. 14. *cum* 1 *Joh.* V 7. Deitatem etiam Personæ Spiritus Sancti aufert, methodo cryptica, ad μεθοδείαν τῆς πλάνης comparata. Significationem enim Personæ tertiæ in voce Spiritus Sancti nullam agnoscit; sed propriè tantum virtutis divinæ, qua res, quibuscum ea communicatur, ab aliis quasi separantur & ita sanctificantur. Scilicet, ut quæcumque credimus de Persona Spiritus Sancti proprie dicta in Scripturis, ea accipiamus ut improprie dicta, per Metonymiam illam, quam Prosopopoeiam, seu Personæ fictionem, vocant.

II. Atqui non posse esse perpetuam ubivis Prosopopoeïam seu Personæ fictionem ubi vox Spiritus Sancti occurrit, sed primam & principem esse significationem propriam, alterius à Patre & Filio Personæ divinæ intelligentis & volentis, palam est, & ex locis jam indicatis, ubi illum promittit Christus, ut Paracletum seu Consolatorem alium, quem ipse à Patre missurus sit: qui Apostolos ducat in omnem veritatem, & quæ audiverit loquatur, & futura annunciet: & ex distincto Spiritus Sancti, ad Jordanem super Christum baptisatum, descensu, σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, in corporali specie, *instar columbæ Luc.* III. 21. 22. & alio descensu, in corporali specie linguarum super Apostolos in die Pentecostes *Act.* II. 3. Et præscribit pro vera, citra fictionem, Persona Spiritus Sancti tertia, Testium in cœlis trium numeratio Apostolica 1 *Joh.* V. 7. Et quod Apostolus, à variis Spiritus Sancti distributionibus, ipsum Spiritum Sanctum discriminat, ut omnium istarum diribitorem unicum, qui dona distribuat ipse prout vult. 1 *Cor.* XII. 11. Hæc in præsens sufficiunt; ut porro *Smalcium* κατὰ πόδα sequamur.

III. Quod ergo Euangelium & ejus annunciatio Spiritus Dei appellatur, id quidem agnoscimus ex 2 *Cor.* III. *versibus* 6. 7. 8. Sed ea lege, ut prosopopoeïam illam fundet propria significatio Personæ Spiritus Dei viventis, quæ præcessit *versu* 3. ubi adscribitur illi inscriptio Epistolæ Christi in tabulis cordis carneis. Atque ut hoc pacto, quicquid Euangelio, & ejus annunciationi, tribuitur in genere causæ exemplaris, ut typo doctrinæ divino, ejusque hypotyposi fideli, id in genere causæ efficientis principalis, tribuatur Personæ Spiritus Sancti vivificanti: sicut ex adverso, id quod per prosopopoeïam tribuitur literæ legis, τὸ occidere, eadem analogia tribuendum Personæ Legislatoris *Jac.* IV. 12.

IV. Enimvero negamus, similem esse Prosopopoeïam, aut 1 *Cor.* II. 9. aut 2 *Cor.* III. 17. Et quod attinet ad posteriorem quidem locum ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, *Dominus est Spiritus*; esto intelligatur istis quidem verbis Jesus Christus, qui nobis unus est Dominus, quod videtur flagitare *versus* 16.

proxime antecedens, ubi de conversione Israëlis ad Dominum loquutus est Apostolus: at nova Logica & Rhetorica opus erit, ut per Dominum intelligatur μετωνυμικῶς doctrina ab eo tradita, nempe Euangelium. Sic enim confundetur enunciationis istius subjectum cum prædicato; quandoquidem etiam per Spiritum *Smalcius* vult nos intelligere doctrinam à Domino Jesu traditam, nempe Euangelium: eritque verborum istorum, *Dominus est Spiritus*, glossa ista inepta, *Euangelium est Euangelium.*

V. Et nihil hic juvat *Smalcium*, quod *versu* 15. per Mosem μετωνυμικῶς libros Mosis intelligat Apostolus, dum ait; *In hunc usque diem cum Moses legitur &c.* Nam sine metonymica personæ fictione antea Mosem nominavit *versu* 13. *Nec sicut Moses imponebat velamen faciei suæ &c.* Et Personæ Mosis illic nominatæ consequenter Christus ipse relative opponitur, ut servo *Dominus*, & ut homini seu carni, *Spiritus vivificans*; cum quo componitur in vivificando Spiritus S. persona ipsi ὁμοούσιος, Spiritus Domini nomine, *versu eodem* 17. & mox *versu* 18. Attendit enim Apostolus (tacita antithesi mortis & occisionis, per literam Legis, cui ministravit Moses, ut servus) illud quod de Christo dixerat 1 *Cor.* xv. 47. *Posterior Adam factus est in Spiritum vivificantem*, *& vers.* 47. *ipse Dominus è cœlo.*

VI. Perperam quoque torquet illud Pauli 1 *Cor.* xii. 3. *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu Sancto*: jejuna ista paraphrasi; *Neminem agniturum Jesum esse Dominum, nisi per Euangelium Jesu Christi id ei reveletur.* Neque hinc petenda est solida causa, cur de illis qui Christi Euangelium audiverunt & receperunt dicatur, eos esse in Spiritu, & Spiritum Dei in eis habitare. *Rom.* viii. 9. Priori enim loco statim, *à versu* 4. *ad* 11. Paulus prolixè ostendit se Personam intelligere divinam, distribuentem singulis prout vult sua χαρίσματα & ἐνεργήματα, ut Deum unum, operantem omnia in omnibus. Adeoque *in Spiritu esse* dicimur, quando per efficacem personæ Spiritus Sancti operationem, vivimus vitam novam, simili phrasi, qua dicimur, naturæ universali beneficio, *in Domino vivere, moveri & esse*, quia *omnibus ipse dat vitam halitum & omnia. Act.* xvii. 25. 28.

VII. Atque eo pacto non unum sunt, Spiritus Dei in nobis habitans, & habitans in nobis Fides Euangelii auditi. Quamvis enim etiam hæc posterior sit phrasis Apostoli 2 *Tim.* 1. 4. longe tamen alia emphasi in credentibus dicitur habitare Spiritus Dei, quam ipsorum Fides; hæc quidem ut Charisma & Donum, ille ut Auctor & Diribitor istius aliorumque Charismatum spiritualium; atque eo nomine, in cordis recessu intimo, ut Deus, colendus & adorandus. Hoc enim flagitat, de Spiritus Sancti habitatione in nobis, expressa Templi allegoria: ut ipse intelligatur Deus esse, Templi Dominus, major corde nostro. 1 *Cor.* iii. 16. 17. & vi. 19. *cum* 1 *Joh.* iii. 20.

VIII. Quod hic ingerit *Smalcius*, fieri posse, ut illi in quibus Spiritus Dei habitat sua tamen culpa pereant, si scilicet secundum illum Spiritum non vivant, alterius loci est: neque consequens est ex Apostoli adhortatione, qua summopere adhortatur Romanos, ut secundum Spiritum vivant:

vant: donec probetur posse adhortationem illam foris sonantem, intus destitui Spiritus inhabitantis operatione efficaci ad Sanctorum perseverantiam. Nobis in præsens sufficiet, pro assertione contrarii, meditatio verborum Christi ad inhabitantem Spiritum Sanctum accommodata, ex *Matth.* XII. 29. *Quomodo potest quis ingredi in domum Fortis, & vasa ipsius diripere, nisi primo vinxerit Fortem illum? & tunc demum ejus diripiet.*

IX. Quis jam non videat, gratis dici à *Smalcio* totum illud, cur Euangelium Spiritus appelletur? cum verificari nequeat metonymica ulla Spiritus Dei appellatio, quacumque alia de causa, si fundamentum non habeat in propria significaitone Personæ Spiritus Sancti, qui intelligatur, & foris prædicati Euangelii juxta Patrem & Filium auctor, & Dominus unicus, & in efficaciter vocatis efficax intus testis Adoptionis illorum in Filios, testimonium suum digito suo inscribens cordibus ipsorum 1 *Joh.* V. 7. *Act.* XIII. 2. 3. 4. *cum* 2 *Cor.* III. 3. *Rom.* VIII. 16. *&c.*

X. Frustra vero ad 1 *Cor.* II. 14. suggerit, per Spiritum Dei intelligendum divinum afflatum, (à quo pendent scilicet omnia ea quæ in Euangelio continentur) qui cum hominibus per revelationem communicatur: cum nequeant afflatui alicui, citra Personam intelligentem aliam à Patre, tribui ista quæ intercesserunt, *versu* 10. *&* 11. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei*: Et *quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Quemadmodum neque de tali afflatu solida esse potest interpretatio (de Spiritu Sancto in Apostolos effuso) verborum illorum Lucæ: *cœperuntque loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat eis eloqui. Act.* II. 4. Neque verborum Christi; *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Sanctus. Marc.* XIII. 11.

XI. Quod ad verba illa, *stultitia enim illi est*, commentatur *Smalcius*, jejunum nimis est; *Non quidem*, inquit, *simpliciter vita æterna, hanc enim nemo non expetit, sed via, quam Deus monstravit hominibus eam certo consequendi.* Initio divinandum nobis est: si vitam æternam nemo etiam homo Animalis non expetat, expeti autem ab homine Animali non possit, nisi quod φυσικῶς cognoscit *Judæ* 10. *Spiritum non habens, versu* 19. non possit autem cognosci vita æterna expetenda, secundum *Smalcium* ipsum, nisi ista methodo, quam ex ipso audiebamus *Cap.* VII. *Qui credit Deum esse, hunc etiam credere necesse est, vitam esse æternam.* Divinandum, inquam, nobis est, quomodo tertio post paragrapho, dicere queat *Smalcius*; *Nullam esse Dei cognitionem naturalem.*

XII. De via autem vitam æternam certo consequendi, monstrata in Euangelio, verissimum quidem est, illam homini Animali stultitiam esse: sed longe alio sensu quam Sociniano, qui toto cœlo hic aberrat. Pro via enim vitam æternam consequendi, (quæ non est alia, quam per justitiam & obedientiam Christi ad mortem usque, mortem autem crucis, donatam & imputatam ad justificationem impii, ex sola fide, non ex operibus nostris aut justitia nostra. *Rom.* V. 17. *Phil.* II. 8. *&* III. 9. *Rom.* III. 28. *&* IV. 5. *Gal.* II. 16. *&c.*) obtruditur Lex Nova perfectioris Sanctitatis & puritatis, opere nostro implenda, ad imitationem Christi: post quem viâ illâ

Obedientiæ, quam ipse, ut Legislator novus, mandavit, ad vitam æternam contendamus, non credentes Perseverantiam nostram, sed operantes tantum, *ut salutis funambuli, tenuissimum filum vocationis divinæ lapsabundo gradu insistentes*; verba sunt Apostatæ *Bertii de Apostasia pag.* 152. quæ mentem etiam Smalcii exprimunt, quam attigimus *Thesi VIII.* Crambem hic recoctam, de præceptorum Euangelicorum sanctitate & puritate, non tangemus.

XIII. Hic tangendum est, quod dictat *Smalcius*, (scilicet ad ætiologiam, quare etiam Euangelium Jesu Christi Spiritus Dei, vel Spiritus Sanctus, appellatur) *Jesu Christi promissa & præcepta proprie Spiritum nostrum & mentem respicere, & afficere, & eundem Deo consecrare: solam mentem nostram sentire & sapere, quid sit immortalitas: carnem & corpus nostrum ad ista stupidum & quasi truncum esse. Quæ vero aliæ sunt voluptates, ad illas summa vi rapi, & eas avidissime expetere, & se ipsum eis explere & recreare.* Notamus I Anatomen istam Hominis Animalis, qua ultra Corpus animatum sua Anima, (qua scilicet rapitur ad voluptates vitæ mortalis) tribuitur Spiritus seu mens, quæ sentit & sapit quid sit immortalitas. Quæ quidem Anatome Hominem constituit φυσικῶς δίψυχον, naturaliter Bi-animem; obtentu Scripturæ nominantis *Spiritum, Animam & Corpus* 1 *Thess.* v. 23. & loquentis de *divisione Animæ & Spiritus Hebr.* IV. 12. Ex quibus tamen locis nulla est necessaria istius Physiologiæ confirmatio, quam aliqui concedendam putant.

XIV. Missa autem in præsens textuali Physiologica disquisitione, quam alibi persequuti sumus, notamus II. Anatomen istam, prout hic à *Smalcio* explicata est, vergere in accusationem creatoris, cujus creaturam fingit esse carnem illam, quæ luctatur contra Spiritum seu mentem, & ad voluptates fugiendas hominem summa vi rapit. Orthodoxa fide, Caro illa adversus Spiritum concupiscens, non est Creationis divinæ opus, sed operis divini degeneratio per lapsum accersita: Spiritus vero adversus carnem concupiscens, non est pars naturæ essentialis, quam habemus ex prima creatione; sed apotelesma novæ creationis seu regenerationis, quod in homine animali irregenito non existit, qui totus caro est, & Spiritum non habet. *Joh.* III. 6. *Judæ* 19.

XV. Notamus III. Per Spiritum Dei regenerantem, minime negligi ita corpus nostrum, ut stupidum nimis truncum; proprie autem hoc tantum agi, ut Spiritus seu mens nostra afficiatur & Deo consecretur. Dictat enim Scriptura solidam illam in vita & morte consolationem credentium Euangelio, quod anima pariter & corpore, sive vivant sive moriantur, sint peculium Christi, Deo sanctificatum, & servandum usque ad alterum Christi adventum 1 *Cor.* VI. 19. 20. *Rom.* VI. 12. 13. & XII. 1. & XIV. 1. 8. 9. & 1 *Thess.* v. 23. Sed hæc recurrent infra.

XVI. Et hoc *Pelagianum* fermentum est, quod dictat porro *Smalcius*: solam mentis illustrationem tantam pietatem producere posse, & ita animam & corpus Deo mancipare, ut nihil aliud agant, quam quod voluntati ipsius

tati ipsius sit maxime consentaneum. Omnino enim, & mentis & voluntatis interiori regeneratione, opus est ad salutem Animæ, per quam Homo mortuus in peccatis vivificetur *Eph.* II. 5. *Col.* II. 13. & fiat *novum Dei opus, conditum in Christo Jesu ad bona opera Eph.* II. 10. Ac *Deus operetur in ipso velle & perficere beneplacito suo. Phil.* II. 12.

XVII. Vivificationem vero illam, à Deo ut Spiritu, vivificante mortuos, omnino Pelagianè pervertit glossa ista. *Vivificare autem illud ait, quia promissa plurimum juvant ad præstanda Dei præcepta, & ita vitam ex decreto Dei consecuturam certum est.* Hoc pacto scilicet Euangelium (secus quam Lex, quæ tantum facienda præcipit) vitam promittendo, vires etiam ultra ad ea quæ præcipit exsequenda suppeditat. Hoc scilicet est vires suppeditare, juvare vires naturæ sola mentis illustratione per extrinsecum lumen Promissionis vitæ æternæ.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XXV.

LOnga ambages, per quas tamen premenda nobis *Smalcii* vestigia. Quis negat, dona etiam temporaria & aspectabilia, impiis & piis communia, Spiritus Sancti nomine contineri? Sed præscribit Apostolus, ut, quod jam ante diximus, sicut in quacunque alia, ita etiam in hac significatione, supponatur persona Spiritus Sancti divina, donorum istorum diribitor, distribuens illa privatim singulis sicut vult 1 *Cor.* XII. II.

II. Illud autem, καθὼς βούλεται *sicut vult*, porro præscribit, pro liberrima donorum Spiritus Sancti distributione, & præveniente gratia; ut expungendum sit illud discrimen, (quod, tanquam Spiritum Sanctum præveniens, à *Smalcio* ingeritur) inter eos qui Christi doctrinam recipiunt, & eidem parere conantur, & alios qui Christi doctrinam sibi annunciatum repudiant, & eidem obedire nolunt: quasi primo ipsi se discernant, quos sanctificat Spiritus Sanctus, quod est contra Apostolum 1 *Cor.* IV. 7. *Quis te discernit? &c.*

III. Pervertit de cætero *Smalcius* illustrem locum *Rom.* VIII. 23. (ubi de primitiis Spiritus gloriatur in Domino Apostolus) trahens primitias illas ad dona Spiritus Sancti temporaria & aspectabilia, quasi illorum partem potiorem & primam Apostolus vocarit primitias Spiritus. Atqui tota series & ductus verborum Apostoli inde *à versu* I. flagitat, ut intelligatur Spiritus Regenerationis & Adoptionis filiorum Dei, ejusque primitiæ significent Gratiam illam, qua hic fovetur spes & exspectatio plenissimæ glorificationis, in resurrectione ex mortuis secuturæ.

IV. Neque illa gloriatione in Domino, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες. Apostolus à reliquis Dei filiis de quibus loquutus erat *vers.* 14. 15. 16. segregat Apostolos, ut primos & præcipuos omnium, in dono Spiritus Sancti invisibili & perpetuo: quod flagitat *Smalcius*, luctans cum

veritate, hac scilicet lege permittens, ut istæ primitiæ Spiritus, quibus Apostoli præditi erant, ad alterum etiam illud Spiritus Sancti donum, invisibile scilicet & perpetuum, referri possint. Verum sicut Apostolus discrevit à reliqua Dei creatura omnes quotquot Spiritu Dei ducuntur, nomine liberorum & Filiorum Dei, similiter facit *versu* 23. ut planum est & ἀναντίῤῥητον ex collatione *vers.* 22.

V. Ut autem symbolam nostram conferamus, ad accuratius loci hujus examen, salvo aliorum judicio, quid cogit verba quidem ista, quæ repræsentavimus, interpretari in persona prima? & non, de omnibus qui Christi sunt, & Spiritum Christi habent, ex *versu* 9. Ut sic loquutus de communi salute omnium Filiorum Dei, in persona tertia, deinceps demum de Apostolis loquatur in persona prima, verbis istis, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ, *& nos ipsi.*

VI. Sin autem manendum est in recepta versione, manet tamen immotum id quod asseruimus; quamvis in Apostolorum persona, non tamen de Apostolorum privata, sed omnium Filiorum Dei communi salute loquutum Apostolum. Quæ hic sita est in Spiritus Sancti consolationibus, quæ primitiæ dicuntur Spiritus, non ratione illorum quos primos Deus consolatur, sed ratione consolationis post hanc vitam consummandæ in plena glorificatione. Exsertè enim testatur Apostolus, dari Apostolis consolationes Spiritus Sancti, ut per ipsorum ministerium communes sint eædem ipsæ omnibus credentibus. 2 *Cor.* 1. 3. 4.

VII. Dissertatio *Smalcii* sequens, cur dona Spiritus Sancti aspectabilia cessarint, habet ingens πρῶτον ψεῦδος, de Novitate Religionis Christianæ ejusmodi, ut destituta fuerit omnino veteri typo & canone fidei & morum, qui in lectione Mosis & Prophetarum potuerit & debuerit intelligi ab Ecclesia Veteris Testamenti. Quam quidem Novitatem procul habuerunt Christus & Apostoli, qui provocarunt ad judicium de doctrina sua ex Scripturis Veteris Vestamenti; ut jam ante non semel ostensum.

VIII. Ex isthac falsa hypothesi vult *Smalcius*, initio præsidium omne Religionis Christianæ fuisse in miraculis, atque hæc sola fuisse illa evidentia & palpabilia argumenta, quæ scilicet coëgerint suo impetu ad fidem Christo habendam etiam illos qui nullo pietatis affectu ducerentur: quibus jam sublatis, ea tantum restent argumenta, quæ non omnibus in universum, sed solis tantum probis & sanabilibus, & ad vitam æternam aptis, satis sunt. Atqui contra miraculorum impetum, quo quis vel cogeretur vel raperetur ad fidem aut religionem novam, quæ non legeretur in Mose & Prophetis, ostendimus jam supra præscriptum fuisse severa lege divina *Deuter.* XIII. secundum quam Christo facto sub lege *Gal.* IV. 4. justum fuit (quod absit) capitis supplicium, si, quod dictat *Smalcius*, non habuit doctrinæ suæ typum & canonem in Mose & Prophetis.

IX. Quam porro hoc pudendum, quod dictat *Smalcius*; sublatis hodie miraculis, nulla restare argumenta, quæ satis sint omnibus in universum, sed solis tantum probis & sanabilibus & ad vitam æternam aptis. Non est

animus

animus in præſens excutere Pelagianum illud fermentum, quo, citra efficacem Spiritus S. gratiam, diſcernuntur à reliquis, aliqui probi, ſanabiles, & ad vitam æternam apti, ſuo Marte. Notabimus tantum prævaricationem impiam, qua Chriſtianis aufertur omnis elenchus & convictio perfidiæ Judaïcæ, omniſque demonſtratio Fidei & Religionis Chriſtianæ, ex Scripturis V. T. contra affirmationem Apoſtoli 2 *Tim* III. 16. Et contra illuſtrem experientiam *Act.* XVIII. 25. 28. ubi Apollos potens in Scripturis, dicitur potenter & ſolide in publica concertatione Judæos conviciſſe, Jeſum eſſe Chriſtum, non alia quam ex Scripturis V. T. demonſtratione.

X. Nihil autem niſi verba dat *Smalcius*, quando dicit mirificiſſimi miraculi loco ducendum eſſe, quod tot hominum myriades in Chriſtum & olim crediderint, & nunc credant, qui nulla unquam miracula externa viderunt. Neque enim credit *Smalcius*, alios ad fidem adduci, quam quos dicit, citra internam efficacem operationem potentiæ & roboris Dei, probos, ſanabiles, & ad vitam æternam aptos, quales ſanari, nullam habet miraculi ſpeciem: miraculoſa enim ſanatio dicit morbum, citra omnipotentiæ divinæ operationem, inſanabilem.

XI. Quam vero paradoxum & ἀλλόκοτον illud, eos qui nullo pietatis affectu ducerentur, tamen miraculorum impetu raptos, nimia cupiditate vitæ æternæ quæ annunciabatur flagraſſe? Quæ enim illa vitæ æternæ cupiditas, citra operationem efficacem Spiritus Sancti? cum illam *nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec aſcenderit in cor hominis.* 1 *Cor.* II. 9. Et annunciatio ipſa vitæ æternæ Euangelica, ſi foris tantum audiatur, homini animali offendiculum & ſtultitia eſt. 1 *Cor.* I. 18. 23.

XII. Hariolatur *Smalcius*; *Omnino credibile eſſe, iſtam virtutem* (faciendi miracula) *ademptam fuiſſe illis qui plane eſſent inſanabiles.* Nos jam diſcrimen illud inter improbos ſanabiles & inſanabiles (quod inveniat non faciat gratia Salvatoris Chriſti per Spiritum Sanctum efficax) expunximus. De cætero non negamus auferibile fuiſſe à reprobis Donum miraculorum; ſed quid vetat, quin multis reprobis non ademptum ſit, niſi in vitæ hujus termino, cum vita ipſa? Quod nobis omnino credibile eſt de Juda Iſcarioth.

XIII. Aſſerimus nos quoque, neceſſariam eſſe doctrinam de Spiritu Sancto; & tam neceſſariam quam neceſſaria eſt doctrina de Patre & Filio, adeo ut in ea conſiſtat vita æterna. Et urgemus hic vel maxime juſſionem Chriſti; qua juſſit baptiſare tam in nomen Spiritus Sancti, quam in nomen Patris & Filii. Verum negamus ſartam tectam eſſe phraſin illam, in nomen Spiritus Sancti, ſi non intelligitur tam Perſona Spiritus S. quam Perſona Patris & Filii, cujus in Baptiſmo nomen invocetur ſupra baptiſandos; ſed tantum donum aliquod ſpirituale, per proſopopoeïam, ſeu perſonæ fictionem, dicatur Spiritus Sanctus. Nulla enim analogia Scripturæ ſacræ, ſed nec linguæ alicujus humanæ, admittit illud ſchema dictionis aut ſententiæ, ut accidens eſſe intelligatur, non ſubſtantia, in cujus nomen actio ſacra imperata eſt.

XIV. Quan-

XIV. Quandoquidem ergo negari nequit, quin Nomen Patris dicat necessario Personam Patris, similiter nomen Filii Personam Filii, (quæcunque tandem fingatur consignificatio nominis) omnino similiter Nomen Spiritus Sancti dicit personam Spiritus Sancti diribitorem illum donorum spiritualium, qui ea prout vult distribuit, juxta Apostoli affirmationem 1 *Cor.* XII. 11. qui trium illorum è cœlo loquentium testium tertius est, qui *tres unum sunt.* 1 *Joh.* v. 7. Atque sic nobis in Trino illo trium Personarum Nomine, *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* *Eph.* IV. 5.

XV. Et præscribit quoque pro Personis tribus, in quarum nomen Christianis imperatus est Baptismus, exhibitio trium Personarum in Baptismo Christi ad Jordanem; Patris quidem & Filii Persona alia atque alia in confesso est, tertiam Spiritus Sancti Personam exhibuit descensus ille in σωματικῷ εἴδει in corporea specie instar columbæ, supra Christum. *Luc.* III. 22.

XVI. Invicta porro Personæ Spiritus Sancti demonstratio est, & præ reliquis illustris *Act.* XIII. 2. 3. & 4. *Quum ministrarent Domino & jejunarent* (Prophetæ & Doctores Antiocheni) *dixit Spiritus S. separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos advocavi. Ipsi igitur emissi à Spiritu S. &c.* Hæc quidem ad nullam personæ fictionem torqueri se patiuntur, sed Personam dicunt, messis Dominum, qui cum precibus & jejunio adoratus illis fuit, & operarios ipse emisit in messem suam, quos vocaverat ipse.

XVII. Non officit hic Fidei orthodoxæ locus *Joh.* XVII. 4. quem *Smalcius* insinuat. Agnoscimus enim lubentes & credimus Patrem esse illum solum verum Deum τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν: sed non illud credimus, quod *Smalcius* vult esse æquipollens, Patrem solum esse illum verum Deum, excluso Filio & Spiritus Sancto μόνον τὸν ἀληθινὸν Θεὸν.

ELENCHI SECTIO III. DISP. XXVI.

Ad quæstionem, *quid sit Spiritus Sanctus, qui est promissum novi Fœderis*, petenda quidem responsio ex locis tribus indicatis. 2 *Cor.* I. 22. & v. 5. & *Eph.* I. 14. *Deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. Qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus. Obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto; qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Verum torquentur plane & enervantur loca illa ipsa, quando respondetur; *Nihil aliud esse Spiritum illum, quam spem vitæ æternæ nobis à Deo promissæ, quam in animis nostris sentiamus certam & firmam.* Palpabile enim est discrimen inter spem nostri Spiritus seu animæ, & arrhabonem Spiritus Dei quo spem nostram obsignat Deus, juxta illud; *Spes vero non pudefacit, quod charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Rom.* v. 5.

II. Neque ullo sano judicio confundi potest cum Spe nostra Spiritus Sanctus; quin pariter confundi debeat cum Fide nostra, & convenientius

tius ipsa dicetur arrhabo Spiritus quam Spes, quatenus est ἐλπιζομένων ὑπόστασις *Hebr.* XI. 1. seu illud quod facit ut extent quæ sperantur. Atqui hoc est confundere testimonium Spiritus nostri, indoctè & impiè, cum testificatione Spiritus illius, qui Deus est nostræ Fidei & Spei, nos sua unctione obsignans & confirmans in Christum. 2 *Cor.* 1. 21. Confer *Rom.* XV. 13. *cum Rom.* VIII. 16. *&* 2 *Cor.* IV. 13.

III. Deum Fidei & Spei nostræ rectè nos ex locis indicatis vocare Spiritum Sanctum, porro liquet, ex illo Spiritus axiomate, quod Christus illum asserat esse Patrem regenerationis nostræ, seu causam efficientem primam, à qua dicitur Regeneratio, ex *Deo*, & *ex Spiritu*, promiscue *Joh.* 1. 13. *&* III. 6. 1. Et dicitur Deus nos *regenuisse in Spem vivam.* 1 *Pet.* 1 3. Spes ergo viva est regenerationis à Spiritu regenerante apotelesma.

IV. Et toto cœlo à Spe nostra, ut Deum Spei, differre Spiritum illum promissionis sanctum, aperte confirmat allegoria illa, qua nos dicimur templa Spiritus Sancti, qui in nobis habitat, ita ut nobis intus in Spiritu colendus sit, & minime polluendum ipsius habitaculum, per quod regnum Dei intus habemus. *Luc.* XVII. 21. *cum Rom.* VIII. 11. 1 *Cor.* III. 16. 17. *&* VI. 19. Et quomodo non sit Deus Spei & Fidei Spiritus S. à quo est unctio illa intus nos docens omnia, & nos efficiens θεοδιδάκτους 1 *Joh.* II. 20. 27. *cum* 1 *Thess.* IV. 8. 9.

V. Ad quæstionem alteram, ubi exstet promissio Spiritus Sancti, videlicet illa speranda omnibus in universum & singulis, qui in Christum credunt; perperam hoc videtur velle *Smalcius*, quasi ad omnes in universum & singulos nihil attineant Christi promissiones, de mittendo Spiritu Sancto, Apostolis datæ *Joh.* XIV. 17. *&* XVI. 7. & impletæ die Pentecostes & deinceps; illas enim non commemorat hic, sed tantum unicam illam laudat, quæ exstat *Luc.* XI. 13.

VI. Enimvero, omnino illa promissione Apostolis data, loquutus est Christus, ad communem salutem & consolationem omnium & singulorum, qui per ipsorum ministerium in ipsum essent credituri: consulto Spiritum quem essent accepturi vocans *Paracletum* seu Consolatorem, ut non tanti æstimarent illud τὸ περιττὸν donorum Spiritus Sancti, quod miraculosum foret, quanti æstimarent communem salutem & consolationem animarum in vita & in morte: cui tantum ad tempus inservirent dona miraculosa. Quod aperte testantur loca illa sequentia Apostoli; *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas &c.* 1 *Cor.* 1. 21. 22. 23. Item; *Benedictus Deus Pater omnis consolationis, consolans nos in omni oppressione nostra: ut possimus positos in quavis oppressione consolari, ea ipsa consolatione, qua nos ipsos Deus consolatur.* 2 *Cor.* 1. 4.

VII. Quamvis autem Spiritus ille promissionis sanctus uberiori mensura donetur credentibus in Novo quam in Veteri Testamento, pro majoris nunc salutis & libertatis Christianæ cumulo, & τῆς υἱοθεσίας jure jam plene perfecte quæsito, attamen in Veteri Testamento non exstitisse Promissio-

nem Spiritus Sancti, adeo ut illa quæ exstat *Luc.* XI. 13. *Si vos mali cum sitis &c.* censenda sit propriè Novi Testamenti nova promissio, (pariter ut illæ quæ spectant diem Pentecostes post Christi ascensionem) falsissimum est. Atque ex vi veritatis est illud quidem, quod fatetur *Smalcius*, Deum dedisse Spiritum suum in V. T. multis, iisque Prophetis & Regibus piis.

VIII. Evasio autem ista est, qua elabi conatur, Deum in V. T. multis illis dedisse Spiritum suum, ex singulari sua gratia, sed non ex promisso, atque sic fecisse de suo quod volebat, præter id quod in fœdere continebatur. Sed refellitur apertis duobus testimoniis ex V. T. quibus confirmatur, Dei fœdus cum populo Israëlitico, pactum in Exodo ex Ægypto, cui suo ministerio servivit Moses, idemque instauratum in reditu ex captivitate Babylonica, habuisse communicationem Spiritus Sancti; quem Jehovah, ut pastorem gregis sui, posuit in medio populi sibi fœderati, ob cujus præsentiam non erat, quod timerent credentes: timerent autem merito qui rebellione sua illum ad iram provocarent. *Esai.* LXIII. 10. 11. *&* *Agg.* II. 6.

IX. Contra hanc apertam Scripturæ veritatem arietat *Smalcius*, non una falsa hypothesi, de possibili & impossibili perfecta Legis Dei observatione, quâ in V. quâ in N. Testamento. In V. Testamento supponit generaliter omnibus impossibile fuisse, ut Lex Dei perfectè observaretur; testem advocat Paulum *Rom.* VII. *Capite*, *& in initio* VIII. hinc concludit ibi non fuisse ex fœdere promissum Spiritum Sanctum. Antecedens verum est. Consequentia falsa est. Imo propter impossibilem perfectam Legis Dei observationem, seu quia non est data Lex quæ poterat vivificare *Gal.* III. 21. fuere Israëlitarum Adoptio, fœdera & Promissiones, ut filii & promissionis hæredes essent *Rom.* IX. 4. 8.

X. Mendaces quoque facit Prophetas & Reges pios, quos tangit, *Smalcius*, propter quos non vult illud ἀδύνατον τοῦ νόμου; quod generaliter asseruit, intelligi universaliter; illis nempe (quibus tunc præter fœdus Spiritum suum dedit Deus, si *Smalcium* audimus) non impossibile fuit, ut Legem Dei perfectè observarent. Mendaces inquam facit pios illos: quia ipsi beatitudinem sperarunt in peccatorum remissione *Psal.* XXXII. 1. 2. *&c.* CXXX. 3. 4. *Ezech.* XVIII. *&* XXXIII. *Non est homo qui non peccet*, exomologesis est Regis Salomonis 1 *Reg.* VIII. 46. 2 *Chron.* VI. 36. *Eccles.* VII. 21. *Prov.* XXII. 9.

XI. Interim velit nolit, universaliter cogitur fateri, quod videri vult generaliter tantum asserere; istis verbis loquens de illis Prophetis & Regibus piis, (ut legi Dei, quantum quidem humana fert imbecillitas parerent) quid enim illa depreciatione opus, si per Spiritum non fuit illis impossibile perfectè Legem Dei servare?

XII. Enimvero non solos Veteris Testamenti homines, vel universaliter vel generaliter, tangunt illa, quæ dicuntur ab Apostolo, de impossibili perfecta obedientia legis, *ad Romanos Cap.* VII. *&* VIII. sed universim

omnes

omnes & singulos, qui jam acceperunt Spiritum illum promissionis sanctum, & sunt Christi: hi quippe soli illi sunt, in quibus, propter donum regenerationis ex Spiritu, lucta est Carnis & Spiritus, de qua Apostolus agit, etiam *Gal.* v. 17. Quomodo enim, in non regenitis (qui ex carne geniti, caro sunt *Joh.* III. 6. *animales, Spiritum non habentes. Judæ* 19.) Spiritus concupisceret adversus carnem? Quod in præsens dixisse sufficiet, sine prolixiori ad sententiam *Capitis VII. ad Romanos* digressione. Ut ad rem concludamus, gratis dictum à *Smalcio*, Spiritum Sanctum nihil esse quam certam & firmam spem vitæ æternæ; cum revera sit Deus ipse Spei nostræ.

XIII. Jam quæstionem illam, (*cur necesse sit Spiritum S. promissum esse*) consequenter necesse est, præter omnem analogiam Logicam & Theologicam, resolvi in istam; cur necesse sit certam & firmam spem vitæ æternæ promissam esse. Atqui plus aliquanto est in conclusione *Smalcii*, secundum quam sic formanda fuerat quæstio; cur necesse sit spem vitæ æternæ, (quæ promissa est in Euangelio, & ex ejus prædicatione ab hominibus concipi potest) præter externum modum annunciationis, interno modo à Deo in cordibus nostris confirmari. Atque sic supponitur non tantum promissa spes vitæ æternæ in Euangelio prædicato, sed etiam ipsa spei interior certioratio, à Deo Spiritu, seu à Dei Spiritu. 2 *Cor.* 3 v. 17. 18.

XIV. Erumpit ergo hactenus ex invito pectore veritas illa, quod Spiritus S. promissus minime sit ipsa Spes nostra vitæ æternæ, ejusque apud Deum depositum nostrum, sed Dei in cordibus nostris nobis datus arrhabo, & θεμέλιον στερεὸν *fundamentum solidum*, cui superædificatur Spes nostra in fide. 2 *Tim.* II. 19. *Judæ* 20.

XV. Interim nihil ex animi sui sensu, de interna illa spei vitæ æternæ in Euangelio promissæ confirmatione à Deo in cordibus nostris, affirmat *Smalcius*, quod vere Euangelicum sit. Est hoc ex efficacia erroris, quem supra deteximus, & porro detegemus, quod ex Euangelio facit legem, novam scilicet, veteri præstantiorem, in eo, quod Vetus legale Fœdus operum non habuerit Promissionem vitæ æternæ, quia scilicet nihil præciperet quod vires superaret: nunc vero, magis & *nimis sublimia*, Christus nobis promittit, quia *nimis sunt vires nostras superantia, quæ præcipit.*

XVI. Euangelica promissio Spiritus Sancti, quæ succurrit infirmitatibus nostris *Rom.* VIII. 26. vera est animæ medicina, instaurans interiorem hominem de die in diem 2 *Cor.* IV. 16. & interim virtutem Dei perficiens in nostra infirmitate 2 *Cor.* XII. 2. efficiens in nobis certitudinem spei nostræ & fidei, non ex nobis, neque ex operibus, sed ex gratia: alias enim gratia non esset gratia, nisi in nobis operaretur Deus & velle & perficere, & nos in Christum confirmaret, & obsignaret atque ungeret Spiritu suo. *Eph.* 2 I. & 9. 10. *Rom.* XI. 6. *Phil.* II. 13. 2 *Cor.* I. 21. 22.

XVII. At *Smalcius* vix ac ne vix quidem ullam humanam imbecillitatem agnoscit, quæ medicinam flagitet: aut prævenientem aliam gratiam, quam illam quæ constat externa annunciatione Euangelii: atque hoc intendit ista assertione in margine expressa; *Spiritus Sanctus non datur nisi obedientibus Euangelio. Nihil enim*, inquit, *aliud, posteaquam Deus hominem antevertit annunciatione Euangelii, ad id, ut fides eidem adhibeatur, requiritur, quam hominis voluntas &c. Cur enim*, inquit, *idem donum superadderetur dono, absque omni urgente necessitate?* Ingrata hæc responsatio, contra Johannis gloriationem de gratiæ ac veritate plenitudine; *Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia Joh.* I. 14. 16. Et contra id quod idem affirmavit *versu* 12. & 13. uni Deo voluntatem nostram prævenienti per regenerationem, in solidum vindicans nostrum τὸ credere in nomen Christi; hominis autem voluntatem abnegans, citra regenerationem ex Deo. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.*

XVIII. Est vero hic, affirmante Christo, universalis urgentissima necessitas, cur det Deus salvandis χάριν ἀντὶ χάριτος, seu donum Spiritus Sancti, dono annunciationis Euangelii, internum externo, superaddat: quia, absque illo, ad universalem illam interrogationem discipulorum, quis potest salvari? respondit: *Apud homines hoc impossibile est Matth.* XIX. 25. 26. & dixit Nicodemo Christus, *Amen Amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuo, non potest videre regnum Dei*: iterum; *Amen Amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu; non potest introire in regnum Dei. Joh.* III. 3. 6.

XIX. Non digredimur prolixius in controversiam Pelagianam; hoc ad præsens institutum observabimus paucis, in iis quæ disputat *Smalcius*, contra necessitatem promissi Spiritus Sancti, ultra promissum vitæ æternæ, *quia scilicet religio spontanea est, non fert asserere aut sentire, ut, cui annunciatur Euangelium interno aliquo prætereà modo à Deo ad credendum cogatur*, αὐτοκατάκριτον esse *Smalcium*. Quandoquidem ipse ex hoc promisso Spiritus Sancti, superaddito promissioni vitæ æternæ, asserit divinitatem Jesu Christi & Religionis Christianæ. Nec expedit se, sed magis implicat, exceptione illa, de *urgente necessitate*, qua scilicet posita, aliud *justitia ipsa requirere videtur*, nempe *ut Deus omni ratione eum juvet qui totum se Deo permisit*: quomodo enim justitia ipsa aliquid requiret fieri à Deo *ratione omni*? si, ut illud *omni ratione* fiat, non fert asseverare aut sentire religio?

XX. Nova quidem Logica iterum opus est, ut quis fando exprimat, quomodo secum conciliari queat *Smalcius*, qui dixit, *Spiritum Sanctum, qui est promissum Novi Fœderis alterum, nihil aliud esse quam Spem certam prioris promissi Vitæ æternæ*; nunc vero asserit, fore ut obscuretur plane virtus prioris promissi, si negemus prius promissum vitæ æternæ, absque altero isto Spiritus sancti promisso, efficere posse certissimam Spem vitæ æternæ.

XXI. Quam vero illud invitâ omni ἀκριβείᾳ & ἀκριβολογίᾳ dictum, si antecedentia cohærent consequentibus? Quod propter prius promissum vitæ æternæ, plerique altero promisso Spiritus Sancti (*qui nihil aliud est quam spes vitæ æternæ*) opus habent, hoc non sit imperfectione *spei vitæ æternæ &c.* Vix oculis suis credit, qui ista legit, quæ spiritum vertiginis habent.

XXII. Quis vero pius censeat piè ista cogitari posse? quæ, de Spiritus Sancti auxilio petentibus promisso, ita disputantur, quasi ne petere quidem, omnino, aut omnibus, Spiritum Sanctum necesse sit, à Patre & Filio; aut illum in nobis habitare permanenter; & quasi metuendum sit, ne vilescat Spiritus Sancti donum, si in iis, quibus datus est semel, perpetuo habitet.

XXIII. Pugnant ista διαῤῥήδην contra Promissiones Christi, & Apostolorum testimonium. Promissio Christi est; *Ego rogabo Patrem & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Joh.* XIV. 16. *Apud vos manet, & in vobis erit. versu* 17. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Joh.* XVI. 22. Apostolorum testimonium illud est; *An nescitis vos esse Templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?* 1 *Cor.* III. 16. *An ignoratis corpus vestrum esse Templum Spiritus Sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque estis vestri juris?* 1 *Cor.* VI. 19. *Spiritus Dei habitat in vobis*, ter repertum est. *Rom.* VIII. 9. & 11.

XXIV. Si contra Enthusiastas dictum hoc voluit *Smalcius*; *Spiritus Sancti auxilio Deum sublevare imbecillitatem hominum, non aliud quid suggerendo fidelibus, præter id quod antea audivere ex doctrina Euangelii, sed illud ipsum in memoriam eis revocando &c.* idem & nos asserimus.

XXV. Sed latet sub illo lapide scorpius ille, quod neque patitur *Smalcius* à Spiritu Sancto esse, in singulis fidelibus, suæ in vita æterna salutis certitudinem, qua sciat illorum quisque se hæredem esse vitæ æternæ. Quia scilicet non hoc audiverunt ab initio ex doctrina Euangelii, sed tantum illud, Vitam æternam esse, scilicet parabilem iis qui omnia fecerint, quæcunque Christus præcepit. Atqui hoc pacto nihil relinquitur, quare dici queat Spiritus S. pignus vel arrhabo hæreditatis nostræ. 2 *Cor.* I. 22. & V. 5. *Eph.* I. 14.

XXVI. Quod fingit *Smalcius*, citra inhabitationem Spiritus Sancti manentem in fidelibus, Deum auxilio Spiritus Sancti ad juvandum fideles uti, eo modo, quo Angelorum opera utitur, quos emittit quoties opus est; ut sic, quotiescunque opus est fidelibus, toties Spiritum Sanctum Deus habeat paratissimum, quo si quid desit hominibus vere probis, illud totum supplet: nunquam hoc exsculpet, ex Christi verbis, quæ præstruxit ex *Luc.* XI 13. Omnino enim isthic supponuntur petere Spiritum Sanctum, ad præsens in omni necessitate auxilium, qui jam habent primitias Spiritus, juxta illud Christi. *Matth.* XIII. 12. & XXV. 33.

XXVII. Inconsequens vero consequentia illa est, fore ut ita toti semper à Deo magis pendeant homines, ac magis serio petant Spiritum Sanctum,

ctum, si intellexerint ac persuasi fuerint à *Smalcio*, non esse omnino necesse, ut perpetuò in fidelibus habitet & maneat Spiritus Sanctus: sed opus esse tantum illo auxilio, si quando meditationem vitæ æternæ ex memoria excusserit vehementia afflictionum vel cupiditatum. Aut enim hoc dictat *Smalcius*, aut nihil dicit.

XXVIII. Quomodo autem is qui non habet manentem in se Spiritum (salva Scripturæ analogia) petet auxilium Spiritus Sancti, qui ipsi instauret Spem vitæ æternæ? cum petere debeat homo omnia ad vitam & pietatem necessaria, ex Fide, per Spiritum gratiæ & precum, *Zach.* XII. 10.

CAPUT NONUM.

DE

Christi doctrinæ & vitæ puritate.

D*Ocuimus hactenus Jesu Christi præstantiam & divinitatem, ex iis, quæ ad ipsius muneris Prophetici unam partem pertinent, nempe ex voluntatis divinæ revelatione. Nunc igitur perpendamus, quanta Christi præstantia & divinitas elucescat ex iis, quæ ad confirmationem hujus divinæ voluntatis addidit.* (a) *Quòd igitur ad ea attinet, quibus divina voluntas, quam Christus annunciavit, confirmata fuit, ea sunt, primùm illius sanctitas & puritas: Deinde potestas: tandem afflictiones & mors. Quæ omnia divina, & veræ divinitatis ejus certissima indicia fuisse, facile erit ostendere.*

(b) *Sanctitas enim & puritas Jesu Christi tanta fuit, ut, si doctrinam respicias, nullius erroris à quoquam convinci potuerit; si verò ipsam vitam & actiones ejus, nullum ipse peccatum commisit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

Errare adeò humanum est, ut verè dictum sit, omnem hominem esse mendacem, (c) *hoc est, neminem esse in quem cadere non possit, ut erret & fallatur. Labi verò & peccare tàm est proclive homini, ut nemo omnium absque crimine fuisse in sacris literis legatur, & pro maxima hoc ponat Divus Johannes:* Si dicamus, quòd peccatum non habemus, *vel, ut paulo inferius ait,* quòd non peccavimus, mentimur, & non est in nobis veritas, mendacem Deum facimus &c. (d) *Quin etiam ipsam Angelorum naturam talem non fuisse, quæ non possit errare & labi, lapsus bonæ partis eorum, qui hodie sunt diaboli, satis superque testatur. Solum Jesu Christi individuum, homo licet fuerit, ex hisce humanis accidentibus exemptum fuit. Solus Dominus Jesus, id dicere ausus fuit:* Quis vestrum arguet

a Quænam sint confirmationes Euangelii Jesu Christi *b* Sanctitas in Christo duplex, doctrinæ & vitæ. *c* Psal. CXVI. 11. Rom. III. 4. *d* 1 Joh. 1. 8. 10.

arguet me peccati? (e) *Sola Domini Jesu doctrina talis est, in qua non tantùm nullum mendacium, sed etiam nullus error vel minimus, imò ne species aut suspicio erroris ulla demonstrari potest: nihil ei addi, nihil detrahi potest: amat in lucem produci, omnium judiciis & censuris exponi: & quò magis ea in dubium vocatur, & controvertendo teritur, tantò magis veritas ejus elucescit, & ipsa nitescit. Reliquæ doctrinæ humanæ omnes multa continent falsa, plura dubia, plurima superflua; & quò magis in eas inquiritur, tantò incertiora apparent earum principia. Omnes doctrinæ aliæ, multis verborum ambagibus, vix aliquid minutissimum rectè effari possunt: multùm verborum continent, paululùm rerum. Sola Jesu Christi doctrina verborum habet paululùm, rerùm plurimùm: ita, ut unum atque alterum sacrarum literarum granum præstet ingenti palearum aliarum doctrinarum sacco.* Omnes aliæ doctrinæ ita sunt comparatæ, *ut aliqua earum imperfectio, & humana quædam impuritas in eis manifestè appareat: sola Jesu Christi doctrina omnis labis expers, castissima, purissima est. Omnes doctrinæ aliæ hoc ipso se produnt, quòd sint humanæ, quòd solâ humanâ industriâ comparari possint: sola Jesu Christi doctrina divina est, & ἀξιόπιστος, utpote quam homines, aliàs rudissimi & idiotæ, revelaverint, de quibus nulla suspicio justa, quod eam commenti sint, ideo esse potest, quòd omnium sagacissimi comminisci eam, quantumvis voluissent, non potuerint. Doctrina etiam legis Mosaïcæ, quæ Deum autorem habet, licet & ipsa sit verissima, fuit tamen respectu doctrinæ Christi ita insufficiens, ut lumen est, quod lucet in loco tenebroso, respectu luciferi, vel ipsius solis, cùm oritur.* (f) *Multa ei addidit Dominus Jesus: multa præcepit, quæ sub lege erant incognita: multa etiam interdixit, quæ sub lege liberum erat facere, & propterea, ut cum Paulo argutemur, voluit Deus faciem Mosis esse velatam,* (g) *ne filii Israël intuerentur finem abolendi: quia scilicet, si licuisset Israëlitis diligentissimè inquirere in legis dogmata, procul dubio non tanti plurima fecissent, quanti ea fecere. Nostra verò religio, cujus Dominus Iesus autor est, apertissima est, & nihil habet* (h) *dedecoris, nihil, cujus aliquem pudere debeat: nihil, quod imperfectionis alicujus accusari jure queat; & nos, qui Christi sumus,* (i) *facie revelata gloriam Domini speculamur; &, ut uno verbo multa vel potiùs omnia, quæ ad hanc rem pertinent, dicamus, tanta est autoritas, tanta majestas doctrinæ Christi,* (k) *ut olim apud illos antiquissimos ejus professores, præsertim ex gentibus extraneos, recepta & pro divina habita sit lex Mosaïca, & hodie etiam habenda sit, propter hoc potissimum, quia scilicet doctrina Jesu Christi, quæ verissima est, eam pro vera etiam agnoscat & approbet, ita ut, quemadmodum Luna splendorem à Sole, sic lex ab Euangelio Christi autoritatem suam accipiat. Quid enim? Credimusne Apostolos primitus docuisse principaliter veritatem Euangelii ex lege Mosis, vel scriptis Prophetarum? Certè apud ipsos etiam Judæos primum parum conveniens fuisse videtur, id, quod præstantius est, pendere ab autoritate vilioris. Apostoli verò certè præstantius esse Euangelium & novum fœdus esse affirmabant, quàm fuisset lex & vetus fœdus. Deinde, quomodo id efficere Apostoli, quod volebant, potuissent; si quidem certum est, pleraque eorum, quæ, ad demonstrandam Christi & ejus doctrinæ præstantiam ac veritatem;*

e Joh. VIII. 46. *f* 2 Petr. I. 19. *g* 2 Cor. III. 13. *h* 2 Cor. IV. 2. *i* 2 Cor. III. 18. *k* A Christi doctrina pendet autoritas legis.

veritatem, ex lege & Prophetis afferri possunt, tunc demum ad rem facere, si mysticus in eis sensus consideretur. Alioquin parum profutura κατὰ τὸ ῥητὸν *accepta. Sensum vero istum mysticum, an credibile est admissurum fuisse Judæum, nisi aliis rationibus & argumentis victus primum & constrictus fuisset? Apud Ethnicos verò oleum & operam Apostoli perdidissent, si Christi doctrinæ veritatem autoritate Mosis & Prophetarum demonstrare potissimum voluissent. Hoc enim fuisset incerta per incerta, vel potiùs incerta per incertiora probare. Tam enim constabat Ethnico homini de lege Mosis & Prophetis, quam de Jesu: & de illis multo minus, quàm de hoc. Fama enim Domini Jesu in mundo conversantis, mortui, & resuscitati, & recens & notissima: Mosis verò apud plerosque ne mentio quidem unquam facta fuerat. Semper autem id, quod alicui rei autoritatem conciliare debet, certius esse necesse est, eo, cui eam conciliare debet.*

Non negamus adhibita etiam fuisse, ab Apostolis & aliis ipsorum cooperariis, ad demonstrandam veritatem Euangelii, testimonia sacrarum literarum veteris Fœderis. Scimus enim de tota hac re non pauca talia extare, eaque luculentissima in veteri fœdere. Sed id secundariò factum esse statuimus, (& nemini, qui rem penitus inspicit, improbatum id iri credimus) cum scilicet jam fundamenta jacta essent certitudinis doctrinæ Euangelicæ, quæ omninò aliundè pendebat, quam ex autoritate veteris Fœderis, de quo postea dicemus; idque apud omnes, quibus jam commendata erat Christi doctrina, maximè vero apud Judæos, maximi momenti fuisse plane verisimile est. Quis enim non miraretur eam doctrinam, quæ præter eam, quam in seipsa habet, certitudinem, ante tot etiam secula, à tam divinis viris denunciata fuerat? Sed hac de re plura differendi nunc non est occasio. Hoc ideò tantum adduximus, ut, quanta sit veritas verissimæ Christi doctrinæ, vel cæcus videre possit. (l) *Prodeat hodie aliquis, licet ipso diabolo astutior, & ostendat, quid jure in religione à Jesu promulgata desideret, sive is sit ethnicus, sive Judæus, sive denique atheus: protinus apparebit, eum nedum expugnare hanc hujus sacrosanctæ religionis arcem possit, sed ne oppugnare ita posse, ut non ridendum se & conspuendum omnibus propinet. Videat, qui velit, quid scripserint aliqui Judæorum celeberrimi, quo aliquem errorem in Christi religione ostendere conati sunt; & cognoscet, quàm sint infirma omnia & puerilia, ita ut omnia illa magno animo contemnere possit homo Christianus, fretus causæ suæ nimia bonitate. Quod si quis legat, virorum de Ecclesia Christi benè meritorum, ad eadem responsiones, multò apertiùs id ita se habere, ut dicimus, deprehendet. Et tamen plerique eorum, qui hodie cum Judæis rem in negocio religionis habent, non tàm nervosè eis respondent, quemadmodum par erat: quia scilicet multa Judæis negant, quæ concedenda erant: & rursus ea concedunt, quæ neganda erant. Hinc fit, ut sola causæ bonitas eos juvet, & victores efficiat. Si verò contingeret ad istas Judæorum nugas eum respondere, cui penitiora religionis Christianæ mysteria cognita sunt, ô, quantò excellentius divinitas ejus appareret, quæ nunc obscura quodammodo latet. Et, ut verum fateamur, vix videntur argumentorum viribus superare nostri Doctores Christiani istos perspicaces Iudæos; sed vel autoritate eos premunt, vel, ut diximus, causam tam bonam tuentur, quæ perdi aut prodi non potest. Non potest quidem*

l Christi doctrina à nemine impugnari jure potest.

hodie afferre aliquid Iudæus, quo religionem Christianam erroris convincat: sed vicissim pauci hactenus fuere, qui Iudæos ita erroris convincere potuerint, ut, quod opponerent, non haberent. Quod tamen fieri posse planè est verisimile, imò verissimum.

Mentionem autem nominatim fecimus Iudæorum, quia certum est, si Iudæi nihil afferre possint ad reprehendendam Christi religionem, neminem alium aliquid ad demonstrandum allaturum esse, vel afferre posse. Quid enim sunt omnes aliæ doctrinæ, respectu doctrinæ legis, quæ solùm Deum autorem habuit. Qui enim extra Iudæos aliquid in hac re conari vellent, illi summam suam stupiditatem proderent: interim verò operam suam egregiè (aliud agentes) collocarent, effecturi scilicet, ut nitor & splendor religionis hujus tantò evidentiùs elucescat.

Quicquid enim istiusmodi, sive naturâ sive affectatè athei, afferre possint, id totum ex ratione pendere necesse est, siquidem sacras literas non recipiant. Quæ verò ratio humana, contra ea, quæ summa cum ratione à Christo nobis revelata sunt, aliquid valere; vel potius, quid ratio in eo, quod rationem omnem superat, & secundum quod omnem rationem conformare necesse est, valere potest? Annon est ipsissima ratio doctrina Iesu Christi? Annon cultus, quem Christus docuit λογικὴ appellatur, (m) respectu potissimæ partis cultus legalis, qui δόγματα tantùm continebat? Quòd scilicet hic à sola legislatoris voluntate, quantumvis repugnante in multis ratione, penderet: ille verò totus rationi rectæ & sobriæ consentaneus sit? Annon Christi doctrina talis est, quam homo animalis, id est, qui præter ea, quæ hominem naturalem constituunt, nihil habet, non percipit, sed Spiritus Sancti revelatione ad eam cognoscendam opus fuit?

Dicam autem unum adhuc, ex quo summa divinitas & perfectio Christi doctrinæ ad oculum apparere potest: Quod scilicet omnes illi, quicunque eam erroris alicujus insimulare ausi sunt, nunquam errorem aliquem in ipsa Christi doctrina ostendere conantur: (hoc enim nec per speciem unquam fieri potest) sed in aliis quibusdam leviusculis rerum descriptarum circumstantiis, vel allegationum locorum veteris fœderis (ut ipsis videtur) inconvenientiis exagitandis sese macerant. Quæ omnia licet ita se haberent, ut explicari à professoribus Christi non possent, tamen talia sunt, ut neminem cordatum à retinenda doctrina illius deterrere possint; quin potius istius, qui ea urget, summam imprudentiam & improbitatem arguunt. Homo enim prudens & probus, rerum quæ sibi credendæ proponuntur, corpus integrum & partes earum essentiales considerat; & si hæc inter se conveniant, satis habet ad fidem eis adhibendam, minutissima verò suo loco relinquit. At homo imprudens & improbus minutissima quoque arripit; & propter eorum aliquam, quam præ se ferunt, erroris speciem, de capitalibus etiam articulis dubitat. Quod tamen non eo dictum esse volumus, quod credamus, aliquid unquam afferri posse, quod religionem nostram sanctissimam, erroris ullius vel minimi, in re necessaria, convincere possit. Credimus enim & persuasi sumus, facillimè ista omnia, quæ ab hominibus istiusmodi curiosis in hac re objici possint, à viris rerum & literarum sacrarum non imperitis, dilui posse. Quamquam opera ista nimis laboriosa, parum utilis & certe non necessaria foret. Satis enim est ad perspiciendam Christi doctrinæ veritatem, constare, ea, quæ Iesus Christus docuit, ad cogni-

m Rom. XII, I.

ad cognitionem Dei ejusque voluntatis pertinentia, & ad veram pietatem spectantia, esse verissima. Quod quidem ita certum est, ut audacter dicere non vereamur, nihil neque ab homine neque ab angelo dici posse, quod ea melius evertere, sed ne labefactare quidem possit. Sed & de his nunc plura dicendi locus non est. Solus igitur, dicimus denuo, Iesus Christus, omnis erroris & peccati expers fuit, quod neque ulli hominum neque etiam Angelorum tribui potuit, aut potest. Dei proprium est non errare, non peccare. Divinum igitur eum esse necesse est, cui ista divina contigit proprietas (n) Quae quidem in Christo tanta fuit, ut de eo jure dici possit, eum non tantum non peccasse: verum etiam peccare non potuisse, non tantum eo modo, quo legimus de omnibus iis, qui in Christum credunt, eos non peccare, (o) vel peccare non posse: sed alio multò excellentiori. Iam enim ante diximus, maximam hanc esse ipsius Iohannis: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, vel non peccavimus, mentimur &c. (p) Maxima autem non minus haec est: Christus peccatum non fecit; In Christi ore dolus non est inventus. (q) Ista igitur, quae modo quodam loquendi de fidelibus pronunciantur, propriè de Iesu Christo dici credimus. Certum enim proculdubio est, de fidelibus Christi ideò dici, quòd non peccent, quia scilicet peccandi habitum non contrahant, hoc enim est peccare: de Christo verò statuendum est, eum ne unum quidem peccati actum unquam commisisse. Rursus de fidelibus Christi dicitur, eos peccare non posse, quia scilicet sit contra naturam eorum id facere, quia à peccatis abhorreant, & odio habeant injustitiam. Quomodo dicebat Petrus & Iohannes: Nos non possumus reticere ea, quae audivimus, & vidimus. (r) Quomodo Paulus de se dixit. (s) Ego nihil possum adversus veritatem, sed pro veritate. Ut scilicet significetur privatio, non facultatis, sed voluntatis faciendi ea, de quibus ibi sermo est. At de Iesu Christo statuendum est, eum ita peccare non potuisse, ut fieri nullo modo (Deo sic volente, & rem ipsam moderante) potuerit, ut in levissimum aliquod peccatum incideret. Praeterquàm enim, quod Spiritu Sancto absque omni mensura praeditus fuit, cujus virtus nihil non potest, Deus etiam perpetuo Iesu Christo praestò fuit, & eum ita gubernavit, ut auxilium suum ei nunquam negaret, ne scilicet vel tantillum committeret, & ita committere posset quod peccati loco haberetur, adeò ut regeneratio, per quam omnes alii homines filii Dei evadunt, in Christo nullum locum habuerit. Quod sanè quoties apud animum meum considero, ita me percellit, & tantam Iesu Christi divinitatem testatur, ut, quemadmodum nobis per omnia similis quo ad naturam fuit, sic Deo per omnia similis, quoad qualitates & proprietates, fuisse jure dici possit. Huc respexisse nos quidem credimus D. Iohannem, cùm demonstraturus, Iesum esse Christum, ait, eum venisse in aqua, hoc est, cum aqua. (t) Aqua autem eo in loco proculdubio intelligitur, non materialis, sed per aquae vocabulum notatur (ut & alibi in S. literis (v) puritas illa summa, quae tam in doctrina, quam in vita Iesu Christi apparuit, cujus etiam quaedam scintillae in omnibus ejus discipulis tunc temporibus apparebant, & in omnibus hodie apparent, qui Christi sunt participes.

n Sanctitas Christi qualis & quanta. o 1 Joh. III. 9. p 1 Joh. I. 8. 10. q 1 Petr. II. 12. r Act. IV. 20. s 2 Cor. XIII. 6. t 1 Joh. V. 8. v Eph. V. 26. Hebr. X. 25.

participes. Ob quam causam D. Iohannes ibidem ait, eum testari de re scilicet tunc præsenti, & adhuc durante se loqui, inquiens.

ELENCHUS CAP. IX. DISP. XXVII.

HActenus veræ Divinitatis nihil, nec præstantiæ intrinsecæ (quæ hominem Dei Prophetam Deo commendet) quidquam Domino Jesu asseruit *Smalcius*: sed tantum dixit, magno hiatu, de voluntatis divinæ, & promissionum, quas per illum ut servum suum Deus revelari & promulgari voluit, præstantia & divinitate: à qua per se nihil homini Prophetæ accedere potest, quam extrinseca objectiva magni & divini Prophetæ denominatio.

II. Nunc, porro verba daturus, jubet perpendamus, *ea quæ ad confirmationem divinæ voluntatis Christus addidit*; quæ ad tria isthæc capita revocat. 1. Sanctitatem & Puritatem doctrinæ & vitæ. 2. Potestatem, à qua scilicet Miracula. 3. Afflictiones & Mortem. Insignis hæc μεθοδεία τῆς πραγ-μας. per quam Dei non hominis διαθήκη, pactio, seu fœdus, ab hominis divini, sanctitate & puritate, ac potestate, ac denique morte, suam accipit κῦρος seu testamentariam confirmationem ac roborationem, rata alias non futura.

III. Nos istoc argumento (quod isti διαθήκη pactioni seu Fœderi Dei, confirmationem Testamentariam addiderit Christus, ut Testator διαθέμενος *Hebr.* IX. 15. 16. 17: demonstramus, eundem hominem Jesum, qui ut Propheta sanctus, ὅσιος, δημιουργὸς, vitæ & mortis exemplo & martyrio veritatem divinam obsignavit, esse magnum Deum & Servatorem nostrum, æternum æterni Patris Filium, & λόγον Sermonem, omnis λαληθέντος λόγου annunciati & prædicati sermonis Dei, cum Patre & Spiritu S. auctorem ipsum, αὐτόπιστον.

IV. Minime autem ἀγνῶς *Smalcius*, hoc capite, commendationi Sanctitatis & Puritatis doctrinæ hominis Jesu admiscet *Marcioniticum* istud fermentum, quo, doctrinam legis Mosaïcæ, etiam quæ Deum auctorem habet, accusare non veretur, insufficientiæ, & pudendi etiam dedecoris: atque omnem illi in N. T. abrogat, à novi Testamenti Scriptura independentem, αὐτόπιστον Auctoritatem divinam canonicam.

V. Ad illam Scripturarum accusationem (quæ in Deum ipsum vertitur earum auctorem, non minus quam in Mosem, Samuëlem, aliosque fidos Dei servos, quos cum fiducia præfecit olim domui suæ) primo adnotat torquendum sibi locum 2 *Petr.* I. 19. qui sic habet; *Et habemus firmiorem* βεβαιότερον *sermonem Propheticum: cui recte facitis quod attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.* Hinc exprimere istud satagit, doctrinam Legis Mosaicæ, quæ Deum auctorem habet, licet & ipsa sit verissima, fuisse tamen re-

spectu doctrinæ Christi ita insufficientem, ut lumen est quod lucet in loco tenebricoso, respectu luciferi vel ipsius solis cum oritur. Frustra.

VI. Ductus & series verborum Petri antecedentium & consequentium ostendit, non venisse in mentem Petro, ut quidquam diceret ad depreciationem Auctoritatis Scripturæ Propheticæ, aut ad derogandam ipsi αὐτοπιστίαν, in N. T. in βεβαιώσει, seu confirmatione, religionis Christianæ. De hac enim aperte loquutus, ut oculatus & auritus testis, versibus tribus antecedentibus, postquam testimonio Patris è cœlo loquuti confirmavit Christi veram Divinitatem, commendat eodem scopo sermonem Propheticum ut βεβαιότερον *firmiorem*: adeo ut magis videatur (infra sermonem Propheticum ut ejusdem Dei Patris de Filio testimonium, scriptum, ad mansurum in sæcula & jugem usum lectionis) depreciare vocem illam è cœlo delatam, quæ transit, non audienda jugiter. Vide à nobis dicta, in *Elencho Capitis* VI. *Sect.* 1 *Thes.* XX.

VII. Neque voluit Petrus, ut illa, quam laudat & commendat, fides, qua attendebant sermoni Prophetico, esset πρόσκαιρος, quam scilicet, exorto lucifero in cordibus, missam facerent. Mala est hæc verborum Petri ἐγχείρησις, qui non intellexit, per luciferum orientem in cordibus, perfectiorem sermonem novæ legis, qui magis esset sufficiens ad τὴν μόρφωσιν seu informationem & institutionem in pietate & cultu spirituali: sed intus in corde accensum à Spiritu fidei lumen consolationis, in gratia Christi, facti sub lege, ut nos non essemus sub lege maledictioni obnoxii. *Gal.* IV. 4. 5. *&c.*

VIII. Lucernam ergo splendentem in obscuro loco dixit Petrus sermonem Propheticum, ut sufficientiam illius commendaret, ad elenchum cæcitatis Judæorum, qui non credebant Euangelio ab Apostolis prædicato: ut qui sermoni Prophetico attendit pio discendi studio, illum possit sermo ille ut δυνάμενος sapientem reddere in salute, per fidem quæ est in Christo Jesu: quippe per quem prænuncius in Prophetis Spiritus Christi declaravit eventuras Christo perpessiones, & gloriam illas consequuturam. Confer. 1 *Petr.* I. 10. 11. *cum* 2 *Tim.* III. 15. 16. 17.

IX. Nec potest ad depreciationem facere legis, quæ Deum auctorem habet, quod dicatur splendere ut lucerna in obscuro loco splendens; nisi & hoc ad depreciationem religionis Christianæ faciat quod dixit Euangelista Johannes; *Et lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Joh.* I. 5.

X. Perperam porro jactat *Smalcius*, se cum Paulo argutari, ex locis 2 *Cor.* III. 13. *&* IV. 2. quando ait voluisse Deum faciem Mosis esse velatam, quia scilicet si licuisset Israëlitis diligentissime inquirere in Legis dogmata, procul dubio non tanti plurima fecissent, quanti ea fecere. *Nostra vero*, inquit religio, *cujus Dominus Jesus auctor est, apertissima est, & nihil habet dedecoris: nihil cujus aliquem pudere debeat &c.* Itane vero Paulus, per τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης quibus nuncium mittit 2 *Cor.* IV. 2. intellexit Legis dogmata, quæ Deum auctorem habuerunt? eaque ait fuisse talia ut

 velari

velari debuerint, ne diligentiori inquisitione vilescerent? Nihil hæc abfuit à blasphemiâ in Deum Legislatorem.

XI. Longe secus testatus est de Legis accuratâ sapientia diligentissime scrutanda & inquirenda Spiritus Sanctus, per Mosen, *Deuter.* IV. per Davidem *Psalmis* I. 19. *&* CXIX. & passim in Mose & Prophetis. Neque aliud testatur Apostolus de lege Dei morali, si in dogmata illius diligentissime inquirat pia anima, quam ipsam *sanctam esse, & mandatum sanctum justum ac bonum*: & esse *Legem spiritualem*, adeo ut mente, & Spiritu, quoad interiorem hominem, ipse cum delectatione serviat Legi Dei. *Rom.* VII. 7.---25. Quæ adeo nulla habet κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, ut non detegantur illa, nec cognoscantur, nisi per legem, quæ dixit; *Non concupisces.*

XII. Manifeste autem vocavit Apostolus pudendæ turpitudinis tegumenta, non Legis dogmata, sed, quod ibidem ad exegesin adjecit, τὴν πανουργίαν & δόλον *vafritiem & fraudes* malorum operariorum qui falsabant sermonem Dei, h. e. Euangelium Christi. Neque faciei Mosis quasi pudendæ aut erubescendæ velamen fuit impositum, ut sic Moses, cum opprobrio dici posset מסתר פנים quasi leprosus *faciem tegens*; juxta illud opprobrium Christi *Esai.* LIII. 3 sed contra, ut gloriosæ; adeo ut non possent filii Israël in gloriam ejus ἀτενίσαι. Vide historiam *Exod.* XXXIV. 29 ------ 35.

XIII. Et allegoria, quam attexit Apostolus, non tendit ad impiam istam accusationem, quam in faciem Mosis exspuit *Smalcius*, sed ad lugendam excæcationem populi Judaïci, arcano at justo Dei judicio [illegible] qua ad diligentem inquisitionem in legis dogmata non erant idonei, quam legebant intelligentes; adeo ut minus possent ἀτενίσαι in gloriam faciei Christi, quam olim Patres ipsorum in gloriam faciei Mosis. Atque hic meditanda loca *Matth.* XIII. 34. *&* *Marc.* IV. 11, 12. & cogitandum, an non ista *Smalcii* impietas hanc quoque trahat, ut Parabolæ Christi dicendæ quoque sint κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, quibus D. Jesus voluerit faciem suam esse velatam in diebus carnis, ne si diligentius in dogmata ejus inquirerent Israëlitæ non tanti illum facerent. Semina hujus impietatis vidimus & ostendimus in *Elencho, Capitis V. Sectione II.*

XIV. Impietatis πρόφασιν est in dogmatis Legis cæremonialis, post Christi exaltationem abolitis, quæ perperam *Smalcius* ante abolitionem opponit cultui spirituali: debent enim tempore V. T. cum illo componi, ut quæ tunc habebant ἐπεισαγωγὴν Spei melioris, ac propter illam debebant esse in precio, ut signa & sigilla justitiæ fidei. *Rom.* IV. 11. *Hebr.* VIII. 19. Abolitionem autem Christus jam exhibitus distulit; non ut velamen aliquod faciei suæ imponeret, juxta *Smalcii* hypothesin, ne si hoc professus fuisset incurreret justum supplicium, ex lege *Deut.* XIII. 1. Sed quia præfinitum erat, ab ipso Legislatore, tempus abolitionis, demum post mortem Christi: citra quam deleri non pote-

 rant.

sunt peccatorum chirographa *Hebr.* IX. 10. cum *Col.* II. 14. 17. De cætero nixa sunt omnia *Smalcii* placita falsæ hypothesi, de Novi Testamenti definitione per Novam Legem Novi Legislatoris: quo pacto jam ante ostensum à fundamentis subverti veritatem Religionis Christianæ.

XV. Dissertationi quam subnectit *Smalcius*, à Christi doctrina (Nova scilicet Lege) pendere auctoritatem legis; hoc opponimus antidotum universale, ipsam novi testamenti Scripturam asserere, parem cum ipsa, Scripturæ V. T. [illegible] ad demonstrationem Religionis Christianæ. Ut quamvis non censeamus nunc integrum aut completum Canonem Theologiæ Christianæ, absque novo illo librorum Apostolicorum syntagmate; ac largiamur etiam illud, pleniorem & apertiorem esse, in Novo quam in Veteri librorum Biblicorum syntagmate, revelationem Euangelii & Gratiæ Christi; tamen nec absque Mose & Prophetis integrum & completum esse Theologiæ Christianæ Canonem, merito asseramus.

XVI. Assertionem orthodoxam, jam olim istis argumentis contra *Anabaptistas in Colloquio Francothalensi*, confirmavit *Dathenus*, quantum ad Fidei negotium. 1. Ex classe illa testimoniorum divinorum, quibus ad diligentissimam Scripturæ Mosis & Prophetarum scrutationem invitantur pii omnes, commendatione illius ab exploratissima puritate instar *argenti septies perpurgati Psal.* XII. 7. diciturque *immaculata, convertens animas, fidelis* seu certa, *sapientiam præstans parvulis, lucida, illuminans oculos, permanens in sæculum sæculi. Psal.* XIX. 8. 9. 10. Cui nihil adjiciendum nihil auferendum. *Deut.* IV. 2. & XII. 33. *Prov.* XXX. 6.

XVII. 2. Argumentum porro invictum est, cui non absque impietate oppeditur, quod ad Scripturæ V. T. canonem regularit Christus ipse & Apostoli prædicationem Euangelii. *Joh.* V. 39. 46. 47. Cui connexum est, 3. Quod juxta Scripturas Propheticas se credere testatus est Paulus ad Christum conversus *Act.* XXIV. 13. Et. 4. Quod idem Apostolus, Euangelio prædicato, protestatus est, nihil se loquutum, aut docuisse, extra Mosem aut Prophetas. *Act.* XXVI. 22.

XVIII. 5. Accedit, ex loco *Rom.* XVI. 25. 26. quod Mysterium præconio Euangelii revelatum, dicitur omnibus Gentibus declaratum, *ex imperio æterni Dei, ad obedientiam Fidei, per Scripturas Propheticas*. 6. Denique omni exceptione majus est testimonium Apostoli 2 *Tim.* III. 15. Ita sufficientes fuisse Sacras illas Scripturas, quas ab infantia didicerat Timotheus, *ut possint ipsum sapientem reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

XIX. Illustrat & confirmat ante dicta, quod Sadducæorum hæresin, contradicentium doctrinæ Christi de mortuorum resurrectione, Christus imputat ignorationi Scripturæ Propheticæ *Matth.* XXII. 29. Et quando fluctuabat fides discipulorum Christi, & videbatur sopita circa articulos fidei Euangelicos de Morte & Resurrectione Christi, in itinere Emmauntico, non aliunde istius Fidei demonstrationem arcessivit Christus

quam

quam ex Mose & Prophetis. Et ne illa Fidei fluctuatio verti possit in accusationem Scripturarum V. T. imputat illam Christus, acri increpatione utens, amentiæ & tarditati cordis ipsorum, ad credendum omnibus, quæ loquuti erant Prophetæ. *Luc.* XXIV. 25. 26.

XX. De Scripturæ V. T. reliqua sufficientia & αὐταρκίᾳ in regula vitæ Christianæ omnisque cultus & observantiæ Deo debitæ, suffecerit in præsens adnotasse Apostoli testimonium 2 *Tim.* III. 16. 17. & Christi ipsius protestationem illam *Matth.* V. 17. 18. 19. Atque huc faciunt quæ jam disputata sunt in antecedenti *Elencho Capitis V. & VI.*

XXI. Considerationem flagitat, quod *Smalcius* doctrinam quidem Legis Mosaïcæ dicit habere Deum auctorem, & Jesu Christi doctrinam divinam esse & θεόπνευστον: de Scriptura autem quâ Veteris quâ Novi Testamenti silet. Subest hoc mysterium, quod solam doctrinam Scriptura comprehensam velit esse θεοδίδακτον, non similiter Scripturam, seu verba concepta quæ in Scriptura leguntur; ac sentiat, Ptophetas quidem in Veteri, Apostolos & Euangelistas in Novo Testamento, scripsisse *secundum sapientiam ipsis datam*, ut de Paulo loquitur Petrus 2 *Petr.* III. 15. sed non ipsa verba & voces in scribendo adhibitas, à Deo ipsis inditas esse, & ductu atque directione immediata Spiritus Sancti consignatas esse; quomodo non patiuntur se eludi testimonia 2 *Tim.* III. 16. & 2 *Petr.* I. 19. 20. 21: sed flagitant ut omnino, tam ad scribentes, quam ad viva voce loquentes, applicetur illud Christi; *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Sanctus* *Marc.* XIII. 11.

XXII. Necessum autem est (ex hypothesibus, de Christo, qui non sit natura Deus, & qui demum ætatis anno XXX. didicerit, in cœlum raptus, Euangelium quod in terris doceret) ut ipsum Christum *Smalcius* accenseat hominibus alias rudissimis & idiotis qui Euangelium revelaverunt: adeo ut saltem in diebus carnis Christi doctrina divina fuerit, hoc argumento, quod de ipso homine alias rudi & idiota, nulla potuerit esse suspicio justa quod eam comminisci potuerit, quamvis sagacissimus. De reliqua methodo demonstrationis Fidei Christianæ apud Judæos, an κατὰ τὸ ῥητὸν parum utilis sit Scriptura V. T. & demum ad rem faciat sensus mystico ab Apostolis illato, ut primum & princeps præsidium sit in Miraculis, in *Elencho proximi Capitis* erit dicendi locus.

XXIII. De vitæ Christi puritate, dissertatio *Smalcii* sub isto lemmate (*Sanctitas Christi qua & quanta*) non caret sua impuritate, ob confusionem variam. Theses quas asserit istæ sunt; *Christum ne unum quidem peccati actum unquam commisisse: Christum ita peccare non potuisse, ut fieri nullo modo (Deo sic volente, & rem istam moderante) potuerit, ut in levissimum aliquod peccatum incideret.* Ætiologiam subjungit istam geminam. 1. *Quod Spiritu sancto absque omni mensura præditus fuit, cujus virtus nihil non potest.* 2. *Quod Deus etiam perpetuo Jesu Christo præsto fuit, & eum ita gubernavit, ut auxilium suum ei nunquam negaret, ne scilicet tantillum committeret, aut committere posset, quod peccati loco haberetur: adeo ut regeneratio, per quam omnes alii homines filii*

Dei

Dei evadunt, in Christo nullum locum habuerit. Istis vero omnibus præstruxit hoc Enthymema; *Dei proprium est non errare, non peccare. Divinum igitur eum esse necesse est, cui ista divina contigit proprietas*. Hæc considerabimus, missis reliquis ambagibus: quas possimus vocare, verbis *Smalcii ingentem palearum saccum*.

XXIV. Initio confusa est notio *Vitæ Christi*; nec se explicat Smalcius, velitne assertionem suam adstrictam esse ad vitam Christi publicam, an retro quoque extendi ad omnem etiam privatam vitam inde ab ultima infantia. Ne eo pacto retro extendatur ex mente *Smalcii*, intercedere videtur, ductus & series verborum *Smalcii*, tractantis hanc vitæ puritatem, sub muneris Prophetici loco communi, ut confirmationem prædicationi Evangelii additam.

XXV. Deinde ἀθεόλογος Enthusiastica est ista de divino homine hypothesis, à *Smalcio* ad Christum applicata, quam videtur in Epilogo, analogiâ saltem *scintillarum quarundam*, trahere ad *omnes Christi tunc temporis discipulos*, adeoque *omnes etiam hodie qui Christi sunt participes*; Hominem, *nobis per omnia similem quoad naturam*, in illa tamen natura *Deo per omnia similem* fieri posse, *quoad qualitates & proprietates*, per vitæ puritatem & sanctitatem.

XXVI. Naturæ quoque humanæ rationem & definitionem, quatenus Dei ποίημα seu creationis divinæ apotelesma est, confundit cum humana postmodum accersita infirmitate & proclivitate ad lapsus & peccata. Ut, si animum advertas, non conceptionis & nativitatis sanctitatem & puritatem majorem tribuat Christo quam nobis, (nec potest, qui peccatum non agnoscit situm esse in naturæ ad peccandum proclivitate) sed hanc tantum exemptionem statuat in Jesu Christi solo individuo, quod, homo licet fuerit, *ne unum quidem peccati actum unquam commiserit*.

XXVII. Porro de Regeneratione ὅμοια λαλῶν ἀνόμοια φρονεῖ, similia nobiscum loquens sentit dissimilia: *Regeneratio*, inquit, *per quam omnes alii homines filii Dei evadunt, in Christo nullum locum habuit*. Quid vero hoc est ex mente *Smalcii* intellectum? Nihil quidem aliud, quam, nulla unquam Christo opus fuisse quod ad vitæ rationem attinebat pœnitentia aut resipiscentia, quia peccari actum nunquam commiserat. Hæc enim est *Socini*, *Smalcii*, & asseclarum, Theologia, à *Volkelio* explicata, *de vera Relig. libr. IV. cap. 4. de Pœnitentia. Regenerari ad vitæ mores*, inquit, *actionesque referendum est: ut nimirum quemadmodum qui proprie vereque gignitur à non esse ad esse mutatur, ita hic ille regigni dicatur, qui quod ad vitæ rationem attinet, is evadit, qui fuit antea, nimirum justitiæ sanctimoniæque studio deditus, cum aliquando peccato dederit operam.*

XXVIII. Nos fide Orthodoxa Regenerationem referimus ad ipsum vitæ, morum, actionumque, principium, naturâ, inde à matris utero, in peccatis mortuum, in omnibus aliis præter Christum hominibus: quod quando regeneratur, non minus fit transitus a non esse ad esse in spiritualibus, quam fiet in mortuorum vivificatione, aut facta est in pri-

ma lucis

ma lucis creatione, nedum quando fit naturalis generatio hominis animalis. 2 *Cor.* IV. 6. *Eph.* I. 19 20. *cum Eph.* II. 1. 6. *Col.* II. 10.

XXIX. Quid nunc, ex suis hypothesibus explicatus, *Smalcius* tanto hiatu dignum prædicat de Christo? propter quod Regeneratione opus non habuerit, per quam omnes alii homines filii Dei evadant? *Quod*, inquit, *Christus Spiritu sancto absque omni mensura præditus fuit, cujus virtus nihil non potest.* Cave ne quid hic ex mente *Smalcii* intelligas Spiritus Sancti nomine aliud, quam *conceptam* à Christo ex vocatione Patris *certam spem vitæ æternæ: adeo ut vi illius nihil non facere & pati potuerit & voluerit.* Ad quam fovendam & excitandam *Deus etiam perpetuo*, inquit, *Jesu Christo præsto fuit, & eum ita gubernavit, ut auxilium suum ei nunquam negaret.*

XXX. Enimvero aut minime sibi consentanea, aut parum Christo gloriosa, hic loquitur *Smalcius*: si meminerimus eorum quæ dixit *Capite VIII*, maxime *Sectione tertia*. Visum est enim illic *Smalcio*, ultra promissam spem vitæ æternæ, vix nostrum alicui necessarium, & religioni spontaneæ parum consentaneum, promissum Spiritus Sancti: quia videtur, qui præter annunciationem verbi accipit auxilium Spiritus, interno aliquo modo à Deo ad credendum cogi: eoque illud non absque urgenti necessitate flagitandum, saltem non omnino necesse esse ut perpetuo in nobis habitet Spiritus Sanctus.

XXXI. Quis hinc non concludat? tribui urgentiorem in Christo necessitatem illius auxilii, ut oportuerit ipsi dari absque omni mensura, & perpetuo sine intermissione præsto esse, quo nos rarissime, & tum demum indigemus, si quando spem vitæ æternæ vehementia afflictionum, vel cupiditatum, ex memoria extruserit. Adeo ut nobis spontanea, Christo quasi coacta, relinquatur Religio & Obedientia; adeoque contra *Smalcii* πρόθεσιν, minime nobis imitabilis aut imitanda Christi vitæ puritas aut sanctitas.

CAPUT DECIMUM.

DE

Miraculis Iesu Christi.

Vidimus hactenus Jesu Christi præstantiam & divinitatem ex eo, quòd summa in eo & doctrinæ & vitæ ejus puritas apparuerit. Videamus eandem in miraculis, quæ ad confirmationem doctrinæ illius facta sunt. Hæc autem duplici modo, nempe vel tanquam ab ipso Christo, vel tanquam à Deo, Christi tamen causa facta, considerari possunt.

(a) *Quod ad ea miracula, quæ tanquam ab ipso Christo facta considerari possunt, attinet, tanta & tam divina Christi in eis, dum adhuc mortalis esset, potentia apparuit, ut nihil fuerit eorum, quæ in terra sunt, nec homines, nec ipsi etiam dæmones, quod ipsi subjectum non esset.*

(b) *Ubi priusquam aliud dicamus, hoc unum divinitatis miraculorum Jesu Christi indicium observandum est; Christi miracula omnia, non tantum ita comparata fuisse, ut animos hominum perstringerent, & in admirationem sui raperent, cæteroquin nihil eis commodi afferrent; qualia sunt plerumque ea, quæ Diaboli opera fiunt: sed, ut appareret ea esse vere divina, ita erant miraculosa, ut singula pro beneficiis singularibus haberi possent. Hinc D. Petrus etiam ait, Jesum Nazarenum pertransisse, benefacientem & sanantem omnes oppressos à Diabolo.* (c) *Nunc quanta fuerit Christi potentia, deinceps consideremus.*

(d) *Primum morbos omnes quantumvis incurabiles sanavit, adeò, ut etiam mortuos resuscitaret, & à diabolo oppressos, ejecto ex illis eo, liberaret, atque ita verè ostenderet, se (verba sunt (e) ipsius D. Jesu) potestatem habere, peccata remittendi in terris, hoc est, temporales peccatorum pœnas omnes auferendi. Quis vero est, cui omnes morbi & mors & diaboli cedant, præter Deum? præsertim, cùm, ut est in Sacris literis, diabolus, princeps & Deus sit mundi.* (f)

(g) *Deinde non unius, sed omnis generis miracula D. Jesus fecit, qua de causa etiam tot vocibus, virtutum, signorum, prodigiorum, exprimuntur: imò inter miracula Jesu Christi, & confirmationes Euangelii, numerantur etiam Spiritus S. distributiones, ut scilicet vera divinitas ex illis Jesu Christi appareat, qui & omnis generis miracula fecerit, & ipsa etiam dona Spiritualia, loco miraculorum, aliis, aliquo modo, dum mortalis esset, deinde perfectè, cum ex mortuis resuscitatus est, donaverit: quod nemo, etiamsi miracula facere fortasse, Deo permittente, posset, nisi Deus, aut ab eo missus, potest.*

(h) *Tum sanavit Christus omnes morbos, mortem abstulit, diabolos ejecit, sola plerunque voluntate. Dei est proprium, quod Moses testatur & David:* Ipse dixit, & facta sunt: ipse præcepit, & extiterunt. (i) *Instar hujus Dei, Christus etiam, quodcunque voluit,* (k) *effecit:* Volo, *ajebat*, esto mundus, *& jam erat.* Prodi lazare; Exi impure Spiritus, *præcipiebat, & protinus ita factum est. Quam tantam potentiam agnovit in Christo* (l) *Centurio ille, cum diceret:* Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, (vel verbo,) & sanabitur puer meus; *cujus etiam fide majorem se in Israële invenisse Dominus Jesus negat. Quòd verò interdum quibusdam quasi cæremoniis usus in curandis morbis fuisse legitur, id propter alias causas omnino factum est, quam ut in illis aliqua vis adjuvans inesset, quæ causæ etiam ut plurimum incognitæ nobis esse possunt: quanquam nonnunquam satis apparet,*

cur iis

a Divinitas miraculorum Christi. *b* Christi miracula erant beneficia. *c* Actor. x. 39. *d* Christus omnes morbos sanare potuit. *e* Matth. 1x. 6. Marc. 11. 10. *f* Joh. x11. 31. 2 Cor. 1v. 4. *g* Christus omnes generis miracula fecit. Act. 11. 22. Hebr. 11. 4. *h* Christus miracula fecit sola voluntate. *i* Gen. 1. & 11. Psal. xxx111. 6. 9. *k* Matt. v111. 3. Joh. x1. 43. *l* Matth. 1x. 25. Matth. v111. 8.

cur iis D. Jesus usus fuerit. Cibos præterea ita multiplicavit & auxit, ut qui naturaliter vix paucis aliquot suffecturi essent, multis millibus sufficerent; & plus reliquiarum ex illis colligeretur, quam ipsi cibi comminuti efficere potuissent. (m) *Rebus denique inanimatis & ratione carentibus, qualia sunt venti & mare, minatus est, & silentium imposuit.* (n) *Qualem vero, & quantum eum necesse est, (dicimus cum Christi discipulis) cui mare & ventus obediunt?*

(o) *Præterea (quod huc omninò pertinet) Christus instar Dei omnia, quæcunque ad munus ipsius & salutem humani generis quoquo modo pertinebant, scire potuit, ut ne abditissimi humani cordis sensus eum laterent. Quod sanè ita Dei proprium est, ut nemo, nedum hominum, sed nè Angelorum, tam bonorum, quàm malorum, exactè scire possit, quid unus homo cum animo suo cogitet.* Solus Deus est, *qui hoc scit: & post eum solus Jesus Christus, cui tantam Deus sapientiam concessit, tunc etiam, cum adhuc mortalis esset, ut, teste Johanne,* (p) *omnes nosset, nec opus haberet, ut quis de homine testaretur, ipse enim sciebat, quid esset in homine. Hac divina sapientia D. Jesus Nathanaëlem vidit sub ficu sedentem: hac Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem: hac cogitationes simulatorum inspexit, & acerrimè reprehendit: hac cogitationes etiam suorum discipulorum respondendo quandoque antevertit.* (q) *Quam tantam tàm divinam sapientiam proculdubio in Christo inesse, Deus tunc etiam voluit; partim, ut hac etiam ratione munus ipsius commendatissimum esset, & homines eo, ad Christo & fidendum, & debito eum honore colendum, permoverentur: nam si quid unquam est, quod nos vere religiosos facere possit, hoc est, quod scimus, Jesum Christum, nos & omnia nostra cogitata perspectissima habere: partim etiam, ut hominum malevolorum insidias effugere posset, ne scilicet prius ab eis caperetur, vel aliquo damno afficeretur, quam ipsius Dei voluntas intercederet.* (r) *Nec enim hominum sola malitia, sed potius Dei consilio & voluntate, afflictiones & mors Christi acciderunt.* (s) *Nec quicquam huic obstare debet, quod de semetipso Dominus dixit, se, cum hic in terris esset, ignorasse diem judicii.* (t) *Illud enim non erat tunc ex iis rebus, quæ ad proprietatem muneris illius Prophetici, quod tunc administrabat, pertinerent: sed totum hoc pertinet ad istud munus Jesu Christi, cujus vi factus est judex vivorum & mortuorum, nempe regium, & sacerdotale, quod simulac consecutus est, statuendum est, eum illud etiam cognitum habere, cum penes eum absoluta sit judicii exequendi potestas.*

(v) *Sed & hoc addendum omnino est, quod Jesu Christi divinitatem in hac parte omnium fere maximè arguit: quod Jesus Christus, non ut alii ante vel post eum, hanc tantam potestatem ita possedit, ut illa ab eo abesse potuerit, tanquam accidens vagum; vel quod opus habuerit, ut alii omnes, quicunque miracula unquam fecerunt, istam potestatem precibus à Deo impetrare, & eandem perpetuo studio conservare: sed, ut verus verorum Bonorum Dei possessor, ita eam secum communicatam habuit, ut ipsius propria effecta fuerit, & in eo perpetuo habitarit, adeo*

m Matth. XIV. 16. *n* Matth. VIII. 27. *o* Christus animos & corda hominum novit. *p* Joh. II. 24. 25. *q* Joh. I. 48. Luc. X. 18. Matth. IX. 4. Joh. XVI. 19. *r* Joh. II. 24. *s* Solutio objectionis. *t* Matth. XIII. 32. *v* Christus potestatem miracula faciendi in sese habitantem habuit.

vi, adeo ut Iesus Christus nunquam absque ea fuerit, sed semper eam circumtulerit; nec tunc etiam eâ caruerit: cum forma servi sumta, seipsum ligandum, contundendum, conspuendum & crucifigendum tradidit. Cujus rei argumentum esse potest id, quod, cum jam jam D. Iesum capturi adessent armati hostes, unica Christi interrogatione ita fuerunt perterrefacti, ut retrogressi in terram prociderent.

(x) *Denique Iesus Christus non tantum potestatem habuit in seipso habitantem miracula omnia faciendi: verum etiam eandem cum aliis communicare, tunc etiam, cum adhuc mortalis esset, potuit, quod nemini Prophetarum vel Apostolorum unquam contigit. Manifestè enim legitur, Iesum Apostolis illis duodecim, & aliis 70. discipulis dedisse potestatem in omnes morbos, & ipsos etiam dæmones: & compertum est, Apostolos & illos 70. discipulos, reipsa multa miranda patrasse in nomine Iesu Christi, adeò, ut cum gaudio ad Dominum reversi, id ei significarint, quod etiam Spiritus immundi eis sint obedientes: & Christus ipse etiam assentiens eis dixerit, se vidisse Sathanam cadentem, hoc est cadentem ex hominibus ad præceptum & jussum Apostolorum, non secus ac fulgur de cœlo cadere solet, hoc est, magno cum impetu ac festinatione, nihil detrectantem vel repugnantem.* (y)

(z) *Itaque nihil faciunt, qui, ad elevandam Christi miraculorum præstantiam, dicunt, Prophetas etiam & Apostolos miracula fecisse: & tamen hinc non concludi, eos esse nostros Servatores. Ut ut enim alii etiam ante Dominum Iesum viri sancti miracula fecerint: tamen istud totum superant Iesu Christi miracula, tam quantitate, quam qualitate. Tanta enim fuit multitudo miraculorum Christi, ut unus Dominus Iesus plura fecerit, quam omnes Prophetæ. Quam multitudinem volens D. Iohannes exprimere, hac hyperbolica locutione uti non dubitavit, quòd, si omnia sigillatim scribenda fuissent, mundus ipse librum scriptum non comprehenderet.* (a) *Tanta rursus eorundem fuit sublimitas & singularitas, ut vix aliquid cum illis, quæ Prophetæ olim ediderunt, commune habuerint. Hinc Christus hanc sublimitatem & singularitatem descripturus, ait se ea opera fecisse, quæ nemo ante se fecerit.* (b) *Quod verò Apostoli leguntur miracula fecisse & Christi miraculis paria, vel etiam, teste ipso Christo, majora,* (c) *hoc ipsum ad nullius alius præstantiam & divinitatem, quam solius Iesu Christi demonstrandam pertinet. Quidquid enim Apostoli fecere, id totum non illis, nec pietati illorum, sed soli Iesu Christo & potentiæ ejus divinæ ascribendum esse, plurima testantur literarum sacrarum apertissima testimonia:* Quid miramini, (*inquit D. Petrus*) in hoc, & quid intuemini nos, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus ambulare hunc. Deus Abraham, & Isaac, & Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit puerum su[u]m Jesum, &c. Et in fide nominis ejus hunc, quem videtis & nostis, confirmavit nomen ejus; & fides, quæ per eum, dedit ei integram sanitatem illam in conspectu omnium vestrum. (d) *Idem etiam D. Petrus, sanaturus paralyticum Æneam, sic ait:* Ænea, sanat te Jesus Christus. (e) *Ut scilicet appareat, totum illud sanationis & aliarum*

x Christus potestatem Miracula faciendi aliis impertiri potuit. *y* Matth. x. 1. Luc x 1. 1 x. 17. 19. *z* Solutio objectionis. *a* Joh. xx1. 25. *b* Joh. xv. 24. *c* Joh. x1v. 12. *d* Act. 111. 12. 13. 16. *e* Act. 1x. 34.

aliarum miraculosarum operationum donum, à sola Christi potentia pependisse. Quantum igitur Dominum ipsum esse oportuerit, si tanti fuere ejus servi?

(f) *Horum autem Christi miraculorum tanta est divinitas, ut propter illa etiam (licet non sola) Christus in forma Dei & Deo æqualis fuisse dicatur,* (g) *quam deinde formam deposuit, dum ita se gessit, ac si eam omnino non habuisset unquam. Horum tanta virtus est, ut Christus ipse plus eis tribuerit, & alios etiam plus eis tribuere voluerit, quam suis dictis:* Si non facio (*inquit*) opera Patris mei, non credite mihi; si autem facio, etiamsi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia in me Pater (est) & ego in eo. (h) *Nec enim ita poterat Christus sanctitatem vitæ suæ prædicare, ut miracula; cum illa soli Deo nota sit, utpote, quæ in corde lateat, & nimis etiam eam jactare coram hominibus vitio non careat. At opera miraculosa ita comparata erant, ut in omnium oculos incurrerent, & suspecta esse nullo modo possent. Nam in rebus naturæ limites superantibus exerebantur: & in publicis pleraque locis fiebant, ubi omnium censuris exposita erant; & si quæ privatim edebantur, ea Christus plerunque divulgare vetuit, ne scilicet ulla fraudis suspicio subesse crederetur. Hinc etiam Christus opera sua miraculosa, quæ Pater ei dederat, ut ea faceret, majus testimonium* (i) *appellat illo, quod Johannes Baptista de eo ediderat: & propterea etiam credibile est, Dominum Jesum Johanni Baptistæ, qui, cum ipsi non liceret captivo, per suos nuncios, testimonium de Christo coram populo perhibebat, quod scilicet esset is, qui venturus erat, nec expectandum esse alium, ita respondisse:* Euntes renunciate Johanni ea, quæ videtis, & auditis, cæci vident, claudi ambulant &c. (k) *Ut scilicet, tacite approbata Johannis Baptistæ fidelitate, indicaret, se aliud habere testimonium, quo doctrina & munus suum nixura essent, & tunc nitebantur, nempe miracula sua, ideoque non admodum opus esse testimonio Johannis Baptistæ, ubi ipsa res testabatur, se esse Christum illum, qui venturus erat. Hinc etiam D. Johannes, cum dixisset de Jesu Christo quod venerit cum aqua & sanguine, & Spiritum esse, qui testetur, (intelligens virtutem illam divinam, quæ in Christo habitabat, miracula faciendi) mox addit:* Quoniam ille Spiritus est veritas, (l) *hoc est, quia ista virtus, infallibile veritatis (Jesum scilicet esse Christum) testimonium habendum est. Et paulo inferius, tria illa simul repetens, quæ de Jesu testantur, Spiritum, quem antea ultimo loco posuerat, primo loco ponit, cum ait:* Et tres sunt, qui testantur in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis; *ut ita ostenderet, miraculorum Jesu Christi maximam vim fuisse in hac re, de qua sermo est. Hinc denique peccatum omnium maximum id esse Christus affirmavit, quod contra hanc tantam miraculorum suorum potestatem committebatur, dum scilicet id, quod virtute Dei fiebat, Diaboli operæ tribuebatur: & ei qui adversum filium hominis peccaret, remissum iri, illi verò, qui adversus Spiritum Sanctum blasphemaret, hoc est, ex Christi miraculis eum agnoscere nollet, quin imò ea contemneret, neque in hoc, neque in futuro seculo remissum iri, graviter simul & severè pronunciavit.* (m)

Pppp 3 (n) *Et*

f Autoritas miraculorum Christi. *g* Phil. II. 6. *h* Joh. x. 38. *i* Joh. v. 36. *k* Matth. XI. 4. *l* 1 Joh. v. 6. *m* Matth. XII. 31. Marc. III. 29. 30.

(n) *Et certè non sine magni momenti causa tantum historiarum de miraculis Christi scriptioni Euangelii insertum est, ut ea dimidiam ejus partem, si non amplius, constituant. Quæ nulla alia esse potest, quam quod omnino hæc miracula evidentissimum veræ divinitatis Jesu Christi, dum in terris degeret, erant indicium, quod omni exceptione majus erat, & olim Judæos gravissimè premebat, & nunc etiam ita premit, ut, declinaturi hujus tantæ rei tantam vim & tantum robur, nescio quod diabolicum Schem hamphoras Rabini eorum commenti sint, & Jesum Christum Cabalistam quendam artificiosum fuisse, impudenter (ubi id eis licet) clamitent.* (o) *Quo tamen tanquam sorices suo seipsos strepitu produnt, si quis totum illud nugatorium commentum bene examinare norit. Concedunt enim (ut paucis cum eis congrediamur) Jesum miracula fecisse virtute nominis divini: sed ajunt eum illam, nescio quo modo malitioso, consecutum esse. O stupiditatem verè Judaicam, in qua tam pertinaciter hærere, & eam pro vera defendere nulla ratione possent, nisi divina eos ultio hactenus persequeretur, & in cæcitate invitos detineret. Tanta est hujus rei ab omni ratione discrepantia. Itane Deus Israëlis deridendus & exsibilandus à populo Israëlitico exponetur, cujus virtus possit ab homine seductore & sacrilego, modo nescio quo malitioso, acquiri? & non potius certum erit, eum, qui divina virtute præditus est, non posse eam habere, nisi ab ipso Deo? Divinæ enim potestatis & Dei nemo potens est, nec esse potest. Qui igitur divina virtute D. Jesum miracula fecisse confitetur, divinum eum hominem & verum Prophetam fuisse, quantumvis postea neget, jam planè concessit: adeo, ut cum ratione insanire videantur Judæi omnes, qui concedunt, D. Jesum miracula, omnem naturæ cursum excedentia, divina virtute fecisse, & interim negant, eum esse verum Messiam: vel potius insanire eos cum ratione voluit Deus, tum ut pœna, qua premuntur, à Deo profecta esse appareat, tum ut hac ratione, quia scilicet confitentur Jesum miracula divina virtute fecisse, si unquam Deus aditum ad se illis denuo præbuerit, ad eum adduci ab illis, quibus Christiana Religio & mysteria illius cordi & cognita sunt, possint. Super hoc enim fundamentum facilius aliquid superstrui potest, si Deus de ira sua remittat. Si vero hoc etiam negarent Judæi, difficilior omninò res esset persuadendi eis religionem Christianam.*

(p) *Omninò enim statuendum est, eos in errore versari, qui credunt, alia ratione Judæos ad Christum commodè & dextere converti posse, nempe adductis testimoniis S. literarum. Quod enim ad novi Fœderis libros attinet, quia eorum nulla est apud Judæos autoritas, quomodo illis, ad probandum rem controversam, uti poterimus? Quod vero ad Vetus Fœdus attinet, etiamsi illud Judæi recipiant: tamen, ut supra dictum est, ad eos ad Christum convertendos, parum id prodesse potest, quia necesse sit, omnia fere, quæ ibi de Christo scripta esse credimus, alio sensu, quam verba præ se ferunt, nempe mystico, accipere, quem scilicet nobis Apostoli, quorum autoritas nobis Christianis aliunde commendata est, aperuerunt. Hunc verò sensum, quomodo, quæso, probabilem faciet homo Christianus homini Judæo? Patieturne Iudæus, se doceri legis suæ verum sensum ab eo, cui lex ista tradita*

n Cur tot miracula Christi in Euangelio descripta. *o* Calumniarum Judaïcarum de miraculis Christi refutatio. *p* Error quorumdam in modo convertendi Judæos ad Christum.

tradita non fuit, & cui eam Deus non revelavit? Unde videre est, aliam omnino viam esse quærendam, cum istis hominibus agendi, si ad religionem Christianam eos convertere velimus. (q) *Ea autem nulla alia est, quam ut vera, vera, inquam, Christi divinitas, ut ex aliis rebus, ita etiam ex divinis ejus miraculis & operibus asseratur. Eam enim, quæ hactenus à Christianis asserta fuit, quod scilicet eum pro ipso Deo Israëlitico proclamarunt, plus Reipub. Christianæ (quod ad conversionem Iudæorum attinet) obfuisse, quam profuisse, ipsa res satis superque docuit. Paucissimi enim omninò sunt, (ne dicam nulli) qui vero religionis affectu moti, abjurata religione Iudaica ad Christianam transierint: & si tamen aliqui inveniri possunt, qui solo religionis affectu id fecerunt, id ipsum perfectissimæ divinitatis doctrinæ Iesu Christi evidentissimum documentum censendum est, quod licet nitore suo potissima ex parte careat, tamen ita illustravit & perculerit animos istorum hominum, ut cum particula aliqua religionis Christianæ, suam, quam ab ea superari conspexerunt, commutarint.* (r) *Tanta scilicet est doctrinæ Christi vis, tanta mysteriorum ejus emphasis, ut etiam corruptissima licet, & erroribus contaminatissima, præstantior tamen sit suo modo Iudaica religione. Quòd si totus ille fulgor istius sacrosanctæ doctrinæ elucesceret, ô bone Deus, quanta cupiditas caperet homines Christianos eam fovendi & conservandi; Iudæos verò eam aliis invidendi, & eandem amplectendi? Quod tùm demùm sperandum est, cùm Christi divinitas vera illa rectius, & ab omnibus erroribus libera, tandem caput suum aureum ex tàm densis humanorum commentorum nubibus exeret; & cum id, quod nostris de illa ejus divinitate cœtibus Deus revelavit, à pluribus recipietur. Hæc, inquam, via est vera hominem Iudæum ad Christum convertendi.*

Quid enim putas, repugnaretne Iudæus D. Iesu, si crederet eum ex mortuis resuscitatum, supra omnes cœlos exaltatum divinam potestatem habere: Non credo. Hoc vero probatum jam esse, si probetur, Iesum fuisse hominem reverà divinum, nemo inficias ibit. Non possunt enim non esse vera, quæ homo verè divinus dicit. Dominum Iesum verò hominem reverâ divinum fuisse, equidem crediderim ostendi posse, homini Iudæo non improbo, nec judicio carenti, hoc modo. Fatentur Iudæi, Deo scilicet sic providente, & rem religionis Christianæ miraculose procurante, (nam si id negarent, difficilior esset rei probatio) fatentur, inquam, Iesum Nazarenum olim extitisse: fatentur etiam eum doctrinam hominibus novam & singularem tradidisse: fatentur denique eum ad istam doctrinam suam confirmandam miracula edidisse, quæ non nisi à divina virtute proficisci poterant, quanquam hic multa comminiscuntur, multa mentiuntur eorum Rabini. Hic igitur sic constringendus est Iudæus, ut aut ea neget, quæ jam concessit, hæc verò negare nullo modo potest, imò, ut ea neget, Deus non permittit: aut concedat id, quod tantopere fugit, nempe Iesum fuisse divinum hominem. Ex quo deinde necessario consequitur: quia is Iesus prædixit, se moriturum, & ex morte resuscitatum iri, & deinde omnem potestatem in cœlo & in terra consecuturum, id ita & non aliter se habere. Quanquam alia etiam ratione probari potest homini non improbo, Iesum ex mortuis resuscitatum esse, de quo infra aliquid dicemus.

(s) Et

q Modus convertendi Judæos ad Christum r Christiana religio corrupta præstat Judaicæ religioni incorruptæ.

(s) Et hunc cum homine Iudæo agendi modum (observatis iis, quæ supra annotavimus, & paulo post annotabimus ad ea, quæ ab illis objici solent, re ponderi posse) tam certum esse crediderim, ut etiam homini omnino atheo, & omni de religione dubitanti, modo sit sanæ & probæ mentis, nihil dubitem aliquo saltem modo persuaderi posse, non tantum religionem aliquam esse veram, sed etiam nullam esse veriorem quam Christianam: imo aut hanc solam esse veram, aut religionem nullam esse. Nam si fortasse is, qui atheus sit, neget Iesum unquam extitisse, is, si non improbus, saltem mentis parum compos, censeri debet, qui scilicet id neget, quod tot hominum Christianorum myriades, à tot seculis, tam constanter confessi sunt: & etiamnum confitentur; & cujus causa tot afflictiones, tot mortes, & olim perpessi sunt, & hodie patiuntur, vel saltem pati parati sunt, inter quos plurimos fuisse, & ingenio & judicio acutissimos, nemo est, qui dubitet: &, quod majus est, quod non negant illi ipsi, nempe Iudæi, quibus id ab initio hucusque semper plurimum obfuit, & etiam nunc obest. Quod ipsum, si scilicet hoc Iudæi negarent, in hac re non parum esset ad fidem detrahendam Religioni Christianæ. Quanquam præterea non satis esset, simpliciter tantum aliquem omnia ista negare; sed necesse esset, si negatio ista locum habere debeat, istiusmodi hominem rationes afferre validissimas, quare tam concordi, tam discordium alioquin, quod ad alia omnia attinet, hominum, hac in re consensui repugnet. Quemadmodum parum esset, si quis hodie neget, vera esse ea, quæ aliquis historicus prophanus scripsit & ab omnibus ut vera sunt recepta, nisi etiam rationes adderet, quare id sibi negandum statueret. Sed non est nunc plura de his etiam dicendi locus. Satis est demonstrasse, quanto studio opprimere tantam Iesu Christi & muneris ejus divinitatem, quæ ex miraculis ejus apparet, gens infidelis Iudaïca conata sit olim, & nunc etiam conetur.

(t) Extat quidem in lege Mosis, præceptum divinum, de vitando & occidendo etiam homine, qui populum Israëlis à Deo abducere velit, licet miracula faciat, quod isti nequam homines (quod eorum est implacabile adversus Iesum Christum odium) ad ipsum Iesum pertrahere non erubescunt. Sed gravis ista calumnia gravi etiam responsione digna esset, & fortasse pœna, si id lex Regia, ejusdem, cui ita isti maledicunt, quæ est charitatis, permitteret. (v) Dicimus igitur ementitum hoc esse, quod Dominus Iesus ullum hominem à Deo illo vero unquam abduxerit. Certum enim est, & id omnes sacrorum Euangeliorum paginæ comprobant, Iesum Christum omnia sua dicta & facta Deo Patri accepta retulisse, &, se ab eo totum pendere, apertissime docuisse, gloriamque se non suam, sed Patris, qui eum miserat, quærere, publicè prædicasse. Quid multa? Præcipuam suam Iesus Christus gloriam, cujus causa omnia faciebat, in eo sitam esse constantissime affirmavit, si cognoscatur, non quidem se esse illum unum Deum, qui est Pater, & qui Deus Israëlitarum proprius erat: sed se esse ab illo Deo, nempe Patre suo & Israëlitarum, missum. (x) Velle autem, ut homines agnoscant Iesum

s Modus persuadendi homini atheo Christianam religionem. t Responsio ad objectionem Judaïcam. Deut. XIII. 1. v Christus neminem à Deo abduxit. x Joh. v. 19. & VI. 38. & VII. 16. & VIII. 28. & XII. 49. Joh. x. 36 & XVII. 21. 23.

Jesum esse missum à Deo Israëlitarum, planè contrarium est ejus, quod objicitur, Jesum Christum à vero Deo ad alienos Deos abduxisse populum.

(y) *Quod vero porro, qui sagaciores sunt, instant, & dicunt, Jesum Christum satis id curasse, ut homines à Deo vero ad Deos alienos abduceret; eò, quod legem ab ipso Deo olim latam, bona ex parte abrogarit, & quasi Deus, qui olim colebatur, alius esset, ita omnia ad cultum ejus pertinentia innovarit; hoc totum nihil est. Supra enim indicavimus, & nunc hic illud repetimus, de quo etiam fortasse infra paulo plura nobis dicenda erunt, cum de Christi regno sermonem instituemus, falsum esse, Jesum Christum id curasse, ut vel una legis particula abrogaretur, quamdiu in terris degebat, & Propheta erat. Lege enim sarta tecta relicta, ea tantum docuit, quæ fundamentum religionis novæ futura erant, abrogationem partis legis in aliud tempus differens, cum scilicet abunde manifestum futurum esset, eum esse Christum, hoc est, regem populi Dei peculiarem, penes quem, tanquam novum regem, futura sit potestas, populo suo novo novam legem faciendi. Locus vero ille ex Deuteronomio adductus, tantum de Propheta loquitur, non autem etiam de Messia, qui plus quam Propheta futurus erat.*

Quanquam præterea falsum omninò est, eum homines abducere à Deo, qui modum colendi Deum præscribit, alium ab eo, qui antea observatus fuerat. (z) *Is enim à Deo abducit, qui loco Dei docet alium colere, qui non sit Deus. At is, qui quædam, quæ ad cultum Dei pertinebant, tollit & mutat, præsertim ea, quæ ipsa ratio dictitat, ad veram Dei gloriam propriè pertinere non posse, qualia erant cæremonialia omnia, interim tamen modum præscribit, alium licet, colendi eundem Deum, qui antea colebatur, is cultum Deo non adimit, nec ad alios Deos abducit: sed tantum, ut diximus, modum cultus mutat. Quod quidem extra omnem suspicionem esse, vel hoc unumquemque cordatum docere potest; quod omnia ea, quæcunque in lege ad bonos mores pertinent, & proinde sunt gravissima, & difficillima, non tantum sarta & illibata reliquit D. Jesus, verum etiam eadem plurimum auxit. Cur vero is, qui gravissima & difficillima retinet, leviora & faciliora non retineret, nisi causa subesset maximi ponderis, quæ eum ad id faciendum compulisset? Facilius est Sabbatum observare, carnibus vetitis abstinere, lotionibus sese lustrare, & similia alia sexcenta facere, quam Deum diligere ex toto corde, & tota anima, ex omnibus viribus, & cogitationibus, & proximum diligere ut semetipsum; præsertim eo modo, quo Euangelium illud utrumque præcipit: & tamen hoc Dominus Jesus præcipit, illud abrogat, ut scilicet constet, unicuique non oscitanter res divinas consideranti, causam istius abrogationis, non fuisse contemtum Dei aut cultus divini, sed ipsius Dei amorem, & cultus ejus instaurationem & perfectionem.*

Sed tandem, ut os obturetur istis Judaïcis nugatoribus, quid est magis à vero dissentaneum, quàm Jesum homines à Deo abduxisse, cùm res ipsa docuerit, solum Jesum fuisse, qui tot infinitas extraneorum myriades, quæ antea à Deo alienissimæ erant, ad Deum adduxit; &, quod majus est, effecit etiam, ut omnes cultores sui, legem illam Mosaïcam, quatenus à ratione pendet & æterna est, multo reli-

y Responsio ad aliam Judæorum objectionem. z Quid sit homines à Deo abducere.

to religiosius observent, quàm eam unquam observârunt Judæi. Quæ res hodie Judæos, si non essent ab ipso Deo excæcati, & si paulò clarius luceret Euangelica veritas, jure in admirationem rapere posset. Nihil enim tale, ab eo tempore, quo illi populus Dei singularis esse cœperunt, nec viderunt unquam, nec audiverunt. Semper enim aliæ gentes hoc erant inferiores Judæis, quod falsos Deos colerent, Judæi verum solum Deum: hodie vero Christiani, licet ex gentibus extraneis oriundi, nullum alium Deum colunt, quàm Deum Israëlitarum; eumque multo rectius, quam ipsi Judæi eum & olim coluerunt, & nunc colunt. Quod à nemine sane doceri potuerunt, nisi ab illo Servatore mundi vel Messia.

Itaque ut hanc rem, quæ admodum latè patet, contrahamus, sic concludimus: D. Jesus perambulavit Judæam benefaciens: D. Jesus divina potestate miracula fecit, & maxima & plurima, eaque sola plerumque voluntate: D. Jesus divino modo potestatem miracula faciendi possedit, nec quenquam à Deo unquam abduxit: Ergo D. Jesus vere fuit divinus, & à Deo missus Messias, & singularis ejus fuit divinitas. Et hactenus quidem de miraculis, quæ in confirmationem divinæ voluntatis edita fuêre, & quæ, tanquam ab ipso Christo facta, consideravimus.

(a) Miracula vero, quæ tanquam ab ipso Deo, Christo adhuc in terris degente, & nondum passo, facta, considerari possunt, sunt istæ voces, vel apparitiones, quæ partim populo, partim vero aliis sanctis & ipsis etiam Apostolis contigerunt.

Quod ad primum attinet, exemplum habemus illustre Joh. XII. (b) ubi, cùm Christus, dolore mortis jam ingruente, sic Patrem suum alloquebatur; Nunc anima mea turbata est, & quid dicam: Libera me Pater ex hora hac, sed propter hoc veni in horam hanc. Pater glorifica tuum nomen, testatur Apostolus; venit ergo vox de cœlo (hujusmodi) & glorificavi, & iterum glorificabo. Hanc autem vocem in præsentia turbæ auditam fuisse, testantur verba mox sequentia. Sic enim ait D. Johannes: Ergo turba, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant; Angelus ei locutus est. Respondit Jesus, & dixit; Non propter me hæc vox facta est, sed propter vos, &c. Quam vero miraculi plena res ista fuerit, testatur id, quod voluit quidem Deus sonum vocis à turba audiri, at verba eos intelligere noluit. Hoc rursus quantum faciat ad rei miraculosæ narrationem, ostendit etiam id, quod D. Paulus de sua narrat ad D. Jesum conversione, quod scilicet comites itineris, vocem, hoc est, sonum vocis audiverint, nec tamen vocem illam intellexerint. (c) Qua de causa, Apostolus eandem historiam conversionis suæ repetens, ait, quod comites sui vocem ipsam loquentis non audierint, (d) digni scilicet, qui sono verborum, quæ alius, nempe Paulus intelligebat, perterrerentur: indigni vero, qui eadem intelligerent. Et hujusmodi miracula plura accidere potuisse, nihil prohibet, ex quibus, quam charus Deo & quam divinus fuerit Jesus Christus, omnes pii & cordati perspicere possunt.

Quod ad alterum attinet, annumerari hic primum potest illud, quod Deus de cœlo testatus est, cum Dominus Iesus in Iordane baptizaretur: Hic est filius meus

a Miracula à Deo Christi causa facta. b Joh. XII. 27. 28. c Act. IX. 7. d Act. XXII. 9.

ille dilectus, in quo complacui. (e) *Licet enim hoc, ut supra diximus, solius Iohannis Baptistæ causa factum fuisse videatur; verisimile tamen est, istud tam miraculosum opus postea aliis etiam fuisse revelatum. Quo, si qua alia re, omnes illi, ad quorum id notitiam pervenit, maxime permoveri potuerunt ad fidem Christo habendam; & ita per id demonstratum fuit, Dominum Iesum fuisse revera divinum hominem.*

Deinde illustrissimum plane exemplum est illud, (f) quod Petro, Iohanni, & Iacobo, [illegible]it, quod etiam multorum miraculorum loco esse potest. Primum enim in monte sacro Iesum Christum, inter orandum, ita transfiguratum vident, & adeo gloriosum, ut facies ejus resplenderet instar solis, & vestes ejus candidæ fierent ut lux, vel nix, &, ut D. Marcus (g) addit, qualia fullo super terram non potest alba facere. Deinde Mosen & Eliam, qui cum Christo colloquebantur, & exitum ejus, quem completurus esset Hierosolymis, exponebant, vel Apostolis, vel saltem Apostolorum causa, ibidem in gloria conspexerunt Tum nubem etiam, qua Christus una cum Mose & Elia circumdatus & obumbratus fuit, viderunt Denique vocem illam de nube magnificam auribus suis perceperunt: Hic est filius meus ille dilectus, in quo complacui, hunc audite. *Quæ res tota, quanti æstimanda sit, docent illa D. Petri verba, quæ de ea scripta reliquit, commendans præstantiam eorum, quæ docuerat:* (h) Non enim (*ait*) sophisticè compositas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præstantiam: sed speculatores facti illius magnificentiæ Accepit enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delata ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus ille dilectus, in quo mihi complacui; & hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sacro. *Speravit scilicet D Petrus, hanc solam rem, quemadmodum apud se erat maximi momenti, apud alios etiam non minoris fore. Huc etiam referri possunt ista D. Iohannis verba, cum ait;* (i) Sermo ille caro fuit, & habitavit in nobis, *hoc est, conversatus est nobiscum Apostolis, (mutat enim personam, &, ut antea de aliis in tertia locutus fuerat, sic nunc de seipso & aliis Apostolis in prima loquitur, confirmaturus scilicet omnia illa, quæ omnibus publicè innotuerant, suo & Apostolorum etiam testimonio)* & vidimus, *inquit*, gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. *Quod proculdubio, de non paucis miraculis & aliis divinis operibus, quæ Christo in sola Apostolorum præsentia contigerant, intelligi potest: omnium autem maxime, ad illud miraculum, quod istis tribus Apostolis in monte sacro contigerat, referri debere videtur. Aperte enim prædixerat Christus, quosdam ex Apostolis prius mortem non gustaturos, quam viderant regnum Dei veniens in virtute, vel filium hominis venientem in regno suo.* (k) *Hoc autem impletum fuit, cum paucis diebus post, in præsentia Petri, Iohannis, & Iacobi D. Iesus transfiguratus fuit. Quam rem Lucas* (l) *describens, expresse ait, Petrum, & qui cum eo erant, gravatos somno, evigilantes, vidisse gloriam ejus Voluit scilicet Deus his Apostolis præcipue Iesum Christum esse commendatum, qui præ-*

Qqqq 2 *cones*

e Matth. III. 17. *f* Matth. XVI. 1. *g* Marc. IX. 3. Luc. IX. 24. 31. *h* 2 Petr. I. 16. 17. 19. *i* Joh. I. 14. *k* Matth. XVI. 28. Marc. IX. 1. Luc. IX. 17. *l* Luc. IX. 32.

cones ejus & doctrinæ ejus primi futuri erant; ideoque etiam singulari modo, eis, qualis & quantus esset Christus Iesus, innotescere. Vides igitur, quisquis es, quot & quanta fuerint ea miracula, quæ facta fuere ad confirmationem divinæ, quam Dominus Iesus annunciavit, voluntatis: ut scilicet hinc agnoscas, divinissimum fuisse Iesum, à quo, vel cujus causa, ista omnia facta sint.

ELENCHUS CAP. X. DISP. XXVIII.

NOn apertius potuit contra veritatem luctari *Smalcius*, quam in hac de Miraculis Jesu Christi dissertatione. Vult nos in illis videre Jesu Christi præstantiam & Divinitatem: sed intellectam hæretico sensu Divinitatem Divini hominis, qui non sit naturâ Deus; quod in tota hac tractatione est ipsius πρῶτον ψεῦδος, & hic maxime contradictionem implicat cum Scripturæ veritate, quæ etiam ex invito pectore erumpit, in istis *Smalcii* verbis: *Quis vero est cui omnes morbi & mors & diaboli cedant, præter Deum?* Certe Deus *miracula facit solus Psal.* LXXII. 18. Quare nobis ille solus Deus, non est solus Pater, sed etiam is quem ille misit Jesus Christus. *Ioh.* XVII. 3.

II. Miracula *ad confirmationem doctrinæ* Jesu Christi *facta* esse, verum est. Sed Doctrinæ Caput eximium istud est, esse Filium *cum Patre Unum Ioh.* X. 30. Deo Patri *æqualem Ioh.* V. 18. *Phil.* II. 6. *Verum Deum & Vitam æternam.* I *Ioh.* V. 20. Quare discrimen illud quod facit *Smalcius* inter Miraculorum considerationem, vel tanquam à Deo, Christi tamen causa facta, ex mente *Smalcii* intellectum rejicimus, quamvis sano sensu verum sit κατ' οἰκονομίαν, seu secundum dispensationem exinanitionis Filii Dei in assumpta forma servi, in qua se aperte aliam à Filio Personam demonstravit Pater, quamvis Unum, Essentia & Omnipotentiâ operante ad extra; juxta illud, *Pater meus operatur usque adhuc, & Ego operor. Ioh.* V. 17.

III. Nec potest non contradictionem illud implicare, tantam & tam divinam fuisse in Christo potentiam, ut etiam mortuos resuscitaret, eo tempore quo *adhuc mortalis* erat: sic, ut ex mente *Smalcii* non esset mansura in ipso, tandem mortuo, ulla potentia qua se ipse ex mortuis vivificaret: quomodo enim divina mortuos excitandi potentia potuit in Christo, per mortem corporis exstingui? Sed de his plura infra ad *Caput* XII. & XIII.

IV. Perperam vero *Smalcius* Potentiam Christi in diebus carnis versantis in terris deprimit ad ea quæ in terra sunt, quando sic infit; *Ut nihil fuerit eorum quæ in terra sunt, nec homines, nec ipsi etiam Dæmones, quod ipsi subjectum non esset.* Scilicet data tantum erat Christo tunc quidem omnis Potestas in Terra, sed non in Cœlo. Sapiunt ista Judæorum contra Christi miracula obmurmurationem istam, qua Christum tentarunt, rogantes eum, *ut signum è cœlo ipsis ostenderet. Matth.* XVI. I. *Marc.* VIII. II. Confirmavit Chri-

vit Christus abunde patratis in terra miraculis, se esse ipsum *è Cœlo Dominum* 1 Cor. XV. 47. & se *in Cœlo* esse. *Ioh.* III. 13. Adeo ut quæ è Cœlo signa operabatur Pater Christi causa, in Baptismo ad Jordanem *Matth.* III. 16. 17. & deinceps *Matth.* XVII. 1 ---- 6. *&* *Ioh.* XII. 28. 29. testarentur ipsum esse Filium, hæredem omnium, tam in Cœlo quam in terra.

V. De cætero, exosculandum hoc quidem fuit piis, quod Christi miracula fere totidem fuerunt beneficia singularia: attamen non habuit minus indicium veræ Divinitatis Christi miraculum, quo ficui maledixit Christus, in symbolum venturæ super Judæos maledictionis *Marc.* XI. Item quod legis cæremonialis contemptum vindicavit, licentia Legioni Diabolorum facta, ut necarent porcos Gadarenorum *Matth.* VIII. 30 ---- 34. non minus quam habuit ipsa sanatio oppressorum à Diabolo.

VI. Sanatione vero omnium morborum, quamvis incurabilium, mortuorum resuscitatione, & Diabolorum ejectione, ita ostendit Christus se potestatem habere, peccata remittendi in terris: ut non locum habeat *Smalcii* glossa in verba D. Jesu *Matth.* IX. 6. *Marc.* II. 10. quam sic ingerit; ut nihil aliud sit peccata remittere in terris, quam *temporales peccatorum pœnas* miraculose *auferre.* Verba enim Christi omnino flagitant, ut pœnarum ablatio miraculosa sit signum consequens, ad confirmandum antecedens verbum Euangelii, de potestate quam habebat Christus remittendi peccata: quam sine blasphemia sibi non potuisset Christus asserere, nisi voluisset ex vero credi esse naturâ Deus. Prædicabat enim Christus Euangelium Regni Dei, non tantum illis, qui temporales peccatorum pœnas sustinebant, quibus per miracula Medicinam corporum faciebat; sed universim omnibus quorum erat Regnum cœlorum *Marc.* I. 15. *Matth.* V. 3. *Luc.* IV. 18. ut principaliter Medicus animarum.

VII. Eludere hoc satagit *Smalcius*, ista præoccupatione, quod inter miracula Jesu Christi, & confirmationes Euangelii, numerantur etiam Spiritus S. distributiones: ut scilicet, & omnis generis miracula fecerit, & ipsa etiam dona Spiritualia, loco miraculorum, aliis, aliquo modo dum mortalis esset, donaverit. Ergone *Quid pro Quo* datum censebitur à Christo? donum Spirituale, loco miraculi quo auferretur morbus corporis? Medicina Spiritus pro medicina corporis? à quo damnatur ut præpostera omnis cura corporis & benedictionum temporalium, si non primo quæratur regnum Dei & justitia ejus *Matth.* VI. 25 ---- 34. & si non operentur qui ipsum sequuntur cibo illi qui permanet in vitam æternam *Ioh.* VI. 27.

VIII. Quid vero illud, *ut ipsa etiam dona spiritualia, aliquo modo, dum mortalis esset*: deinde, *demum, perfecte, cum ex mortuis resuscitatus esset, donaverit*? Non potuit ergo ante resurrectionem Christi ex mortuis, à Christo esse donatio donorum spiritualium perfecta: ergo nec perfectus Servator fuit illorum, qui ante Resurrectionem ipsius in fide Christi exhibiti

hibiti obdormierunt. Gangrænæ huic infra occurrendum erit prolixius; indicatis jam *Capitibus* XII. & XIII.

IX. Quod porro Christus, ipsa *Smalcii* confessione miracula fecit sola voluntate, hoc omni exceptione majus argumentum est pro fide orthodoxa veræ Deitatis Christi. Estque omnino ἀφιλόσοφον & ἀθεόλογον, quod supponit hic *Smalcius*, tantum divini hominis, non autem veræ Deitatis in Persona Christi, hoc fuisse τεκμήριον. Neque illi interrogationi, *qualem & quantum eum esse necesse est, cui mare & ventus obediunt*, convenit responsio illa alternativa, Deum, aut Hominem divinum. Sola enim voluntate nemo sibi creaturas istas Dei subjicit, nisi solus Deus. *Psal.* CXV. 3. & CVII. 28. 29.

X. Christum animos & corda hominum novisse, bene habet quod ex testimoniis *Ioh.* II. 24. 25. *Matth.* IX. 4. *Ioh.* XVI. 19. *Smalcius* agnoscit; & quod fatetur hoc ita Deo proprium esse, ut nemo, nedum hominum, sed ne Angelorum tam bonorum quam malorum, exacte scire possit, quid unus homo cum animo suo cogitet; solum Deum esse qui hoc scit. Habemus ergo præmissas Syllogismi duas, quibus admissis stolide negatur conclusio orthodoxa, Christum esse naturâ Deum. Ne tamen veritati manus det, hoc ipsum quod Deo proprium esse fatetur facit communicabile.

XI. Erat ista olim *Socini contra Wiekum* responsio, *Capite* XII. *pagina mihi* 456. *Etiamsi scire quid sit in corde hominis sit Dei proprium, & ipsi soli in sacris literis tribuatur; tamen non debere hoc ita intelligi, quasi hanc vim non possit aut nolit Deus cum ullo alio communicare. Patet enim, illum eam communicasse cum aliis; ut ipsi adversarii de Elisæo fatentur.* At Idem *pagina sequenti* 456. ingens illud discrimen, inter communicatam Elisæo aliisve arcanorum scientiam, & scientiam Christi, admittit, ex verbis Johannis; *Ipse enim sciebat quid esset in homine. Ioh.* II. 24. Et ex istis Christi; *Ego sum scrutans renes & corda: Apoc.* II. 23. Christo *simpliciter & absolute tribui, quod corda hominum noscat & scrutetur*: id vero *de nullo Prophetarum unquam dictum fuisse aut dici potuisse.* Corruit ergo prior exceptio, hactenus, ut sine exemplo sit, quæ fingitur in Christo facta naturæ humanæ, communicatio seu donatio sapientiæ & scientiæ divinæ, quæ personæ Christi testimoniis istis asseritur.

XII. Dictat ergo *Smalcius*, non docet, vel testimonio vel exemplo ullo; id quod ita soli Deo proprium est, ut supra omnem perfectionem naturæ humanæ aut Angelicæ arguat perfectionem naturæ Dei, id extra Personam divinam donari posse individuo alicui humano. Nos nixi illis Scripturæ testimoniis, quibus hac suæ naturæ perfectione verus Deus discernitur ab idolis 1 *Reg.* I. 39. *cum Ier.* XVII. 9. 10. habemus (ex istis testimoniis N T. quibus eadem perfectio sapientiæ & scientiæ simpliciter & absolute tribuitur Jesu Christo) demonstrationem solidam fidei nostræ, qua eundem credimus fuisse, gemina natura personaliter unita, & verum hominem & verum Deum. Ut non teramus ita loquentem *Smalcium*,

cium, Solus Deus novit, quid sit in homine: & post eum solus Iesus Dei concessione. Quis adjectionem illam non ferunt verba ista? *Ego Jehova scrutator cordis, probator renum: & Tu nosti solus animum omnium filiorum hominis.* Neque gloriam illam suam concedere potuit Deus homini ψιλῷ, qui non esset θεάνθρωπος.

XIII. Neque *nos vere religiosos faciet*, sed sacrilegos & idololatras, opinio illa, qua credemus deberi Christo fidem & cultum adorationis & invocationis religiosum, qui non sit Unum cum Patre, in natura & attributis divinis, adeoque in absolute infinita & independenti sapientia & omniscientia. Est enim cultus idololatrici character iste, & abalienationis gloriæ veri Dei, colere creaturam juxta Creatorem. *Rom.* I. 25. & servire ei qui non est naturâ Deus. *Gal.* I V. 9.

XIV. Objectio vero illa ex *Marc.* XIII. 32. contra Omniscientiam Christi, *quod de semetipso Dominus dixit, se, cum hic in terris esset, ignorasse diem judicii*, infeliciter solvitur: citra distinctionem humanæ, minime infinitæ, nec independentis à divina revelatione, scientiæ Christi, & scientiæ Christi divinæ, absolute infinitæ & independentis. Humanæ scientiæ in Christo conveniebat profectus incrementum *Luc.* II. 52. Nec indecens erat ut in diebus carnis nesciret diem Judicii, quia neque culpam habebat ullam ignoratio illa, neque ad officii in terra functionem necessaria erat Scientia: & utile etiam hoc in Christo homine exemplum vitandæ curiositatis, si velimus esse θεοδίδακτοι, & non scrutandi tempora seu oportunitates, quas Deus nos latere voluit. *Act.* I. 7.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XXIX.

Magis magisque ex invito pectore erumpit veritas, quæ omnem *Socini & Smalcii* exceptionem jugulat. Est enim omni exceptione majus argumentum hoc pro vera Filii & Patris æqualitate ac unitate in natura divina, quod ita Filio propria fuerit potestas faciendi miracula, sola voluntate sua, ut non opus habuerit istam potestatem precibus à Patre impetrare.

II. Enimvero veritatem hanc in iniquitate detinet *Smalcius*, hoc argumento æqualem faciens in Christo creaturam Creatori; utpote illi tribuens independens à Deo, minime precarium, potestatis divinæ exercitium; contra ipsius Christi de se κατὰ σάρκα affirmationem, quando dixit, in patrandis miraculis, se semper à Patre audiri. *Ioh.* XI. 42. Si semper auditus fuit à Patre, semper precatus est Patrem: quamvis non semper à circumstanti turba pariter id potuerit observari, sicut observari illud voluit Lazarum excitaturus.

III. Tribuendum ergo semper Christo, quotiescunque cum humana conscientia fecit miracula, utrumque; & divina illa ἐξουσία independens, quam non opus habuit precibus impetrare, (qua potuit miracula facere sine humana

mana etiam conscientia, qualiter videtur ab ipso sanata mulier sanguinis profluvio laborans, ex *Marc.* v. 30)& humanam naturam decens ad Patrem precatio, à Patre semper exaudita: ut sic esset patratio miraculorum quæ fecit Christus, θεανδρικὴ, ut eorundem esset idem auctor qui minister, secus quam omnes θαυματουργοὶ homines Prophetæ vel Apostoli.

IV. Quod ergo Christus potestatem miracula faciendi in sese habitantem habuit, verissimum est: sed imputandum hoc Unioni hypostaticæ, (per quam in ipso homine facto habitavit tota Deitatis τῆς θεότητος *plenitudo corporaliter Col.* II 9.) absque illa autem de homine ψιλῷ verificari non potest, intellectum scilicet ex *Smalcii* hypothesi, ut non opus habuerit Christus naturâ homo ψιλὸς istam potestatem precibus à Deo impetrare, & eandem perpetuo studio conservare.

V. Notamus vero phrasin paradoxam *Smalcii*; qua pronunciat, alios ante & post D. Jesum potestatem faciendi miracula possedisse seu *habuisse tanquam accidens vagum*. Non potest non illa esse offensiva piarum aurium, si dixerimus phrasi illa (quod similiter dicendum esset ex mente *Smalcii* explicata in fine *Capitu Octavi*) Spiritum Sanctum promissum esse & dari obedientibus Euangelio tanquam accidens vagum.

VI. De cætero, infra ad *Caput* XII. discutiendum erit, quod hic suffecerit animadvertisse; perperam *Smalcium* hic ingerere, Christum *tunc demum formam servi sumsisse, quando se ipsum ligandum, contundendum, conspuendum & crucifigendum tradidit*. Quamvis enim servitutis humilis ille fuerit colophon: omnino tamen retro extendere servitutem, qua Patri serviit Christus, jubet nos Christi illa ad Patrem allocutio antequam se ligandum traderet; *opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem. Joh* XVII.4 Et in ipsa corporis in utero formatione, cum natura humana sumptam formam servi, arguit collatio locorum *Psal.* XL.7. & *Hebr.* X.5 cum lege de servi aure perforanda *Exod.* XXI.6 Nec potuit non nasci in forma servi, factus ancillæ Dei filius, collatis locis *Luc* I 38 & 48 *cum Psal.* CXVI 16.

VII. Ad gloriam vero solidam potestatis Christi qua miracula fecit, credimus, nec incisam nec intercisam illam fuisse ipsa crucifixione aut morte aut sepultura Christi: quasi fuerit (juxta blasphemiam Judæorum quam exspuerunt in pendentem è cruce Christum) hora, qua qui alios juverat, se ipse juvare non posset. Nunquam vel ad momentum incisa vel intercisa fuit, quamvis non exercita, potestas corpus suum vivificandi: & potenter demonstrata est, quando potestate sua quam sibi asseruit ipse *Joh.* II. 19. 21. 22 & X. 17. 18. patravit miraculum illud magnum suæ resurrectionis ex mortuis.

VIII. Neque hic elabi potest *Smalcius*, quin sit αὐτοκατάκριτος in sua veræ Deitatis Christi inficiatione. quandoquidem non est, penes illum qui non est natura Deus, nec fuit unquam, aut vis aut jus illud impertiendi aliis potestatem faciendi miracula in nomine suo. Nec verificari posset de Jesu Christo glorificatio illa à Deo Patre, si, ut est persona alia à Patre, ita alius esset à Patre λεγόμενος θεὸς, dictus Deus, seu nomine Dei tantum

ornatus

ornatus homo. Alteri enim quantumvis dicto Deo, ἀδύνατον est, ut dederit Deus illam gloriam sibi soli propriam, ut nimirum non à solo ipso pendeat, neque in solo ipsius nomine exerceatur, potestas cui etiam Diaboli subjiciantur.

IX. Obiter adnotabimus, nomen παιδὸς *Pueri*, quando Puer Dei dicitur D. Jesus loco adducto *Act.* III. 13. sicut etiam *Act.* IV. 27. dicitur *sanctus puer Dei*, non esse idem cum nomine υἱοῦ *Filii*, quod passim D. Jesu tribuitur, cum Filius Dei nuncupatur, vel absolute Filius: sed habere notionem servi. Nomen vero illud in concreto, etiam citra humiliationem & exinanitionem, notare formam servi, à natura humana nunquam auferibilem, ut maneat Christus etiam glorificatus, idem παῖς idem υἱὸς θεοῦ; sed non ad idem, nec secundum eandem naturam.

X. Nobis tanta est miraculorum Christi Auctoritas quoque, ut propter illa etiam credamus Christum Deo æqualem esse & fuisse & futurum. At detestamur *Smalcii* hypotheses, quas hic ingerit, quod Paulus *Phil.* II. 6. Christum, qui non fuerit natura Deus, propter miracula patrata dixerit in forma Dei & Deo æqualem fuisse. Non enim citra blasphemiam esset ita intellecta Pauli assertio, Deo æqualem faciens mortalem hominem λεγόμενον θεόν: & constitueretur ipse D. Jesus illius blasphemiæ reus.

XI. In forma Dei fuit Christus, juxta ductum & seriem verborum Apostoli, ante sumptam formam servi: hanc, ut jam à nobis dictum, assumsit, inde à conceptione & nativitate, ex humili Dei ancilla factus sub Lege. Necessario ergo forma Dei, si non præcise dicit naturam Dei, dicit tamen, illum qui in forma Dei est esse naturâ Deum; significat enim Deum, citra ullam eclipsin gloriæ suæ, & citra ullam humiliationem vel exinanitionem. Facta est eclipsis quidem formæ Dei in diebus carnis Christi, per infirmam carnem tanquam καταπέτασμα velum, radiationi gloriæ Deitatis obtensum: sed, ut fit in eclipsi solis, non potuit ita plene auferri τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης, quin spectaretur subinde gloria ipsius, ut gloria unigeniti à Patre. Atque hoc pacto accipimus ex Miraculis demonstrationem veræ Deitatis, & æqualitatis cum Deo Patre: ut scilicet intercesserint miracula, ne existimaretur ita abdicasse formam Dei, sumpta forma servi, (atque in ea obediens factus ad mortem usque, quin ad mortem crucis) ut non esset heri hodie & in sæcula idem Dominus gloriæ.

XII. Quam vero illa (quam *Smalcius* dictat, non docet) nihili & evanida, contra omnem Scripturæ analogiam, forma Dei, citra naturam Dei, in natura humana ad tempus habitans, *quam deinde* Christus *deposuerit*, atque *ita se gesserit, ac si eam omnino non habuisset unquam*? Deposuit quidem animam ad tempus, ut depositum Patri commendatum: sed sarta tecta potestate sua illam recipiendi: consequenter sarta tecta natura Dei, cui soli inest & inesse potest potestas illa. *Joh* X. 17 18. Ergo non abdicata etiam forma Dei, sed illam contestatus ut suam, sibi postliminio repetendam. *Joh.* XVII. 5.

XIII. Neque ita se gessit, vel in cruce pendens, Christus, ac si omnino non habuisset unquam formam Dei. Nam & crucifixio & mors Christi habuit martyrium pro veritate illa, quod rapinam non duceret Deo æqualem esse in forma Dei. Deinde contradictoria illa sunt, ita se gessisse in morte & crucifixione, ac si non habuisset unquam formam Dei, & illud quod affirmat Apostolus; per mortem *abolevisse eum penes quem est mortis robur, hoc est Diabolum. Hebr.* II. 14. Per mortem *expoliata imperia ac potestates palam ducere in triumphum, affixo cruci peccatorum Chirographo Col.* II. 14. 15. nec non illud, ad invocationem latronis conversi, donare ipsi eopse die introitum in paradisum, ut in regnum suum. *Luc.* XXIII. 42. 43.

XIV. Magnum vero illud est dissertationis *Smalcii* de auctoritate miraculorum Christi πρῶτον ψεῦδος, quod hic dictat, obtentu sermonis Christi. *Joh.* X. 38. *& Joh.* V. 36. Ut plus miraculis suis tribuerit, & à credentibus tribui voluerit, Christus, quam verbo suo. Etenim flagitat ipsa ratio & definitio miraculorum, ut non aliter quam signa subsequentia, serviant confirmando verbo prædicato, ex cujus auditu est fides. *Marc.* XVI. 20. *cum Rom.* X. 17. Adeoque, etiamsi beati prædicentur qui miracula viderunt & crediderunt, non minus tamen beati illi qui non videntes miracula, credunt soli verbo audito *Joh.* XX. 29. Et, quæ non fundabatur in auditu Verbi, Fides miraculorum Historica mortua erat & inutilis.

XV. Nec, pro miraculorum supra verbum Auctoritate, præscribere voluit Christus sua apud Judæos contestatione *Joh.* X. 38. sed tantum palam facere, quam crassa & palpabilis esset ipsorum amentia & tarditas cordis ad credendum: quos neque percellebant miracula, tam evidentia, ut in iis palpari posset digitus Dei, etiam citra Fidem in Deum aut verbum Dei. Supponitur enim semper hypothesis ista in hoc argumento, quæ de dono linguarum expressa est ab Apostolo, quæ præscribit, pro majori auctoritate verbi quam signorum & miraculorum; *Linguæ sunt signum, non iis qui credunt sed infidelibus: Prophetia vero non infidelibus sed credentibus* I. *Cor.* XIV. 22.

XVI. Et nihil efficit *Smalcius* concertatione illa, sanctitatis Christi latentis in corde, & Miraculorum publice in oculos incurrentium, ne ulla fraudis suspicio subesse crederetur. Neque hæc responsionem merentur: implicat enim contradictionem, sanctitatem vitæ Christi in corde latuisse. Latere enim nec potuit nec debuit, quod nobis futurum erat sanctitatis vitæ nostræ exemplar, ubique prædicandum. Et, quod caput est, non exhauriunt verbum Christi ab ipso prædicatum ad salutem animarum, sola Christi dicta illa, quibus prædicavit suæ vitæ sanctitatem.

ELENCHI

ELENCHI SECTIO III. DISP. XXX.

AD *versum 36. Capitis Quinti Johannis* animadvertendum, perperam illum à *Smalcio* avelli, à *sequentibus* 37. 38. 39. qui ut connectantur, flagitat series & ductus verborum Christi. Sic autem se habent consequenter; *At ego testimonium habeo majus testimonio Iohannis, opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut ea perficerem, ipsa inquam opera quæ ego facio, testantur de me, quod Pater miserit me. Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me. Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis. Et sermonem ejus non habetis in vobis manentem: quia quem misit ille huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas: nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testificantur de me.*

II. Testimonium ergo majus testimonio Johannis Christus, esto, ita voluerit spectari in miraculis suis, ut plus eis à nobis auctoritatis tribuatur, quam testimonio Johannis: nova tamen Logicâ opus erit, ut inde efficiatur conclusio ista Smalcii; ergo *Christus ipse plus eis tribuit, & alios etiam plus eis tribuere voluit, quam suis dictis.* Neque ita vexanda sunt verba Christi ad Judæos, quasi aliquid tribuere voluerit miraculis suis, si non componantur cum dictis suis, ut signa subsequentia, sed iis opponantur & anteponantur.

III. Et liquida est in istis Christi verbis ascensio ad testimonium majus testimonio Johannis, ex miraculis, sed supra miracula, ad sermonem Patris, quâ auditum è cœlo, quâ consignatum in Scripturis Propheticis. Adeo ut miraculis nihil ultra tribuatur à Christo, quam efficax & invincibilis manuductio, ad Dei in Scripturis de se testificationem; quæ demum est illud testimonio Johannis majus testimonium, ad quod provocat, ut dictorum suorum, & consequenter miraculorum, Legem & Canonem.

IV. Neque in responso, quod Johanni Baptistæ captivo dedit Christus *Matth.* XI. 4. testimonium illud, quo doctrina & munus suum nixura essent, & jam nitebantur, alia methodo tribuit miraculis suis, quam ut in illis esset manuductio ad scrutandas Scripturas, quæ de ipso testificabantur: spectans nominatim oraculum illustre de venturo magno Deo & Servatore Christo. *Esai.* XXXV. 3. 4. 5. 6. *Confortate manus remissas, & genua debilia roborate. Dicite festinus corde, confortamini, ne timeatis: ecce Deus vester cum ultione veniet, cum retributione Dei: ipse veniet & salvos faciet vos. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, ut cervus, claudus: & laudabit lingua muti.* Vide *Disp.* XXIII. *Thes* 16.

V. Verba illa 1 *Ioh.* v. 6. *Spiritus is est qui testificatur Spiritum veritatem esse*, omnino accipienda sunt de Spiritu Fidei quem nobis dedit Deus, ut nobis intus in cordibus obsignet veritatem illam quam in Scripturis legimus. Dixerat jam Johannes *Capite II.* in hanc sententiam ista *versu* 26. & 28. *Hæc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos; sed unctio, quam vos accepistis ab eo, manet in*

net in vobis, nec necesse habetis, ut quisquam doceat vos: verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo. Et *Capite III. 24. per hoc novimus eum habitare in nobis, nempe ex Spiritu quem nobis dedit.* Minime ergo vocamur à Johanne, à fide dictorum Christi, ad fidem miraculorum Christi; quippe à Spiritu quo loquutus est secundum scripturas, ad Spiritum quo miracula operatus est, ex *Smalcii* glossa. Sed hoc intendit Johannes, ut attendat quisque testificationem Spiritus Dei cum Spiritu suo, de veritate quam idem Spiritus legendam & scrutandam reliquit in Scripturis Prophetarum & Apostolorum: ne peccetur contra illuminatione Spiritus Sancti convictam conscientiam.

VI. Nec ergo resolvitur Peccatum illud omnium maximum adversus Spiritum Sanctum, de quo Judæos arguit Christus *Matth.* XII. & *Marc* III. ultima sua analysi, in majorem auctoritatem miraculorum, quam dictorum Christi, ab illis proculcatam, quod tandem ingerit *Smalcius*: quasi vero in Spiritum Sanctum blasphemia nulla esset, nisi cum miraculorum Christi contemptu. Verum ultimata analysis ista est, quam dedimus, in majestatem personæ Spiritus Sancti læsam ab iis, qui illuminatum habuerunt intellectum, & convictam conscientiam, de veritate Euangelii, in Scripturis lectâ & auditâ.

VII. Paradoxon illud quidem & omnino ἀνακόλουθον est, *divinam ultionem detinere in cæcitate Judæos invitos*: & alterum illud *insanire eos cum ratione voluit Deus.* Hæc indicasse est refutasse: ac mirari licet, qui possint camelum hunc Socinianorum deglutire *Remonstrantes*, ut non in illos cudant categoriam illam, quod Deum faciant peccati auctorem.

VIII. Non agitur autem à *Smalcio* contra Judæos hæc causa Christi, sine prævaricatione; nec agi potest bona fide, donec retractetur πρῶτον ψεῦδος illud, quo censet præpostere, non adhibita fuisse patrata à Christo miracula, ut signa subsequentia, ad confirmandum antegressum sermonem Euangelii: sed ut paraskeven, ad conciliandam auctoritatem novæ Legislationi, demum post exaltationem Christi initium habituræ. Velitatione ergo ista *Smalcii* contra Judæos ipsi relicta, discutienda concertatio sequens, qua elevat Orthodoxorum certamina contra Judæos, tanquam nullius frugis ad Judæorum conversionem.

IX. Haud citra impietatem est, & vertitur necessario in Scripturarum & Novi & Veteris Testamenti accusationem, illa erroris categoria, contra eos qui credunt convertendos ad Christum Judæos adductis testimoniis sacrarum literarum. Scimus in controversis capitibus Fidei nullam esse apud Judæos librorum Novi Testamenti auctoritatem. Enimvero, quid illud est interim, quod *Smalcius* ipse gloriatur, Deo sic providente, & rem religionis Christianæ miraculose procurante, de Jesu Nazareno ejusque doctrina & miraculis fateri Judæos, quo constringendi sint? quid, inquam, illud? nisi veritatis saltem librorum Novi T. triumphus, ut historiam vitæ & mortis D. Jesu Christi arguere non possint de mendacio.

X. Unde

X. Unde vero ille veritatis librorum N. T. triumphus? an confugiendum hic ad immediatam Dei providentiam, & miraculosam procurationem Religionis Christianæ. Istud quidem est revelato omni testimonio divino, quod utile sit ad Judæorum Elenchum, Religionem Christianam destituere; prætextu arcanæ gubernationis divinæ, qua efficiet scilicet miraculose, ut non inficientur illi historiam miraculorum Christi, (quam nos affirmamus, credentes quæ non vidimus, auctoritate librorum N. T.) & sequantur fidem nostram.

XI. Hoc quidem tribuendum omnino arcanæ miraculosæ procurationi divinæ, quod in hunc diem Judæi sunt Christianorum capsarii, quoad codices V. T. At inanis est hæc Christianorum de Judæis, ut capsariis suis, gloriatio; si nulla est, ad Judæorum solidum Elenchum, Fidei & Religionis Christianæ demonstratio, ex veritate illa quam crediderunt Patres V. T. ex lectis, & secundum sensum genuinum & αὐτοφυῆ explanatis & intellectis, Scripturis Mosis & Prophetarum.

ELENCHI SECTIO IV. DISP. XXXI.

JUbet nos *Smalcius* (relictis Scripturis V. T. ut quæ parum prodesse possunt ad Judæos ad Christum convertendos, suo genuino sensu intellectæ) *aliam omnino viam quærere cum istis hominibus agendi, si ad religionem Christianam eos convertere velimus.* Via illa alia in præsens exploranda; *Ea autem*, inquit, *nulla alia est, quam ut vera Christi divinitas, ut ex aliis rebus, ita etiam ex divinis ejus miraculis & operibus asseratur.* Ingeminat *Smalcius* ἐμφατικῶς *Vera, Vera, Christi Divinitas*: cum hac litis contestatione contra Fidem Catholicam veræ Divinitatis Christi; *Plus Reipublicæ Christianæ obfuisse quam profuisse, quod ad conversionem Judæorum attinet, hactenus à Christianis assertam Fidem, qua creditus est Christus esse ipse verus Deus Israëlis.* Dictat hoc *Smalcius* non docet, gratis jactans *ipsam rem satis superque hoc docuisse*: ac tum demum sperandam esse Judæorum frequentiorem conversionem, quando à pluribus recipietur Christianis, id quod de Divinitate Christi suis cœtibus Deum revelasse gloriatur.

II. Si ergo *Smalcium* audimus, *hæc via est vera hominem Judæum ad Christum convertendi*, ut, abjectis armis illis quibus pugnatum est hactenus ex Scripturis V. T. non premantur Judæi ultra lecto & scripto testimonio Dei & Spiritus Sancti de Christo; sed sua tantum illa (in qua nostram ex N. T. haustam fidem sequuntur) confessione, quamvis commentis & mendaciis Rabbinorum impurata: atque illa sic constringantur, ut concedant *Jesum fuisse divinum hominem*: quo concesso convincantur ex hoc principio; *Non possunt non esse vera, quæ homo vere divinus dicit.* Continebiturque demonstratio Fidei & Religionis Christianæ, qua expugnetur Judæorum perfidia, hoc syllogismo; Quæ homo divinus de se prædixit necessario vera sunt: D. Jesus fuit Homo divinus: Ergo, quæ D. Jesus de se prædixit

dixit necessario vera sunt: sunt autem ista, quod prædixit se moriturum, & ex morte resuscitatum iri, & deinde omnem potestatem in cœlo & in terra consecuturum.

III. Ergone efficacius erit ad Judæorum conversionem Principium demonstrationis doctrinale, testimonium hominis divini, testimonio Dei, quod testatus est de Filio suo? Contradicit Johannes 1 *Ep. cap.* v 9. Et vetat Christus sine testimonio divino αὐτόπιστον haberi πιστὸν seu ἀξιόπιστον suum de se ipso testimonium. *Joh.* v. 31. *Si ego testor de me ipso testimonium meum non est verum.* Qua tamen protestatione non derogatur quidquam testimonio Christi cœlesti, in quo, propter essentiæ unitatem, ipse & Pater, nec non Spiritus S. unum sunt 1 *Joh.* v. 7. *Joh.* x. 30. quod suum de se testimonium contestatur esse αὐτόπιστον. *Joh.* VIII. 14. *Etiamsi ego testor de me ipso, verum est testimonium meum.* Et *vers.* 18. *Ego is sum qui testor de me ipso, & testatur de me qui misit me Pater.* Nullo autem schemate Enantiophanes illud conciliari potest, & habet omnino, quod absit, ναὶ καὶ οὔ, nisi idem, qui, ut homo & filius hominis, sub Deo dicit testimonium πιστὸν fidele & verax, ut Filius, verus atque unicus cum Patre Deus Israëlis, testetur αὐτοπίστως.

IV. Quare invito D. Jesu Christo fiet, si *Smalcium* audiamus, & jubeamus Judæum convertendum, D. Jesu prædicenti se moriturum, & ex morte resuscitatum iri, & deinde omnem potestatem in cœlo & in terra consequuturum, credere de se ipso testanti, citra demonstrationem illius Divinitatis θεανθρώπου, quæ non dicit D. Jesum divinum hominem, sed naturâ Deum: citra hanc enim nullum est, quantumcunque divini hominis, de se loquentis testimonium αὐτόπιστον.

V. Non ergo methodus veræ Fidei Christianæ illa est, sed μεθοδεία τῆς πλάνης & hæresios Anti-Christianæ, si à Miraculis Christi descendendum est ad Divini Hominis de se ipso loquentis testimonium; ubi adscendendum censet Ecclesia Catholica, ad veri hominis Divinitatem veri Dei Israëlis in persona Christi τοῦ θαυματουργοῦ hypostatice unitam naturæ humanæ. Ad adscensionem illam nos manuducente harmonia Veteris & N. Testamenti: & nominatim testimonii illius illustris *Esai* XXXV jam non semel à nobis laudati, quo venturus θαυματουργὸς Christus obsignatur, ut ipse verus Deus Israëlis *versu* 4. 5. *Ecce Deus vester; ipse adveniet servaturus vos. Tunc aperient se oculi cæcorum &c.*

VI. Fumi verborum sunt ista, quæ de Præstantia Christianæ Religionis vel corruptissimæ, præ Religione Judaïca incorrupta, ingeruntur à *Smalcio.* Nec multum ista absunt à blasphemia Marcionitica in Deum verum Israëlis, qui unus intelligi potest Religionis Judaïcæ ab initio incorruptæ auctor.

VII. Iste quidem modus persuadendi homini Atheo Religionem Christianam, quem hic dictat *Smalcius* (citra Methodum Fidei qua credat Atheus Scripturis) nihil equidem habet, propter quod persuadeatur Atheus, Religionem Christianam veriorem esse Judaïca perfidia, aut Mahometica. Nam & Judæus sic arguet; si non improbum, saltem mentis parum

parum compotem censendum, qui id neget, quod tot hominum Judæorum myriades à tot sæculis inde à Mose, quin Abrahamo, tam constanter tenent, inter quos plurimos fuisse, & ingenio & judicio acutissimos, nemo est qui dubitat: & quod majus est, quorum Religionem nemo Christianus negat ab initio à Deo institutam & imperatam. Nec deerit sua hic parodia Mahometano, ut Atheum trahat in partes suas.

VIII. Non pendet ergo persuasio Religionis Christianæ, ad conscientiam Atheorum & infidelium, ab admirabili multitudine seu myriadibus Christianorum, neque ab opinione & præjudicio de plurimorum Christianorum acutissimo ingenio & judicio. Hic enim persuadendi modus distat δὶς διὰ πασῶν, à Christi & Apostolorum Exomologesi. *Matth.* XI. 25. & I *Cor.* I. 18------31. & *Cap.* II. *toto.*

IX. Quid ergo? Omnis methodus & demonstratio Religionis Christianæ, apud Atheos quidem ad Fidem adducendos, pendet initio à methodo Fidei qua Scripturis creditur. Illæ vero Fidem sibi ipsæ faciunt, quando irrefragabile argumentorum pondus subministrant cuivis attento auditori aut lectori, pro sua origine divina: saltem ut sufficienter se ipsas à contemptu vindicent, & in admirationem rapiant lectorem, supra quævis humana scripta.

X. Atque hactenus apud Atheos infideles communis agitur causa, & Veteris incorruptæ Religionis Judaïcæ, & hodiernæ similiter incorruptæ Christianæ: ac pugnatur, petitis sine discrimine ex Veteris & Novi T. Scriptura observationibus, quas in Præcognitis Theologicis recensent Systematum Scriptores.

XI. Hic vero frustra urgebitur apud Atheos & infideles discordia concors Judæorum & Christianorum, si nulla est alia quæ pro Religione Christiana facit Confessio, quam quæ hodie à Judæis accipiatur, & si illa attendi debet, eo præjudicio, quod *Smalcius* ingerit: *Si* scilicet *Judæi negarent* à Christo facta miracula, ut ab homine divino, *id in hac re non parum fore ad fidem detrahendam religioni Christianæ.*

XII. Urgenda ergo harmonia & concors omnino concordia Scripturarum utriusque Veteris & Novi testamenti, adhibito discretionis judicio, inter communem utrobique prædicatam salutem & fidem, qui nucleus est, & exteriorem visibilem prædicatæ & creditæ salutis aliam atque aliam œconomiam; veterem, jugo Legis Cæremonialis oneratam, & novam à jugo illo liberam, ut à cortice, cui, relicto nucleo, nunc hærent carnales Judæi. Contra quos urgenda Patriarcharum veterum ante adventum D. Jesu mortuorum, secundum Scripturas Propheticas, ut lectas ita intellectas, Fidei & spei Exomologesis; & liberanda hoc pacto Fides Christiana à calumnia jam olim Apostolis ingesta, de Apostasia à Mose *Act.* XXI.

XIII. Non semel jam *Smalcium* torsit, & à *Smalcio* tortus est, locus *Deut.* XIII. de quo respondimus præsertim ad *Caput V. Sectione II.* Videtur autem *Smalcius* hic parum memor eorum quæ illic dixit; quid enim tantopere

topere stomachatur contra Judæos, præceptum illud divinum, de vitando & occidendo etiam homine Propheta falso, licet miracula faciat trahentes ad ipsum Jesum? qui asseruit Deum voluisse ut D. Jesus legi illi se subjiceret, & eapropter non fuisse tempestivum, ut factus sub illa lege D. Jesus doceret, esse aliam rationem Deum colendi, quam Moses præscripsisset, quia speciosa occasio data fuisset suspicandi eum esse falsum Prophetam, ex lege illa vitandum, & occidendum.

XIV. Certe, cum interim dicat *Smalcius*, D. Jesum, cum non esset verus Deus Israëlis, docuisse tamen *se Deum esse*, ac jecisse fundamenta Religionis novæ, quamvis demum postliminio revelatæ, qua coleretur Deus, alio modo quam præscripsisset Moses; non potuit nisi ad ejus occisionem, à Judæis zelo Legis patrandam, à Deo Israëlis, Domino Jesu imperata esse subjectio sub Lege illa, quæ *Deut* XIII. I. expressa est: nec causa ulla est cur illud Judæi ad D. Jesum pertrahere erubuerint.

XV. Enimvero & nos asserimus ementitum hoc esse, quod D. Jesus ullum hominem à Deo vero Israëlis unquam abduxerit, & credimus D. Iesu, contrarium protestanti; sed quis coget Iudæum credere D. Iesu, si, quod contendit *Smalcius*, verbis & miraculis suis fidem facere non potuit, ex typo doctrinæ scripto in Mose & Prophetis, *neque ad eos qui ante ipsum fuerunt quidquam pertinuit* D. Iesus; adeoque necesse habuit docere Deum novum, Mosi & Prophetis inauditum, quando *docebat se Deum esse*. Illa *Smalcio*, ut ναὶ καὶ οὔ, relinquimus concilianda ad Kalendas Græcas.

XVI. Porro hic cum ratione videtur insanire *Smalcius*, qui videre non vult, apertiorem esse illam ab uno vero Deo Israëlis abductionem, quando, ex hypothesi, homo prophetans & verbo docet, & miraculis demonstrare satagit in populo Israëlis, *se quoque Deum esse*: quam si in Dei Israëlis nomine annunciet, *Deum non ultra lege Cæremoniali coli velle*.

ELENCHI SECTIO V. DISP. XXXII.

HOc quidem ἐξαγώνιον est, non abduci homines à Deo vero Israëlis in Religione Christiana, quamvis sublato cultu Cæremoniali. Verum illud in quæstione est, an fas homini Prophetæ fuerit, & quidem facto sub Lege Mosis, se ingerere ut alterum Deum & Legislatorem populi Israëlis, ad Legem Mosis castigandam & interpolandam, hoc præcipiendo illud abrogando. Tam equidem verè hoc fuerit homines abducere ab Uno Deo Legislatore, quam verè ab uno Capite Ecclesiæ Christo homines abducit Anti-Christus Romanus, se ingerens & intrudens, ut alterum caput vicarium Ecclesiæ Catholicæ Christianæ; & prætextu majoris Euangelicæ perfectionis Religionem Christianam cumulans Religionibus variis Monachalibus.

II. Non ergo sic os obturari potest Iudæis ut nugatoribus, quando Dominum Iesum, ex Lege *Deuter*. XIII. I. juste trucidatum contendunt, nisi

nisi miraculis suis potenter se demonstrarit esse ipsum verum Deum Israelis; & ex ipso Mose & Prophetis demonstretur communis salus Ecclesiæ Catholicæ, per communem in ipsum Fidem ; & cultum spiritualem. Cui ex Legislatoris Dei prima intentione cultus Cæremonialis adjectus fuit, non perpetuo, sed tantum ad tempus usque præstitutum correctionis duraturo, imperio. Absque hoc, ipse *Smalcius* contra nugatores Judæos magno conatu magnas nugas agit.

III. Non citra impietatem est, quod pietatem, qua Deus secundum Euangelium diligatur ex toto corde & tota anima, ex omnibus viribus & cogitationibus, & proximus ut alter ipse, aufert *Smalcius* à Religione & cultu Dei imperato per Mosen. Religionem autem Mosaïcam, quatenus non à ratione pendebat, sed à Verbo Dei supernaturaliter facto, constituit in levioribus & facilioribus istis quæ abrogarit D. Iesus.

IV. Quid vero illud est, quod ea quæ in Lege ad bonos mores pertinent, quæ ut gravissima & difficillima sarta & illibata reliquit D. Iesus, eo nomine censet *Smalcius* æterni juris, *quatenus* in iis *Lex à ratione pendet*? Sic perperam confunditur dictatum rectæ rationis indicans jus divinum, & ligans conscientiam secundum legem, cum lege divina obligante & judicante rationem, ejusque rectitudinem, an pravitatem. Pendet ergo ratio recta, & dictatum ejus, à lege morali divina, eique subjici debet, & secundum illam regulari, non contra. Adeoque ratio formalis, per quam actus est moraliter bonus, aut malus, non est convenientia cum ratione dictante actum esse bonum aut malum, sed cum idea & norma boni divinitus præscripta.

V. Enimvero ut nos quoque vela colligamus, sic concludimus; D. Jesus Judæam perambulans & benefaciens, ultra quam in potestate meri hominis erat benefacere, quippe miracula faciens maxima & plurima, cum contestatione potestatis divinæ, operantis suæ voluntatis mero arbitrio, demonstravit, se cum Patre unum esse ὁμοούσιον verum Deum Israëlis: quamvis factum hominem Prophetam sub lege, cui neque docere fas esset, neque patratis miraculis confirmare quidquam, quod non superædificari posset fundamento doctrinæ Mosis & Prophetarum, ut promissionum Veteris Testamenti τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμήν.

VI. Miracula à Deo Patre Christi causa facta, ante mortem ipsius, censenda sunt, (si consideremus Christum secundum carnem, ut hominem Prophetam) omnia illa quæ per manum ipsius facta commemorantur in historia Euangelica: in iis enim pâtrandis, quatenus minor Patre factus, Patrem precatus & à Patre exauditus est semper. *Joh.* XI. 41. 42.

VII. Non ergo recensendæ tantum hic tres illæ miraculosæ apparitiones in quibus audita est vox Patris è cœlo delata *Joh.* XII. *Matth* III. & *Matth.* XVII. quasi miracula reliqua non sit operatus Pater; fuerintque illa non Dei ipsius opera, sed tantum hominis divini. Habemus contrariam Christi affirmationem istam; *Pater meus usque adhuc operatur*, & ego

ego operor *Joh.* v. 17. & mox *versu* 19. *Amen Amen dico vobis, non potest Filius à semetipso operari quidquam, nisi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.*

VIII. Secundum hanc autem Christi affirmationem, idem ipse, & secundum carnem, ut minor Patre Patris servus, à Patre impetravit miracula quæ patravit, & in iis patrandis ita factus est sub Lege Patris data per Mosem, ut nefas ipsi fuerit, miracula flagitare, ad solvendam aut frangendam Scripturam Mosis & Prophetarum, nova Legislatione. Et secundum Divinitatem suam, ut ὁμοούσιος Patri coæqualis & coæternus Deus, præstitit miraculis ἐνέργειαν illam operationis omnipotentis, qua, sola voluntate sua, miracula facit solus Deus Israëlis. *Psalm.* LXXII. 18.

IX. Et secundum Analogiam Fidei eandem, quamvis Patrem διαγγελτικῶς loquentem audierint, qui audierunt vocem illam semel iterumque & tertio delatam è cœlo, attamen, propter Personarum trium τὸ ἀδιαίρετον, illud etiam in testificatione Patris meditandum; *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.*

X. Ad prolixiorem *Smalcii* digressionem, quæ quatenus textualis est fere tota ἐξαγώνιος est, seu Elenchum non facit, alio Elencho vix opus est, quam quod adulteret ipse veræ divinitatis Christi (istâ è cœlo repetitâ testificatione ipsi assertæ) rationem seu definitionem, non agnoscens ipsum natura Deum, sed tantum Divinum hominem Prophetam.

XI. Unum illud adnotabimus ad commentarium *Smalcii* in verba Petri 2 *Petr.* I. 16. 17. 18. Falli & sophistice fallere *Smalcium*, quando ita vult accipi ista; quasi voluerit Petrus, supra Scripturæ Propheticæ auctoritatem, hanc solam rem apud se fuisse majoris, & apud alios fore majoris momenti, ad convincendos Judæos, quod Jesus esset Christus, quod ipse cum Jacobo & Johanne spectasset gloriam Christi, & audiisset vocem de cœlo delatam, in monte sancto. Non debuerat *Smalcius* reticuisse verba Petri immediate connexa *versu* 19. quibus ad perennem Ecclesiæ usum in methodo Fidei patefaciendæ ad corda & conscientias, commendat ut βεβαιότερον, τὸν προφητικὸν λόγον, *firmiorem Propheticum sermonem*, quem *versu* 20. vocat προφητείας γραφῆς *Prophetiam scripturæ*.

XII. Concludimus ergo, si à typo doctrinæ, in Scriptura Prophetica præscripto & lecto, avellantur miracula aut visa aut audita, per se nihil esse: omne autem Religionis & Fidei Christianæ præsidium contra quoscunque, seu Judæos seu Atheos & infideles, collocandum esse in harmonia & concentu Scripturarum Veteris & Novi Testamenti, quem confirmarunt miracula, ut signa sermonem juxta Scripturas prædicatum consequentia. *Marc.* XVI. 20.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM.

DE

Christi Morte.

ADhuc duo eorum, *quæ ad confirmationem divinæ voluntatis facta sunt, breviter consideravimus. Nunc ad tertium properamus, quod diximus esse Christi mortem.*

(a) *Hic vero, licet ipsa mors Iesu Christi, & quæ eam antecesserunt afflictiones, humilitatis potius & infirmitatis ejus fuerint indicia, imo ipsa infirmitas, (ob quam causam illi, qui plus Christo tribuunt, quam sacræ literæ permittunt, totum hoc ad humiliationem Iesu Christi, & naturam ejus, quam vocant, humanam referunt, & eo ad ostendendum, Christum vere ea præditum fuisse, utuntur) sunt tamen in hoc ipso, quod infirmitatis Iesu Christi argumentum est, quædam, quæ præstantiam Iesu Christi & divinitatem ejus singularem demonstrant.*

(b) *Primum enim, quis omnium unquam tot & tantas afflictiones, quis tam atrocem & truculentam mortem, tam absque omni culpa sua, tam patienter pertulit, atque Dominus Iesus? Afflictiones Iesu Christi, quæ mortem ejus antecesserunt, tales & tantæ fuerunt, ut Spiritus S. perfectionem earum expressurus, dicat, (c) eum per omnia fratribus assimilatum, & tentatum fuisse per omnia in similitudine (nostri.) Quæ quidem omnia ad ea tantum referri debent, in quibus tentari Christus potuit, & quidem ab ipso Deo. Certum enim est, Deum isto modo Christum tentasse, & Dei voluntate omnia passum esse Christum: quemadmodum etiam Deo curante tentatus antea fuerat à Sathana in deserto. (d) Deus autem neminem proprie tentat ulla re, nisi afflictione, qua homines probare, & fidem eorum explorare & conspicuam reddere solet. Nam in aliis omnibus Christum fratribus esse dissimilem, hactenus abunde à nobis probatum esse credimus, & deinde abundantius probatum iri speramus. Sic enim de Iesu Christo persuasi simus, eum quoad afflictiones fratribus similem: quoad alia vero omnia, similiorem Deo quam hominibus fuisse. Dicit autem Spiritus Sanctus, Dominum Iesum per omnia fratribus similem fuisse, ut omnis generis afflictiones uno verbo comprehendat, nempe, & ea quæ mortem antecesserunt, & ipsam etiam mortem. Quarum præterea afflictionum tanta fuit vehementia, ut, antequam Dominus Iesus in manus peccatorum veniret, de seipso dixerit; (e)* Anima mea tristis est usque ad mortem. *Quorum verborum sensus est; tantum non morior præ mœstitia & angore animi. Patrem vero suum ter repetitis verbis oraverit, ut calicem istum à se transferret. (f) Quæ quidem Christi ista petitio non ita*

a Quid sit divinitatis in Christi morte. *b* Gravitas afflictionum Christi, quæ mortem antecesserunt. *c* Hebr. II. 17. Luc. IV. 1. *d* Matth. IV. 1. Luc. IV. 1. *e* Matth XXVI. 38. *f* Quid per calicem, quem Christus à se auferri petiit, intelligendum.

non ita accipienda est, quasi patrem oraverit, ut non patiatur se mori Hoc enim de Christo dicere, plane absurdum est. Petiisset enim illud, quod optime sciebat, dari sibi non posse. Nostræ enim salutis causa in mundum venerat. Nostra vero salus, Dei decreto ita ferente, perfici nec debuit, nec porro potuit absque Christi morte. Deinde sequeretur hinc, Christum aliquid Patrem suum orasse, in quo exauditus non sit. Hoc autem est contrarium ejus, quod Dominus ait, se semper à Patre exauditum fuisse. (g) *Certe autem Deus Christum à morte subeunda liberum non fecit: quin imo omnino voluit, ut eam perpeteretur. Itaque vox ista* calicis *hoc in loco non ad ipsam mortem, vel illas afflictiones, quæ cum morte conjunctæ fuerunt, referenda est, sed ad eum angorem animi & corporis, quo Christus, priusquam caperetur, & variis cruciatibus exponeretur, afflictus fuit, & sine quo totum illud salutis nostræ negotium, per ipsam passionem & mortem Christi, perfici potuisse videbatur. Quem angorem tantum fuisse ait D. Lucas, ut primum Angelus de cœlo apparuerit, confortans eum Deinde sudor ejus fuit, sicut guttæ sanguinis decidentis in terram,* (h) *hoc est, tantus & tam crassus, quantæ & quam crassæ sunt guttæ, non aquæ, quæ quia liquidior est, liquidiores etiam & minores sunt ejus guttæ, sed sanguinis, dum is in terram decidit. Quod utrumque stupendum aliquid denotat in ista Christi afflictione. A qua tamen Deus Christum liberum esse noluit, ut scilicet vere per omnia, quæcunque in homines mortales Deo confidentes cadere possunt, adversa, similis eis esset, & vere misericors redderetur Pontifex, qui tentatis succurrere sciret.* (i)

(k) *Sed præterea cum jam in manus impiorum delapsus esset, quid contumeliæ, quid ignominiarum, quid ludibriorum, quid dolorum non pertulit? A domestico suo proditus, à gentilibus suis captus fuit, ligatus fuit, tractatus fuit modo ad hos, modo ad illos: os & facies ejus sanctissima percussa & consputa: calumniis oppressus fuit, flagellis cæsus, corona spinea caput cinctus, omnibus exutus & spoliatus, ad supplicium tractus, in crucem actus, inter medios latrones suspensus, conviciis denuo laceratus, doloribus acerbissimis adeò compunctus, ut ad Deum voce magna exclamarit:* Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? *Auctor vero Epistolæ ad Hebræos dicere ausus est, Christum in diebus carnis suæ preces & supplicationes, ad eum, qui poterat illum servare à morte, cum clamore valido & lacrymis obtulisse. Quis fando narret tam horrenda supplicia, & tam atrocem mortem, quibus Dominus* JESUS *voluntate Dei expositus fuit? Nihil hoc horribilius Sol unquam vidit, qui etiam ad tantam hominum impietatem jubar suum abscondit, & lucem eis negavit Omnia & singula durissima, truculentissima, horribilissima. Ab inimico prodi, ut non est mirum, ita nec adeo durum: at ab amico prodi, duplex malum, duplex dolor est. Maximus vero omnium dolor, ab eo prodi, quem quis beneficiis sibi devinxerat, & cujus quis præterea Dominus est Capi à magistratu, ignominiosum est: at à militibus & fæce vulgi, multo ignominiosius. Capi durum est: at multo durius vapulare & vulnerari. Vapulare & vulnerari durum est: at multo durius, ludibriis affici & conspui. Ludibriis affici & conspui durum est: at multo durius, innocens*

g Joh. XI. 42. h Luc. XXII. 43. 44. i Hebr II. 18. k Atrocitas afflictionum Christi quæ mortem proxime antecedebant & comitabantur.

innocens cum sis, pejorem latrone & seditioso haberi. Pejorem latrone & seditioso haberi, durum est: at multo durius, latronibus annumerari. Condemnari durum est: at multo durius, calumniis etiam opprimi. Latronibus annumerari, durum est: at durius, in ipsissimo agone neminem habere, qui sui misereatur, sed omnium insultus audire. Omnium insultus audire, durum est at durius vitam perdere. Vitam perdere, durum est: sed eam unà cum jactura famæ & bonorum perdere, multo durius. Vitam perdere cum jactura famæ & bonorum, durum est: at eam & exquisitissimo, & execrabili mortis genere perdere durius, imo durissimum est. Ita ut nihil non sit afflictionum quod in Christi afflictionibus non appareat.

(l) *Hæc tamen omnia videamus, an aliqua sua culpa passus sit Iesus. Passi sunt multi multa: sed plerique suorum malorum fuere fabri. Quos vero Deus probavit, licet & ipsi innocentes ea in re fuerint, tamen fieri potuit, ut Deus semper, quod in eis castigaret, haberet; & si tamen eos non castigavit, illud non ideo factum est, quod Deus non habuerit, quod in eis puniret, sed quod habere noluerit, & ipsos justificarit, hoc est, pro justis habuerit. At in Iesu Christo secus se res habet. Nec enim quisquam hactenus fuit eorum, qui Christi nomen profitentur, qui dubitet, an Iesus Christus omnis culpæ expers fuerit. Sane literæ sacræ id abunde testantur, cum tentatum fuisse per omnia ad similitudinem (nostri,) sine peccato,* (m) *hoc est, innocenter; & supra adduximus ea sacrarum literarum verba, quod peccatum non fecerit, & quod dolus in ore ejus non sit inventus.* (n) *Talem autem Christum esse Deus voluit, ne ulla hominibus justa dubitatio oriri posset de salute illa, cujus Christus primus annunciator fuit.*

(o) *Denique quam constanter ista omnia pertulerit Dominus Iesus, ex eo constat, quod testatur Propheta Esaias:* Ut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperit os suum. *Vim illatam, cum maxime posset, minime repulit; conviciis affectus non convitiatus est; patiens non minatus est, tradidit autem (causam suam) ei, qui juste judicat; & tunc etiam, cum justissimum à Patre peteret, nempe ut calix iste à se transiret, à quo etiam liberatus fuit, tamen ita se gessit, ut voluntatem suam Patris voluntati totam subjiceret:* Non mea (*ajebat*) sed tua voluntas fiat. (p) *Sponte sua, vel, ut ipse Dominus loquitur, à seipso,* (q) *nemine cogente, animam suam posuit, & semetipsum exinanivit,* (r) *sumta forma servi, factus in similitudine hominum, & specie inventus ut homo, (vulgaris scilicet) humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, ad mortem usque crucis, nempe istam omnium teterrimam, & à Deo ipso maledictam: pro hostibus suis & interfectoribus Deum oravit,* (s) *& summa cum patientia & constantia, tandem,* Spiritu *suo in manus Patris commendato, exspiravit. Quæ omnia, summam istis afflictionibus & morti, quam Dominus Iesus subiit, autoritatem conciliant, & ea singulare aliquid, imò divinum fuisse indicant.* (t) *Deinde, si inspiciantur ea, quæ circa & post mortem Christi facta sunt planè singularia & miraculosa,*

l Christus innocenter passus & mortuus est. *m* Heb. IV. 15. *n* I Pet. II. 22. *o* Christi in patiendo constantia Esai. LIII. 7. Act. VIII. 32. I Petr. II. 23. *p* Matth. XXVI. 39. Luc. XXII. 42. *q* Joh. X. 28. *r* Phil. II. 7. 8. *s* Luc. XXIII. 34. *t* Quid circa & post mortem Christi acciderit.

miraculosa, *apparebit multò evidentius*, *divinum aliquid fuisse istam talem Christi afflictionem & mortem*. (v) *Proditor ejus Judas*, *fassus peccatum*, *laqueo sibi ipsi vitam finivit*: *uxori Pilati multa noctu acciderunt*, *nempe divinitus*, *ejus causa*, *quæ eum docuerunt*, *quod nulla penes D. Jesum esset culpa*: *Sol præter morem suum per integras tres horas obscuratus fuit*: *Christo mortuo*, *scissum est velum templi in duas partes à summo usque deorsum*: *terra mota est*, *scissæ petræ*, *monumenta aperta*, *& multa corpora sanctorum resuscitata*, *qui deinde*, *postquam Jesus ex mortuis resurrexit*, *in urbem sanctam intrârunt*, *& multis sese exhibuerunt*, *& alia non pauca facta sunt*, *ita ut compellerentur homines ad istas voces proferendas*, reverâ hic homo erat Dei filius, *vel* justus, (x) *& percutientes pectora sua*, *domum ab isto spectaculo redirent*.

(y) *Sed si porrò consideremus*, *quis finis*, *quisve effectus sit harum Christi afflictionum*, *hujus Christi mortis*, *planè obstupescemus*, *& divinissimum aliquid eu esse*, *sponte nostra confitebimur*.

Non negari igitur quidem potest, *afflictiones & mortem Christi aditum fuisse Jesu Christo*, *ad hanc*, *quam nunc habet gloriam*. *Sic enim Deus constituerat*, *& sic fieri oportuit*, *ut Christus primum pateretur*, *deinde ad gloriam perveniret*. (z) *Verba sunt D. Petri apertissima*, *quibus testatur*, *Prophetas primum prædixisse afflictiones*, *deinde eas consecutas glorias*. *Verba sunt etiam hæc ipsius Domini Jesu*; (a) Ita oportuit Christum pati, & intrare in gloriam suam; *Atque ita*, *Dei voluntate sic urgente*, *Christus peccato* (*ut Apostolus loquitur*) *mortuus est*, (b) *hoc est*, *ideo mortuus est*, *ut ab infirmitate & mortalitate*, *qua utraque non secus*, *atque si peccator esset*, *circumdatus fuit*, *liberaretur*. *Negari*, *inquam*, *hoc non potest*. *Sed tamen totum hoc non factum est principaliter Christi causa*, *quasi respectu illius aliter fieri non potuerit*. *Licet enim Christus homo natus esset*, *ideoque mortalis*: (*proprium enim hominis est mortalem esse*:) *fieri tamen facilè poterat*, *si Dei potentia & Christi innocentia consideretur*, *ut is non moreretur*. *Quid enim*? *Nonnè Deus Enochum & Eliam*, *licet homines fuerint mortales*, *vivos in cœlum transtulit*, (c) *nulla morte interveniente*? *Nonne omnes illi credentes*, *quos vivos Dominus Jesus in hoc mundo offendet in adventu suo*, *nulla vera morte interveniente*, *mutabuntur*, *& rapientur in aërem*, (d) *ut occurrant Domino*, *licet nihilominus homines futuri sint*, *sicut alii omnes infideles*? *An fortasse dubitamus*, *potuisse Deum eandem etiam in Christum exercere potentiam*, *quam in aliis ante eum exercuerat*; *& contingere id Christo potuisse*, *quod aliis contigit*, *& post eum contingeret*? *Certè tantum abest*, *ut hoc in mentem cuiquam venire debeat*, *ut potius statuendum sit*, *soli Domino Jesu hoc jure contingere debuisse præ omnibus aliis*. *Tantum scilicet differt Jesus ab Enocho*, *Elia*, *& omnibus*, *qui in adventu ejus ex mortalibus in immortales commutabuntur*, *& dignitas ejus ab illorum dignitate*, *si modo aliqua illorum est*, *respectu dignitatis Christi*. (e) *Alia vero causa fuit*, *cur proprie & principaliter Deus voluerit Jesum Chri-*

v Matth. XXVII. 3 19. 45. 51. 54. *x* Luc. XXIII. 47. 48. *y* Quis finis mortis Christi. *z* 1 Petr. I. 11. *a* Luc. XXIV. 26. *b* Rom. VI. 10 *c* Gen. V. 24. 2 Reg. II. 11. *d* 1 Thes. IV. 17. *e* Christus hominum causa mortuus est.

sum Christum mori, & primum omnium esse, qui ex mortuis resuscitatus, immortalis evaderet, & ita primogenitus ex mortuis, (f) & primitiæ eorum, qui obdormierunt, (g) esset. Nos, nos homines fuimus, quorum causa Jesus omnia ista proprie & principaliter passus & tandem mortuus est. Hinc illa sacrarum literarum sunt oracula, quæ pro nobis Christum mortuum esse tam crebro inculcant. Quis autem pro hominibus unquam passus, & mortuus est? Cujus mors unquam omnibus profuit? Quod enim de omnibus fidelibus legimus, eos teneri animas ponere pro fratribus, (h) & quod D. Paulus de seipso ait, se adimplere ea, quæ desunt passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, (i) id totum improprie & minus nobili sensu de illis dicitur. (k) Primum enim frater non ideo revera moritur, vel Paulus affligebatur, ut hic suis afflictionibus, ille morte sua alicui beneficium det, aut daret, quamvis dum prodesse alteri curant, mortem & afflictionem incurrant, & pro nihilo ducant. Christus autem non modo, dum nobis benefacere studet, mortem subiit: verum etiam in hunc ipsum finem sponte sua mortuus, ut nos ea ratione maximis beneficiis afficeret. Deinde is vere & proprie pro aliquo mori videtur, qui morte sua illum in vita conservat. At hoc præter Christum, nemo unquam aut fecit, aut facere potest. Solus Christus nos morte sua, ex æterna morte, eripuit, & in vitam æternam transtulit. Hinc Paulus ipse: (l) Nunquid (inquit) Paulus pro vobis crucifixus est? Satis aperte indicans, neminem fuisse unquam, aut futurum esse, qui vere ac proprie pro hominibus mortuus sit, aut mori possit, præter unum Christum. Hic autem tota hæc res brevissime explicanda est, quæ Christi mortem spectat, & fructum quem ex ea habere potest totum humanum genus.

(m) Certum est, salutem æternam, ante mundi conditionem paratam fuisse apud illum summum Deum, omnium rerum conditorem & gubernatorem, Patrem Domini nostri Jesu Christi. Ea ut nobis annunciaretur, & confirmaretur, ideo D. Jesus in mundum missus fuit. At his peractis duo restabant. Primum, ut nos salutem illam amplecteremur, hoc est, crederemus, ita rem se habere, quemadmodum Deus constituerat, & Christus Dei nomine prolixe promiserat. Alterum, ut eandem salutem tandem reipsa consequeremur, hoc est, ex morte resuscitati ad æternam vitam transferremur. Hæc duo, ut effici possent, ideo Christus mori non dubitavit, & sic vere nostri causa mortuus est, siquidem morte ejus interveniente salutem æternam amplectendi occasionem, & tandem eam consequendi spem certam habemus, vel saltem habere possumus. Utrumque autem hoc, quomodo Christi morte interveniente peragatur, videamus.

Ad salutem æternam amplectendam, compellit primum salutis illius modo quodam certo confirmatio. Quis enim rem desiderabilissimam, qualis est vita æterna, si certa sit, non libenter amplecteretur? At quis modus confirmationis certior esse potest, quam, si is, qui primus eam annunciarat, & aliis eam antea rationibus demonstrarat, mortem etiam truculentissimam sponte sua in hunc ipsum finem subeat, ut

f Col. 1. 18. *g* 1 Cor. xv. 20. *h* 1 Joh. III. 16. *i* Col. 1. 24. *k* De nemine alio propriè dicitur, eum pro aliquo mori, præterquam de Christo. *l* 1 Cor. 1. 13. *m* Explicatio mysterii de morte Christi.

eat, ut eandem confirmet? Hunc igitur confirmationis modum certum ut haberemus, Christus mortuus est.

Ad salutem æternam amplectendam deinde hoc maximè compellit, si quodammodo ostendatur nobis ipsa promissa salus. Magis enim movent ostensa, quam promissa. At ipsa salus ostensa est quodammodo hominibus, dum Christus, autor fidei & dux salutis, ex morte resuscitatus & deinde exaltatus fuit. Salus enim nostra in resurrectione ex mortuis & glorificatione sita est. Quia vero salus hæc nostra, hoc est resurrectio, ostendi non poterat, nisi mors antevertisset, ideo ut nobis ea ostendi aliquo modo posset, sponte sua Christus mortuus est. Quis vero jam non crederet datum iri vitam æternam fidelibus, si quidem is, qui primus eam annunciavit, mortem ideo oppetiit, ut id testatum faceret; & quod majus est, siquidem is, qui annunciarat, reipsa eam consecutus est. Quam enim certum est, eum vitam æternam consecutum esse, qui eam nobis promiserat: tam certum esse debet, illos etiam eam consecuturos, quibus is eam promisit. Habent enim illi se ad invicem, ut corpus & caput

Ad salutem vero reipsa consequendam maxime opus est, ut ipse D. Jesus potestatem habeat nobis eam donandi. Quamvis enim dici possit, satis esse si Deus sit, qui nobis salutem dare velit, ad id, ut eam reipsa consequamur: considerandum tamen est, nihil quidem interesse, à quo quis tandem salutem consequatur, modo eam consequatur; sed ad credendum, priusquam reipsa cuiquam detur ista salus, eam certissime nobis datum iri, multum interest, scire, à qua ea sit nobis expectanda, vel quis eam nobis daturus sit. Facilius enim homo mortalis credit datum sibi iri vitam æternam, si Jesus Christus, qui & ipse olim mortalis & mortuus, & dux fidei fuit, potestatem habeat eam dandi, quam si ipse Deus eam daturus sit. Novimus enim, quantum differat Dei altissimi natura à nostra; & ideo, quoties audimus, Deum esse qui nos tandem immortales efficere velit, licet id summopere appetamus, tamen, nescio quo modo, non permittit nimia nostra humilitas & indignitas, ut id animo nostro persuaderi patiamur. Pudet nos scilicet ejus, quod Deus, cujus majestas immensa, cujus sanctitas ineffabilis est, nostri, qui pulvis sumus & terra, & qui peccatis nostris eum sæpissime & gravissime offendimus, tam liberaliter misereri, & tanta nos felicitate donare velit. At cum audimus, Jesum Christum, quem non puduit nos fratres appellare, cum quo nos ita sumus uniti, ut simus caro ex carne ipsius, & os de ossibus ejus, qui nostri amore tantopere flagravit, ut mortem truculentissimam propter nos subire non detrectaverit; qui promisit se velle, ut ibi sint ejus servi, ubi nunc ille est; se eos non relicturum orphanos; se ad eos reversurum, se eos ex mortuis resuscitaturum, cum hunc, inquam, audimus, nunc facultate & potentia etiam præditum esse, quemadmodum olim voluntatem habebat nos servandi, nescio quomodo patiamur nos tamen pertrahi ad credendum, hoc ita ac non aliter futurum. Quemadmodum olim fratres Josephi, (n) majori cum fiducia frumentum tempore famis obtinuerunt, quia scilicet toti ei rei præfectus erat frater eorum germanus, quam si recta ipsis Pharao adeundus fuisset. Et certe omnium testimonio Josephus figura erat Christi, de quo etiam infra. Hanc igitur spem consequendi salutem æternam ut habere possemus, ideo Christus mortuus est, & sic verissime pro nobis, & nostri causa mortuus est.

(o) Hic

n Gen XLV.

(o) *Hic vero notandum est aliquid, quod in tota hac re maximi momenti est, nempe per quandam metonymiam tribui id sæpissime causæ efficienti & antecedenti rei, quod effecto sive consequenti rei tribuendum erat: hoc est, morti D. Jesu tribui id, quod eam consecutæ resurrectioni, & omnium maxime potestati ejus divinæ tribuendum erat. Quamvis enim ipsa etiam mors, ut jam ostendimus, & deinceps amplius ostendemus, vim habeat, eamque non vulgarem, in nobis excitandi cupiditatem & desiderium salutis & spem consequendi illam: tamen multo plus hac in re valet ipsa Jesu Christi resurrectio & exaltatio, vel summa ejus potentia, quàm ipsa mors. Quod ita se habere, hinc apparet, quod D. Apostolus disserens de certitudine spei hominum Christianorum, ait*: (p) Si inimici existentes, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati, servabimur in vita (vel per vitam) ejus. Et *infrà iterum*: (q) Quis condemnet (*scilicet, electos Dei*) Christus (*est*) qui est mortuus, magis verò qui etiam resurrexit, qui etiam est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. (r) *Morti verò Christi sæpè id in Sacris literis tribui, quod morte tantum interveniente, eam consecutæ resurrectioni & potentiæ divinæ Jesu Christi asscribendum erat, hoc in primis docendum & demonstrandum nobis est.*

Primùm igitur, est locus unus, qui hoc apertè affirmat, ad Heb. IX. (ſ) Et propter hoc Testamenti novi mediator est, ut, morte interveniente, in redemtionem earum, quæ sub priori Testamento erant, prævaricationum, promissionem accipiant vocati æternæ hæreditatis. *Unde quivis videre potest, liberationem à peccatis, hoc est, reatu peccatorum, à quo liberari nemo in veteri fœdere poterat, quæ nihil aliud est, quam consecutio æternæ hæreditatis, contigisse hominibus non per ipsam quidem Christi mortem: (hæc enim nobis spem omnem istius felicitatis eripere potius potuisset:) sed, ut ipse autor ait, morte interveniente, per ejusdem resurrectionem & exaltationem, vel divinam potestatem, quæ mortem consecuta est.*

Deinde sunt loci, ex quibus idem firmiter colligi potest. Prior isque insignis locus est, ubi Dominus ipse sic ait: (t) Et ego, si exaltatus fuero de terra, omnes ad me traham. *Trahi homines ad Christum, aliud nihil est, quam sufficientes eis causas dari, ad credendum in Christum, quæ eos tantum non cogant quodammodo. Hoc Christus ait tunc futurum, postquam exaltatus de terra, hoc est, mortuus fuisset. Sic enim intelligenda esse hæc verba Christi, sequentia Divi Johannis indicant, dum ait*: Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus. *Sed ipsa morte Christi, non sunt datæ hominibus sufficientes causæ credendi in Christum. Nam* si Christus non resurrexit, *ait Apostolus*, (v) vana est fides nostra; *& Petrus ait*, (x) per resurrectionem Jesu Christi regeneravit nos ad spem vivam; *& iterum*; Deus Christum ex mortuis resuscitavit, & dedit ei gloriam, ut fides & spes nostra in Deo esset. *Necesse est igitur, id*

o Quomodo morti Christi salus nostra tribuatur. *p* Rom. V. 10. *q* Cap. VIII. 34. *r* Morte Christi interveniente salus nostra perfecta est, Christi potentiâ divinâ. *ſ* Hebr. IX. 15. *t* Joh. XII. 32. *v* 1 Cor. XV. 14. 17. *x* 1 Petr. I. 3. 21.

quod Christus tribuit suæ exaltationi de terra, quæ erat ejus mors, tribuere ejus exaltationi de terra, quæ erat ejus in cœlos ascensio, & ad dexteram Dei sessio. Tunc enim, cum Christus in cœlos ascendit, & ad dexteram Dei consedit, sufficientissima causa credendi in eum data fuit omnibus, ad quorum aures Euangelium pervenit, adeo ut si plures causas Deus dedisset, jam locus fidei futurus nullus fuisset, cui tamen locum Deus in religione esse voluit. Nec injuria quidem. Decebat enim justitiam Dei, ut tantum probi servarentur. Qui vero probi sint, cognosci non potuisset, si nullus fidei locus esset.

Alterum adhuc locum adducemus, qui idem, quod nunc probare conamur, cuivis etiam pertinacissimo probare potest. Is est Heb. 11. ubi sic ait Autor istius Epistolæ: Quoniam pueri participarunt carnem, & sanguinem, & ipse (*scilicet Jesus*) similiter participavit eadem, ut per mortem aboleret eum, qui habebat imperium mortis, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. (y) *Quomodo verò Diabolus (qui mortis imperium habere dicitur, propterea quod istius peccati, per quod in mundum intravit, prima origo fuit) per mortem ipsam Christi abolitus fuit, cum potius per eam ipse & imperium illius fuerit stabilitum? Omnes enim credebant, & jam complauserant, Jesum esse sublatum, & nunquam vitæ restitutum iri, cùm viderent eum mortuum. Et certè, si Christus tantum mortuus fuisset, & in morte remansisset, rectiùs dici posset, Christum à Diabolo victum, quàm Diabolum à Christo abolitum vel destructum esse. Quis igitur non videt, verba* per mortem *non esse accipienda de ipsa mortis passione: sed ita tantùm, quòd, postquam mortuus fuisset Christus, factum est, ut diabolus destructus sit, nempe Christo exaltato. Christi enim divina potentia maximè nunc efficit, ne diabolus tantum nocere possit, quantum velit, Christi fidelibus: Christi divina potestas tandem eum in æternum conteret & destruet, cum scilicet in ignem illum inextinctum conjicietur. Deinde liberati ne sunt, vel liberari ne potuissent homines fideles à metu mortis, quo per omne vitæ tempus erant detenti, si Christus in morte mansisset? Nihil minus. Imo Christi mors per se metum istum multiplici modo auxisset. Apertissime igitur constat, postquam mortuus fuit Christus, factum esse id, unde liberatio à metu mortis promanare perpetuo poterat omnibus credentibus, nempe Christi resurrectio & divina potestas consecuta est, quod utrumque plane ab omni metu mortis liberare potest eos, quicunque Deo per Jesum Christum confidunt, & eidem obediunt. Atque ita certum est, Christi morti id tribui, in negotio salutis nostræ, quod resurrectioni & potentiæ, quæ mortem ejus consecuta sunt, tribuendum erat.*

Causa vero, cur hoc sit factum, ea est præcipua: quod mors Christi omnium, quæ Deus & Jesus Christus nostri causa fecere, difficillimum, & maxime arduum est, & maximum charitatis, tam Dei, quam Christi, qua nos prosequuntur, indicium. Deus enim nihil habuit carius, quod nostra causa impendere posset, quam vitam filii sui: Jesus Christus itidem nihil habuit carius, quam suam ipsius vitam. Resurrectio Jesu Christi, & ejus divina potentia, plus quidem valent ad fidem in nobis excitandam & fovendam, & salutem nostram promovendam: sed in utraque nihil

y Hebr. 11. 14.

nihil Deus impendit, nec ullius rei jacturam fecit, quemadmodum impendit rem carissimam, & jacturam ejus quodammodo fecit, dum Jesum Christum ita crudeliter tractari passus est. Christus etiam resurgendo, & divinam potestatem consequendo, non ostendit se nos amore prosequi, sed præmium sua obedientia dignum (z) *divina benignitate consecutus est. At cum passus & mortuus est, tunc vere, quod potuit, difficillimum, fecit, &, quod habuit carissimum, impendit. Quod dum facit Spiritus Sanctus, quod scilicet morti Christi salutem nostram tribuit, rursus aliud quærit, nempe, ut ad Charitatem Dei & Jesu Christi jugiter extimulemur; eam vero declaremus fide nostra per Charitatem efficaci. Quæ etiam causa est, cur non resurrectionis, sive exaltationis Jesu Christi, sed ejus mortis, perpetuam extare voluerit Deus & Jesus Christus in Ecclesia sua commemorationem, per celebrationem cœnæ Domini.*

(a) *His ita expositis, aliquid amplius de fructu mortis Christi addemus, nempe, quia ad salutem consequendam opus etiam erat justificatione hominis, injusti scilicet & peccatoris, hoc est, ut ei omnia peccata remitterentur, & hoc modo salus ei daretur ipse vero homo à peccato desisteret, (nam vocabulum peccati in S literis tam reatum quam actum peccati significare, sciunt Christiani Theologi) Christus etiam pro peccatis nostris, vel propter peccata nostra, mortuus est,* (b) *nimirum, ut tam reatus peccati, quæ est damnatio æterna, quam actus peccati, quæ est omnis iniquitas, & morum actionumque pravitas, à nobis tolleretur. Ad tollendum in hominibus credentibus peccati reatum, maxime opus est divina Christi potentia. Nam si Christus potest tollere æternam damnationem, & certum est eum etiam velle, qui abunde promisit, nihil obstat, quominus fideles peccatorum remissionem reipsa sint consecuturi. Ad hanc vero potentiam, quia Deus constituerat, ut perveniret Christus morte interveniente, & eam Christus sponte sua subiit, pro peccatis nostris mortuus esse jure dicitur Rursus ad tollendum in hominibus peccati actum, præter hoc ipsum, quod scimus, Iesum Christum morte interveniente divinam potestatem consecutum esse: hæc etiam, quæ in morte Christi continentur, plurimum faciunt. Testatur enim (ut paulo ante diximus) mors Christi de summa Dei, & ipsius etiam Iesu Christi, erga nos charitate. De Dei enim charitate, qua nos prosequitur, disserturus Dominus ipse ait* Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. (c) *Dationem autem filii, de datione, sive traditione, in mortem accipiendam esse, vel id docere potest, quod in versiculo præcedenti, de exaltatione Christi, instar serpentis illius ænei in deserto, sermo est, quod nihil est aliud, quam mors Iesu Christi Hoc vero versiculo ratio ejus redditur, quod ante dictum fuerat; & causa ostenditur, cur Deus eo modo sit passurus exaltari Iesum Christum, quemadmodum olim æneus ille serpens exaltatus fuerat, nempe summa & incredibilis Dei erga genus humanum charitas. De qua etiam D Paulus ad hunc modum ait:* Commendat suam charitatem erga nos Deus, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. (d) *De Christi vero charitate erga nos, qui mori pro nobis non dubitavit, quisnam dubitet? cum ipso teste,* majorem hac dilectionem nemo habeat, ut

z Phil. II. 8. 9 *a* Quid sit Christum pro peccatis nostris mortuum esse. *b* 1 Cor. XV. 3. Rom. IV. 25. *c* Joh. III. 16. *d* Rom. V. 8.

quis animam suam ponat pro amicis suis. (e) *Christus vero etiam pro inimicis, ut ex Paulo audivimus, animam suam posuit: Quem vero non moveret tanta Dei & Christi erga nos charitas ad Deum & Iesum Christum redamandum? Gratia enim gratiam parit. Hæc rursus charitas nostra erga Deum & Iesum Christum, qua alia in re exerceri potest, nisi in obedientia præceptorum Christi? ut ipse Dominus ait*: (f) Qui habet mandata mea, & servat ea, is est, qui me diligit. *Et iterum*: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. *Et iterum*: Non diligens me, sermones meos non servat. *Quod idem etiam in Epistola sua prima affirmat D. Iohannes, dum sic ait*: Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. (g) *Præceptorum autem Iesu Christi hoc est primum, ut omnis, qui in eum credit, resipiscat, & pœnitentiam peccatorum agat, & in posterum vitam suam ad Christi præcepta totam conformet.*

Præterea mortem Christi, quasi sigillum esse, & confirmationem omnium illustrissimam novi fœderis, (cujus pars sunt præcepta Christi, & inter hæc pœnitentia) certissimum est. (h) *Hinc enim Christus testis verax & fidelis esse dicitur: hinc sanguis ejus sanguis appellatur novi fœderis.* (i) *Si igitur certum est id omne, quod novo fœdere continetur, hinc apparet, posse omnes illud amplecti, & sic etiam pœnitentiam peccatorum agere.*

Denique Christi mors, quatenus eam secuta est resurrectio, ostendit hominibus præmium, cujus causa Deo obedire debent, nempe vitam immortalem, ut supra dictum est. Quomodo vero ipsius vitæ immortalis, quæ nobis promissa est, præstantia & ad oculum demonstratio, in hominibus non efficeret studium obedientiæ præceptorum Christi, & sic liberationem ab omni peccato?

Hunc fructum mortis Iesu Christi, isto modo nobis conciliatum, considerans Spiritus Sanctus, quando de morte Christi sermonem facit, ait: (k) *Sanguinem ejus nos purgare ab omni iniquitate: Christum sanguinem suum fudisse in remissionem peccatorum: Christum ideo mortuum esse, ut nos liberaret à præsenti seculo malo: Christum semetipsum dedisse pro nobis, ut nos liberaret ab omni iniquitate, & purgaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum: nos Christi sanguine redemtos esse à conversatione à patribus tradita: Christum peccata nostra abstulisse in corpore suo in lignum, ut nos peccato mortui, justitiæ viveremus: Christum passum esse pro nobis, exemplum nobis relinquens, ut vestigiis ejus insisteremus: Christum semel passum esse pro peccatis, justum pro injusto, ut nos ad Deum adduceret. Quæ omnia testimonia, & his similia, partim de liberatione à peccatorum pœna, partim de liberatione ex ipsis peccatorum actionibus intelligenda sunt.*

Eodem modo intelligenda sunt etiam alia sacrarum literarum testimonia, quando scilicet dicitur, Deum fecisse Christum peccatum pro nobis, ut nos fieremus justitia Dei in ipso, (l) *nempe, Christum fuisse tractatum ut hominem peccatorem, licet esset omnium innocentissimus, ut nos, qui peccatores sumus, ita tractaremur coram Deo, ut justi, nempe, ut consequeremur vitam immortalem.*

Eodem

e Joh. XV. 13. *f* Joh. XIV. 21. 23. 24. *g* 1 Joh. V. 3. *h* Apoc. I. 5. & III. 14. *i* Matth. XXVI. 28. *k* 1 Joh. I. 7. Matth. XXVI. 28. Gal. I. 4. Tit. II. 14. 1 Petr. I. 18. & c. II. 24. 21. c. III. 18. *l* 2 Cor. V. 21.

Eodem plane modo dicitur etiam, nos ejus vibicibus sanatos esse, (m) quatenus scilicet interveniente Christi afflictione (& nullo alio modo) factum est, ut nos sanationem animarum nostrarum consequamur: ut vero justitia, hoc est, justificatio nostra, vel sanatio, quod idem est, perficiatur, necesse est Deum id velle, & nos eidem obedire secundum præcepta Iesu Christi. Deum velle, docet Christi divina potestas, quam in hunc finem ei dedit Deus, ut ea ad nos servandos uteretur. Nos vero ut Deo obediremus, movent, tum hæc ipsa Christi divina potestas, tum alia quæ in morte Christi continentur, & cum ea conjuncta sunt, de quibus jam diximus.

(n) *Christus moriens abstulit in corpore suo peccata nostra in lignum, quia scilicet ex ipsa Christi morte, & ea interveniente, ex potestate, quam per mortem suam Christus consecutus est, colligimus, nos peccatorum nostrorum pœnas nullas luituros; sed tandem eorundem remissionem plene & reipsa consecuturos. Morte Christi nos cum Deo reconciliati sumus, (o) quia nos, qui antea Dei eramus inimici, & plane efferati, ita sumus cicures redditi, ut, cum audiremus, Deum velle nobis omnia peccata remittere, quod tam ex ipsa morte Iesu Christi, quam ex potestate, quæ eam consecuta est, intelligimus, ad nosmetipsos redierimus, & ita mansueti redditi simus, ut Dei cujus antea inimici eramus, amici facti, eidem omne vitæ nostræ tempus consecrare velimus. Et quid multa? Tota salus nostra huic uni rei, quæ infirmitas ipsissima est, (p) per se considerata, debetur, quæ tamen, si Dei voluntas consideretur, ejus est & potentia & sapientia, nempe morti Iesu Christi. Spes & certitudo immortalitatis, quam omnes homines unquam habuerunt, ex Christi morte dependet: omnis religio & pietas per eandem efficitur & conservatur. Unus homo nobis moriendo vitæ æternæ certitudinem peperit; & obediendi sibi studium in nobis excitavit, & perpetuo fovet. Qua tota de re extant jam pridem nostrarum Ecclesiarum libri, quos, qui plura scire velit, legere potest. O divinum igitur eum, cujus mors tantorum bonorum causa fuit una & unica!*

m 1 Petr. 1 1.24. n Quomodo Christus peccata nostra morte sua abstulerit. o Colos. 1.22. Quomodo nos morte sua cum Deo reconciliarit. p 1 Cor. 1.24.

ELENCHUS CAP. XI. DISP. XXXIII.

QUem θεάνθρωπον præfracte negat *Smalcius*, & cui reliquam facit unicam tantum naturam quâ homo est, in illâ autem naturâ toleratam mortem & afflictiones, nobiscum affirmat, fuisse infirmitatis indicia, imo infirmitatem ipsam; citius aquam ex pumice expresserit, quam ut ex ejus morte exsculpat præstantiam & divinitatem singularem. Ut enim hic demus *Smalcio*, quod non concedimus, divinitatem tali aliqua hominis supra homines præstantia dimiri rite, qua Deo quam hominibus similior sit homo; suo hic jugulabitur gladio. Etenim hoc ipse in præsens urget, quoad alia omnia (ex quibus scilicet hactenus præstantiam & divinitatem Domini Jesu asseruit ipse) Dominum Jesum similiorem Deo quam ho-

minibus fuisse, fratribus dissimilem: in mortis vero & afflictionum perpessione perfectè per omnia similem fuisse fratribus, ac perfecta illa similitudine, Spiritum Sanctum expressisse afflictionum Christi perfectionem. *Hebr.* II. 17. & IV. *vers.* 15.

II. Enimvero quamvis parallelismus sit in loco isthoc utroque, de visceribus misericordiæ Christi in functione Sacerdotii, ex eo quod tentationes ipse perpessus sit: perperam tamen à *Smalcio* confunditur illud, quod dicit Apostolus loco posteriori, D. Jesum πεπειρασμένον κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, *tentatum in omnibus secundum similitudinem*; cum eo quod priori loco dixerat, *unde debuit* κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, *per omnia fratribus similis fieri*. Hoc enim omnino accipiendum de illa assimilatione, in natura humana, quam attigerat Apostolus *Hebr.* II. 14. ac definierat, simili (qualis est inter fratres sanctificandos, talis inter Christum sanctificantem & ipsos) unius carnis & sanguinis κοινωνίᾳ & μετοχῇ communione & participatione. Quare in altero quidem loco illud κατὰ πάντα rite exponas per omnis generis afflictiones: in altero non item.

III. Quod vero utrobique *tentatus* πειρασθεὶς seu πεπειρασμένος dicitur Christus, id perperam, in morte & mortem antegressis afflictionibus, *Smalcius* adstringit ad ea tantum in quibus Christus tentari potuit ab ipso Deo; quasi antea tantum in deserto à Satana tentatus Christus, nullas in ultimo isto vitæ in terris actæ termino sustinuerit tentationes Satanæ. Arguunt omnino extremos atque acerrimos tentationis Satanæ insultus in Christum, mox morti devovendum, testimonia Apostoli affirmantis, & eodem capite *Hebr* II 14. D. Jesum, *per mortem abolevisse eum qui mortis imperium habet, hoc est Diabolum*: & alibi *Coloss.* II. 15 *expoliata imperia & potestates palam traduxisse, triumphatis illis in cruce* Et omnino passus est Christus in extremo illo agone, hoc quod Satanæ prænunciarat Deus, *tu ipsi conteres calcaneum*; neque hoc ante vel alibi impletum, quam quando in morte ipsi caput contrivit Christus, h. e. juxta loca jam indicata, ipsum abolevit & triumphavit in cruce.

IV. Quid per calicem quem Christus à se auferri petiit intelligendum, in controversiam vocat *Smalcius*, hactenus, ut rejiciat hoc tanquam absurdum, si calicis nomine ipsam mortem, vel afflictiones illas quæ cum morte conjunctæ fuerunt, includamus, quas ipse vult exclusas à Christi illa deprecatione. Sed frustra est. Neque enim si calicis nomine mortem imminentem complexus est Christus, categorice illam deprecatus est, neque precationis Christi conclusio fuit ista, ut non pateretur Pater ipsum mori; sed schemate orationis seu axiomatis hypothetici suspenso, quid, nobis per omnia similis factus, naturali affectu, citra peccatum tamen, abhorreret ut naturæ destructivum, testari ita voluit, ut non temere illud suo sibi jumento accersivisse, sed præfinito atque immutabili consilio Dei, ex intentissima in Deum & in nos charitate, paruisse intelligeretur, seipsum in mortem devovens. Quam cupiisset quidem non obire, εἰ δυνατὸν, *versu* 39. *Matth.* XXVI. At quia οὐ δυνατὸν possibile non erat, quin obiret,

obiret, categoricè precatus est, *fiat voluntas tua. ibid. vers.* 42. Quod ita Marcus expressit; *Non quod ego velim, sed quod tu. Marc.* x v. 36.

V. Hoc schemate dictionis animadverso, eliduntur ista, quæ *Smalcius* ingerit, quasi, si calicis nomine includamus mortem, vel conjunctas cum morte afflictiones, cogamur absurde asserere, Christum petiisse illud quod optime sciebat sibi dari non posse, & aliquid Patrem orasse, in quo exauditus non sit, contra affirmationem Christi *Joh.* x I. 42. Nec ad hæc refutanda opus est, ut verbum amplius addamus.

VI. Quod jam *Smalcius* calicis vocem referri vult, citra mortem vel conjunctas cum morte afflictiones, tantum ad angorem animi & corporis, quo Christus priusquam caperetur, & variis cruciatibus exponeretur, afflictus fuit, & sine quo totum illud salutis nostræ negotium per ipsam passionem & mortem Christi perfici potuisse videbatur, quorsum hoc, & cui bono? postquam affirmat Deum noluisse Christum liberum esse ab angoris illius afflictione, in qua Angelus de cœlo apparuit confortans eum, & quæ sudorem illum ei expressit, de quo *Lucas Cap.* x x I I. 43. 44. Premitur enim (qui calicem interpretatur de Angore animi & corporis, à quo se liberari petierit Christus, ipsum autem liberum esse noluerit Pater) eodem saltem illo absurdo, quod aliquid Christus Patrem oraverit, in quo exauditus non sit: donec nostra responsione sibi agnoscat satisfactum.

VII Neque ipse sibi fidit *Smalcius* in tacita illa altera evasione, quod sine illò tanto & tam stupendo angore animi & corporis, totum illud salutis nostræ negotium, per ipsam passionem & mortem Christi perfici potuisse videbatur. Demus illud, (quod concedimus minime) quia ita videbatur, ita Patrem orarit Christus, neque sic petierit, quod optime sciret dari sibi non posse: non sic tamen solvitur nodus de Christo non exaudito à Patre. Et ingeritur Paradoxon illud, præter Decretum Dei (quod erat tale, ut nostra salus perfici nec debuerit nec potuerit absque Christi morte) accidisse Christo illum angorem animi & corporis, & stupendam afflictionem, à qua sudor ejus fuit, sicut guttæ sanguinis decidentis in terram. A qua tamen Deus Christum, quamvis ter deprecantem, liberum esse noluit: scilicet consilium capiens in arena Deus, ut casu hoc Christus disceret miseris succurrere, quibus similis accideret ex infirmitate humana animi & corporis angor.

VIII. Rectius longe ex Fidei Cathol. orthodoxæ analogia, asseritur, Angor ille animi & corporis, cum stupendo illo sudore, Christo expressus, ab interiori in anima sensu iræ divinæ, propter nos naturâ iræ filios: cum qua ira Dei luctam, cumulavit altera cum Satanæ tentationibus lucta. Absque qua utraque lucta interiori, si Christo tribuerimus cum *Smalcio* tantum & tam palpabilem animi & corporis angorem, soli illi infirmitati, quæ in quemvis hominem Deo confidentem cadere potest, imputandum; vertetur illud necessario in assimilationem Christi ad fratres infirmos in fide, quorum infirmitas in fide non vacat peccato, quippe na-

scens

ſcens ex carne contra Spiritum luctante. Et fuerit in illa ἀγωνίᾳ, quod abſit, fortitudo Chriſti inferior fortitudine plurimorum Martyrum, qui minori animæ turbatione & trepidatione adierunt etiam diuturniora & ad ſenſum externum exquiſitiora ſupplicia.

IX. Ex analogia porro Scripturarum, per calicem aliud intelligi nequit, in Chriſti illa precatione ad Deum Patrem, quam à Deo Patre ipſi incumbens, ipſumque ad mortem perſequens, afflictio: juxta illud *Pſalm.* LXXV. 9. *Poculum in manu Jehovæ, & vinum turbidum eſt &c.* Item *Jerem.* XXV. 15. *Sume poculum iſtud vini, excandeſcentiam iſtam ex manu mea &c.* Et aperte hoc confirmat Chriſtus *Joh.* XVIII. 11. *Annon bibam ipſum poculum quod dedit mihi Pater.* Et jam ante *Joh.* XII. poſt mortis ſuæ expreſſam, in parabola grani in terra mortui, mentionem *v.* 24. de hora morti præfinita ſimiliter precatus eſt; *Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater conſerva me ab hac hora? ſed propterea veni in hanc horam.* Nec alio ſenſu accipiendum id quod ait *Luc.* XII 50. *Baptiſmo oportet me baptiſari, & quomodo conſtringor* (ſeu *angor*) *uſque quo perficiatur?* quam de baptiſmo mortis.

X. De ſudore Chriſti, quicquid ſentire lubet, ſudorem illum vere fuiſſe ſanguineum, an tantum inſtar ſanguinis; an accidere ſimiliter poſſit aliis hominibus ſine miraculo, an ſecus; deteſtanda eſt illa perfidia, qua ſudoris illius ſubjectum ad partis tantum ſenſitivæ dolorem ac perturbationem, non vero intellectualis animæ perpeſſionem, & cauſa aut ad ſolum ardorem precandi, aut ad ſolam apprehenſionem & metum mortis corporalis revocatur, non ad onus incumbentis iræ & maledictionis divinæ.

XI. Citra oneris iſtius pondus, quomodocunque exaggeret *Smalcius* atrocitatem afflictionum Chriſti, quæ mortem proxime antecedebant & comitabantur, ipſe quod videtur velle ædificare (puta præſtantiam & divinitatem Chriſti patientis & morientis) revera deſtruit; quippe à morte & afflictionibus Chriſti procul habens, quidquid non ſimiliter in homines mortales Deo confidentes cadere, iiſque à manibus impiorum, ſi in illas incidant, intentari poteſt, & per fortitudinem Chriſtianam vinci, & ſuperari.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XXXIV.

CHriſtum qui non credat innocenter paſſum & mortuum eſſe, ut in ipſo ſecundum ſe conſiderato non habuerit Deus quod caſtigaret aut puniret, *Anathema Maranatha.* Attamen auctoritate Scripturarum credimus, ipſum qui peccatum non noverat factum pro nobis peccatum à Deo 2 *Cor.* v. 21. atque ſic Deum puniiſſe ſeu condemnaſſe in carne Chriſti peccatum noſtrum. *Rom.* VIII. 3. Quod mox pluribus erit illuſtrandum & confirmandum.

II. Non

II. Non possumus interim non meminisse hic fœdum illud, & parum Christi innocentia dignum, *Socini* paradoxon, *Libro de Servatore, Parte II. Cap. XXII. Scriptorem Epistolæ ad Hebræos non veritum esse haud obscure dicere, Christum pro suis peccatis obtulisse. Hebr.* VII. 27. nominavit scilicet, si *Socinum* & *Schlichtingium*, ex eadem schola magistrum, audimus, *infirmitates Christi, peccata Christi*; vide *Schlichting. ad Hebr. VII. pag.* 328. 329. *& in eundem in Hebr. V.* 2. 3. Ex quo paradoxo videtur quoque explicandum, quod hoc Capite dicebat *Smalcius*: *Auctor vero Epistolæ ad Hebræos dicere ausus est, Christum in diebus carnis suæ preces & supplicationes ad eum, qui poterat illum illum servare à morte, cum clamore valido & lacrymis obtulisse.*

III. Quo schemate jam ista conciliabimus? fuisse in Christo infirmitates, quas Scriptor ad Hebræos nominet peccata, & pro quibus dicere ausus est, Christum se ipsum obtulisse, seu preces & supplicationes cum clamore valido & lacrymis: & non habuisse Deum in Christo, ne quidem quod castigaret. Annon enim castigationis divinæ (in iis quorum peccata non punit, rigida peccati & pœnæ acceptione) objectum sunt infirmitates ipsorum quibus se circumdatos dolent, & à quibus liberationem petunt suis ad Deum supplicationibus, quia in iis sibi displicent?

IV. Si jam animum advertas, non eximit *Smalcius*, sua assertione de innocenter passo & mortuo Christo, Christum, antequam post supplicationes oblatas cum clamore valido & lacrymis, exauditus fuit ex metu, non eximit, inquam, Christum in diebus carnis, illis infirmitatibus in quibus sibi ipse displicuerit, & quæ peccata ipsius vocarit Apostolus *Capite VII. versu* 27. quamvis illum dixerit *Cap. IV. vers.* 15. *tentatum per omnia sine peccato.* Ne enim hic plus Christo tribuerit Apostolus, quam verba illa Capitis septimi, ex mente *Socini & Schlichtingii*, permittunt, cavit *Smalcius*, sua ista epexegesi, *sine peccato*, hoc est, *innocenter.*

V. Plus equidem habent in recessu verba ista, quam ut tantum dixerit Apostolus, quod vult *Smalcius*, tentatum Christum à Deo ipso per afflictiones immissas, innocenter. Hoc spectavit magis Apostolus, quod de se contestatus erat Christus *Joh.* XIV. 30. *Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam*: Significans se exspectare cum morte & afflictionibus etiam tentationes Satanæ, cum fiducia ista, quantumvis futurum esset ut ad similitudinem nostri, vel à terrificis Diaboli apparitionibus horrore percellerentur affectus naturales, vel à suggestionibus ipsius malis cieretur etiam justa cum dolore ira & indignatio, ac turbatio animæ: non tamen illam experiretur infirmitatem, in qua sibi displicent regeniti vel sanctissimi; quod quamvis tentationi non succumbant, non tamen tentari possint sine peccato, saltem intus titillante, per concupiscentiam, seu luctam carnis concupiscentis adversus Spiritum. *Rom.* VII. 17. 20. *Gal.* V. 17.

VI. Christi in patiendo constantiam dum commendat *Smalcius*, injicit rursus mentionem calicis quem petiit à Patre ut à se transiret *Matt.* XXVI. 39. *Luc.* XXII. 42. ac subjicit verba ista, *à quo etiam liberatus est.* Divinandum

nandum nobis, quomodo secum ipse consentanea loquatur, qui supra dictavit, vocem calicis referendam esse ad eum angorem animi & corporis, *quo afflictus fuit* stupendum in modum, *à qua tamen afflictione Deus Christum liberum esse noluit*. Nolumus tribuere *Smalcio* καὶ καὶ : quare hariolamur ex ductu & serie verborum ipsius, ita utrumque conciliandum, ut illic afflictionem à qua Deus Christum liberum esse noluit, intellexerit carnis in Christo infirmitatem, in qua sibi displicuerit Christus, & pro qua, tanquam peccato proprio, supplicationes cum clamore valido & lacrymis obtulerit, qua non obstante, Pater tamen ipsum pro justo habuerit. Hic vero dixerit *Smalcius*, à calice isto etiam liberatum Christum, quando placuit Patri, ut istius afflictionis finis esset, ac rediret in præcordia virtus Christo in manus impiorum delapso, ac cessaret istius angoris paroxysmus.

VII. Hoc pacto scilicet similitudinem per omnia cum hominibus mortalibus, etiam ad luctam similem carnis & spiritus, trahit in Christo *Smalcius*; in qua tandem superior evaserit Spiritus, ut voluntatem suam Patris voluntati totam subjiceret, & sponte sua, vel à se ipso, nemine cogente, animam suam posuerit. De qua spontanea ad mortem obedientia adnotat locum *Joh*. x. 18. & alterum *Phil*. II. 7. 8. qui hic flagitant considerationem accuratiorem; quia, secus quam vult *Smalcius*, veram Divinitatem Christi demonstrant.

VIII. Quod enim singulare & divinum subest morti Christi, ex priori testimonio *Joh*. x. 18. discendum, non potest per voluntatis Christi subjectionem sub voluntate Patris solide definiri; etenim per illam Christus fuit ἄνθρωπος ὑπὸ ἐξουσίαν, homo sub potestate. Contestatur autem Christus se habere ἐξουσίαν *Potestatem* ponendi animam suam, potestatem rursus eam assumendi. Cum humanæ ergo obedientiæ devotione, quæ facit ipsum victimam λογικὴν rationalem, asserit sibi Christus Potestatem illam αὐτοκρατορικὴν, qua ipse, ut unum cum Patre, habebat jus vitæ & necis, in naturam humanam, sibi personaliter unitam.

IX. Similiter in altero testimonio *Phil*. II. 7. 8. singulare hoc quidem erit, sed minime divinum, quod de humili obedientia Christi, similitudine hominum, usque ad mortem crucis teterrimam & à Deo maledictam, pronunciat Apostolus. Divinum demum illud est, quod adeo se exinaniverit (ut ad serviendum miseram illam servitutem, in natura humana, formam servi assumserit) persona divina ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων *in forma Dei subsistens*, hoc est gloriose habens naturam divinam.

X. Quæ circa & post mortem Christi acciderunt miraculose, & hominibus adstantibus voces istas expresserunt, *hic homo erat Dei Filius*, secus quam vult *Smalcius*, testantur Christum Dominum gloriæ crucifixum, Dei Patris Filium coæternum & coæqualem: quod in præsens sufficiet unico illo testimonio convincere *Hebr*. v. 8. *Quamvis Filius esset, tamen ex iis quæ passus est didicit obedientiam*. Filius non coæqualis Patri debet Patri obedientiam de jure divino; ac de illo insulsa esset & inepta enunciatio discreta,

discreta, quamvis Filius, tamen obediit. Filium ergo coæqualem, qui rapinam non duxit esse æqualem Deo, juxta *Phil* II. 6. necessario intellexit Apostolus, ut Paradoxon pronuncians enunciatione discreta, quamvis Filium, tamen obedientiam didicisse, ex iis quæ passus est.

XI. In hac disquisitione (quis finis mortis Christi) mirabilis est *Smalcii* μεθοδεία τῆς πλάνης. Videri vult asserere in consensu catholico Christianismi, Christum non sui sed aliorum hominum, seu nostri, causa mortuum esse, ne blasphemus audiat. Interim prævaricatur eo usque, ut locum ad *Rom.* VI. 10. (in quo dicit Apost. *Quod mortuus est, peccato mortuus est semel*) non patiatur de nostro peccato intelligi, pro quo semel morte sua expiationem fecerit Christus: fingat autem (eodem fœdo Paradoxo, quo audivimus *Socinum & Schlichtingium* interpretari loca ad *Hebr.* V. & VII.) Paulum vocare peccatum proprium Christi *infirmitatem & mortalitatem, qua utraque non secus atque si peccator esset circumdatus fuit.* Ut, si *Smalcium* audimus, dixerit Paulus (saltem catachresi piarum aurium offensivâ) suo peccato semel mortuum Christum.

XII. Prævaricationis πρόφασις est, *quia negari non potest, afflictiones & mortem Christi aditum fuisse Jesu Christo, ad hanc quam nunc habet gloriam*: ex 1 *Petr.* I. 11. & *Luc.* XXIV. 26. Atqui contra Scripturarum Analogiam est præposteritas ista, quam hic ingerit *Smalcius*; quasi in afflictionibus & morte Christi, cum termino à quo adscensionis in gloriam, initium sit constituendum Gratiæ Christi.

XIII. Quia hic premitur *Smalcius* Scripturarum Analogia, de priori Descensione quam Ascensione, loco veræ actualis Descensionis seu Exinanitionis Christi, à gloria quam habuit olim antequam mundus existeret, obtrudit imaginariam & potentialem quandam exinanitionem; quam non habuit quomodo definiret, nisi *consideratione potentiæ Dei & innocentiæ Christi*, per quam *fieri aliter potuerit, ut* scilicet Christus *non moreretur.* At quia hoc pacto vidit nihil se Christo revera tribuere præstantiæ, suprà, imo se Christum depreciare infra, Enochum, Eliam, quin omnes illos credentes, quos vivos Dominus Iesus in hoc mundo offendet in adventu suo; contra veritatem luctando, defungitur inani illa de jure affirmatione, *soli Domino Jesu hoc jure contingere debuisse præ omnibus aliis*: *quia tantum scilicet differt Jesus ab Enocho, Elia, & omnibus &c. & dignitas ejus ab illorum dignitate, si modo aliqua illorum est respectu divinitatis Christi.*

XIV. Inanem vocamus hanc affirmationem, ex *Smalcii* hypothesi, cui Christus nec ante nec post mortem est naturâ Deus, adeoque in diebus carnis tantum caro seu homo mortalis, qui, quando ipsi non contingeret idem quod Enocho & Eliæ, in se habuit, non in nobis, seu infirmitate sua, non in peccato nostro, moriendi necessitatem. Quin blasphemia non caret atque idololatria, tanta hominis mortalis, quantumvis innocentis & Deo dilecti, admiratio, ut ad illum, ejusque dignitatem, omnes, omniumque dignitas censeri debeant nihil, & minus nihilo. Hoc enim convenit soli altissimo vero Deo Israëlis. *Esai.* XL. 17

Quando ex suis hypothesibus dicit Christum proprie & principaliter nostri causa passum & tandem mortuum esse, id quomodo explicet audiemus in sequentibus, ita nempe, ut, quod vult videri ædificasse, destruat.

ELENCHI SECTIO III. DISP. XXXV.

ISta quidem prætensa explicatio mysterii de Morte Christi verius est mysterii mortis Christi inficiatio αὐτοκατάκριτος. Etenim à vi veritatis ista sunt, quæ ut neget *Smalcius*, Deus non permittit; *De nemine alio proprie dici eum pro aliquo mori, præterquam de Christo*; Deinde, *eum vere & proprie pro aliquo mori videri, qui morte sua illum in vita conservat*; *Solum Christum nos morte sua ex æterna morte eripuisse, & in vitam æternam transtulisse.* At vero hæc à spiritu contradictionis glossa est, quæ textum corrumpit; *Morte Christi interveniente salutem æternam amplectendi occasionem & tandem eam consequendi spem certam habemus, vel saltem habere possumus.* Etenim, ex mente *Smalcii*, occasionem salutem æternam amplectendi & tandem eam consequendi spem certam habent, saltem habere possunt, multi, qui nunquam ex æterna morte eripiuntur, neque in vitam æternam transferuntur: quos proinde sua morte in vita non conservat Christus, quamvis pro illis mortuus.

II. Quare verba dat *Smalcius*, de *vere & proprie pro nobis mortuo* Christo, mysterium illud à morte Christi auferens, quod, loco nostro, peccato nostro, mortuus sit: sicut dat sine mente sonum, loquens de nostri cum Christo, ut corporis cum capite, unione, qua *cum ipso ita simus uniti, ut simus caro ex carne ipsius & os de ossibus ipsius.* At nihil ultra intelligens, quam unius naturæ humanæ communionem nobiscum in diebus carnis Christi, citra mysticam unionem, qua ipsi agglutinamur uno Spiritu, ut censeatur ipse, mortuus pro nobis, debitum nostrum solvisse; juxta illud Apostoli, *si unus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui.* 2 *Cor.* v. 15.

III. Quid? quod minime sentit *Smalcius*, nunc habere Christum carnem & ossa in cœlis; adeoque non patitur hoc verificari in præsenti tempore, quod simus caro ex carne ipsius, & os de ossibus ipsius: sed hæc, si *Smalcium* audimus, fuere, in diebus carnis Christi, ac necesse est ad dies illos retro trahere, quicquid vult videri *Smalcius* similiter nobiscum gloriari, de unione corporis Ecclesiæ cum capite Christo.

IV. A fundamentis autem subruit *Smalcius* omnem promissionis vitæ æternæ certitudinem, statuens, modum confirmationis certiorem ipso Dei promittentis verbo, martyrium hominis mortalis, qui verbum Dei annunciavit primus. Hoc enim *primum* illud est, si *Smalcium* audimus, *quod restabat* (post annunciatum & confirmatum prædicatione Christi verbum Dei de salute æterna) *ut nos crederemus ita rem se habere quemadmodum Deus constituerat, & Christus Dei nomine promiserat.*

V. Est

V. Est porro hoc, non Fidei in Deum, sed infidelitati, januam aperire, nolle certo credere promissam salutem, *si non quodammodo nobis ipsa ostendatur*, in homine mortuo & resuscitato ex mortuis; & facilius credere datum sibi iri vitam æternam, si homo, ille mortuus olim, *potestatem habeat eam dandi, quam si ipse Deus eam daturus sit*; ac demum pati nos pertrahi ad credendum Deo, si hac ultima analysi resolvatur spes & exspectatio vitæ æternæ, non in Deum ipsum, sed Hominem Dei, vitæ æternæ datorem. Quæ hic pia anima non abhorreat (hac determinatione Smalcii animadversa, pro homine olim mortuo, an pro Deo ipso, datore vitæ) voces illas? *Nihil quidem interest à quo quis tandem salutem consequatur, modo eam consequatur: sed ad credendum, priusquam reipsâ detur, eam certissime nobis datum iri, multum interest scire, à quo ea sit nobis exspectanda, vel quis eam nobis daturus sit.*

VI. Atheismo proxima certe est, nec idololatriâ vocat, concertatio ista, Dei ipsius, cum Homine olim mortali & mortuo; ut ab Homine facilius quam à Deo ipso, *nescio quomodo patiamur nos tandem pertrahi ad credendum.* Et incurritur hac Fidei methodo divinitus annunciata maledictio *Jerem.* XVII. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.*

VII. Soliditas ergo consolationis nostræ in Jesu Christo datore vitæ æternæ (*quem non puduit nos fratres suos appellare; cum quo nos ita sumus uniti, ut simus caro ex carne ipsius, & os de ossibus ejus: qui promisit se velle, ut ibi sint ejus servi, ubi nunc ille est; se eos non relicturum orphanos, sed ad eos reversurum, se eos ex mortuis resuscitaturum*) omnino nulla est, si à persona Christi auferas veram divinitatem, qua ipse est natura Deus, secundum naturam divinam Unum cum Patre. Hac enim ablata, Homo moriens mori quidem potuit, sed non mori ut testator, ὁ διαθέμενος, morte sua, Dei non Hominis διαθήκην, roboraturus & ratificaturus.

VIII. Hactenus verba dedit Smalcius, de Christo proprie nostri causa mortuo: hic ex animi sententia profitetur, mortem Christi non attingere salutis nostræ efficientiam proprie, sed tantum per quandam metonymiam, seu denominationem impropriam, qua, nomine mortis expresso, intelligitur potestas Christi quæ mortem consecuta est. In quam sententiam torquet perperam loca illustria, nobis vindicanda.

IX. In locis quidem *Rom.* V. 10. & VIII. 34. agnoscimus gradationem Apostoli, (à morte Christi ad vitam ex morte recuperatam) institutam ad roborandam certitudinem spei & fidei Christianæ. Verum nihil est in verbis Apostoli quod cogat mortem Christi destituere propria efficientia salutis nostræ, atque illam in solidum transferre ad exaltationem Christi quæ mortem consecuta est. Nimis enim aperte inter mortem Christi & vitam ex mortuis, distribuit Apostolus effectum utrique proprium in salutis nostræ apotelesmate: tribuens morti, quod inimici existentes Deo reconciliati sumus: vitæ autem ex mortuis, collationem efficacem beneficiorum, quæ reconciliationem consequuntur.

X. In loco *Hebr.* IX. 15. nullum quoque est *Smalcio* præsidium, præter ficulneum illud, ex Latina Versione verborum, θανάτε γενομένε, quia scilicet Latina phrasi hoc est, *morte interveniente*, seu *morte intercedente*, hinc arguit, aperte affirmari trajectionem istam metonymicam, qua tribuatur morti, id quod proprie effectum est potestatis mortem consequutæ. Atqui ex illâ hypothesi non potuit dici morte interveniente, sed, dicendum fuit interveniente seu intercedente (inter mortem & liberationem à peccatis) Resurrectione & Exaltatione.

XI. Ut autem, θανάτε γενομένε nomine, intellexerit Apostolus, interveniente Resurrectionem ex mortuis, ut quod morti impropriè & metonymice adscribitur, proprie & immediate tribuatur Resurrectioni & Exaltationi Christi, id abhorret allegoria nimis aperta, de testamenti roboratione & ratificatione, in mortuis, mortis caussa: juxta quam allegoriam, relinquitur quidem Testamenti executio, per quam cernitur hæreditas legata, Exaltationi mortem consequutæ; at ipsius executionis jus, adeoque promissionis æternæ hæreditatis certitudo, citra metonymiam ullam vindicatur morti obitæ à Christo Testatore.

XII. Aliena porro est à mente Apostoli verborum illorum (*in redemtionem earum quæ sub priori Testamento erant prævaricationum*) paraphrasis ista, (ad liberationem à peccatis, hoc est reatu peccatorum, à quo liberari nemo in veteri fœdere poterat) ex mente *Smalcii* intellecta. Apostolus enim loquutus est, de soluto in morte Christi redemptionis precio, quo exsolutum est debitum à Fidejussore pro fidelibus, etiam ante Christum mortuis in Veteri Testamento: atque sic consummata communis ipsorum & nostra salus, plene perfecto & quæsito tandem jure illo, quod pendens fuerat, donec Testator mortuus esset; quamvis etiam pendente jure, propter Fidejussionis certitudinem infallibilem, ipsi liberati fuerint à reatu peccatorum suorum. Quam Apostolus *Rom.* III. 25. vocat τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, *dissimulationem peccatorum quæ antecesserant*: Quæ πάρεσις, per ἀπολύτρωσιν factam in morte Christi, versa est in ἄφεσιν illam, per quam nulla est amplius oblatio pro peccato. *Hebr.* X. 18.

ELENCHI SECTIO IV. DISP. XXXVI.

FAllitur *Smalcius* & fallit, locum *Joh.* XII. 32. ab ignominiosa Exaltatione Christi in cruce obtorto collo trahens, ad gloriosam Exaltationem per Adscensionem in cœlos. Verba Christi, *Et ego, si exaltatus fuero de terra, omnes ad me traham*, loquuntur, ipso *Smalcio* fatente, de ignominiosa exaltatione in cruce mortui Christi. Quomodo vero in exaltatione ista ignominiosa omnes ad se traxerit Christus, non aliunde explicandum, quam ex veteri typo, quem laudat Christus ipse *Joh.* III. 14. 15. *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad

serpentem

serpentem à Mose exaltatum trahebantur oculi Israëlitarum omnium, qui supervicturi erant à serpentum morsu in deserto. Ita, in antitypo, exaltatus in cruce Christus ipsa crucifixione sua ad se traxit oculos mentis salvandorum omnium, ut intelligant se vitam adipisci merito illius obedientiæ Christi ad mortem, mortem autem crucis; neque alio nitantur fundamento, in salutis spe atque exspectatione, quam jure ipsis quæsito per mortem & crucifixionem Christi. 1 *Cor.* II. 2. *Gal.* VI. 14.

II. Quantumvis ergo verissime dictum ab Apostolo, *si Christus non resurrexit, vana est fides nostra* 1 *Cor.* XV. 14. 17. nihil tamen derogatur morti Christi; neque est necessum propterea, quod Christus exaltationi ignominiosæ adscribit, tanquam per metonymiam improprie dictum, transferre ad exaltationem gloriosam. Neque spectavit Apostolus, id quod ingerit *Smalcius*, *ipsa morte Christi non esse datas hominibus sufficientes causas credendi in Christum: tunc vero cum Christus in cœlos ascendit, & ad dexteram Dei consedit, sufficientissimam causam credendi in eum datam fuisse omnibus ad quorum aures Euangelium pervenit.* Vix ista sanum sensum admittunt: quomodo enim potuerit, ante Christi in cœlos adscensionem, justa esse condemnatio, non credentium in Christum, si ipsa morte Christi non sunt datæ hominibus sufficientes causæ credendi in Christum?

III. Ista vero plusquam Pelagiana est assertio, quam verbis indicatis subnectit, *si plures causas Deus dedisset, jam locus fidei futurus nullus fuisset, cui tamen locum Deus in religione esse voluit.* Est hoc πρῶτον ψεῦδος illud, quod supra discussimus, ad *Caput VIII. de Promisso Spiritus Sancti Sect. III.* Non recoquemus jam cramben istam.

IV. Pertinacissime contra veritatem luctatur *Smalcius*, dum pertinaciæ insimulat à se dissentientes. Quam pudenda & putida est loci illustris *Hebr.* II. 14. detorsio ista? Diabolus habebat mortis imperium, hoc est, Diabolus prima origo fuit istius peccati, per quod mors in mundum introiit: item, Diabolus per mortem Christi abolitus est, hoc est, postquam Christus mortuus est, factum est ut Diabolus destructus sit.

V. Omnino affirmare voluit Apostolus regnum Satanæ, in omnes qui extra Christum vivunt & moriuntur in peccatis suis; & citra efficacem vocationem ad regnum Christi, in omnes omnino Adami posteros, quantisper mortui in offensis & peccatis, in illis versantur, ut est vita hujus mundi, secundum principem cui potestas est aëris & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus &c. *Eph.* II. 1. 2. 3. Hoc inquam regnum Satanæ destructum affirmat Apostolus per mortem Christi, ut ii pro quibus mortuus est Christus, liberarentur à potestate tenebrarum ac transferrentur in Regnum Christi. *Col.* I. 14.

VI. Destructum vero regnum Satanæ per mortem Christi, eo pacto, ut, quod factum est, postquam mortuus est Christus, ipso exaltato, ad destructionem regni & potestatis Diaboli, & fit etiamnum in translatione credentium in Regnum Filii Dei, censeatur fieri, non nisi jure illo, quod

quod ἀπολύτρωσιν habeant, seu precium redemptionis pro ipsis persolutum, per sanguinem Christi. *Col.* I. 14.

VII. Quamvis autem in mortis perpessione agon Christo fuit cum potestate tenebrarum *Luc.* XXII. 53. & Serpens illi contriverit calcaneum *Gen.* III. 15. tamen haud citra impietatem ab analogia Scripturarum abit *Smalcius*, ita loquens de morte Christi, quasi, illa durante, saltem βεχῶσι, *per illam Diabolus & imperium illius fuerit stabilitum, victo Christo.* Contradicit Apostolus pronuncians Christum in cruce expoliata imperia & potestates triumphasse & palam traduxisse; & docet mysterium in eo situm esse, in ipsa cruce triumphantis Christi, quod chirographum nobis contrarium è medio sustulit, illud affigens cruci. *Col.* II. 14. 15.

VIII. Nec consequens est, victum in morte Christum ab illo qui mortis habebat imperium, ex hypothetica enunciatione, dici posset à Diabolo victus, si tantum mortuus fuisset, & in morte remansisset. Ad veritatem enim istius enunciationis hypotheticæ non requiritur ut vel ad momentum victus fuerit à Diabolo Christus: sed utrumque statuitur, ut per se absurdum & cogitatu impium, nempe ut vel supponatur potuisse in morte manere Christus, vel mortuus à Diabolo victus esse: ac utrique absurdo necessario se implicat, qui unum admittit.

IX. Frustra jam, *cur hoc sit factum*, causam dicit *Smalcius*, quod factum necdum docuit; & quod refellitur abunde vel hoc uno, quod ipse suggerit argumento, quod in Resurrectione & reliqua exaltatione Christi quæ mortem consecuta est, nihil Deus aut Christus nostri causa impendit, neque ostenderit se nos amore prosequi, sed in passione & morte Christi: & quod eam ob causam cœnæ Dominicæ celebrationem voluerit esse commemorationem non Resurrectionis seu exaltationis Christi, sed Mortis ejus.

X. Si enim sincere sentias id, quod verba ista præ se ferunt, causa nulla est ita existimandi, quod redemptionem nostram tribuens Scriptura morti Christi, *id illi tribuat, quod Resurrectioni & divinæ Christi potentiæ, quæ mortem ejus consecuta fuit, tribuendum erat.* Quin si tribuimus vere *de facto* nostram redemptionem illi potestati Christi, quam ut præmium suâ obedientiâ dignum adeptus est, non potest non eadem primâ instantiâ *de jure* tribui isti ad mortem obedientiæ: ut proprie utrique & Morti & Vitæ Christi tribuatur quod suum est in negotio salutis nostræ.

XI. Confundit *Smalcius* perpetuo in tota hac de Morte Christi diatriba, jus ad vitam & salutem æternam quæsitum, cum ipsa dispensatione & collatione in jure illo fundata, seu, quæ est juris executio de facto. Hanc vitæ Christi ex mortuis redivivi tribuendam esse, ἐξαγώνιον est; illud morti Christi nolle tribuere, adeoque in negotio salutis nostræ expungere omne jus judicii divini, quo in carne Christi morientis damnarit Deus peccatum nostrum, sacrilegum est. Recurrit hic illud πρῶτον ψεῦδος, per confusionem reatus peccati, damnabilis, auferendi per satisfactionem, de jure, cum ipsa damnatione auferenda de facto.

ELENCHI

ELENCHI SECTIO V. DISP. XXXVII.

AD tollendum reatum peccati, de jure, ante omnia opus fuit imputanda peccatori, in se injusto & impio, obedientia & justitia Christi θεανθρώπου, se ipsum sua potestate, (qua in corpus suum habebat divinum jus vitæ & necis) offerentis in mortem, ut victimam pro peccato. Neque aliter sano sensu dici potest Christus, pro peccatis nostris, vel propter peccata nostra, mortuus esse. 1 *Cor.* XV. 3. *Rom.* IV. 25.

II. Neque divina illa potentia Christi, qua ad tollendum peccati reatum opus fuit, & ad vincendum & vinciendum illum qui mortis habebat imperium, pie differri & rejici potest post mortem Christi: neque si id fiat, de salutis nostræ negotio ex vero dixerit Christus in cruce pendens, *consummatum est. Joh.* XIX. 30.

III. Non ergo, demum post mortem consecutæ exaltationi, sed morti etiam ipsi, subest in mysterio demonstratio divinæ Christi potentiæ: quam ipse perfecit in media infirmitate sua, juvans se ipse, ad perfectionem τέλειον καὶ ὁλόκληρον operis patientiæ, juxta illud; *Salutem attulit mihi brachium meum, & excandescentia mea ipsa fulcivit me. Esai.* LXIII. 5. & servans sibi in ipso mortis articulo gloriationem illam sartam rectam; *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi. Joh.* X. 18. Quæ gloriatio arguit, non victum in morte, sed victorem Christum, qui moriens morti abstulerit τὸ κέντρον, & sepultus sepulcro abstulerit τὸ νῖκος victoriam 1 *Cor.* XV. 55.

IV. Neque illam, quæ in morte Christi continetur, demonstrationem summæ erga nos Charitatis Dei & Christi, fas est ex alio fonte arcessere, quam ex donatione idonei, unius, pro omnibus salvandis, sponsoris, ad sustinendam in carne sua illorum peccatis debitam mortem & maledictionem. Absque hoc mysterio frigida plane & jejuna est commendatio charitatis Dei & Christi: & nihili est ad redamandum Deum & Christum argumentum, deductum à traditione Christi in mortem. Neque ad hæc quæ nobiscum hic *Smalcius* ὅμοια λαλεῖ similia loquitur, alio nobis Elencho opus est, quam, ipsum ex falsis verum concludere.

V. Omnino certissimum illud est quidem, mortem Christi esse confirmationem omnium illustrissimam Novi Fœderis, juxta illud, quod sanguinem Christus appellat *sanguinem Novi Fœderis. Matth.* XXVI. 28. At pervertit *Smalcius* sanguinis Fœderis appellationem, quando non aliunde nos jubet petere interpretationem, quam ex locis *Apoc.* I. 5. & III. 14. ubi Christus testis verax & fidelis esse dicitur; ne scilicet aliud quid credamus Christum attulisse ad Novi Fœderis confirmationem, quam, quod ab Homine Propheta proficisci potuit, mortis martyrium.

VI. Enimvero longe illustriorem Novi Fœderis βεβαίωσιν confirmationem urget Apostolus *ad Hebræos* IX. ad quam humanum martyrii quasi sigillum nihil est: ostendit enim Christi sanguinem antitypum fuisse sanguini illi sacrificiorum, de quo dicebat Moses; *hic est sanguis Fœderis*, seu *Testamenti versu* 20. *tum Exod.* XXIV. 8. Cujus sanguinis effusione ita celebratam docet dedicationem Fœderis, ut ejus œconomia esset Testamentaria; sic ut olim futuram Testatoris mortem repræsentaret victimarum mors, ad Fidem Remissionis peccatorum *vers.* 18 -- 22. 23.

VII. Nunc vero docet Apostolus, ita consummatum quidquid ad solidam œconomiam Testamentariam Fœderis Novi desiderari olim poterat, ut sanguinem fundens & moriens Christus considerari debeat, non tantum ut serviens Deo Propheta & Martyr fidelis, in cujus infirmitate Deus perficeret voluntatem suam: sed principaliter ut ipse Testator, seu Testamenti conditor Deus. Deum enim ipsum dicit indigitamentum illud Christi morientis, ὁ διαθέμενος *Testator vers.* 15. 16. 17. Est enim Testamentum (quod Apostolus definit promissione æternæ hæreditatis quam accipiunt vocati) διαθήκη *dispositio*, non Hominis, sed ipsius Dei *Gal.* III. 15. 17. cujus proinde robur dependere ita non potuit à prophetico martyrii sigillo, ut pie potuerit dicere Apostolus, non habuisse robur suum, nec βεβαίωσιν, donec illam acciperet à morte, nisi moriens Christus idem fuerit Persona divina, proprio sanguine redimens Ecclesiam *Act.* XX. 28. atque sic ratam faciens ipse promissionem suam.

VIII. Huic principali roborationi Testamentariæ N. Fœderis subordinari, nec opponi sed cum illa componi, debent omnes illi qui in Script. exprimuntur fructus mortis Christi; Purgatio ab omni iniquitate 1 *Joh.* I. 7. Remissio peccatorum *Matth.* XXVI. 28. Liberatio à præsenti seculo malo *Gal.* I. 4. Sanctificatio populi peculiaris, sectatoris bonorum operum *Tit.* II. 14. Redemptio à conversatione à Patribus tradita. 1 *Pet.* I. 18. Neque de liberatione à peccatis aut peccatorum pœna intelligenda illa sunt ita, ut, nullo jure judicii intercedente, solo dominii jure nos liberet Deus.

IX. Neque, etiamsi Christus pro nobis passus exemplum nobis reliquit ut vestigiis ejus insisteremus 1 *Petr.* II. 21. consequens est, solo illo exemplo definiendum esse Finem Mortis Christi, neque altius assurgere Petrum, mox *versu* 24. quando ait, Christum *peccata nostra asportasse in corpore suo super lignum, & nos ejus vibicibus sanatos esse*; & porro quando 1 *Petr.* III. 18. dicit *Christum semel esse passum pro peccatis, justum pro injustis, ut nos ad Deum adduceret*. Quæ enim in corpore Christi super lignum facta est liberatio à peccatis, quando pro injustis patiebatur justus, illa confundi nullo schemate debet nec potest, cum illo liberationis sensu, qui nostram exempli Christi imitationem sequitur, Christo gloriose exaltato jam in cœlis.

X. Bene habet quod eodem modo intelligenda fatetur *Smalcius* testimonia ista Petri, quo intelligendum illud Pauli 2 *Cor.* V. 21. quando dicit,

Deum fecisse Christum peccatum pro nobis, ut nos fieremus justitia Dei in ipso. Verum impudens nimis est detorsio verborum Pauli, quomodocumque illa interpreteris cum *Smalcio*, si non agnoscas loqui Paulum de peccatis nostris, arcano Dei judicio imputatis Christo, ut fœderis sponsori, ad demonstrationem justitiæ Dei, quæ sarta tecta esse debuit, per illam sponsoris substitutionem, in nostri coram Deo justificatione *Rom.* III. 25. 26. Scilicet damnari necesse fuit in carne Christi peccatum nostrum *Rom.* VIII. 3. ut nobis adjudicari posset vita æterna, merito justitiæ Christi nobis donatæ *Rom.* V. 17. Atque omnino intelligendus est de ista peccatorum nostrorum imputatione etiam *Esaias*, dicens; *Jehovah fecit ut incurrerit in eum iniquitas omnium nostrum. Esai.* LIII. 6.

XI. Citra illud mysterium reciprocæ imputationis nostrorum peccatorum, & Christi obedientiæ ad mortem, quomodo nos morte sua cum Deo reconciliarit Christus, nullo sano sensu explicari potest: cum per se considerata mors hominis sit, ut *Smalcius* ipse loquitur, infirmitas ipsissima, quæ ut nuda voluntate Dei fiat potentia & sapientia Dei, cui uni tota salus nostra debeatur, & quæ celebretur tantorum bonorum causa una & unica, & chimæricum est, contra scripturæ analogiam, quæ inficiatur à fratre fratrem redimi posse. *Psal.* XLIX. 8. 9. 13. Et citra hypocrisin aut Spiritum contradictionis non affirmatur id à *Smalcio*, qui jam ante professus est, id quod omni etiam conatu inculcat, in istis omnibus quæ conclusioni speciosæ præstruxit, ut præmissas; quidquid Morti Christi hic tribuitur, ut totius salutis nostræ uni & unicæ causæ, non tribui nisi per metonymiam quandam, proprie vero tribuendum esse potestati Christi divinæ, quæ scilicet demum post resurrectionem ex mortuis consecuta est. Hanc hypocrisin à spiritu contradictionis detexisse in præsens sufficiet, sine prolixiori hujus Capitis Elencho.

CAPUT DUODECIMUM.

DE

Nomine Dei, quod Iesus Christus in terris mortalis degens habuit.

Libet autem hic, antequam ad munus Jesu Christi transeamus Regium, breviter aliquid addere de eo, quod præter omnia, quæ hactenus commemoravimus de Christi præstantia & divinitate, unum adhuc restare videtur, quodque ex his omnibus colligitur, nempe Jesum Christum, tunc etiam cum in terris mortalis degeret, Deum appellatum, & reipsâ fuisse. De eo

enim, quòd nunc, cùm immortalis evasit, Deus appelletur & sit, non est ullum dubium, ut ex iis, quæ paulò post de ipsius divino regno dicturi sumus, constabit.

(a) *Appellatus est igitur D. Jesus Deus, respectu muneris, quod in terris gessit, à D. Johanne bis. Sic enim primum de eo testatur:* (b) In principio erat ille sermo. *Ubi certum est, Johannem, quemadmodum de Jesu Christo, quem sermonem appellat, (vel quia sicut per sermonem hominis voluntas ejus patefit, sic per Christum divina voluntas nobis innotuit, quomodo etiam Christus dicitur via* (c) *vel ostium: vel quia sermonis Divini, hoc est, voluntatis ejus primus præco & annunciator fuit, quomodo etiam vita & resurrectio* (*appellatur*) *quemadmodum, inquam, de Jesu Christo prædicarat, quod ab initio fuerit; & fuerit scilicet in ipso initio, ut versu sequenti affirmat, apud illum Deum, sic etiam de eo prædicare, quod Deus fuerit. Idem etiam Johannes narrat,* (e) *Judæos Christo respondisse, se non de bono opere lapidibus eum petere, sed de blasphemia; &, quod cum homo esset, faceret seipsum Deum. Ubi procul dubio vox, &, copulativa, pro expositiva, id est, accipienda est, ita ut in sequentibus verbis ista blasphemia, quam Judæi D. Jesu affingebant, explicetur & exprimatur. Ad quæ Judæorum verba responsionem Christi describens D. Johannes, non ait eum negasse, quod esset Deus: sed potius ostendit, eum docuisse, jure sibi id competere, & se in eo nihil sibi arrogasse nimium, dum ista D. Jesu verba recenset.* (f) Si eos Deos appellavit, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? *Hæc sunt loca in novo Fœdere, in quibus Christus Deus expresse appellatur, respectu muneris sui Prophetici, ideoque tunc cum mortalis esset. Reliqua loca, in quibus Christus Deus appellatur, alio respectu ad eum pertinent: ut cum Thomas eum Dominum & Deum suum appellat,* (g) *& D. Paulus ait, eum esse Deum benedictum in secula.* (h) *De quibus postea dicendum nobis erit, cum ad alia, absoluto hoc tractatu de Christi munere Prophetico, perrexerimus. In veteri Fœdere prædictum etiam esse credimus, eum Deum appellatum iri, ut locus ille Esai. IX.* (i) *celeberrimus ostendit, ubi inter alia encomia, quibus parvulus iste nobis nascendus, & filius nobis dandus ornatur, hoc etiam additur, eum vocatum iri Deum, & fortem, vel Deum fortem. Quod quidem nostro judicio tam ad munus Christi Propheticum, quam Regium, referri potest.*

(k) *Ad totum vero hoc expediendum, in primis notandum est, quænam sit vocis* Deus *in sacris literis significatio. Est igitur ista vox non propria, sed, ut vocant, appellativa; & primum significat illum, quia à seipso dominatur, & ita omnium est autor, ut neminem superiorem habeat, vel ab eo pendeat. Quo sensu dicitur Deus esse unus. Deinde significat etiam illum, qui summam aliquam potestatem ab illo uno Deo habet, vel aliqua alia ratione divinitatis illius unius Dei est particeps. Hinc ille unus Deus, id est, Jehova, Deus Deorum dicitur.* (l) *Et hoc sensu tam Angeli, quam homines potestate divina præditi, Dii in sacris literis appellati*

a Loca, in quibus Christo nomen Dei tribuitur. *b* Joh. I. I. *c* Joh. X. 20. & XIV. 6. *d* Joh. XI. 25. *e* Joh. X. 33. *f* Joh. X. 35. 36. *g* Joh. XX. 28. *h* Rom. IX. 5. *i* Esa. IX. 6. *k* Quæ sit significatio vocis Deus in S. literis. *l* Psal. L. 1.

appellati sunt, (m) non quidem fictitii aut imaginarii, sed omnino, suo modo, veri. Videamus jam, quonam sensu tributa sit appellatio Dei Jesu Christo.

X. Quando igitur nos testimonia supra allata legimus, non negamus quidem, Jesum Christum Deum esse: imo toto corde illud credimus, & pleno illud ore confitemur. Quia vero rursus legimus, illum Sermonem, qui fuit Deus, nempe Jesum Christum, fuisse apud illum Deum, nempe Patrem: (is enim solus est ille Deus) & hominem illum Jesum, propterea confessum esse, quod Deus sit, quia Pater eum sanctificarit & in mundum miserit, non possumus non cogitare, alium esse eum, qui apud Deum illum fuit, & à Patre sanctificatus & in mundum missus fuit, ab eo, apud quem fuit, & à quo sanctificatus, & in mundum missus fuit.

(n) *Cùm vero audimus, vulgus Christianorum ita disserere, quod, dum Filius Dei apud Deum fuisse dicitur, distinctio tantum personarum innuatur, non autem essentiæ, fatemur, nos ista intelligere non posse, quomodo persona differat ab essentia, quæ numero sit una & simplicissima, ita ut plures una personæ esse possint in essentia, quæ numero sit una, qualis est Dei essentia: sed credimus constantissimè, tot esse oportere essentias numero unas, quot personas rationales: & vicissim tot personas, quot essentias numero unas.* (o) *Rursus, cum audimus eos disserentes de eo, quod filius à Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit, id intelligendum esse ratione humanæ Christi naturæ, nos, præterquam quod harum duarum in Christo naturarum nullam mentionem in S. literis fieri videmus, intelligere non possumus, quomodo opus fuerit, ut Pater filium sanctificaret, vel, quod majus est, quomodo fieri potuerit, ut Pater filium sanctificaret, & in mundum mitteret, si quidem filius idem Deus est, qui Pater. Tam enim filius istud omne haberet, vel potius non habere non posset ab ista sua divina persona, ab ipso puncto, quo naturam humanam assumsit, quod erat divinum in Patre, quam ipse Pater.* (p) *Cum denique audimus, istam sanctificationem D. Jesu, pertrahi ad generationem ejus ex essentia Patris, & missionem in mundum, ad ejus, quam vocant, incarnationem, dolemus sane hominum in inveniendis hujusmodi commentis audaciam, (nihil dico gravius.) Cum, (ut alia taceamus) sanctificationem & in mundum missionem talia omnino fuisse necesse sit, quæ tunc Judæis, quibuscum Dominus loquebatur, vel evidentia & cognita erant, vel evidentia & cognita saltem esse poterant. Alioquin Christus frustra ex illis divinitatem suam eis probare conatus fuisset. Quomodo vero id evidens & cognitum esse poterat, quod nemini unquam in veteri fœdere revelatum fuerat, & ratione nulla percipi potest?*

Ac dum ita hæc omnia consideramus, eo adducimur, ut ea plane rejiciamus, non ideo, quod ea non intelligamus, sed ideo, quod ea vera esse nullo modo posse, optime intelligimus. Divinitas autem Jesu Christi qualis sit, discimus ex sacris literis, nempe talis, quæ propter munus ipsius divinum tota ei tribuitur. (q) *In priori enim loco Johannis videmus, ideo Dominum* JESUM *Deum appellari, quod omnia & singula, quæ in munere ejus, quod in terris degens gessit, continentur, di-*

m Psal. VIII. 6. Hebr. II. 7. Psal. LXXXII. 6. Joh. X. 34. *n* Distinctio personarum in Deo nulla est. *o* Distinctio naturarum in Christo nulla est. *p* Incarnatio Christi nulla est. *q* Cur Christus Deus à Johanne c. I. appellatur.

tur, divinitatis plenissima fuerint, quod ita se habere, paulo ante ostendere conati sumus, & ni fallor ostendimus. Quorum quædam etiam D. Iohannes ibidem addere non neglexit, dum ait primum: (r) Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est; docturus scilicet, omnia, quæcunque ad Euangelium pertinent, (hoc enim describere instituerat Iohannes, & hujus objectum est Iesus Christus) à Deo per Iesum Christum primum & solum cœpta & perfecta esse. Ipse enim primus & solus docuit Euangelium: is primus & solus illud confirmavit: is primus & solus aliis etiam prædicandi regnum Dei provinciam dedit. Et quicquid ab aliis factum est, ad Euangelii prædicationem & confirmationem pertinens, illud totum uni Christo acceptum referri debet, quia sine ejus auxilio & potestate factum non sit: adeo ut ea etiam, quæ, Christo in cœlos exaltato, facta sunt ad Euangelium pertinentia, nempe vocatio gentium, & abolitio ceremoniarum legalium, quæ per Christi Apostolos facta esse nemo nescit, sine Christo tamen facta non sint, quemadmodum ipse Dominus Apostolis dixit: Sine me nihil potestis facere (ſ) *Deinde ait Divus Iohannes:* In ipso vita erat, *nempe illa æterna, ut idem Iohannes alibi expresse ait:* Hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus: hæc vero vita in filio ejus est. (t) *Fuit autem hæc vita in Iesu Christo, quatenus scilicet eam Christus primus revelavit, & ab eo prædicandi eam initium factum est. Quæ tanti boni prædicatio, Lux vera fuit hominum, quatenus omnes, qui antea in tenebris, hoc est ignoratione hujus voluntatis divinæ, detinebantur, illustravit, & mentes eorum ita reformavit, ut aliam plane spem conciperent, quam antea habuerant. Tum addit, omnem hominem ab eo, cum in mundum venit, hoc est, cum prædicare Euangelium incepit, illuminatum esse, quatenus scilicet per eum non stetit, quominus omnes Iudæi, & deinde etiam omnes gentes extraneæ ad eum converterentur. Porro ait, mundum per eum factum esse, hoc est, homines, quibuscum conversabatur, verum & perfectum Dei populum, effectos fuisse, (quantum quidem Deus facere in hujusmodi actionibus solet, vel ex parte Dei) & omnibus ostensum fuisse, quis verus cultus Dei esset, quo Deus coli vellet. Præterea subjungit, eum illis, qui se receperant, dedisse potestatem, ut filii Dei fierent; hoc est, certissimam spem fecisse, eos tandem reipsa vitam æternam consecuturos. Deinceps ait, ab Apostolis visam esse gloriam ejus singularissimam, tanquam unigeniti à Patre, quia scilicet in monte sacro quidam eorum D. Iesum transfiguratum viderant, & vocem ex cœlo de eo audierant* (v) Hic est Filius ille meus dilectus, in quo mihi complacui: *omnes vero eundem ex mortuis resuscitatum & viderant, & cum eo familiarissime conversati, tandem eum in cœlos ascendentem aspexerant. Denique concludit Iohannes, & ait, omnes, quicunque Euangelium vel docuerunt, vel idem didicerunt, id ab eo accepisse: & loco istius legalis gratiæ, gratiam tantò majorem consecutos esse, ut solum Euangelium gratia & veritas dici mereatur, in quo adeò perfectè & accurate Dei voluntas nobis sit exposita, ac si ipsum Deum vidissemus, vel audivissemus nos alloquentem. Hæc sunt, quibus nobis divinitatem Iesu Christi probare Iohannes eo in loco voluit.*

(x) *In*

r Quid sit per Christum facta esse omnia Joh. I. 3. ſ Joh. xv. 6. t 1 Joh. v. 11. v Matth. xvii. 5.

(x) *In altero vero loco apertissime videmus, Iesum Christum ideo concedere & affirmare, se Deum esse, quia à Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit. Quid vero magis est vero consentaneum, quam Iesum Christum hominem sanctificatum à Patre suo tunc fuisse, quando eum natum jam, & muneri suo destinatum, unxit Deus Spiritu suo sancto? & rursus, tunc eum fuisse in mundum missum, cum munus illud suum obire, & divinam homines voluntatem docere cœpit? quemadmodum de Apostolis etiam propter eandem causam legimus, eos missos à Christo fuisse, ut Christus à Patre missus fuerat.* (y) *Ut igitur divinam illam ad munus suum initiationem, & divinam divini muneris sui functionem, documenta divinitatis suæ esse Dominus Iesus voluit: sic etiam nos eadem pro infallibilibus divinitatis ejus, quam in terris mortalis degens habuit, argumentis habentes, ipsissimam nos veritatem sequi persuasi sumus & in eo proinde toti acquiescimus.*

(z) *Ubi etiam illud, quod veritatis studioso multum prodesse potest, non omittendum est, quod Christus, concesso eo, quod sibi objiciebatur, & docturus, se id jure sibi vindicare, pro eo, quod concludere debuerat, si modo ad objectionem adversariorum directe respondere voluit, vos dicitis, quod blasphemem, quia dixi, Deus sum, dixit,* vos dicitis me blasphemare, quod dixi, Filius Dei sum. (a) *Quod non credibile est, Christo per aliquam incogitantiam quasi excidisse: sed data operâ id ab eo pronunciatum fuisse, plane statuendum est, ut ita Christus una responsione duo æque necessaria simul efficeret, nempe, ut suam veram gloriam assereret, Patris vero sui præeminentiæ nihil detraheret: cum docuit, se Deum esse; & simul, se non illum unum Deum esse, sed talem Deum, qui ab ipso Deo uno divinitatem suam habeat. Nimis enim certum est, eum, qui est Dei filius, non posse esse Deum, cujus filius est. Eatenus igitur Deus est Iesus Christus, quatenus Dei filius est. Filius autem Dei est D. Iesus, licet propter ipsam etiam miraculosam conceptionem & nativitatem: maxime tamen propter similitudinem, quam cum Deo habuit, & habet. Similitudo autem Iesu Christi cum Deo, maxime in munere ejus conspicitur. In eo enim, ut paulo ante diximus, apparet, quod Iesus Christus, qui, quoad naturam verus homo erat, quod ad sanctitatem, potentiam, sapientiam proprior Deo, quam homini fuerit. Divina fuit sanctitas, divina potentia, divina sapientia Iesu Christi. Et hæc quidem de divinitate Iesu Christi dicta sunto, quam etiam tunc reipsa habuit, cum adhuc mortalis in terris degeret, quæ tanta est, ut vere Deus appellari potuerit. At si nunc eam etiam divinitatem, quam ex mortuis resuscitatus, & supra omnes cœlos exaltatus, consecutus est, prædicare velimus, cujus respectu, licet futuræ, tamen certissime destinatæ, ita tunc appellari potuit, quemadmodum etiam respectu muneris sui, quod 30. demum anno ætatis suæ labente, vel elapso, aggressus est, Servator ab ipso nativitatis tempore appellatus fuit,* (b) *tunc demum appareret, quam juste hoc Domino Iesu Christo competat, quod eum Dominum suum & Deum suum appellavit Thomas, Deum vero benedictum in secula D. Paulus. Quomodo enim eum, qui jam resurrexerat, & propterea jam omnia perfecerat,*

x Cur Christus in altero loco Johannis Deus appelletur *y* Joh. x. 37. *z* Christus ita Deus est, ut filius Dei est. *a* Joh. x. 21. *b* Luc. 1. 11, 23. Luc. 11. 18.

perfecerat, quæ ad consequendam gloriam immortalem pertinebant, Dominum suum, & Deum suum, hoc est, Dominum suum talem, qui divino modo ei imperaturus erat, non appellaret D. Thomas? Quomodo item eum, qui omnem potestatem in cœlo & in terra consecutus erat, cui omnes Angeli, & homines subjecti erant, eumque colebant, Paulus dubitaret Deum benedictum in secula appellare. Sed quia hac de re paulo fusius in sequentibus capitibus agendum nobis erit, ubi de regno Iesu Christi divino agemus, quæ omnia ad divinitatem ejus illustrandam pertinent, nolumus nunc plura de eo dicere. (c) *Hoc tantum addimus, minus in eo laborandum esse, ut ostendatur, Iesum Christum ab eo tempore, quo supremam in cœlo & in terra à Deo consecutus est potestatem, Deum esse. Quis enim hoc negaret, quod ipsa res loquitur? Quis eum, qui immortalis & dominus omnium Angelorum effectus est, Deum esse neget? At in eo laborandum aliquid fuisse putavimus, quod est multo mirabilius, nempe, ut doceretur, eum tunc etiam, cum adhuc mortalis esset, & in Angelos imperium nondum haberet, sed eis certo respectu minor esset,* (d) *Deum revera fuisse. Hoc enim demonstrato, per se patebit: eum nunc multo perfectius ista dignitate præditum esse, posteaquam in cœlis regnare cœpit.*

(e) *Nolimus autem quenquam hic nobis obstrepere, & in re nimis seria nobis illudere: quod, quia Christum isto modo Deum agnoscamus, Deum habeamus factum & fictitium, ut multos scribere non pudet, & ita non verum Deum: vel quod, si eum pro vero Deo habemus, duos habeamus Deos, &, ut porro blasphemare non dubitant, idolatræ simus, vel aliquid cum ethnicis commune habeamus. Sunt enim ista omnia ita comparata, ut apud homines tantum leves & parum pios speciosa esse videantur: interim vero apud graves & pios futilia plane sunt, & indigna fere, ad quæ aliquid serio respondeatur. Hujusmodi enim objectiones vel potius exagitationes, non nobis, sed sacris literis bellum indicunt, quæ, quia Iesum Christum propter certas causas, quæ ex solius Dei voluntate, & gratia liberrima* (f) *profectæ sunt, Deum appellant, eum sane hoc ipso factum esse confitentur, & illum unum verum Deum, qui Pater est, esse nullo modo permittunt. Frustra est verba Spiritus S. linea inducta denigrare, quibus affirmat:* Pro certo sciat tota domus Israëlis, quod & Dominum & Christum fecit eum Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis. (g) *Eo autem modo, (ut hoc etiam propter simpliciores addamus) quo Petrus D. Iesum affirmat esse factum Dominum & Christum, dici à nobis potest, eum etiam esse Deum factum. Cum istud Christi dominium sit ipsa ejus divinitas: & summa Christi divinitas sit, quod is est ille unus Dominus, per quem omnia,* (h) *teste D. Paulo* (i) *Qui vero etiam eo audaciæ progrediuntur, ut audeant dicere, nos habere Deum non verum, sed fictitium, quia scilicet Christum non agnoscamus pro illo uno vero Deo, qui Pater est, his mentem meliorem à Deo optamus, &, ne eos propterea puniat, eundem rogamus. Quid enim? Num statim is, qui non est ille unus verus Deus,*

c Cur magis mirum sit, Christum Deum fuisse, cum in terris degeret, quam nunc, cum in cœlis degit. *d* Psal. VIII. 6. Hebr. II. 7. *e* Responsio ad objectionem adversariorum de Deo facto. *f* Phil. II. 9. 10. *g* Act. II. 36. *h* I Cor. VIII. 7. *i* Responsio ad cavillum eorum, qui dicunt nos habere Deum fictitium.

rus Deus, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, non est verus Deus, sed fictitius? Apage istam ruditatem. Certe enim isti, quorum respectu Deus appellatur Deus Deorum, (k) *& in quorum medio stetit, & quos ipse Deus Deos appellavit,* (l) *nec Deus ille unus verus, nec tamen fictitii Dii sunt.* (m) *Nam vocabulum* verus *cum de Deo illo uno prædicatur, non tantum falsis Diis opponitur, ita, ut quicunque non est ille unus verus Deus, falsus sit Deus: sed etiam opponitur Diis aliis veris, qui tamen modo minus excellenti Dii sunt, quam ille unus Deus, qui verus Deus est* κατ' ἐξοχήν, *hoc est, modo omnium excellentissimo, cum reliquis id per analogiam competat. Hoc modo Euangelium dicitur veritas,* (n) *respectu ipsius legis, non quod lex non sit vera: sed quod multo excellentiori modo veritas competat Euangelio, quam legi. Hoc modo tabernaculum, in quo Christus ingressus est, verum* (o) *appellatur respectu legalis, quod tamen non erat falsum Et hic iterum veremur, ne quis nos sugillet, quasi, dum ista asserimus, Christum cum istis rebus comparemus. Non comparamus Christum cum his rebus, sed tantum similitudinem asserimus, & similem loquendi modum. Est igitur Christus verus Deus, qui veram divinitatem habuit & habet.*

(p) *Illud vero, quod dum hoc docemus, nobis plerunque objicitur de dualitate Deorum, plane pro nihilo habendum est. Certum enim est, nos ex sacris literis habere suppeditata arma, quibus nos hac in re tueri possumus. Legimus Deum unum esse: legimus etiam Deos multos esse; & legimus utrumque in uno Capite Octavo I. ad Corinth. ubi semel dicitur:* Scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus Deus alter, nisi unus. (q) *Deinde iterum dicitur;* Nam etsi sunt qui dicuntur Dii, sive in cœlo, sive in terra (sicut sunt multi Dii, & domini multi.) *Unde aperte videre est, Paulum ipsum hoc prævidisse, quod isti simplici pronunciato,* nullus est Deus alter nisi unus, *possit aliquid objici, & quidem jure quodam, & spec e veri. Non enim tantum ex mente aliorum loquitur, sed etiam ex sua, dum ait:* Quemadmodum sunt multi Dii. *Statuemus ne igitur idololatram aut ethnicum esse, qui plures uno Deos esse fateatur? Absurdumne videbitur nobis, quod Paulus nos docuit? Minime vero gentium. Audiamus enim ipsum Paulum, nodum hunc resolventem, qui, concesso eo, quod multi sunt Dii in cœlo & in terra, hanc maximam statuit:* Nobis autem unus Deus (est) ille Pater, ex quo omnia, & nos in illum. *Credendum est, Deos esse multos veros præter unum, alioquin Deus non posset esse eorum Deus. Quid enim Deo commune cum idolis & diis fictitiis? Rursus credendum est, unum esse Deum, illum Patrem, ex quo omnia, & nos in illum: utrumque enim Paulus affirmat. Distinguendum scilicet est inter eos, qui sunt alio modo Dii, licet veri, quam Deus ille unus est; & agnoscendum illos ideo Deos esse, quia divinitatis datæ sint participes. At talis Deus unus tantum agnoscendus est, qualis est ille Pater, nempe Domini nostri Iesu Christi, nimirum, ex quo omnia, & nos in illum. Talis, inquam, Deus unus tantum est.*

At rursus, annumerabimusne præcise Iesum Christum istis multis Diis, qui sunt extra unum illum Patrem, ex quo omnia & nos in illum? Cavet sane hoc Paulus.

k Psal. L. 0. 1. *l* Psal. LXXXII. 1. *m* Quomodo Deus dicatur verus Deus. *n* Joh. 1. 17. *o* Hebr. VIII. 2. *p* Responsio ad objectionem de dualitate Deorum. *q* 1 Cor. VIII. 4. 5.

Paulus. *Quemadmodum enim dicit*: Nobis est unus Deus, ille Pater, ex quo omnia, & nos in illum: *sic etiam ait*: Nobis est unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. *Quæ verba Pauli totam hanc difficultatem facillime solvere possunt: nempe Iesum Christum non esse pro illo uno Deo agnoscendum, quia non sit ille Pater, ex quo omnia, & nos in illum; nec etiam annumerandum simpliciter illis aliis Diis, quia nullus eorum fuerit, aut sit, aut esse possit, unus Dominus noster, per quem omnia, & nos per illum. Est aliquid medium inter illum unum Deum, & alios Deos veros, Iesus Christus. Si causam efficientem divinitatis Iesu Christi respicias, habet eam communem cum illis multis veris Diis. Aperte enim S literæ testantur, donatum ei esse à Deo nomen super omne nomen, (r) & datam ei esse omnem potestatem in cœlo & in terra, (ſ) quemadmodum etiam omnes alii Dii extra illum unum Deum Patrem, divina benignitate id consecuti sunt, quod Dii sunt. Si vero id, quod donatum vel datum est Christo, nempe ipsam divinitatem consideres, jam exemptus ex numero illorum multorum Deorum, & unum quodammodo cum illo uno Deo Patre est Christus. Omnium enim illorum multorum verorum Deorum, qui sive in cœlo, sive in terra fuere, aut sunt, Deus est, Iesus Christus. Omnis per eum salus ad homines derivatur; & omnes per eum ad Deum tandem perducentur.*

(t) *Cavit autem rursus hoc Spiritus S. quantumvis Iesus Christus unum cum illo uno Deo Patre sit, quod ad divinam potestatem ejus attinet, (de quo paulo inferius dicemus,) ne unquam aliter diceretur, quam ut antiquitus dictum erat, Deum esse unum; nec unquam nos docuit ita loqui, quod duo sint Dii veri, ut scilicet hac ratione salva tecta uni illi Deo Patri sua servaretur prærogativa, quæ hisce loquendi modis facile obscurari posset. Nam credi posset, si duo veri Dii esse dicerentur, utriusque natura talem esse, quod esset, religionem & cognitionem Dei tollere, & homines ad deliria ethnicorum tacite deducere. Et qua cautione Spiritum S. usum esse, in hoc tanto mysterio explicando, videmus, eadem nobis etiam utendum esse notemus. Unus Deus agnoscendus est pater ille, ex quo omnia: unus etiam Dominus agnoscendus est Iesus Christus, per quem omnia, qui quia divino modo dominatur, ideo etiam Deus est.*

(v) *Si diceremus, Deum Patrem esse illum verum unum Deum, & Iesum Christum pariter esse illum verum Deum, esset aliquid affine ei, quod de Ethnicis legimus, qui credebant, Deos esse plures uno, quorum alter ab altero nullo modo penderet, sed omnes essent pares & æquales. Nunc vero, cum dicimus, unum esse Deum, ex quo omnia, & omnis divinitas; & rursus alios etiam esse dicimus, &, suo modo, etiam Iesum Christum, qui à Deo illo toti pendeant, non alios Deos introducimus: sed illum unum Deum mirifice extollimus, dum scilicet omnia ad eum referimus, quæcunque divinitatem aliquam spirant.*

(x) *Præterea, si talem unum Deum, & ei subordinatos Deos, & Iesum etiam Christum, fingeremus ex nostris cerebris, possemus jure idololatriæ & ethnicæ impietatis accusari. Nunc vero, quia hac tota in re sequimur expressam Dei voluntatem, in literis S. nobis revelatam, non est anxie nobis contendendum de eo, nec ratio reddenda ejus, quod nos confitemur: sed potius cum admiratione ample-*

r Phil. 1. 9. ſ Matth. XXVIII. 19. t Cur Spiritus S. nolit dici, Duos esse Deos. v Quis pro Ethnico habendus. x Quis pro idololatra sit habendus.

amplectendum est hoc mysterium, & considerandum, quanta in eo lateat Dei sapientia, quod se unum Deum, & Iesum Christum unum Dominum, à se dependentem, esse voluerit, & ita nobis semetipsum revelarit.

(y) Non possumus enim hic non paucis verbis in publicum producere & detegere nimiam Diaboli astutiam & efficaciam, qui hoc ipsum exosum reddere, tanquam commentum ethnicum, potuerit hominibus Christianis, quod præcipuum Christianæ religionis caput, vel potius unicum & propriissimum hominum Christianorum adjunctum & signum est. Ut enim Iudæorum proprium est, unum tantum Deum confiteri, & in eum solum credere: ita hominum Christianorum proprium est, unum illum Deum, quem Israëlitæ confitebantur, qui Pater est Iesu Christi; & una cum illo Iesum Nazarenum, ab illo uno Deo in mundum missum, ex mortuis resuscitatum, & potentia divina donatum confiteri, & in illum etiam credere, ut Dominus ipse ait, (z) vel per illum in Deum, ut D. Petrus loquitur. Iudæis dictum erat: Audi Israël, Deus tuus, Deus unus est: Christianis, qui sunt verus Israël Dei, (a) dictum est: Nobis Deus unus est, ille Pater: & unus Dominus Jesus Christus. Quicunque hic utrumque non confitetur, is Christianus non est: & rursus, quicunque hunc utrumque confitetur, hunc Christianum professione esse, nemo negare potest. Et hoc est canticum illud novum, (b) hoc est, novus ille cultus Dei, quem D. Iohannes testatur tributum fuisse à 24 senioribus, & quatuor animalibus (per quæ procul dubio universa Christi Ecclesia describitur) Agno illi stanti tanquam occiso, qui eos redemisset Deo in sanguine suo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisset eos Deo Reges & sacerdotes. Quem cultum deinde iterum ait tributum fuisse ab omni creatura, quæ est in cœlo, & super terram, & sub terra, & in mari, quæ sunt, & quæ (sunt) in eis, Sedenti in throno, & Agno. Hinc etiam illæ Apostolicæ, & vere novo Fœdere dignæ, natæ sunt salutationes; Gratia, & pax à Deo Patre nostro, & Domino nostro Iesu Christo. Quæ inter Christianum & illum antiquum Dei populum, specificam, ut loquuntur, constituunt differentiam. Nam quantumvis quis Deum confiteatur: tamen si Iesum Christum Dominum nostrum non amet, anathema est. (c) Et tamen, proh dolor, hodie illi vix pro Christianis habentur, qui illud constantissime credunt: interim alii sibi vi vendicant, se Christianos esse, qui hos & odio habent, & quantum in eis est, vita eos privatos vellent. Quibuscum si summo jure agendum esset, & considerandum, quænam sit dogmatum, quæ habent, plurimorum vis & efficacia, vix tam augusto nomine gaudere possent: Sed quia plerosque hoc, quod sentiunt & faciunt, ex ignorantia mera sentire & facere persuasi sumus, ideo mitissime eos tractamus, & tantum, ut ab istis variis erroribus liberari possint, pro virili curamus. Quanta vero in hoc sapientia, quanta potentia, quanta bonitas Dei lateat, quod non tantum se pro uno vero Deo hodie agnosci, verum etiam Iesum illum Nazarenum, pro uno Domino nostro haberi velit; de eo postea plura, Deo volente, dicemus, cum de Christi Regno sermonem habituri sumus. Nunc igitur finita hac quæstione, quam hoc in loco movere, utile esse credimus, revertamur ad nostrum propositum.

y Proprietas Christianæ religionis, & differentia à Judaïca, quæ sit.
z Joh. XIV. 1. a Gal. VI. 16. b Apoc. V. 8. 9. c 1 Cor. XVI. 24.

ELENCHUS CAP. XII. DISP. XXXVIII.

TAndem, post prolixam *παιδοδελίαν τῆς πλάνης*, *Smalcius γυμνῇ κεφαλῇ* hoc capite contradicit veræ Deitati Christi Filii Dei, trina inficiatione asserens. 1. *Distinctionem Personarum in Deo nullam esse.* 2. *Distinctionem naturarum in Christo nullam esse.* 3 *Incarnationem Christi nullam esse.* Interim, (quia premitur argumento, à Nomine Dei, quod vere tribui non potuerit Christo, si non tam fuerit Verus natura Deus & Filius Dei, quam verus natura Homo & Filius Hominis) fingit *Nomen Dei* verum, *quod Jesus Christus in terris mortalis degens habuerit*, citra veram Dei Essentiam & Naturam; quod censemus esse contra Scripturarum Veteris & N. T. analogiam.

II. Bene interim habet hoc quidem, quod *Jesum Christum, tunc etiam cum in terris mortalis degeret, Deum appellatum, & reipsa fuisse*, fatetur; & quod affirmationem hanc confirmat ipse, saltem duobus Novi, & tertio V. T. illustribus testimoniis. *Joh.* I. I. & X. 35. 36. & *Esai.* IX. 6. quo loco Esaiæ prænunciatum fuit eum *vocatum iri Deum, & fortem, vel Deum fortem*; in Hebræo est אֵל גִּבּוֹר.

III. Veritatem vero istam ut detineat in injustitia, initio vellicat interpretationem vocis λόγος *Sermo Joh.* I. I. dictans, non docens, *Sermonem dici Christum, vel quia per Christum divina voluntas nobis innotuit: vel quia voluntatis Dei primus præco & annunciator fuit.* Quam interpretationem, non concessam, dare possemus sine præjudicio; quia vis demonstrationis orthodoxæ sita est non in Subjecto Enunciationis istius, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, quod est λόγος *Sermo*; sed in Prædicato, quod est θεὸς *Deus*: quod vidit *Smalcius*, mox sibi hoc sumens tractandum, *Quæ sit significatio vocis Deus in S. literis.*

IV. Enimvero quis cogit, ut pro derelicta habeamus, vocis λόγος *Sermo*, interpretationem arcessitam ex V. T. Scripturæ locis, quamvis rarioribus? in quibus uni Personæ Deitatis nominatæ, per expressum nomen יְהוָה *Jehovah*, junguntur duæ aliæ, דָּבָר λόγος *Sermo*, & רוּחַ πνεῦμα *Spiritus Psal.* XXXIII 6. & *Aggæ.* II. 5. 6. quibus locis omnino parallelum est illud I *Joh* V 7. ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, *Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus.*

V. Neque ullam habet verisimilitudinem, voluisse Johannem Euangelistam, ita ex abrupto suum de Jesu Christo Euangelium ordiri à nova, ignoti olim in V. T. nominis λόγου, ὀνοματοποιΐᾳ, de qua divinandum esset, doctis pariter & indoctis, extra omnem Scripturæ, aut interpretum V. T. usum. Omnino autem consentaneum est, quod à Theologis Christianis observatum, rariorem vocis דָּבָר acceptionem in fonte Hebraïco, pro persona τοῦ λόγου, frequentissime à *Paraphraste Chaldæo* usitatam, præsertim in *Targum* Mosis, quando etiam ipsum nomen יהוה reddidit מֵימְרָא דַיְי *Sermonem Jehovah*: videantur præcipue loca *Gen* XXVIII. 21. *Num.* XIV. 31. *Deut.* I. 30. IV. 24. XXXI. 6. Atque sic Euangelistam, illi cui debebatur,

bavit, Filio Dei vindicasse nomen illud λόγος, ex antiquissima Patriarcharum fide, etsi forte à sequiori antiquitate minus intellectum, & à Platonica Philosophia impuratum.

VI. Explicaturus *Smalcius*, *quænam sit vocis Deus in sacris literis significatio*, dictat, *Vocem Deus non esse propriam sed appellativam*, ut significet, *etiam illum, qui summam aliquam potestatem ab illo uno Deo Jehovah habet*, ac pronunciat, *eo sensu, tam Angelos quam Homines, potestate divina præditos, Deos in sacris literis appellari, & omnino suo modo Veros.* Quod sic expressit *contra Smiglecium* scribens, *de Novis monstris novi Arianismi* scilicet se purgaturus, *pag. 26. Non tantum*, inquit, *Jesus Christus Verus Deus est, qui tamen est præter unum illum Deum, homo enim est quoad naturam: verum etiam alii, qui Christo sunt longe inferiores, præsertim cœlestes Dei, Veri sunt, licet sint extra illum unum Deum.*

VII. Est ergo explicata *Smalcii* sententia ista; ob analogicam similitudinem potestatis & judicii, independentis & dependentis, commune esse Creatori & Creaturis (inter quas eximius Christus) nomen Deus: sicut ob analogicam similitudinem communia dicuntur Deo & Hominibus, atque Angelis, attributa Dei quæ affirmantia vocant, ita ut κατ' ἐξοχὴν quidem Deus dicatur *solus sapiens, solus bonus*, nihil tamen peccetur, quando, suo modo, dependenti à Deo perfectione, Homo etiam vel Angelus dicitur vere *sapiens* & *bonus*.

VIII. Nos credimus diversam, in scripturæ usu, esse rationem istorum nominum adjectivorum, sapientis, boni, & similium, à ratione nominis substantivi Deus, אלהים / אל / Θεὸς. Ac omnino destitui auctoritate Scripturæ loquentis, imo damnatam esse loquutionem istam, qua absolute, definitive, & in casu recto, vel de se loquens creatura dicat, *Deus sum* אני אל / vel de sui simili, *ipse est Deus*, הוא האלהים. Nec possit judicio secundum Scripturas, à blasphemia absolvi Christus, si (quod ex *Smalcii* sententia consequens est) Christo dicente (quod fatente *Smalcio* dicere potuit, quamvis mortalis in terris degens, ex *Esaiæ* 1x. 6.) אני אל גבור ex vero responderi potuit, id quod Principi Tyri, dicenti אני אל / *Deus sum*, Deus verus Israëlis regessit, / אתה אדם ולא אל / *Tu Homo es & non Deus. Ezech.* xxviii 2. — 10. Quemadmodum contra Ægyptiorum Principes, & equitatum ipsorum, contestatio ista Principum monitrix legitur *Esai.* xxxi. 3. אדם ולא אל / ובשרו לא רוח / *Homo & non Deus, Caro & non Spiritus.* Ad loca ἐναντιοφανῆ, *Smalcio* illa proferenti, inferius respondebitur.

IX. Vix autem nobis, contra *Smalcium*, alia assertionis nostræ (de usu Nominis Dei ejusmodi, ut sancte Christo tribui non potuerit, si distinctio Personarum in una Dei essentia nulla est; si nulla est in Christo distinctio naturarum; si nulla est Christi incarnatio) vix inquam alia nobis demonstratione opus est; quam quod in hac quæstione de Veteris Testamenti Scripturis contestatus est Christus, οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή, *non potest solvi Scriptura Joh.* x. 35. *Smalcium* vero legimus, quando premitur

 à *Smiglecio*

à *Smiglecio* auctoritate Scripturæ V. T. uti hac evasione. *Nec cultus divinus addiscendus est Christianis ex Propheta:* item; *Parum curandum est quod dicit de cultu Dei Propheta Veteris Fœderis.* (*Libro contra Nova monstra pag.* 79.) Accipimus hoc ut desperatæ causæ indicium: maxime, cum videamus eundem (*libri ejusdem pag.* 50.) ut responset etiam Scripturæ N. T. uti monito hoc minime sobrio: *Quis,* inquit, *non videt locos illos Scripturæ, in quibus dicitur* Deum *unum esse, & nullum alium esse, sobrie intelligendos esse?*

X. In contrarium audiendum hic monitum illud; locos illos Scripturæ in quibus videtur affirmari alios Deos plures esse, præter unum illum qui est natura Deus, sobrie intelligendos esse; & curandum omnino, quid ad epanorthosin vel à Deo ipso adjectum sit, vel quæ sit ipso dictionis schemate catachresis vel ironia, quæ vetent absolute, definitive, & in casu recto, accipi nomen Deus, de aliis, præter unum illum. Consequens est monitum illud ex illa monitrice Principum contestatione divina, quam modo audiebamus *Thes.* VIII. Ut manifesta est, in loco qui hic à *Smalcio* inter alios vexatur, epanorthosis, contestationi isti gemina *Psalmo* LXXXII. qua (post *versum* 6. *Dixi ego Dii vos, & omnes Filii Excelsi*) ilico cavere voluit Deus, ut sobrie hoc acciperent Principes & Magistratus, adjiciens illud *versu* 7. *Attamen ut homines moriemini, & sicut unus Principum cadetis.* Similiter enim Principem Tyri docuit Deus, ipsum Hominem non Deum esse, comminatione ista; *Idcirco ecce Ego adducturus sum contra te extraneos &c. In foveam demittent te, morierisque mortibus confossorum, in corde marium. An perges dicere,* Deus *sum, coram interfectore tuo? &c. Ezech.* XXVIII.

XI. Quia vero non possent non illa tangere ipsum Dominum Jesum, (si non esset ipse natura Deus, & pro tempore tantum, mortalis in terris degens, solo Prophetico munere, secundum Smalcium, inter Homines eximius) credimus contra omnem Scripturæ tam Novi quam Veteris Testamenti harmoniam esse, quod apud *Smalcium* legimus (*libro dicto pag.* 33.) *Præcipuum Christianæ religionis mysterium esse, ut unus natura Homo sub Novo Fœdere colatur, ab omnibus qui ad veram immortalitatem aspirant.* Flagitare autem harmoniam illam, ut præcipuum religionis Christianæ mysterium sit, illud ipsum, quod trina sua inficiatione destruere satagit.

XII. Mysterii vero illius, quamvis τὸ πῶς, seu τὸ *Quomodo*, fateamur & nos non intelligere, credimus tamen τὸ ὅτι, seu quod sit, trina Scripturæ affirmatione. 1 Duas illas Personas, Patrem & Filium, quin tres illos Testes, Patrem Sermonem & Spiritum, Unum esse. *Joh.* X. 30. & 1 *Joh.* V. 7 2. Esse Christum Hominem, cui homines Israëlitæ agnati sunt in arbore consanguinitatis κατὰ φύσιν secundum naturam. *Rom.* XI 21. 24. At eundem non Hominem esse sed Deum, ut Apostolorum vocationis auctorem, & Promissionis divinæ Testatorem *Gal.* I. 1 12. & *Heb.* IX. 16. 17. *cum Gal.* III. 15. 3. Esse Verbum Carnem factum *Joh.* I. 14. Deum manifestatum in Carne. 1 *Tim.* III. 16.

XIII. Ut

XIII. Ut autem omnino Missionem in mundum referimus ad Incarnationem Filii Dei, ita non tenemur præstare, si qui sanctificationem istam de qua sermo est *Joh.* x. 36. pertrahant ad generationem ejus æternam. Attamen, ex sanctificatione ista (quam malumus de Prædestinatione & consequenti Obsignatione & Unctione ad munus Mediatorium intelligere) à posteriori efficaciter demonstrari censemus, Filium Dei Æternum, qui nec initium dierum habeat nec vitæ finem.

XIV. Cur Christus Deus à Johanne appelletur *Cap.* 1. *v.* 4. Ætiologia *Smalkii* resolvitur in hanc assertionem; quod Jesus Christus in terris mortalis degens Deus à Johanne appelletur, ob munus suum Propheticum: aliam enim Nominis ætiologiam, ob Munus Regium, non admittit ante Christi in cœlis exaltationem. Enimvero, *nemo Prophetarum unquam ob munus suum Deus appellatus fuit simpliciter, quemadmodum Christum ob munus suum Propheticum hoc in loco appellari* vult *Smalcius*. Utimur ipsis *Smalcii* verbis, quæ legimus *Homilia ejus I. supra initium Cap.* 1. *Johannis*.

XV. Ex ista *Smalcii* confessione jugulari videtur, quod supra assertum *Smalcio*, *nomen Deus quod habuit Christus mortalis in terris degens, non fuisse proprium, sed appellativum seu commune*. Quomodo enim ista notione potuit Deus nomen commune esse? quod neque Creatori, neque Creaturæ ulli cum Christo commune fuerit, sed uni & soli Christo datum personali privilegio, præter Analogiam illam, qua commune censetur notione Potestatis & Judicii; de qua infra dicendum ad locum *Joh.* x.

XVI. Enimvero quidquid sit de Analogia Grammatica, quomodo conciliabitur tandem insolens illa Nominis Deus, ob solum munus Propheticum, usurpatio cum exemplari humilitate, quam professus est Christus, & ad cujus imitationem omnes vocat, celeusmate illo *Matth.* xi. 29. *Discite à me, quod mitis sim & ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, Humilis corde*. Siquidem id quod Principi Tyri, ut grande nefas & morte piandum, Deus intonat apud Ezechielem, dicenti Deus sum, D. Iesu regeri potuit, quod *disponeret* seu *efferret cor suum ut cor* Dei. *Cap.* xxviii. 2. *&* 6. Fatemur certe nos videre non posse, quomodo non majorem sui fastus πρόφασιν habeat Rex aut Princeps ex illorum ordine unus, quibus Deus dixit Dii estis, quam Propheta nomen Deus usurpans, de quo non est unquam factum illud Verbum Dei ad Prophetas.

XVII. Certe conciliari non possunt ista (abnegata Incarnatione Christi, per quam ipse creditur Verus natura Deus, manifestatus in Carne assumpta) quod ad laudem humilitatis Christi prædicat Apostolus, *non erubescere ipsum nos fratres appellare Heb.* ii. 11. cum eo, quod erubuerit tamen in Prophetico munere fratres vocare ipsos Apostolos, volens agnosci Unicus sine Collegis universalis Magister & Doctor; dicens, *Vos ne vocemini Rabbi, Unicus enim est Doctor vester, Christus: omnes autem vos fratres estis. Matth.* xxiii. 8. &c. Et sui oblitus videtur *Smalcius*, (quando contra *Smiglecium de Novis Monstris pag* 22.) exceptionem hanc ingerit *Matth.* xxiii. *Absolute unum dici, quod in suo genere excellentissimum est*. Si enim Unici omnium Doctoris titulo

tulo æquipollet nomen Deus, ipsi uni datum, sine exemplo, ob munus Propheticum, ex sententia Smalcii; quomodo dici potest in suo genere excellentissimus Doctor? qui non potest in genere eodem dici excellentissimus Deus, quippe solus, ex hypothesi, dictus Deus. Remittimus hic lectorem, ad ea, quæ Elenchis nostris contra *Smalcium* præmisimus *Disput. II. à Thesi IX. ad XVI.*

XVIII. Obtorto autem collo trahitur à *Smalcio* ad muneris Prophetici functionem, quod *versu* 3. dixit Johannes, *per Christum facta esse omnia, & sine ipso factum esse nihil.* Vult ista intelligi secundum hanc glossam; *Omnia quæcunque ad Euangelium pertinent, à Deo per Jesum Christum primum & solum cepta & perfecta esse; Et quidquid per Apostolos Christi factum est, etiam Christo exaltato in cœlis, non tamen factum esse sine Christo.* Partitur ergo *Smalcius* Muneris Prophetici functionem, inter Christum degentem in terris mortalem, qua per ipsum solum & primum cepta sint omnia, quæcunque ad Euangelium pertinent, & inter Apostolos, per quos porro perfecta sint omnia Christo exaltato in cœlis. Cujus partitionis iniquum hoc est mysterium, quod eum Christo in cœlis exaltato solum relinquat Regium munus, nullum nec ante nec post exaltationem in Christo agnoscat Prophetici muneris fastigium θεανθρώπινον, cui subordinatum sit Apostolorum, & aliorum, ad finem mundi, docentium ministerium: ut ab ipso, pariter docentes & discentes, vere simus θεοδίδακτοι.

XIX. Verba autem illa, *per illum*, sic vexat (*Homilia II.*) quasi *Christi mentio fiat, non tanquam Creatoris vel primæ causæ efficientis, sed tanquam causæ instrumentalis. Non enim*, inquit, *dicit D. Johannes, Sermonem omnia fecisse, sed per Sermonem omnia facta esse.* Quod autem præsidium collocat in particula, *Per*, διὰ, constructa cum genitivo, id vidit ipse nullius momenti esse, cum ibidem agnoscit, etiam *de Deo Patre dici, per eum esse omnia*; & quia destituitur solida responsione, defungitur hac evasione; *Non necesse esse, ut quod de Deo Patre etiam dicitur, per eum esse omnia, eodem sensu, de eo, quo de filio dicatur. &c.* Nobis satis est, quod non necesse sit, τὸ per illum magis de causa instrumentali quam de prima causa efficiente accipere, donec aliud quid cogat, quam phrasis ista loquendi.

XX. Nos verbis illis constantissime credimus, Euangelistam, quia D. Jesum simpliciter Deum nominarat *versu* 1. per affirmationem illam, *per ipsum facta esse omnia, & sine eo factum esse nihil* quod factum est, voluisse occurrere objectioni, quæ moveri potuit ex Prophetica contestatione, de exterminandis Diis, qui non fecerunt cœlum & terram *Jer.* x. 11. Ut enim nobis religio est, ita credimus Johanni religionem fuisse, Jeremiæ, quin Deo ipsi responsare, id quod antecedenti Disputatione ex *Smalcio* exscripsimus *Thesi IX. Parum curandum esse quid dicat de cultu* Dei *Propheta Veteris Fœderis.*

XXI. Quod porro ait Euangelista *versu* 4. *In ipso Vita erat, & Vita erat Lux illa hominum &c.* Quamvis non repugnamus, ut complectatur quoque *vitam æternam quam nobis in ipso dedit Pater.* 1 *Joh.* v. 11. Attamen non possumus

sumus

sumus ex mente Euangelistæ intelligere in illam sententiam, ut Christo nihil debeamus, præter Prophetici muneris functionem, quando mortalis in terris degebat, qua annunciavit promissionem vitæ æternæ. Verum ut, fatente ipso *Smalcio, versu primo* Nomen Θεὸς parallelum fuit illi אל גבור / quod est *Esai.* IX. 6. ita consequenter indigitamentum illud, ζωὴ *Vita*, parallelum est illi, quod ibidem legitur אבי עד / *Pater æternitatis*; quod nefas est non θεοπρεπῶς Christo vindicare, paraphrasi petita ex *Psal.* XXXVI. 10. כי עמך מקור חיים / *Quia tecum est Fons vitæ.* Et videtur omnino versiculum hunc Psalmi attendisse Johannes, copulans Vitæ Lucem: similiter ut ista attexuit Psalmographus, באורך נראה אור / *In Lumine tuo videbimus lumen.* Et flagitat illam θεοπρεπῆ intelligentiam verborum Euangelistæ, primum affirmatio ejusdem de Christo, ista, *Hic est verus Deus & vita æterna* 1 *Joh.* V. 20. deinde ab eodem vindicatum Deo vero indigitamentum Lucis; ὅτι ὁ Θεὸς φῶς ἐστὶ, *quod Deus Lux est.* 1 *Joh.* 1. 5.

XXII. Ut vero dixerit Euangelista, *in ipso vita erat, & Vita erat Lux hominum*, de propheta Homine, qui non esset naturâ Deus (qualis *Smalcio* est D. Jesus) solo, pro tempore, muneris prophetici intuitu, quo de Vita & Luce illa vera testatus est, id neutiquam patitur Antithesis illa Euangelistæ, qua Sermonem, Deum, confert & præfert Johanni Baptistæ, ut ipsam vitam & Lucem Veram, *Homini misso à Deo, qui venerat ad testimonium, ut testaretur de Luce. vers.* 6. 7. 8. 9. Ita enim Antithesis nulla est, si nihil ultra dici potest de Christo, quando schemate dictionis proprio interpretanda sunt Vitæ & Lucis indigitamenta, quam quod de Johanne Baptista affirmat Euangelista.

XXIII. Verba versus noni, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, non accipit *Smalcius* (juxta consensum interpretum, à quo nec *Castellio* recessit) in genere masculino, casu accusativo, de omni homine illuminando: sed in genere neutro, casu recto, de Luce illuminante Christo. At nihil juvat *Smalcium* interpretatio illa, si concedatur, cum legitima interpunctione ista; Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν (ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον) ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. *Erat Lux illa vera (quæ illuminat omnem hominem) veniens in mundum.* Nihil efficit *Smalcius* pro sua paraphrasi, qua hoc vult, *Venisse Christum in mundum, tum demum, quando annos circiter* 30. *natus incepit prædicare Euangelium.* Quod supra jam confutavimus *Disput. XI. Thesi* XIX. & XXIV.

XXIV. Illud (ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον) quæ illuminat omnem hominem, constanter negamus restringi posse, ad initium prædicati à Christo Euangelii, & ad Lumen Gratiæ conjunctum cum prædicatione ista: sicut negamus discerpi posse in illuminatione illa, ἐνέργειαν Filii ab ἐνεργείᾳ Patris, à qua dicitur πατὴρ τῶν φώτων *Pater Luminum* (Naturæ & Gratiæ) *Jac.* 1. 17. propter vindicatam jam à nobis veram Nominis Dei, & divinorum indigitamentorum Christi, Vitæ & Lucis, analogiam.

XXV. Contradicit hic *Smalcius*, glossâ Pelagianâ, pervertens verba *versu* 10. & *Mundus per ipsum factus est*: quæ verba vidit ipse, si non accipiantur de prima creatione, ita esse interpretanda, ut dixerit Johannes, etiam illos, qui ipsum non agnoverunt, *Verum & perfectum Dei populum effectos fuisse*: quia illico subjecit Euangelista; *Et Mundus ipsum non agnovit*. At hoc, quamvis nimis apertum implicat mendacium, tamen dicendum sibi censuit, ac elabendum per καὶ καὶ ἢ, ingesta parenthesi ista, (*quantum Deus facere in hujusmodi actionibus solet, vel ex parte Dei.*)

XXVI. Secundum istam ergo *Smalcii* evasionem credendum erit, pari ex Deo ἐνεργείᾳ, citra ullum ex parte Dei discrimen, tam illos, qui Christum non agnoscunt ex prædicatione Euangelii, quam qui credunt in Nomen Christi, verum & perfectum Dei populum effici. Namque illam ex Deo ἐνέργειαν explicat non ultra quam *de ostenso illis, quibuscum in terris conversabatur Christus, vero cultu, quo Deus coli vellet*, quotquot prædicantem ipsum audiverunt, etiamsi surdis auribus. Enimvero nullis fidiculis, ad illam, citra Regenerationis interioris apotelesma, foris ostensam Legem cultus Dei, torqueri se patiuntur verba Euangelistæ, quibus *versu* 13. sic explicat Dei in Christo gratiam, ut Deo asserat efficientiam Regenerationis, independentem, ac minime suspendendam ab humana illorum, qui ad fidem vocantur, voluntate, quam facit exclusissimam. *Qui*, inquit, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt*.

XXVII. Si ergo maxime Mundus per Christum factus intelligendus esset, de credentibus in nomen Christi, quos ipse effecerit verum & perfectum Dei populum; agnoscendus esset tamen Christus, ut Deus verus, per intus efficaciter operantem gratiam, Regenerationis auctor & consummator: ex illa Scripturæ analogia, qua in ipsum credentes, dicuntur Semen & Liberi ipsius *Esai*. VIII. 18. *cum Hebr*. II. 13. & *Esai*. LIII. 10 & ipse Ecclesiæ (quæ omnium nostrum mater dicitur *Gal*. IV. 26.) Sponsus & Maritus *Eph*. V. 23. 32. *Joh*. III. 29. &c.

XXVIII. Cumulat *Smalcius* (per ἀπαγωγὴν à meditatione nominis Deus, ad hypotheses varias, initio *Capitis I. apud Johannem* obvias) detorsiones detorsionibus, quas in præsens sufficiet indicasse. Potestatem quam dedit Christus illis, qui ipsum receperunt, ut Filii Dei fierent, ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, perperam ita accipit, quasi tum demum re ipsa sint futuri Filii Dei, quando reipsa vitam æternam in cœlis sunt consecuturi; adeoque (ex hypothesibus suis de statu mortuorum) non ante resurrectionem universalem ex mortuis. Flagitat contra analogia Scripturæ, ut, qui Christum recipiunt, ex quo crediderunt, re ipsa sint Filii Dei; νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν, *nunc filii Dei sumus*. 1 *Joh*. III. 2. Et consequenter per ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, Adoptionis nostræ usum fructum, quo gaudemus ad consolationem solidam in vita hac præsenti, intellexit Euangelista.

XXIX. Gloriam D. Jesu, quam *versu* 14. prædicat Johannes ab Apostolis visam, tanquam Unigeniti à Patre, perperam adstringit ad visam oculis

oculis in monte sacro transfigurationem corporis D. Jesu, & auditam ibidem è cœlo vocem *Matth.* XVII. I. *&c.* & Adscensionem in cœlos post secutam. Ascendit enim altius Johannes, supra id quod oculus vidit vel auris audivit, aut in cor hominis ascendere potuit, ad revelationem mysterii illius magni, quod miraculis tanquam signis verbum subsequentibus confirmatum fuit evidenter; Sermonem illum, ut Filium Unigenitum à Patre, (quamvis βραχύ τι humiliatum, quadam Gloriæ illius quam habuit apud Patrem antequam mundus existeret eclipsi) mansisse ἀτρέπτως ipsum Dominum Gloriæ. *Joh.* XVII. 5. *Hebr.* I. 3. *cum* I *Cor.* II. 8. 9.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XXXIX.

IN loco altero *Joh.* X. 36. bene habet quod initio fatetur *Smalcius*, *apertissime se videre, Jesum Christum concedere & affirmare se Deum esse.* Oportuit ergo sui oblitum esse *Smalcium*, (*in Responsione ad Ravenspergerum de loco hoc pag.* 48.) quando obloquitur *Ravenspergero*, dicenti, quod Christus non negat se id dixisse, quod ipsi objiciebatur, sed solum ostendit, id non esse blasphemum. At regerit; *Qui, cum objicitur facis te Deum, respondet, se filium Dei sese appellare, corrigit id quod objicitur, & negat se Deum se fecisse.* Et ab eodem spiritu vertiginis est, quod (*contra Smiglecium Respons. de Novis Monstris pag.* 64. 65.) hoc unice urget, *non concedere* Christum *nec affirmare se Deum esse, neque tamen aperte negare.* Quia, scilicet, non respondit *versu* 30. *Vos dicitis quod blasphemem quia dixi, Deus sum:* sed dixit, *vos dicitis me blasphemare, quod dixi Filius Dei sum. Ego dico*, inquit *Smalcius, Christum, si Deus ipse fuit, debuisse hoc diserte affirmare &c. Christum vero negare debuisse aperte, se esse Deum, scilicet absolute, nunquam fuit opus.*

II. Nos ergo apertissime videmus hunc locum, ut à *Smalcio* torquetur, ita ipsum torquere, ut nesciat ipse quid affirmet quid neget. Et præscribit pro veritate hoc ipsum, quod mox asserit *Smalcius*, *Christus ita Deus est, ut Filius Dei est.* Dicimus autem nos ex vero, Christus est naturalis Dei Filius, ergo est natura Deus. Christum *Naturalem Dei Filium esse*, verbis quidem non diffitetur *Smalcius*, vocem autem *Naturalis* vult intelligi, pro eo *qui est natus Dei filius*, (*contra Smiglecium libro indicato pag.* 9.) Et nos accipimus pro eo qui est genitus Dei filius. Sed monstrosum censemus, dici Naturalem à Deo genitum Filium, si non est genitus κατὰ φύσιν secundum naturam Deus, sed παρὰ φύσιν præter naturam generantis, natura homo. Vide *Disput. nostram* IX. *ad Caput.* III. *Thes.* XIX.-XXII.

III. Interim nec sibi satis hic constat *Smalcius*, quo argumento Christus concedat & affirmet hic se Deum esse; an ob Divinitatem, quam etiam tunc re ipsa habuit, cum adhuc mortalis in terris degeret; an ob aliam, (quam ex mortuis resuscitatus consecutus est,) futuram tantum, tamen certissime destinatam. Divinitatem autem, quam etiam tunc reipsa habuerit cum adhuc mortalis in terris degeret, ita determinat, quod

ideo concedat & affirmet se Deum esse, *quia à Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit.* Non repugnamus, sed ea lege ut particulæ, *ideo, quia*, accipiantur de ratione consequentiæ Logicæ, non de ratione formali qua seu per quam Divinitas Christi definienda sit.

IV. De Sanctificatione à Patre, determinat *Smalcius*, tunc illam factam, *quando eum natum jam, & muneri suo destinatum, unxit Deus Spiritu suo sancto.* Adstringit ergo Sanctificationem à Patre, ad tempus illud quo facta est *divina Christi ad munus Propheticum initiatio.* Atqui hæc est nimis aperta Jesu Christi depreciatio infra ipsum Prophetam Jeremiam, qui testimonium habet illud à Deo ipso *Jer.* 1. 5. *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, Prophetam gentibus dedi te.* Sed contra *Smalcium* hic præscriptum est, voce illa Gabrielis ad matrem virginem; *Quod ex te nascetur sanctum Filius Dei vocabitur. Luc.* 1 *vers.* 35.

V. De Missione in mundum, rursus perperam censet, Christum demum *tunc fuisse in mundum missum, cum munus illud suum obire, & divinam homines voluntatem docere cepit.* Etenim si ideo Dei nomen habuit Christus, mortalis in terris degens, quia à Deo missus in mundum; ita autem Deus est, ut Filius Dei est; est autem *Filius Dei propter ipsam etiam miraculosam conceptionem & nativitatem*, (quod hic audimus ex *Smalcio* affirmari, & damus in præsens, non concedimus) quo schemate negari potest, tunc à Deo missus in mundum, quando ἐγεννήθη εἰς τὸν κόσμον, natus est in mundum Filius Dei? utimur phrasi illa, qua Hominis in mundum ingressum, (secus quam illlud ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, *venientem in mundum*, vel, *veniens in mundum Joh.* 1. 9. accipi patitur *Smalcius*) aperte satis ipsa nativitate definit Christus. *Joh.* XVI. 21.

VI. Et nos igitur, divinam illam ad munus suum initiationem, & divinam divini muneris functionem, documenta censemus & infallibilia argumenta divinitatis, quam Christus in terris mortalis degens habuit: minime tamen *Smalcium*, sed nos, ipsissimam veritatem sequi persuasi sumus, & in eo tuti acquiescimus; vim demonstrationis esse à posteriori istam, non potuisse ad munus Mediatorium sanctificari à Patre, neque à Patre mitti in mundum ad muneris Mediatorii functionem, qui non esset coæternus & coessentialis Patri mittenti: atque hoc jure sibi vendicare posset & Filii Dei, & ipsum Dei, Nomen, inde ab ipsa conceptione & nativitate, qua Homo esse cepit in mundo, qui alias exstitit sine principio dierum, antequam mundus existeret.

VII. Quid? quod *Smalcius* ipse aliam definitionem nominis *Deus* necessariam esse vidit, (quam per initiationem ad munus & muneris functionem) quando hic illud ingessit; *Deum esse Jesum Christum & Dei Filium, maxime propter similitudinem quam cum Deo habuit, & habet, in divina sanctitate, potentia & sapientia, per quam propior Deo quam homini fuerit.* Enimvero Sanctitas Potentia & Sapientia, aliud sunt quam Munus aut Muneris functio. Et habent se in Christo indifferenter ad Munus Propheticum & Regium. Atque non potuit non, de Unitate Sanctitatis Poten-

tiæ &

tiæ & Sapientiæ divinæ, loquutus esse Christus, quando dixit *versu* 30. *Ego & Pater unum sumus*. Neque id inficiari ausus est *Smalcius*, *contra Smiglecium libro indicato pag.* 51 *Concedimus*, inquit, *verba Christi de Unitate Potentiæ accipi posse*. Qua concessione hoc efficimus, verborum istorum Christi δύναμιν adstringi non posse ad *Unitatem & concordiam voluntatis*. Ad constituendam vero Unitatem Potentiæ Christi cum Patre, requiri omnino asserimus, ut sit unius cum eo essentiæ: quia pernegamus differre in Deo potentiam à natura. Neque contrarium asserens *Smalcius* effugere potuit sine paradoxo illo, quod ejusdem libri *pag.*56. in margine expressit: *Rei creatæ potentia potest par esse Dei potentiæ*: quod indicasse est refutasse.

VIII. Et hoc quoque desperatæ causæ indicium est, quod eo tandem confugit *Smalcius*, ut Nomen Dei Jesus Christus in terris mortalis degens habuerit, respectu divinitatis futuræ, ipsi destinatæ post resurrectionem ex mortuis. Hoc enim respectu habuerit nudum Nomen *Deus* anticipatum, antequam reverâ sibi vindicare potuerit nominis definitionem: quemadmodum ex mente *Smalcii Servator quidem ab ipso nativitatis tempore appellatus fuit, at non ante revera fuit, quam munus suum aggressus est* 30 *demum anno ætatis suæ labente vel elapso*. Nos vero illum, etiam citra muneris in tempore præfinito functionem, vel in terris vel in cœlo, ut unum cum Patre *magnum Deum & Servatorem*, & nomine, & reverâ, veneramur *Tit.* II. 13. quia contra ἑτερούσιον Deum Servatorem, qui non sit ille verus Deus Israëlis, præscriptum est in Scriptura Prophetica, (quam Christus hic *Joh.* X. 35. contestatur solvi non posse.) *Esai* XLV. 15. 17. 21. *Esai.* XLIII. 25. & XLIV. 22. *Hos.* XIII. 4.

IX. Temere hic illud infarcit *Smalcius*, Christum tunc cum mortalis esset, *in Angelos imperium nondum habuisse*, *quod eis certo respectu minor esset. Psal.* VIII. 6. *Hebr.* II. 7. Ipsa illa limitatio ex vi veritatis expressa, *certo respectu*, relinquit Christo & Nomen & Rem veram, cujus respectu Angelis esset eminentior: quorum nemini unquam Deus dixit, *Filius meus es tu. Hebr.* 1. 4. 5. Sed hoc discutiendum erit, quando tractabitur Munus Christi Regium.

X. Criminationes istas, quibus, ut homines tantum leves & parum pios, traducit adversarios, qui istis ad absurdum deductionibus ipsum premunt (*de Deo facto, quin fictitio, de dualitate Deorum, de Affinitate cum idololatris & Ethnicis*, quod *tantum obstrepant, & in re seria illudant*, ac *hujusmodi exagitationibus ipsis sacris literis bellum indicant, & frustra verba Spiritus S. linea inducta satagant denigrare*) Deus, cujus agitur causa, judicabit. Interim apud homines graves & pios persuasi sumus judicatum iri, ex iis quæ jam ante ex *Smalcio* exscripsimus, *Smalcium* in caput suum ista expuisse. Quid enim est sacris literis bellum indicere, & verba Spiritus S. linea inducta denigrare, si hoc non fecit *Smalcius*? qui Deo per Prophetam Jeremiam anathemate devoventi, ut exterminentur è terra & de sub cœlo, Deos qui non fecerunt cœlum & terram *Jer.* X. 11. obstrepere audet, dicens, *nec cultus divinus addiscendus est Christianis ex Propheta*: & *parum curandum*

randum est, quid dicat de cultu Dei *Propheta Veteris Fœderis.* Vide *Disput. nostram* XXXVIII *Thesi* IX. Non piget hic iterumque opponere & inculcare, ex hoc loco *Ioh.* x. 35. illud Christi; *Non potest dissolvi Scriptura.*

XI. Enimvero audiamus testimonia Scripturæ quibus exsculpere conatur Smalcius *Deum Factum*: producit primo *Phil.* II. 9. 10. ubi dixit Apostolus; *quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac gratificatus est* ἐχαρίσατο *ipsi nomen quod est supra omne nomen, ut ad nomen Jesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum. Hinc*, scilicet, *liquet, Iesum Christum propter certas causas, quæ ex solius* Dei *voluntate & gratia liberrima profecta, Deum appellari; atque eo ipso esse Deum Factum.* Atqui neque hic Deus appellatur Christus; neque vocabulum Deus hic intelligitur per Nomen quod ipsi datum dicitur. Quid ergo? Nomen Potestatem & imperium notat. Potestas autem illa hic, sicut *Matth.* XXVIII. 18. data ipsi dicitur, non ut fieret Deus, sed ut ipse, qui erat in principio Deus, in forma Dei existens, postliminio post statum exinanitionis, agnosceretur idem Deus & Dominus gloriæ. Hoc quidem flagitat ductus & series verborum Apostoli, *à versu 6. deinceps.*

XII. Non diffitemur interim, sub nomine illo contineri donatam humanæ naturæ Christi, (ad coronationem & præmiationem meriti ejus supra condignum, si ipsa per se opponatur Dei judicio) novam eminentiam; atque ea de causa adhibitum verbum ἐχαρίσατο. At nequaquam inde consequens est carnis seu naturæ Humanæ ἀποθέωσις, qua Christus sit *ex Homine factus Deus.*

XIII. Secundo producit locum *Act.* II. 36. *Eo modo* (inquit) *quo Petrus* D. *Iesum affirmat esse Factum* Dominum *& Christum, dici à nobis potest, eum etiam esse Deum factum.* Breviter hic respondebimus, per inficiationem consequentiæ; quia Nomen Deus absolutum est, Nomen Dominus & Christus relatum: quo discrimine, de Persona Patris, ut absolute nefas est dicere illum factum Deum, ita citra incommodum aut piaculum potest dici factus Dominus, quando fecit ipse creaturam cujus esset Dominus. Eadem analogia, de Persona Filii, nefas censemus dicere illum factum Deum; tametsi illum dicat Petrus factum Dominum, toti domui Israël, quando perfecit ipse redemptionem Israëlis, qui ipsum agnosceret, & Dominio ipsius vindicaretur ut populus redemptus. Deinde consequenter dicimus, τὸ ποιεῖν Petro intellectum per verbum ἐποίησε, non esse, aut definitionem Nominis, aut definitam nomine θεότητα Christi, sed Deitatis demonstrationem, per Dominii vindicationem gloriosam, in collectione Ecclesiæ N. T. Catholicæ, die illo Pentecostes inchoata.

XIV. Audacter *Smalcius* audaciam vocat bonæ causæ fiduciam; confidimus equidem agi à nobis causam Christi, ut sit ipse & credatur esse *Verus Deus & Vita æterna.* 1 *Ioh.* v. 20. Negligemus verborum fumos, & ponderabimus rerum momenta. Fictitium Deum, & idolum, & nihil, esse censemus, quemcunque suo modo dictum vel factum Deum, quando inge-

do ingeritur in Fidei & Cultus religiosi Objectum, juxta unum illum Deum, qui est natura Deus. Quomodo saltem fatetur *Smalcius* ipse (*contra Smiglecium libro aliquoties indicato pag.* 40.) Apostolum asserere, *quod nullus est Deus alius nisi unus* 1 *Cor.* VIII.4. & alios suo modo dictos *Deos multos & Dominos rejicere, quatenus ad cultum divinum non pertineant.* Et hic legimus *Smalcium* agnoscentem, istis Diis aliis *etiam opponi* Deum illum qui est natura Deus, attributo ipsi *vocabulo verus*, ut dicatur ipse *Unus ille verus Deus.* Quod ergo ὁμολογουμένως Vero opponitur, non potest non suo modo fictitium, quin falsum, censeri, quantumvis extra oppositionem illam suo modo verum sit.

XV. Enimvero audaciæ reus est *Smalcius* ipse, qui neglecta hic illa antithesi Unius veri Dei, communem facit multis Diis aliis, appellationem verorum Deorum. Profanationem illam *vocabuli verus*, cum nullo Scripturæ testimonio possit, tueri satagit frustra, distinctione illa fictitia, appellationis *Veri Dei* κατ' ἐξοχὴν *seu modo omnium excellentissimo, & verorum Deorum, suo modo, per Analogiam.*

XVI. Cumulat audaciam impietate, ad ναὶ καὶ οὔ torquens Apostoli verba, in loco illustri 1 *Cor.* VIII.4.5. quasi Apostolus *versu* 4. contestatus, quod nullus est Deus alius nisi unus, ilico quod negavit affirmet *versu* 5. *ex sua etiam mente* asserens, plures uno illo veros Deos esse in cœlo & in terra. Audiamus Apostoli verba: *Etenim*, inquit, *etiamsi sunt, qui dicuntur Dii, sive in cœlo sive in terra* (*sicut sunt Dii & Domini multi.*) Frustra hic quæras vocabulum *verus* pluribus Diis tributum. De cœtero, plana sunt omnia, unica hac observatione, quod dixerit Apostolus λεγόμενοι θεοὶ *dicti Dii*: quod in subjecta parenthesi ἀπὸ κοινοῦ repetendum, hoc schemate, (sicut sunt λεγόμενοι dicti Dii multi, & λεγόμενοι dicti Domini multi.) Atque sic aperte docuit Apostolus, non esse ullos, in cœlo aut in terra, Deos aut Dominos, præter Unum illum sui nominis Deum & Dominum verum, κατὰ τὸ εἶναι *secundum esse*, sed tantum κατὰ τὸ λέγεσθαι *secundum dici* Isthoc sensu *Plutarchus* περὶ πολυφιλίας dixit, πολλοὶ φίλοι λεγόμενοι, *multi amici dicti.*

XVII. Quia vero, in Objecto Adorationis, rejiculi sunt omnes illi λεγόμενοι θεοὶ *dicti Dii*, seu Dii κατὰ τὸ λέγεσθαι secundum dici, sive dicantur κατὰ ψεῦδος mendacio hominum, sive κατὰ χάριν, dignatione aliqua divina; finxit *Smalcius* Apostolum appellatione *Unius Domini versu* 6. facere *Iesum Christum, aliquid medium inter illum unum Deum, & alios Deos veros: ut causam efficientem quidem divinitatis habeat communem cum illis multis veris Diis; ipsa vero divinitate exemptus ex numero illorum multorum Deorum, & unum quodammodo cum illo uno Deo Patre, & omnium illorum multorum verorum Deus sit.* Ex vi veritatis illud est, non posse in Objectum Adorationis ingeri λεγόμενον θεὸν qui non sit Deus Deorum. Ex efficacia vero erroris istud Paradoxon ἀδιανόητον, duos esse Deos Deorum, qui, citra unitatem naturæ & essentiæ, tamen, *quodammodo, ipsa Divinitate, unum* sint.

XVIII. Ad loca *Phil.* II.9.10. *Act.* II.36. & *Matth.* XXVIII.19. in præsens non est opus prolixius respondere, quia ad *ipsius divinitatis con-*

sideraionem,

ſiderationem nos avocat *Smalcius*. Sed obſervamus mirabilem ἀπαγωγὴν, qua abduxit Lectorem à conſideratione, quam promittit titulus hujus *Capitis XII. de nomine Deus, quod Ieſus Chriſtus, in terris mortalis degens, habuit.* De illo enim nomine ne γε quidem eſſe in tribus illis locis indicatis credit *Smalcius*: qui iſta accipit de Nomine quod demum habuerit Chriſtus ex mortuis redivivus.

XIX. Suggerit vero hæc ἀπαγωγὴ hanc animadverſionem nobis; eſſe Smalcium αὐτοκατάκριτον, qui ſtomachatur ſcilicet contra objectiones de Deo facto & fictitio, cum tamen credat varie fictum & refictum cum ipſa Divinitate, ac tandem in morte exſtinctam (ut excellentiori Divinitati & Nomini locus fieret in Chriſto) Nomen Dei, quod in terris degens habuit. Dictavit enim *Smalcius*; *Chriſtum ita Deum eſſe, ut Filius Dei eſt*, Filiationem autem primam ſtatuit, in *miraculoſa Chriſti Ieſu conceptione & nativitate, qua, ſcilicet, ex Deo natus vel genitus eſſe, & eo ſenſu naturalis Dei filius dici poteſt.* Iſtius vero conceptionis arcanum definit alibi (*libro ante indicato contra Smiglecium p. 155.*) *immediata, à Deo ipſo, abſque opera viri, productione materiæ, mortalis carneæ & terreſtris, ex quâ, unâ cum ſanguine Mariæ, productum ſit corpus Chriſti, æque carneum, ut omnium aliorum hominum.* Habemus ergo, de meliore ſcilicet luto, fictum Filium Dei, adeoque Deum, per naturæ carneæ & terreſtris ſequelam, mortalem & moriturum.

XX. At nova Filiatione hunc Filium Dei, adeoque Deum, in terris refinxit Pater, data ipſi illa muneris prophetici divinitate, quam ante ipſum nemo à Deo habuit: quæ proinde ipſum fecit ad breve tempus, quo mortalis in terris degebat, ſolum, ſine exemplo, ſui nominis Deum, non abſolute ſupra omne nomen, ſed ſupra nomen prophetarum, quibus quia nunquam dictum fuit Dii eſtis, necdum poterat dici ipſe Deorum Deus. Tandem vero exſtincto in morte cum divinitate etiam Nomine veteri Dei & Filii Dei, in cœlis factus eſt Nominis excellentioris Filius Dei, & ſuo modo etiam Deorum Deus. Hæc eſt Gangræna Theologiæ *Smalcii*, quam indicaſſe eſt refufutaſſe.

XXI. Magis vero αὐτοκατάκριτος eſt *Smalcius*, quod ipſe adnotet, *Spiritum Sanctum nolle dici Duos eſſe Deos, & caviſſe ne unquam aliter diceretur, quam ut antiquitus dictum erat, Deum eſſe Unum: nec unquam nos docuiſſe ita loqui, quod duo ſint Dei veri.* Quæ ergo illa eſt audacia? qua tamen aſſerit ipſe, & plures eſſe in cœlo & in terra veros Deos, & Duos nunc in cœlo Deorum Deos; quem utrumque colere præcipuum ſit myſterium Religionis Chriſtianæ. Volueritne ergo Spiritus Sanctus, quaſi velamen illud imponere faciei Chriſti, occultato Dei Deorum nomine, ſeu nomine τοῦ κυρίου Domini. Apage τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης. Nobis idem Unus Deus & Unus Dominus Chriſtus, ſecundum Divinitatem Patri ὁμοούσιον, cum Uno Domino Patre Unum. Quamvis, propter œconomiam ſalutis noſtræ, perſonæ Filii fere appropriatum ſit nomen Domini noſtri; nunquam tamen

ſine

sine notione veræ ipsius Deitatis, absque qua non esset Dominii spiritualis in Ecclesiam subjectum *ἀρχικόν*.

XXII. Sicut *cavit Spiritus S.* (hoc urgente *Smalcio*) *ne unquam aliter diceretur, quam ut antiquitus dictum erat, Deum esse unum: ac noluit dici Duos esse Deos veros*: ita omnino cavit ne aliter crederetur, ac noluit credi Duos esse veros Deos. Sin autem (quod vult *Smalcius*) ita quidem credendum, sed non dicendum, quia *credi posset, si duo veri Dii esse dicerentur, utrumque naturâ talem esse; quod esset religionem & cognitionem Dei tollere, & homines ad deliria Ethnicorum tacite deducere.* Magis certe piarum aurium offensivum est & inductivum ad deliria Ethnicorum; dicere cum *Smalcio* (prætextu verborum Apostoli, quæ jam vindicavimus) *plures esse veros Deos cœlestes & terrestres.*

XXIII. Omnino autem inductivum in Angelolatriam illud est, quod, demum in Novo Testamento, à cultu imperato rejiculos esse plures illo uno veros Deos, dictat *Smalcius*, (*libro sæpius indicato pag.* 18.) *Hominibus*, inquit, *qui Dii sunt, hoc est terrestribus Diis, cultum mere divinum non deberi quis mirabitur? Diis vero cœlestibus, quales sunt Angeli, cultum divinum tributum fuisse, nemo inficiabitur, qui, quæ sub V. F. facta sunt sæpenumero, considerabit.* Neque tamen ista pronunciare potuit sine spiritu contradictionis *Smalcius*. Quid enim fiet de Primo legis præcepto? si tempore V. F. non stricto jure præcepti illius à cultus divini objecto exclusi fuerunt plures Dii cœlestes? cui bono ergo fingitur in Novo Testamento Nova ad primum præceptum adjectio, ut juxta Unum verum Deum Israëlis rite coli posset cultu divino, Christus in Cœlo Deus factus? Non erit illa adjectio seu ampliatio, sed arctior constrictio; si ubi plures Deos cœlestes licuit colere tunc, nunc, ex illorum censu qui non sunt naturâ Dii, Unum tantum Deum cœlestem colere fas est.

XXIV. Censemus autem nos, & Veteris & Novi Testamenti Theologiam perverti, quando receditur, vel recessum fuit, à stricto jure illo divino primi præcepti, de non habendo aut colendo Deo altero præter Unum Deum verum Israëlis. Et præscriptum hic est Christi ipsius responsione, qua tentatori Diabolo dixit; *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis & ipsi soli servies. Matth.* IV. 10. *ex Deuter.* VI. 13. & X. 20.

ELENCHI SECTIO. III. DISP. XL.

IDololatriæ & impietatis Ethnicæ Categoriam non evadit *Smalcius*, sua declamatione, qua obtrudit, (rejecto illo pietatis mysterio ὁμολογουμένως magno, *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί Deus manifestatus est in carne*) ut *mysterium cum admiratione amplectendum*, paradoxon illud ἀληθινόν, Christianos non teneri nunc primo Decalogi præcepto, neque illos attingere illa Judæis olim dicta; *Audi Israël Deus tuus Deus unus est*, & *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Atque hoc nunc esse *Christianæ religionis caput, quo*, scilicet,

licet,

licet *mirifice extollatur unus ille Deus quem Israelitæ confitebantur*; ut inter ipsum, & alium, naturâ hominem, nova ἀποθεώσει factum Deum, partiantur Domini Dei nomen, & nomini Dei debitum cultum divinum.

II. Assertiones *Smalcii* legimus istas (*libro contra Smiglecium de novis monstris*) *Colere Creatorem & creaturam cultus est divinus sub Novo fœdere. pag. 78. Et Creatorem colimus & Creaturam. pag. 79. Nihil est Scripturis, præsertim Novi Testamenti, magis consentaneum, quam præter unum natura Deum, alium etiam colere, qui non sit natura Deus. p. 77. Sacræ literæ novi fœderis jubent una cum Deo colere eum, qui non sit essentia Deus. Ibidem in margine.* Quis hic non videt indici bellum ἄσπονδον non Veteris tantum Testamenti Prophetis, sed ipsi Apostolo Gentium, qui isto charactere, notavit Ethnicorum, à qua ad cultum veri Dei conversi & porro convertendi erant, idololatriam: ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, *venerati sunt & coluerunt creaturam, præter*, seu *juxta*, *Creatorem Rom.* 1. 25. ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *servîistis iis, qui natura non erant Dii Gal.* IV. 8.

III. Interim imprudentem contra Apostolum oblocutionem palliat strenua detorsione verborum Apostoli, quasi illa minime ipsum feriant; quam non possumus non, ex libro indicato, in publicum producere, ut detegantur profunda Satanæ. *Paulus*, inquit, *eos reprehendit simpliciter, qui cum Deum ignorarent & ejus voluntatem, nullum Deum verum colebant, sed Idola, quæ non erant natura Dii. Hoc vero quid ad nos, & alios Christianos? &c.* Resp. Ut inexcusabiles simus, si cum Ethnicis paria fecerimus, servientes alicui, qui non sit naturâ Deus. Audiatur hic illud Apostoli. *Rom.* II. 1. 2. 3. *Quapropter inexcusabilis es homo, quisquis alios damnas; nam hoc ipso quod damnas alterum* (qui veneratur & colit creaturam juxta Creatorem *Rom.* 1. 25.) *teipsum condemnas, eadem enim facis tu, qui alios damnas. Scimus vero judicium* Dei *esse secundum veritatem adversus eos, qui talia agunt. Putas autem hoc, homo, qui damnas eos, qui talia faciunt, & facis ea, fore ut tu effugias judicium* Dei?

IV. Explicat se porro, verius implicat, refingens ad suum [illegible] phrasin Apostoli illam, μὴ φύσει, *ut* (*non natura*) *idem significet, quod non proprie & re ipsa. Credebantur quidem* (idola Gentium, inquit) *Dii esse, reipsa non erant. Quo sensu dici non potest Christum non esse natura Deum. Proprie enim & reipsa Christus* Deus *est*. Enimvero non possunt non æquipollere in subjecta materia, *proprie* seu *re ipsa*, & κατὰ τὸ εἶναι seu *secundum essentiam & naturam*, quia citra essentiam & naturam Uni Deo propriam, æquipollent ista *Improprie, nomine tenus*, κατὰ τὸ λέγεσθαι, κατὰ μεταφοράν. Non enim, τῷ *proprio*, seu *re ipsa*, contradistinguitur magis τὸ κατὰ φύσιν, quam τὸ κατὰ χάριν λεγόμενον ὄνομα, non inquam magis falsi nominis, quam per nominis indulgentiam dictum, numen.

V. Nihil ergo agit *Smalcius*, & post illum *Crellius Commentario ad Galatas Anno* 1628. *edito*, quando glossam illam *Naturâ*, *pro re ipsa*, fundant in falsa ista hypothesi, *de fictitiis Gentium Diis, quos una cum aliis coluerint aliquando Galatæ, sermonem hic esse, qui non modo divinitatem nullam haberent,*

sed ne

sed ne exstarent quidem: quæ respiciens alibi Apostolus ait Idolum nihil esse in mundo. 1 *Cor.* VIII. 4. Hactenus *Crellius*.

VI. Falsam istam hypothesin ibidem munire satagit *Crellius*, isthac argumentatione; *Si natura Dii*, inquit, *hoc loco opponerentur illis qui sunt Dei ex gratia divina, tacite videretur Apostolus concedere, Gentium Deos fuisse veros Deos, sed tantummodo ex gratia, non vero ex se ipsis.* Atqui res ipsa loquitur, esse in verbis Apostoli oppositionem immediatam, inter Unum Galatis olim ignotum Verum Deum Israëlis, & quoscunque, sive exstarent sive non extarent in rerum natura, qui hoc non essent φύσει natura, proprie & reipsa, quod erat ille ignotus verus Deus. Quia enim censura illa Galatas ferit, qui vixerunt temporibus illis ignorantiæ, de quibus etiam ad Athenienses loquitur Apostolus *Act.* XVII. 30. non potuit in mentem venire Apostolo alius, præter illum unum, qui in Objecto cultus divini dici posset, aut naturâ aut vere & proprie Deus.

VII. Idololatricum autem hoc est postulatum, quod Idolum nihil esse in mundo dixerit Apostolus 1 *Cor.* VIII. 4. in illam sententiam, quod non modo divinitatem nullam haberent, sed ne exstarent quidem. Hoc enim admisso, censeri non potuerit Idololatria fuisse ulla Ethnicorum δεισιδαιμονία seu geniorum & dæmonum cultus, nisi Sadducæorum judicio, qui negant exstare Angelos & Spiritus. Neque Regum & Imperatorum ethnicæ apotheoses argui poterunt idololatriæ, neque Divorum & Sanctorum mortuorum invocationes, & qui ipsis in Papatu tribuitur Cultus Duliæ; nisi cum *Socino & Smalcio*, negata Animarum immortalitate, dixerimus, illos non modo divinitatem nullam habere, sed ne exstare quidem.

VIII. Quidquid sit de mortuorum cultu, quem nos idololatricum statuimus, etiam si deferatur illis solis, quos credimus vivere & beatos esse cum Christo in cœlis; atrocius etiam illud est, quod negata in verbis Apostoli immediata oppositione inter Unum natura Deum, & quoscunque, præter unum illum, seu κατὰ φύσιν seu κατὰ χάριν dictos Deos, (adeo ut saltem illos ad quos spectat verbum illud, dixi Dii estis, fas sit vocare φύσει, natura, proprie & reipsa, veros Deos) aufertur Elenchus impietatis istorum Ethnicorum, qui, cum Nomine, Domini & Dei, cultum divinum decernendum censuerunt, in terra superstitibus Regibus & Imperatoribus. Neque enim vel Alexandri magni affectationi, vel Augusti, Caligulæ, Claudii, Domitiani usurpationi, opponi poterit illud, non erant natura Dii. Apage mysterium iniquitatis, & pudendum ναὶ καὶ οὔ; quo modo ait modo negat *Smalcius*, esse Unum solum Natura Deum.

IX. Proprietas Christianæ religionis & differentia à Judaïca, non consistit in novo cultu novi numinis, quod olim ignorarint Judæi, (& merito, quia non modo divinitatem nullam haberet, sed ne exstaret quidem, existentiæ autem initium demum habuerit quando ipsi formatum est corpus in matris virginis utero) verum in missione Filii Dei in mun-

dum, juxta Promissiones ilico à lapsu factas, de nascituro in mundum Semine benedicto, quod est Christus. Adeo ut fundamentum Prophetícum religionis, (& Judaïcæ, & Patriarchalis ab Adamo ad Mosem) fuerit Christus, Fœderis Gratiæ Mediator, seu ἐγγυὸς Sponsor & Fidejussor, in forma Dei æqualis Patri: cui fundamento superædificatum est in religione Christiana Euangelium illud, Jesum Filium Hominis esse Christum illum: demonstratione Euangelii principaliter petita, ad Judæos persuadendos, ex Scripturis Propheticis. *Act* XVIII. 28.

X. Nec latuit, mittendi in mundum, qui tandem missus est, Filii Dei (juxta Patrem adorabilis & adorandi, ut Jehovæ veri Dei Israëlis) mysterium credentes in Veteri Testamento, inde à mundi initio; quando intellexerunt Jehovam esse illum qui, à schemate apparitionis Angelicæ, Mosi dictus Angelus, nec non ad significationem missionis futuræ ad functionem muneris mediatorii: sicuti à Malachia dicitur *Angelus Fœderis Mal.* III. 1. & notione eâdem ab Esaïa *Angelus faciei. Esai.* LXIII. 9. Videatur Moses *Genes.* XVI. *Exod.* III. *&* XXIII. 20. Et aperta est, etiam citra apparitionem visibilem, juxta Deum Patrem adoratio Angeli Servatoris & sospitatoris Patriarchæ Jacobi, ad impetrandam benedictionem filiis Joseph. *Gen.* XLVIII. 16.

XI. Atque hic desperatam causam prodit *Smalcius*, quando Jacobum aliosque Patriarchas mavult facere Angelolatras, hoc est qui adoraverint & coluerint cultu divino Angelos creatos præter & contra analogiam, cultus & religionis, sancitæ primo præcepto Decalogi; quam, ut agnoscat cognitam à mundi initio existentiam unius Jehovæ veri Dei Israëlis, in tribus Personis subsistentem. Vide Annotata ex *Smalcio* supra *Disput.* XXXIX. Mutuatur autem hæc arma *Smalcius*, ab Idololatra Jesuita *Bellarmino*, qui, de *Sanctorum beatitudine libr.* 1. *cap.* 19. *Sanctos esse Invocandos, sive Angelos sive homines*, probaturus, primum in acie collocat argumentum, ex *Genes.* XXVIII. 19. *Jacob sic ait benedicens filiis Joseph, inquit, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.*

XII. Absit, ut vel Anti-Christi satellitibus, vel *Smalcio*, aliisque *Socini* asseclis, largiamur; Israëli Patriarchæ adoratam creaturam, juxta Creatorem, unum verum Deum Israëlis; aut legitimam unquam fuisse Angelolatriam, quam legimus, ut damnatam Apostolo *Col.* II 18. ita à bonis Angelis procul habitam, & à Diabolo nefarie affectatam. *Apoc.* XIX. 10. *&* XXII. 8. 9. *Matth.* IV. 9. 10. Cum militent contra omnem θρησκείαν & δουλείαν cultum religiosum aut servitutem Angelorum, argumenta ista æternæ veritatis; & quod sint creaturæ, & quod minime omniscii, nec arcanorum cordis nostri conscii, & quod ministri Dei, conservi nostri: quæ efficaciter contra *Catechismum Tridentinum*, & *Bellarminum*, aliosque, urgent Euangelici.

XIII. Mirari licet dissimulatam à *Smalcio* hoc loco *Censuram Facultatis Theologicæ Leidensis*, rogatæ ab Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii, super importatis in Belgium scriptis *Ostorrodii & Voidovii*; qua censuerunt

XII. *Au-*

XII. Augusti 1598. Scripta ista ad Turcismum proxime accedere, & veram æternamque Deitatem Christi Filii Dei & Spiritus sancti, officium Christi, beneficia ejus salutaria, & Baptismi sancti institutionem, & nostrum religiosum erga eum officium evertere: quum eum coli atque invocari ut Deum æternum & verum Creatorem oportere negant. Certe ovum ovo vix similius, quam Sociniana invocatio Christi, ut creaturæ juxta creatorem, similis est Turcicæ venerationi & cultui Machometi, ut Legati Dei, juxta eundem Creatorem. Ut enim Christum imaginantur *Socinus* & *Smalcius*, novum ex hominibus, post Mosem, à Deo datum Legislatorem; similiter Machometem Turcæ jactant novum & meliorem Legislatorem post Christum. Nobis Unus est Legislator verus Deus Israëlis, in Persona Filii, ut gratiam nobis faceret Adoptionis in Filios Dei, factus sum Lege. *Gal.* IV. 4.

Finis Partis prioris.



ANTI-SMALCIUS
DE
DIVINITATE
JESU CHRISTI
PARS POSTERIOR
DE
Munere Christi Regio.

ANTI-SMALCIUS

DE

DIVINITATE JESU CHRISTI

PARS POSTERIOR

DE

Munere Christi Regio.

ANTI-SMALCIUS,
DE
DIVINITATE JESU CHRISTI.
PARS POSTERIOR,
DE
Munere Christi Regio.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.
DE
Resurrectione Christi.



Bsolutis igitur, breviter quidem, omnibus, quæ ad munus Christi Propheticum pertinere credimus, nunc ad munus ejus Regium & sacerdotale considerandum transimus Sunt enim hæc duo munera ita inter se conjuncta, ut, loquendo de uno, plerunque id dicatur, quod ad alterum, etiam, diverso tamen respectu, referri possit.

Hic autem plura nobis consideranda sunt. (a) Nec enim *frustrà D. Petrus, cujus scriptio spiritualem quandam nervositatem habet, ista verba scripta reliquit;* Prophetas scrutatos esse, in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas in Christum passiones, & post hæc glorias. (b) *Passiones, inquit, & glorias, non passionem & gloriam, ut, quemadmodum multiplex fuerat Christi afflictio, sic etiam ad multiplicis Jesu Christi gloriæ, quæ afflictiones & mortem illius consecuta sit, considerationem nos tacitè exhortetur. Quod ut*

(a) Gloria Christi multiplex, (b) 1. Pet. 1. 11.

rectiùs à nobis fiat, primùm ea consideranda sunt, quæ regnum Iesu Christi antecesserunt, & quibus quasi gradibus ad istud Dominus Iesus pervenit. Deinde verò, quodnam & quale istud regnum Christi sit.

(c) Quæ Iesu Christi regnum antecesserunt, & quibus quasi gradibus ad istud pervenit, duo sunt; Resurrectio ejus & Ascensio. Nec enim priùs D. Iesus Rex reipsa factus est, quàm cùm consedit ad dextram Dei Patris, & regnare reipsa in cœlo & in terra cœpit: nec etiam resurrectio & ascensio ejus, ad munus Propheticum pertinent. Restat igitur, ut aliquid sint medium, nempe id quod diximus. Age nunc videamus de priori, quod est Resurrectio Iesu Christi.

Hic autem nobis iterum occurrunt quædam peculiariter consideranda. Primùm, quid sit resurrectio. Deinde, unde pendeat certitudo resurrectionis Iesu Christi. Tùm quis sit ejus causa efficiens. Præterea cur tertia die facta sit. Denique quis fructus & finis illius sit.

(d) Resurrectio igitur, vel resurgere (ut de primo primùm agamus) nihil aliud est, quàm ex non existente iterum existere. Hinc generationi assimilatur resurrectio: hinc etiam de mortuis dicitur, quòd non sint, naturâ scilicet res inspectâ. Et quod aliqui vivere dicuntur, nempe Deo, id non aliter accipiendum est, quàm eos olim ex mortuis resuscitatum iri. Hoc enim verè est Deo vivere, ut locus Luc. 20. apperte docet, in quo Christus, per id, quod dixerat de Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, quod Deo vivant, demonstrat, eos resurrecturos ex mortuis. Et quòd ad Christi personam attinet, non debet nobis obesse quicquam ad hanc rem intelligendam id, quod Christus statim tertio post die resurrexit, quasi scilicet Christus non cessaverit existere. Tam enim is verè mortuus est, qui unam horam mortuus est, quam is qui mille myriades annorum mortuus fuit; & plane censendum est, Iesum Christum tunc, cùm mortuus esset, fuisse in eadem conditione, in qua omnes alii mortui sunt, non secus ac si ante multos annos mortuus, & planè in nihilum redactus fuisset. Nam si hoc non bene observetur, non potest spes nostra firmissima esse. Nos enim non ita morimur, ut tertio die resurrecturi simus: & tamen resurrectionis nostræ ex ipsa Christi resurrectione spem habemus. Quare verò Christus tàm citò resurrexerit, postea videbimus. Et non dubitamus, plurimi interesse, ut hoc, quod nunc dicemus, optime teneatur. (e) Nec enim temerè S. literæ testantur, Deum non dereliquisse animam Domini Jesu in inferno, quod etiam in Symbolum, quod vocant, Apostolorum illatum est, dum ibi dicitur, Christum descendisse ad infernum. Quibus verbis nos credimus significari, Iesum Christum verissime & propriissime mortuum fuisse, ita, ut alius quivis homo moritur. Quam rem voluit Deus esse notissimam, (propter quod etiam sepulturæ Christi mentionem facit D. Paulus (f) ut scilicet omnes credentes, qui & ipsi incidere possunt in mortem, ita ut nulla inter eos & alios impiissimos post mortem sit differentia, certò persuasi sint, futurum olim, ut ex his vinculis mortis & inferni liberentur. Quod etiam Dominus Iesus innuit, dum ait Iohanni in Apocalypsi: (g) Ne metuas, ego sum primus & novissimus, & vivens, & fui mor-

(c) Resurrectio & ascensio Christi, aditus sunt ad regnum illius. (d) Quid sit resurrectio ex mortuis Phil. 2. 7. Act. 13. 35. Mat. 2. 18. Ps. 58. 14. Lament. 5. 7. (e) Cur dicatur Christum fuisse in inferno. Ps. 16. 10. Act. 2. 27. (f) 1. Cor. 15. 4. (g) Apoc. 1. 17. 18.

mortuus, & ecce vivens sum in secula seculorum, Amen: & habeo claves inferni, & mortis. *Unde apparet, esse aliquid diversum mortem ab inferno. Hinc etiam idem Iohannes ait;* Mortem & infernum redditurum suos mortuos; *& iterum, licet sermone nimis figurato, ait,* mortem & infernum conjectum iri in stagnum ardens (h) *Iesus Christus igitur primus est, qui ex non existente iterum extitit, & ex morte & ipsius inferni faucibus ereptus, immortalis vivit. Ob quam etiam causam* primogenitus ex mortuis, *vel* primitiæ eorum, qui obdormierunt, *appellatur* (i) *Quæ sanè non minima Christi præstantia & gloria censenda est. Ab Adamo cæptum est vivere vitam hanc caducam, à Christo cœptum est vivere vitam illam æternam. Quam ob causam etiam* Pater seculi, *vel* Pater æternitatis, (*quemadmodum scilicet Adam pater fuerat hujus seculi & temporalitatis, ut ita dicam*) *jure à Propheta appellatus est.* (k) *Sapiens igitur ille est, qui, quid sit resurrectio, intelligit.*

L. *Iesum autem Christum ex mortuis resurrexisse, licet nemo dubitet: tamen cur id dubium nemini esse debeat, fortasse non omnes intelligunt. Itaque hoc ipsum, quod resurrectio Christi res est omnium miraculosarum mirificissima, & tamen tam constanter olim & hodie à tot hominum myriadibus creditur, facit, ut ea res præstantissima gloriosa & divina censenda sit. Ait Apostolus,* Christum resurrexisse secundum scripturas. (m) *Ergò testabantur S. literæ de Christi resurrectione. Qui vèrò fiebat, quòd illi ipsi, qui literas S. tunc temporis recipiebant, & nunc recipiunt, Iudæi, Iesum ex mortuis resuscitatum fuisse, nec credebant olim, nec nunc credunt: quin imò audacter & imprudenter affirmant, Iesum in morte remansisse? Hujus rei nulla sane alia causa est quàm quòd S. Literæ nimis obscure de hac D. Iesu gloria testantur, adeo ut nemo Iudæorum hoc mysterium ex S. Literis perfectè percipere potuerit. Nec mirum. Cum, ut D. Petrus testatur:* Omnis Prophetia scripturæ non fit proprii intellectus. (n) *Videamus enim præcipua loca S. Literarum, quibus resurrectionem Christi probant Apostoli, & mox apparebit, ita rem se habere ut nos statuimus.*

Loci sunt omnium præcipui, primus quidem; (o) Tu es meus filius, ego hodie genui te, *quem D. Paulus ad resurrectionem apertissimé refert, dum sic ait:* (p) Nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres nostros promissio facta est, quod hanc Deus adimplevit filiis eorum, nobis, resuscitato Iesu: sicut & in secundo Psalmo scriptum est Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Hæc enim verba ad Christi ex mortuis resurrectionem referenda esse, hinc apparet, quòd Paulus illis vult demonstrare, Deum adimplevisse promissionem Patribus factam. Promissio autem illa erat de Rege dando: Christus vero Rex reipsa non fuit factus, quàm cum in cœlos ascendit, & sedem Patris sui Davidis occupavit, nempe dominium in peculiarem Dei populum. Ob quam causam etiam dicitur, Deum tunc demum perfectissimo modo D. Iesum genuisse, & verba hæc:* Filius meus es tu, & hodie genui te, *impleta esse, quando D. Iesum glorificavit, ut fieret summus Sacerdos.* (q) *Quemadmodum etiam absque*

(h) Apoc. 20, 13, 14. (i) Col. 1. 18. Apoc. 1. 15. 1. Cor. 15. 20. 21. (k) Esa 9. 6. (l) Unde pendeat certitudo resurrectionis Christi. (m) 1 Cor. 15. 4. (n) 2. Petr. 1. 20. (o) Psal. 2. 7. (p) Act. 13. 32. 33. [q] Hebr. 5. 5.

absque dubio in ipso typo Christi, Davide scilicet, verba illa non de ejus nativitate intelligenda sunt, sed de ejus ad Regnum promotione & evectione. Atque ita hoc in loco, vocabulum Resuscitationis pro Resuscitatione ex mortuis, & porro resuscitatio ex mortuis pro omni illa potestate, quæ eam deinceps consecuta est, accipitur: ut etiam alibi fieri videmus, cum de fidelibus sermo est, quòd scilicet sub voce simplici resurrectionis, resurrectio ex mortuis, & sub voce resurrectionis ex mortuis, tota illa felicitas continetur, quæ eis promissa est in novo Fœdere. (r)

Quod ita probare necesse fuit, quia nimis audaces quidam sunt Theologi, (s) *qui cùm vident, se graviter premi his verbis in suis quibusdam opinionibus, affirmant, Paulum hocin loco non loqui de resuscitatione D. Iesu ex mortuis, sed tantum de suscitatione, quòd scilicet in mundum natus fuerit, nixi his ratiunculis. Primùm, quòd non addita sint verba* ex mortuis: *vocabulum autem* suscitandi *sæpè accipi pro productione in hanc vitam. Deinde, quòd si de resurrectione ex mortuis intelligenda essent hæc verba, Apostolus idem bis probaret. Mox enim addit:* Quòd autem resuscitaverit eum ex mortuis, jam non reversurum in corruptionem, ita dixit, *&c. Ad quæ nos brevissimè ita respondemus. Primùm, siquidem certum est, vocem suscitandi, vel græcum* ἀνασῆσαι, *sæpissimè pro resuscitatione ex mortuis accipi,* (t) *ideò, nisi probetur, hic eam ita accipi posse, frustrà omninò hoc objicitur. Hic vero de resuscitatione ex mortuis hæc verba accipienda esse, hinc apparet, quòd ante mentio facta fuerat resuscitationis ex mortuis, vers.* 30. At Deus eum excitavit ex mortuis; *& porrò in sequentibus verbis eorum facta fuerat mentio, quæ post Christi resurrectionem facta sunt: nempe,* quòd visus sit per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem. *Post quæ omnia nimis fuisset præposterum, mentionem demùm facere ipsius nativitatis, & in mundum productionis. Non necesse autem erat addere illa verba* ex mortuis, *cum jam ex præcedentibus, de quanam resuscitatione Apostolus loqueretur, constaret. Quòd ad alteram rationem attinet, non consideràrunt isti, licet alioquin magni, viri, Paulum non reprobare in sequentibus verbis, quòd Deus Christum resuscitaverit ex mortuis: sed quòd eum ita ex mortuis resuscitàrit, ut non sit reversurus ad corruptionem ut ita resuscitatio ex mortuis Iesu Christi differat ab aliorum hominum, qui etiam ante ex mortuis resuscitati fuerant, & tunc cum Christo ex mortuis resurrexerant, resuscitatione. Illi enim omnes ita resuscitati erant, ut iterum corruptionem viderint.*

Nec obstat, quod D. Petrus hæc verba, non dabis unctum tuum videre corruptionem, (u) *quibus hic D. Paulus ad probandum illud, quod Iesus ita sit resuscitatus, ut corruptionem amplius non videat, utitur, ad ipsam Iesu Christi resurrectionem refert, & eam illis demonstrat. Potest enim in iisdem verbis latere duplex æquè nobilis sensus, & duplex ex illis argumentandi modus peti. D. Petrus probat his verbis, corpus Christi mortuum, conservatum fuisse à putredine: D. Paulus probat iisdem, resuscitatum Christi corpus conservatum fuisse à morte: uterque planè divino modo. Tàm enim est corruptio, corporis mortui putrefactio: quàm corporis vivificati, denuò mortificatio. Sed ad rem. Probat igitur hoc loco Paulus Christi ex mortuis resuscitationem. Quis verò non videt, istum locum, si corticem & sensum priorem spectes, posse ad Davidem primùm accommodari,*

(*r*) Ioh. 6. 54. Phil. 3. 11. (*s*) Franciscus Iunius. Theodorus Beza.
(*t*) Ioh. 6. 39. 40. 44. Act. 2. 14. 32. & 3. 26. & 17. 31. (*u*) Act. 2. 27.

modari, qui tunc temporis genitus quodammodo à Deo fuit, cùm regnum, ad quod lectus erat, & quo tamen per annos aliquod caruerat, reipsâ consecutus est?

Secundus locus est: (x) Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem; *quo quidem etiam docet D. Petrus Christi ex mortuis resurrectionem. Sed si aliqua in his verbis agnoscatur, eaque tolerabilis, & S. literis admodum usitata figura, facile poterit statui ea verba à Davide primo respectu dicta fuisse de spe sua, quam in Deo collocârat, qui se deserturus non esset in extremo etiam mortis periculo constitutum.* (y) *Non est enim novum per hujusmodi voces talia in S. literis significari.*

Dicet aliquis. Quid verò vis ista tua ratiocinatione? (z) *Hoc scilicet, ut agnoscatur, certitudinem resurrectionis Iesu Christi principaliter aliundè pendere, quàm ex testimoniis S. Literarum veteris fœderis. Hoc autem unde ea pendet, est testimonium Apostolorum, quod tanti momenti Deus esse voluit, ut ipsorum verbis & prædicatione, hoc miraculum omnium maximum divulgaretur, & hominibus persuaderetur.* (a) *Hos verò, ut fides eis adhiberi tutò possit, hujusmodi rebus exornatos & commendatos esse voluit, ut nemo, nisi mentis inops & improbus, de doctrina eorum dubitare posset. Nam, sicut in ipso Iesu testabantur, eum esse Christum, Spiritus, aqua, & sanguis: sic etiam eadem testabantur in Apostolis, eos vera loqui. Erat enim doctrinæ & vitæ ipsorum tanta puritas & innocentia, ut nemo omnium tam propè ad angelorum & Christi ipsius puritatem accesserit, atque illi. Miraculorum verò tanta erat majestas, ut verè illud impletum sit in eis, quod Dominus dixerat:* (b) Qui in me credit, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora his faciet, quia ego ad Patrem meum vado. *Denique tanta eorum in ferendo omnis generis calamitates & afflictiones, patientia erat & constantia, ut etiam loco felicitatis haberent contumelias, verbera, carceres, mortem. Hi verò tot, tales, & tanti viri, Apostoli Iesu Christi, testati sunt, non tantùm, Iesum resuscitatum esse ex mortuis: sed etiam se oculis suis vidisse eum ex morte resuscitatum, cum eo conversatos esse, comedisse, ac bibisse; & omnis generis gravissimas afflictiones, & mortem truculentissimam ferre maluerunt, quam negare illud, quod semel affirmârunt. Unde alterutrum horum consequi necesse est: Apostolos scilicet, tot, tales, & tantos viros, scientes volentes, tot & tantas afflictiones, & ipsam mortem crudelissimam subire voluisse, propter hoc ipsum, ut obtineret id, quod ipsi met falsissimum esse noverant: vel rem ita se prorsus habuisse, ut illi affirmabant, nempe Iesum ex mortuis resuscitatum fuisse, & illos eum resuscitatum oculis suis vidisse. Quia verò prius illud contra omnem rationem est, ideò, hoc posterius ut verum sit, necesse est.*

Et certè tot hominum myriades, inter quos plurimi fuêre longè sapientissimi, nunquam tàm facilè credidissent Euangelio, quod eos omni carnali voluptate, commodis, & honore (quæ sunt hominum quasi anima) penitus spoliat, nisi certò compertissent; ducem illus ex mortuis resuscitatum, & eundem ab aliis conspectum fuisse. Nullus enim modus inveniri posse videtur, quo res tàm mira, hominibus, tàm à Christiana religione alie-

(x) Ps. 16. 18. Act. 2. 27. (y) Psal. 23. 4 & 85. 13. & 87. 4. (z) Christi resurrectio pendet ex auctoritate & testimonio Apostolorum. (a) Veritas testimonii Apostolor. (b) Joh. 14. 12.

alienis, persuaderi potuerit, praeter hunc, quòd scilicet illi ipsi, qui hoc primi annunciabant, oculis suis id viderint. Audita vel ab aliis visa, nunquam tantam vim habere potuissent.

(c) Hoc fundamento jacto, credimus, in illis etiam testimoniis, quae videmus ab Apostolis adducta esse ad demonstrandam Christi resuscitationem, contineri eam rem, quantumvis illa de aliis hominibus antea intelligi, & ad alia accommodari potuerint. Certo enim certiùs est apud nos Christianos, Apostolos Iesu Christi hac in re errare nullo modo potuisse, nec porrò errasse. Sic scilicet, quia planè miraculosa & divina erat Iesu Christi resurrectio, singularissimo etiam & divino ejus certitudinem modo revelari hominibus Deus voluit.

(d) Cui verò ista Christi ex mortuis resuscitatio tribui debeat, tanquam causae ejus efficienti, licet hodiè controvertatur: tamen adeò clarum & manifestum est, ut nulla probatione indigeat. Deus ille Patrum populi Israëlitici, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, filium suum ex mortuis resuscitavit, & in eo, ut Deus Domini nostri Iesu Christi (ut Apostolus loquitur) exeruit ingentem & excellentem magnitudinem potentiae suae divinae. (e) Ob quam causam etiam Apostolus, nomine ipso Dei omisso, hac eum paraphrasi interdum describit: Is qui Iesum ex mortuis resuscitavit (f) Nec debent ullo modo, unus atque alter locus S. literarum, qui contrarium affirmare videntur, in acie collocari adversus tantam multitudinem istorum locorum, qui disertissimè docent, Iesum à Deo Patre suo resuscitatum esse. Nam praeterquam, quòd tam pauci sunt numero, sunt etiam omnino figurati. Qui loquendi modi nunquam possunt esse potentiores ad probandum aliquid, illis, qui omni figura carent, & ipsissima sunt proprietas. Sed non est propositi nostri ea de re plura disserere. Veritatem enim tantum docere, nobis nunc propositum est: errores jam pridem a nostris sunt refutati. (g) Videtur autem considerandum & hoc, cur Iesum Christum Deus voluerit tertia die resurgere, & in Prophetarum etiam scriptis illud olim praenunciari. Licet enim aliqua videatur esse diversitas, inter ea, quae de Iona leguntur, & quae Dominus ipse alibi affirmat, se tres dies & tres noctes in corde terrae futurum, quemadmodum Ionas tres dies & tres noctes in ventre ceti fuerat, & inter ea, quae alibi ab ipso Christo, & D. Paulo dicta sunt: (h) &, quod vulgo in ore est omnium, quod Christus resuscitatus fuerit tertia die: tamen ista differentia nulla reipsa est. (i) Nam certum est, vocabulum diei interdum significare diem naturalem, hoc est, spacium 24. horarum: interdum partem diei pro die accipi per Synecdochen, sive ea pars noctu contingat, sive interdiu. Hinc dicitur aliquid die quadam esse factum, quod tamen una atque altera ejus diei hora fieri potuit. Quoniam igitur tempus illud, quod intercessit inter mortem & resurrectionem Christi, tres dies attigit, nempe primae diurnas horas aliquot, secundae omnes horas nocturnas & diurnas, tertiae rursus omnes ferè horas nocturnas, ideò rectè per figuram dici potest, Christum tres

(c) Quatenus ex S. literis Christi resurrectio probari possit. (d) Cujus virtute Christus resurrexerit. (e) Act. 3. 13. 15. Eph. 1. 17. 19. (f) Ro. 4. 24. & 8. 11. 2. Cor. 4. 14. Gal. 1. 1. 1. Thess. 1. 10. (g) Cur Christus tertia die resurrexit ex mortuis. (h) Jon. 2. 1. Mat. 12. 40. Luc. 18. 33. 1 Cor. 15. 4. (i) Conciliatio repugnantiae de die resurrectionis Christi:

tres dies fuisse in sepulchro; propriissimè autem, eum tertia die resurrexisse. Certe enim, si per omnes trium dierum horas, Dominus Iesus in sepulchro fuisset, dici non posset eum tertia die resurrexisse: sed oporteret dicere eum post tres quarta die resurrexisse.

Cur vero Deus, nec citius nec tardius, Christum ex mortuis excitari voluerit, dicere volebamus. Cur non citius, causa esse videtur, ut hac ratione omnibus innotesceret, & certo cognosceretur, Iesum vere mortuum fuisse. Nam si vel minima suspicio fuisset, eum vere mortuum non fuisse, summa Dei gloria, quam ex resuscitatione ejus quæsiturus erat, obscurata fuisset. Possunt enim & homines, eum, qui ad tempus videbatur mortuus, revera autem mortuus non erat, resuscitare; vel etiam sponte sua tales resurgere solent. At vere mortuum nemo resuscitare potest, nisi Deus, & cui id à Deo concessum est, præsertim eo modo, ut deinceps nunquam iterum moriatur. Hac de causa voluit etiam Deus Iesum Christum jam mortuum lancea perfodi: hac de causa eum etiam sepeliri voluit. [k] *Nam si aliquid vitæ in Domini corpore superfuisset, illud omnino tunc, cum ita violenter perfoderetur, & deinde ex cruce, ab aliquot procul dubio hominibus, detractus, ab iisdem in alium locum portaretur, quod sine ingenti motu corporis Christi fieri non potuit, apparuisset.*

Tardius vicissim noluit Deus Christum resuscitari, ut, quantum ejus fieri poterat, Apostolos in primis & alios etiam discipulos Iesu Christi juvaret, ut tanto facilius crederent, ipsum D. Iesum vere, & neminem alium, resuscitatum esse. Nam, si D. Iesus putrescere cœpisset, nihil quidem illud obstitisset Dei potentiæ. Tam enim Deus eum ex mortuis resuscitare potest, qui ante annos mille mortuus est quam illum, qui ante unum horæ spatium mortuus est: at Apostolorum fidei plurimum id obstitisset. Facile enim, quæ eorum tunc erat infirmitas, credidissent, non illum Iesum, sed alium quempiam, ejus loco resuscitatum esse, & ita sibi imponi, suspicati fuissent. Huic tantæ infirmitati Apostolorum ut Deus sapientissimus consuleret, voluit Christum tamdiu tantum in sepulchro esse, quamdiu ibidem, naturali cursu, à corruptione & putrefactione liber esse poterat. Nam procul omni dubio, potest humanum corpus ita servari, ne corrumpatur, usque ad tertium diem. Hac etiam de causa, noluit Deus crura frangi Domino Iesu: quemadmodum olim etiam id figurabat agnus ille Paschalis [l] *Propter hanc denique causam, voluit Deus, ut Christus in eodem corpore, in quo mortuus fuerat, nempe carneo & osseo, resurgeret. Tanta scilicet in rebus, quæ minimæ esse videntur, inest singularis quædam mirabilitas, ut omnia, quæ circa Dominum Iesum facta sunt, præstantissima & divinissima esse appareat.*

[m] *Sed nunc finem perpendere necesse est, cujus causa Deus Iesum Christum ex mortuis resuscitaverit. Is autem est, primum respectu quidem Dei, Gloria illius. In hunc enim finem Deus Christum mori voluit, ut occasionem haberet exercendi summam suam sapientiam, summam bonitatem, summam potentiam, resuscitando eum ex mortuis. Nihil enim est, quod magis Dei istas qualitates exprimat, atque hoc, quod Deus Iesum mortuum, ex morte hoc modo liberare noverit, voluerit & potuerit. Per infamiam & mortem, aliquem deducere ad gloriam & vitam, divina & summa sapientia est: Hominum causâ, eum, qui innocens erat, morti tradere, & illorum causâ,*

[*k*] Ioh. 19. 34. 40. [*l*] Ioh. 19. 33. 36. Ex. 12. 46. [*m*] Finis resurrectionis Christi ex mortuis duplex.

causâ, eundem ex mortuis resuscitare, divina & summa bonitas est: Eum, qui esse desierat, vivum efficere, & ita vivum, ut nunquam iterum moriatur, nec mori possit, divina & summa potentia est. De quo infrà plura.

Deinde, finis etiam alter est, respectu nostri, Confirmatio fidei nostræ, ut scilicet nobis persuadere possimus, fieri posse, & certò futurum, ut homo, licet naturâ mortalis, & propter propagationem, quam ex Adamo, æternæ morti propter commissum peccatum obnoxio, habet, morti etiam æternæ obnoxius sit: tandem tamen, si Deo per Christum confidat & obediat, ab hoc utroque liberetur, & ex mortuo & jam non existente, vivus & iterum existens fiat. (n) *Hunc enim modum & medium quoddam Deus generale esse voluit, dandi hominibus mortalibus & mortuis vitam æternam.*

Quod autem quidam, nempe illi, qui in adventu Christi ex fidelibus vivi reperientur, non hoc modo & medio vitam æternam illam consequentur, hoc singulare quiddam est. Et tamen illis loco resurrectionis erit immutatio illorum: quemadmodum iis, qui ante adventum Christi moriuntur, loco immutationis, erit resurrectio. Non enim mutabuntur illi, qui resurgent, ut hi, quos vivos Christus offendet: sed resurgent incorruptibiles, (ut ait Apostolus) hoc est, tales, quales in omnem temporum æternitatem futuri sunt. (o) *Non fient tunc ex mortalibus immortales, sed ex non existentibus, existentes: quemadmodum hi rursus, quos vivos D. Christus offendet, non existent ex non existentibus: sed ex mortalibus existentibus, fient immortales. Et licet difficile admodum sit, credere, hominem, qui mortalis est, ita immutari posse, ut fiat in uno ictu oculi immortalis: tamen multò difficilius est, credere, eum, qui esse desiit, iterum extiturum, loco mortalis, qualis antea fuerat, immortalem, præsertim si consideretur, quanta temporis intervalla elapsa sint, ab eo, quo mortui sunt illi, quorum resurrectio speratur; & præterea, quàm variis modis corpora ipsorum immutata, & in mille formas redacta sint, & redigi etiamnùm possint. Huic igitur rei, ut consuleret sapientissimus Deus, voluit Iesum Christum ex omnibus mortuis primum resurgere, & hac ratione ad regnum illud quod nunc tenet, pervenire. Et quia maxima ratio habenda fuit Apostolorum,* (p) *voluit Deus illorum causâ, non tantùm D. Iesum resuscitari, & vivum se exhibere: verùm etiam in eodem planè corpore, in quo mortuus fuerat, resurgere, cum illis comedere & bibere, & per dies satis multos conversari, ut scilicet satis superque cognoscerent, verissimè Iesum ex mortuis resurrexisse, & fieri proinde posse, ut alii etiam, licet mortales sint, resurgant. Reliqui enim homines infideles indigni erant, qui tanto beneficio fruerentur, nempe ut Dominum Iesum ex morte redivivum viderent, quia scilicet eum antea nimis superciliosè spreverant. Hinc Dominus Iesus ait, Spiritum Sanctum arguturum mundum etiam de justitia* (q) *hoc est, demonstraturum hominibus, justè Deum hac in re progressum esse, quòd Christus ad Patrem iverit, hoc, est in cælos ascenderit, & ita à nemine amplius conspectus sit.*

Iam quis ex his omnibus non videt, quanta hujus rei, quæ aditum tantùm præbuit Domino Iesu ad regnum ipsius, sit præstantia, quanta divinitas? Summa Dei gloria

(*n*) Resurrectio est modus consequendi vitam æternam. (*o*) 1. Cor. 15. 52. (*p*) Cur solis Apostolis & discipulis Christus post resurrectionem exhibitus fuerit. (*q*) Joh. 16, 10.

gloria in eo apparuit: Fidei etiam hominum singulare fulcrum extitit. O divinum igitur Iesum Christum, Dominum nostrum, cujus resurrectio tantarum rerum causa fuit.

ELENCHUS CAP. XIII. DISP. XLI.

TRansitione hac à Prophetico Christi munere ad munus Regium & Sacerdotale, initio divortium facit *Smalcius* minime legitimum muneris Prophetici a munere Regio & Sacerdotali; ut Resurrectione & Ascensione sua Christus omnino valedixerit muneri suo Prophetico, & penitus desierit esse Ecclesiæ suæ Doctor, ex quo regnare cœpit in cœlis. Erit hoc discutiendum infra ad *Caput XVIII.*

II. Interim animadvertenda erroris efficacia ista, quod auferens hoc pacto subordinationem, Apostolorum & Euangelistarum docentium, sub Christo ut summo Propheta & Doctore, ipsosque tantum subjiciens Christo ut Regi, facit ipsos Christo, olim magno in diebus carnis Propheta, majores Prophetas. Ex hypothesi enim *Smalcii*, *perfectissima revelatio voluntatis Dei non nisi per Apostolos facta est, Christus vero in sua ipsius persona non perfectissimè Dei voluntatem revelavit: ut ante resurrectionem dici queat plene aut perfecte Christus fuisse, neque absolute & simpliciter plenus fuisse gratiæ & veritatis, sed tantum quatenus tunc nihil perfectius in mundo exstabat: neque etiam habuerit potestatem ea perfectione munus Propheticum exercendi, qua illud post ipsum exercuerunt Apostoli.* Hæc tantum non ἀνελεγξεῖ sunt monstrosa *Smalcii* paradoxa, in *Responsione contra Smiglecii nova monstra. pag.* 123. 124. 125. 126.

III. Gloriam Christi, quæ afflictiones & mortem illius consecuta est, multiplicem esse, ἑξαγώνιον est. Resurrectionem & ascensionem Christi aditum fuisse ad Regnum illius non inficiamur. At vero illud pernegamus, non prius Jesum reipsa Regem factum esse, quam consedit ad dexteram Dei Patris, neque concedimus, tum illum regnare re ipsa in cœlo & in terra cepisse. Credimus enim D. Jesum *natum Regem Matt.* 11. 2. & *crucifixum Dominum gloriæ* 1 *Cor.* 11 8. & detestamur blasphemiam *Smalcii*, dicentis alibi, *falsum esse, à Paulo Christum in cruce pendentem Dominum gloriæ appellari. Resp. contra Smiglecium ad Nova monstra. pag.* 123. Hic illud indicandum fuit, mox vindicandum.

IV. Explicaturus hic *Smalcius* Resurrectionem Christi, luci tenebras offundit. Non enim aliunde apertius & planius explicari potuit poteritve, quid sit resurrectio ex mortuis, quam ex eo, quod Apostoli resurrectionis Christi testes, προκεχειροτονημένοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, se oculis suis vidisse & manibus suis contrectasse affirmant. 1 *Ioh.* 1. 1. *cum Act.* x. 41. Quod est, Redhibitio ejusdem hominis qui mortuus & sepultus fuerat, in eadem carne & corpore organico, iterum suæ animæ unito, & sic vivificato, juxta Christi ex mortuis redivivi contestationem illam, ad Apostolos *Luc.* xxiv. 38. *Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum, contrectate me & videte, nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.*

V. Non tulit hanc lucem *Smalcius*, quia vidit ex illa analogia ita respondendum

dendum fore, ad interrogationem, quam format, *quid sit Resurrectio ex mortuis*, ut sarta tecta sit Fides Catholica, quam profitemur in Symbolo, asserentes Resurrectionem Carnis: *Smalcius* vero aliique *Socini* asseclæ quid sentiant, exscribemus ex *Compendiolo doctrinæ Latino M. S.* circa Annum MDXCVIII. in Belgium importato, anno autem MDCXXX. Belgicè excuso *Deinde negant resurrectionem carnis, hoc est hujus ipsius corporis, quod carne & sanguine præditum est, etsi fatentur corpora esse resurrectura: h. e. ipsos homines fideles, qui tunc novis corporibus cœlestibus induendi sunt.*

VI. Trahit hæc hæresis aliam, de Statu Mortuorum; exscribemus ex eodem *Compendiolo Latino M. S.* quæ huc faciunt. *De statu animarum post mortem ita sentiunt; Hominem morte penitus dissolvi, ita ut nihil plane sit, nisi quod ejus Spiritus (uti & bestiarum Spiritus) instar alicujus venti, redit ad Deum, qui ipsum dedit. Ecclesiast. XII. Siquidem statuunt, omnes animos esse in se immortales, h. e. non penitus interire, sed per mortem hominis vel bestiæ redire ad Deum, quippe cujus virtus atque efficacia quædam sit Spiritus ille: id quod probant ex Ecclesiast. III. v. 19. & IX. fere toto, & XII. Hoc autem statuunt interesse inter animam hominis & bestiæ, quod illa rationalis est, & spem habet vitæ æternæ, sicuti animæ justorum reipsa æternum vivent. Porro hinc colligunt, animas post mortem nihil sentire aut agere, imo ne quidem in se reipsa subsistere velut personas: atque hoc esse quod passim dicitur in V. T. mortuos non habere memoriam Dei, nec laudes ejus celebrare, Ps. VI. 30 88. Esai. XXXVIII. Imo qui mortui sunt ne quidem esse dicuntur Ps. XXXIX. 18. Item hunc esse descensum ad inferos, cum quis in statum mortuorum redigitur. Gen. XLVI. Ps. XVI. &c.*

VII. Nullum vero est istius Definitionis (quod *Resurgere* sit, *ex non existente existere*) præsidium, in Scripturis à *Smalcio* adnotatis. Illud quidem quod *Phil.* II. 7. legitur, ἑαυτὸν ἐκένωσε *seipsum exinanivit*, quomodocunque torqueatur, per annihilationem explicari non potest, quin agnoscatur in persona Christi natura gemina, quarum una vi majori alteram in nihilum redigat. Illa autem vis major non potest esse alia, quam τῆς θείας φύσεως seu Dei ipsius, cujus est ex nihilo Creare. Enimvero ἐκένωσε, *Exinanivit*, non notat statum Christi mortui, sed viventis Gratiam, qua ipse, vivens in Carne, ad humilem obedientiam vitæ & mortis, se stitit Patris servum.

VIII. Neque verum illud est, quod *Act.* XIII. 13. Generationi assimiletur Resurrectio Christi: neque id consequens est ex eo, quod assertioni suæ, de excitato ex mortuis Jesu, Apostolus attexit ista; *Ut etiam in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Verum hoc agit Apostolus, ut doceat, die Resurrectionis sive Excitationis Christi ex mortuis, potenter ipsi à Patre vindicatum & assertum esse nomen illud Filii, Angelorum nomine excellentius, cujus nulla est vera definitio, extra generationem æternam ante omnem creaturam & creationem: conferenda enim hic loca *Heb.* I. 4. 5. *Rom.* I. 4.

IX. Neque Mortuorum non existentiam dicunt, *naturâ rei inspectâ*, quod temere ingerit *Smalcius*, dicta illa Scripturæ *Matt.* II. 18. & *Jerem.* XXXI. 15. de Rachele plorante filios suos, ac nolente consolationem admittere, ὅτι οὐκ εἰσί,

qu a

quia non sunt, אינם & parallela *Psal.* xviii. 14. *&* *Lam.* v. 7. Sed tantum (inspecto vitæ præsentis schemate transitorio, de quo Apostolus 1*Cor.* vii. 29. 30. 31.) dicunt non esse mortuos ultra in civitatibus & familiis, quibus erepti sunt: quæ absentia non perimit existentiam in rerum natura, neque secundum corporum materiam, neque secundum animas.

X. Et quidem sensit *Smalcius* se premi hic, inspecta natura corporis Christi, tertio die redivivi: secundum quam nullo schemate dici potest Christum cessavisse existere. Attamen magno serio persistit in assertione ista, aitque fuisse Christum in eadem conditione, in qua omnes alii mortui sunt, non secus ac si ante multos annos mortuus & plane in nihilum redactus fuisset. Hoc vero est illud mysterium jam detectum *Thesi* vi. de omnium descensu ad inferos, per quem, ut etiam hic se explicat *Smalcius*, Christo non excepto, nulla inter pios & alios impiissimos post mortem sit differentia: omnesque adeo per non existentiam pariter inferni vinculis attineantur, donec liberentur pii per Resurrectionem.

XI. Enimvero aperta nimis est de statu mortuorum Scripturæ affirmatio, migrare animas in locum, vel cruciatus, vel consolationis, in infernum vel in cœlum. *Luc.* xvi. 21. *&c.* Et (quia vita in loco cruciatus, ipsa morte tristior est) speciatim piorum Animas *Deo vivere*; sicut *Luc.* xx. illud dictum à Christo de Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν. Quæ verba, quamvis à Christo prolata sint ad demonstrationem Resurrectionis mortuorum: tamen frustra hoc insinuat *Smalcius*, quod tantum accipienda sint per Enallagen, de tempore futuro post Resurrectionem ex mortuis. Solida enim veritas assertionis ista est, quæ & præsentis & futuri temporis consolationem habet, de Mortuorum statu; quod corporibus mortuis vivant apud Deum superstites animæ, in præsens, cum expectatione certa, fore ut tandem etiam corpora reviviscant. *Apoc.* vi. 9. 10. 11. *cum. Matt.* x. 28.

XII. Controversias de Christi descensu ad inferos Philologicas, ad verba Symboli Apostolici, non est animus hic persequi. Hoc agimus tantum, ut ostendamus, quandoquidem *Smalcius* contendit, sic esse aliquid diversum mortem ab inferno, ut infernus definiendus sit illâ quam urget Non existentiâ post mortem, qua nulla relinquitur inter pios & impios post mortem differentia: consequenter & perimere animarum immortalitatem, & auferre ipsius inferni existentiam; adeoque Sadducæismum inferre in Christianismum; juxta quem, ut deteximus *Thesi* vi. idem est status præsens Mortuorum, & hominis & bestiæ, & nulla est exspectanda homini magis quam bestiæ Resurrectio Carnis.

XIII. Enimvero absque Carnis resurrectione, nulla esse vel dici potest veri nominis Resurrectio Mortuorum. Flagitat enim definitio nominis hoc, ut hominis Cadaver (quod à Cadendo dictum Latine, Græce, & Hebraice) à casu suo quo prostatum est erigatur & suscitetur, ut sit ἀνάστασις, sicut scitè vocem interpretatur *Damascenus*; δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις, *secunda ejus quod ceciderat statio.*

ELENCHI SECTIO II. DISP. XLII.

NObis quidem vere Christus est Primogenitus ex mortuis, & primitiæ eorum qui obdormierunt, & Pater futuri sæculi. Credimus enim ex animo Scripturis *Col.* 1. 18. *Apoc.* 1. 15. 1 *Cor.* xv 20. 21. & *Esai.* ix. 6. At censemus idolum & nihil esse, *Smalcii* Jesum illum, qui ex non existente iterum exstitit. Ex hypothesi enim ille, prout jam *Disp* XXXIX. contestati sumus, fuerit bis, & in nativitate ex virgine, & in resurrectione, ἐξ οὐκ ὄντων, factus & refectus Deus; quippe qui bis ex non existente existere ceperit.

II. Similiter Jesum Christum credimus toto corde ex morte & ipsius inferni faucibus ereptum, immortalem vivere; at *Smalcium* ita loquentem ex sua hypothesi, qua infernum definit per ipsam Non existentiam in rerum natura, asserimus magno conatu magnas chimæras loqui, & Non Entia.

III. Neque novum Existentiæ initium in Christo ex mortuis redivivo, significavit Apostolus, vocans ipsum *primogenitum ex mortuis* *Coll.* 1. 18. sed jus illud, supra illos, quos dignatur suos vocare, quo & viventibus & mortuis dominatur, in Resurrectione ex mortuis assertum, & vindicatum postliminio ipsi ut genito ante omnem creaturam: sicut jam ante *versu* 15. dictus est πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Et meditandus hic locus *Rom.* xiv. 9. *Ad hoc Christus & mortuus est & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur.*

IV. Non magis idem Apostolus attendit novum Existentiæ Christi initium quando dixit ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο, *Primitiæ factus est eorum qui obdormiverunt.* 1 *Cor.* xv. 20. & 23 Quid ergo? Spectavit benedictionem illam, qua, per Christi Resurrectionem ex mortuis, sanctificata est Resurrectio credentium in ipsum; juxta illud *Rom.* xi. 16. *Si primitiæ sanctæ, etiam massa.*

V. Quod Christus *Es.* ix. 6. appellatur אבי עד / *Pater æternitatis* non necessario Synonymum est illi versioni, *Pater futuri sæculi*; non enim est perpetuum ut עד notet sæculum futurum, secus enim flagitat illud מני עד / *A sæculo. Iob* xx. 4. Nec tamen admodum repugnamus, ut sic accipiatur indigitamentum illud: sed hac analogia Fidei, ut non possit vere credi Pater futuræ æternitatis nostræ Christus, nisi habeat & in se ipso vitam æternam, ut ipse verus Deus. *Ioh.* v. 27. & 1 *Ioh.* v 20.

VI. Ut autem Christus eo nomine dicatur Pater æternitatis seu futuri sæculi, quod à Christo ceptum est vivere vitam illam æternam futuri sæculi, & Pater idem sit quod primus repertor seu Inventor, ἀπείκαστον est: neque confirmari potest ex typo Adami primi, qui, si dicitur Pater hujus sæculi & temporalitatis, non intelligitur tantum primus cepisse vivere vitam hanc, sed vel maxime illam per generationem propagasse ad posteros. Adeoque non satis fiet isti antithesi Adami primi & secundi, nisi si-

cut

cut Adam est Pater noster & hujus sæculi seu vitæ, vere & efficienter, per vitæ ex se ad nos propagationem, in regeneratione Christus Pater sit vitæ spiritualis perennaturæ in futuro seculo, nos vere & efficienter ex se vivificando, quod est solius veri Dei, in quo omnis vitæ fons est *Psal.* XXXVI. 10.

VII. Unde pendeat certitudo Resurrectionis Christi, non uno sensu disquiritur. Vel enim attenditur certitudo tantum Resurrectionis factæ, quam nos habere ex Apostolorum testimonio ἐξαγώνιον est: de quo infra dicendum erit. Vel spectatur certitudo etiam, quæ olim fuit, Resurrectionis Christi futuræ, quæ haberi aliunde non potuit quam ex Verbo Prophetico. Ex concertatione autem utriusque cumulatior est Fidei Christianæ πληροφορία, quam Apostolus intendit, affirmans. 1 *Cor.* XV. 4. *Christum Resurrexisse secundum Scripturas.* Atque hic *Smalcio* illud extorsit veritas: *Ergo testabantur S. literæ de Christi Resurrectione.* Nec tamen manus dat veritati.

VIII. Luctatur contra veritatem hac Objectione: *Qui vero fiebat, quod illi ipsi, qui literas S. tunc temporis recipiebant, & nunc recipiunt, Iudæi, Iesum ex mortuis resuscitatum fuisse, nec credebant olim, nec nunc credunt: quin imo audacter, & impudenter affirmant Iesum in morte remansisse.* Respondet autem impie, & blaspheme; *Hujus rei nulla sane alia causa est, quam quod S. litera nimis obscure, de hac D. Iesu gloria testantur, adeo ut nemo Iudæorum hoc mysterium ex S. literis perfecte percipere potuerit.*

IX. Quod nec olim crediderint neque nunc credant Judæi Resurrectionem Christi, vel futuram vel factam, non est in causa, nec fuit, ulla Scripturarum V. T. invincibilis Obscuritas, vel Imperfectio; sed quod ipsi non debite scrutarentur Scripturas, ipsosque attineret solido opprobrio, quod ad castigationem suis discipulis ingerebat Christus, in itinere Emauntico; *O amentes & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ. Luc.* XXIV. 25. Atque ex illo tempore habemus apertam de Judæis contestationem Apostoli, *usque in hodiernum diem in lectione Veteris Testamenti esse & manere velamen impositum cordibus ipsorum*, 2 *Cor.* III. 15. 16. Huc facit *Elenchus Capitis* X. de Miraculis Jesu Christi.

X. Nihil pro *Smalcii* impietate facit locus 2 *Pet.* I. 20. Neque dixit Petrus quod illum dicentem facit *Smalcius*, quod Omnis Scriptura non sit proprii Intellectus. Atque recurrendum hic ad *Elenchum Capitis II.* speciatim *Thes.* XI. XII. ubi ostensum nobis, dici istud neutiquam posse, quin prostituatur, ut minime fida, adeoque nulla, omnis interpretatio Scripturæ Propheticæ à Christo & ab Apostolis profecta: quippe non exhibens proprium genuinum & σύμφυῆ Prophetiæ lectæ intellectum, sed tantum mentem Christi & Apostolorum, verbis Prophetarum nove accommodatam, quæ nunquam Prophetis scribentibus in mentem venerit.

XI, Dabimus hic Smalcii affectis, ut probam, versionem illam Racoviensem, Das keyne weissagung der Schrift aus eigener außlegung geschicht / in qua non recessum est a Luthero. At alienum est, quod substituit

Smalcius, pro, *Propriæ interpretationis*, *Proprii Intellectus*: quod nulli interpretum, ne *Castellioni* quidem, in mentem venit, nec in mentem venire potest, ex voce τῆς ἰδίας ἐπιλύσεως, de qua vide ἐπίκρισιν nostram alibi. *Disput. de Canone*. VI.

XII. Sumsit sibi hoc ostendendum *Smalcius*, Apostolos pro confirmanda Resurrectione Christi ex mortuis, produxisse Scripturam Propheticam, sed ex qua certitudo Resurrectionis Christi nulla esset, si illa constaret proprio intellectu Scripturæ Propheticæ. Quod illustrari rectius non potest, quam ex verborum Cajaphæ intellectu Apostolico, secundum quem prophetasse dicitur Cajaphas, qui nihil minus quam prophetavit, ex proprio verborum suorum intellectu. Agit hoc jam methodo cryptica *Smalcius*, ut appareat tractare illum τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης.

XIII. Initio injuriam facit *Smalcius* Apostolo Paulo *Act*. XIII. 32. 33. producenti id quod Psalmo secundo scriptum est, *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*: quasi hoc intenderit, ut verbis illis commodaretur intellectus ille, (ego hodie te excitavi ex mortuis) qui verificari non potuerat, antequam de Resurrectione Christi illud *Hodie* nominaretur. Unde putat *Smalcius* se hoc efficere, ut destruatur una opera certitudo Æternæ generationis Filii Dei à Patre, quam Orthodoxi fundant in verbis illis Psalmi secundi.

XIV. Enimverò verificari potuit & debuit de Christo, quandocunque tandem nominetur illud hodie, alloquutio Dei Patris ista, filius meus es tu, ego genui te: ut proprio verborum intellectu expressa sit arcana ἄχρονος æterna generatio Unigeniti à Patre, accedat autem, quando aliquod Hodie nominatur, (vel in Resurrectione Christi, vel in Ascensione in cœlos determinatum) Metonymia ista, ut *genui te* explicandum sit, genitum te demonstravi hodie, & gloriam Unigeniti Filii tibi vindicavi & asserui.

XV. Non ergo, per iteratum alia atque alia occasione illud Hodie, hoc conficitur, quod *Smalcius* Apostolos dicentes facit, genitum nove Filium in Excitatione ex mortuis, ac tum demum perfectissimo modo, quando ipsum glorificavit, ut fieret in cœlis summus Sacerdos *Heb*. V. 5. Sed iterum iterumque vindicata est & asserta D. Jesu gloria æternæ à Patre generationis.

ELENCHI SECTIO III. DISP. XLIII.

MAgnum vero est illud πρῶτον ψεῦδος, quod ingerit *Smalcius*: Verba illa, *Tu es meus Filius*, *ego hodie genui* te, in ipso Davide intelligenda esse, de ejus ad regnum promotione & evectione. Refellitur hoc illa Apostoli ad istam alloquutionem animadversione; *Cui unquam Angelorum dixit Filius meus es tu*, *ego hodie genui te?* Ad Davidem quomodo deprimi potest id, ex quo Apostolus arguit personam Angelis eminentiorem? adeoque, quod uni & soli Christo vindicat, cum exclusione Davidis, hoc ipso quem tractamus loco, *vers* 36. 37. *& Act*. IV. 25:

II. Quæstionem intercurrentem de interpretatione verbi *suscitandi*, an

Act. XIII.

Act. XIII. accipi possit (sicut *Bezæ* & *Iunio* visum est) de nativitate in mundum, *in fine versus* 31. ἀναστήσας Ἰησοῦν, *Excitato* vel *suscitato Iesu*, non erat necessum tam prolixe exagitare: & frustra est *Smalcius*, qui jactat graviter premi nos, nisi ad illam cum *Beza* & *Iunio* confugiamus: plana enim jam sunt omnia, manente significatione Resurrectionis ex mortuis, sed adhibita metonymia, jam exposita.

III. Interim pro *Beza & Iunio* hoc dicemus, non posse per se aliquo absurdo premi ipsorum interpretationem, cum saltem *Act.* II. 30. significatio illa productionis in mundum per conceptionem & nativitatem. à verbo suscitandi excludi non possit, in verbis illis Petri; *Propheta igitur cum esset, & sciret Deum jurejurando sibi jurasse, fore ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum illum suscitaret, quem collocaret super ejus throno.* Cui parallelum est illud hic; *Hujus è semine Deus secundum promissionem excitavit Israeli servatorem Iesum. vers* 23.

IV. Deinde hactenus quoque nobis cum *Iunio* & *Beza* est concors discordia Apostolum non idem bis probare, sive hoc sive illud enuncietur verbo ἀναστῆναι *versu* 31. Basis enim probationis, qua confirmatur veritas Resurrectionis Christi non est directe in verbis illis Psalmi secundi (ex quibus hoc tantum intendit Apostolus, quod jam exposuimus, vindicatam & assertam D. Jesu per Resurrectionem ex mortuis gloriam Filii Dei) Sed veritati Resurrectionis confirmandæ producitur tantum alter locus ille ex *Psalmo* XVI. 18.

V. Ex duobus ergo illis locis omnium præcipuis, quos urget Apostolus, in Apologia Euangelii de Resurrectione Christi, posterior tantum directam habet affirmationem futuræ Resurrectionis, demum laudatus à Paulo, isthoc *capite Act* XIII. *versu.* 35. præmissa *versu* 34 Thesi illa; quod Deus excitaverit eum à mortuis, non amplius reversurum in corruptionem. In qua thesi frustra sudat *Smalcius*, ut persuadeat, non esse illud τὸ κελυόμενον *quod Deus Christum resuscitaverit ex mortuis*, sed præcognitum: κελυόμενον vero istud tantum *quod eum ita ex mortuis resuscitarit ut non sit reversurus ad corruptionem.* Ac omnino ipsi obstat, quod Petrus *Act.* II. 23. verba hæc, *Non dabis unctum tuum videre corruptionem*, ad ipsam Jesu Christi resurrectionem refert, & eam illis demonstrat.

VI. Luci porro tenebras offundit frustra *Smalcius*, agnoscens quidem Petrum ex illo loco *Psal.* XVI. 18. docere Christi ex mortuis resurrectionem: sed flagitans, ut aliqua in istis verbis agnoscatur figura, per quam statuatur *ea verba à Davide primo respectu dicta fuisse de spe sua quam in Deo collocaret, quod se deserturus non esset, in extremo etiam mortis periculo constitutum*: sic voluit priorem locum ex *Psalmo* II. *posse ad Davidem primum accomodari, qui tunc temporis genitus quodammodò à Deo fuerit, cum regnum ad quod electus erat, & quo tamen per annos aliquot caruerat re ipsa consecutus est*: *Si*, inquit, *corticem & sensum priorem spectes.*

VII. Hoc inquam est Luci tenebras offundere. Ubi aperte enucleatus est sensus verborum de Christo, velle ad corticem adstringere verborum Scripturæ proprium intellectum: & nolle proprium intellectum haurire ex genui-

genuina & propria verborum significatione ab Apostolo ostensa & exhibita, sed præter authoritatem Apostoli, Figuram sermonis comminisci, ut ex certa demonstratione fiat incerta tantum allegorica, quæ non est argumentativa, Quod agentem *Smalcium* porro videamus, & persequamur Elencho veritatis.

VIII. Ex auctoritate & testimonio Apostolorum, haberi certitudinem resurrectionis Christi ἐξαγώνιον est: neccensendus est Christianus, apud quem non sit indubitata veritas testimonii Apostolorum, quo testati sunt: non tantum Jesum resuscitatum esse ex mortuis, sed etiam se oculis suis vidisse eum ex morte resuscitatum, cum eo conversatos esse, comedisse ac bibisse. Fuerunt enim, ad hoc testimonium prædicandum universo orbi, Apostoli testes à Deo προκεχειροτονημένοι. *Act.* x. 41.

IX. Enimvero si irrefragibile est Apostolorum testimonium, credendum illis contestantibus, se nihil dicere extra ea quæ Prophetæ & Moses prædixerant futura. *Act.* xxvi. 22. Ex quo hoc efficitur, Canonem veritatis testimonii Apostolorum, ad quem examinari & judicari potuerit ac debuerit, esse Scripturam Propheticam: juxta illud Apostoli Pauli; *Tradidi enim vobis inprimis quod & acceperam, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & sepultum fuisse, & excitatum tertio die, secundum Scripturas.* 1 *Cor.* xv. 3. 4.

X. Locum illustrem illum 1 *Ioh.* v. 8 *Tres sunt qui testificantur in terra, Spiritus & Aquâ & Sanguis*, tacite hic stringit *Smalcius*, probaturus scilicet Veritatem testimonii Apostolorum. Verum pervertit loci διάνοιαν, hoc enim ipsum quod intendere se monstrat Apostolus (dicens *versu* 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*) videlicet esse Testimonium Apostolorum θεόπνευστον, quod non ipsi principaliter loquuti sint ore suo, sed per os ipsorum loquens Spiritus Sanctus, juxta verbum Christi *Marc.* xiii. 11. Hoc, inquam, *Smalcius* destruere satagit per efficaciam erroris, quo nullam agnoscit in deitate personam Spiritus Sancti.

XI. Vult autem ut Spiritus nomine Johannes intellexerit (exclusâ persona Spiritus Sancti) Miraculorum Majestatem, quam quidem *Smalcius* non collocat in uno Domino Jesu, ut oportuit, sed etiam in servis ejus Apostolis: si enim hic *Smalcium* audimus, Spiritus, *sicut in ipso Iesu testabatur, sic etiam idem testabatur in Apostolis*: & in Apostolis *miraculorum tanta erat Majestas, ut vere illud impletum sit eis, quod Dominus dixerat Ioh.* xiv. 12. *Qui in me credit, opera, quæ ego facio, & ipse faciet: & majora his faciet, quia ego ad Patrem meum vado.*

XII. Enimvero (data in præsens, non concessa, glossa illa, ut Spiritus idem sit Johanni quod miraculorum Majestas) Miraculorum quidem Ministerium Apostolis concedimus: nec abnuimus, ut ex loco *Ioh.* xiv. 12. (instituta concertatione Ministerii Apostolorum post Christum exaltatum, & Ministerii; quod obiit Christus ipse, in diebus carnis) majorum miraculorum ministri fuerint Apostoli quam Christus ipse fuit. Verum ea lege, ut penes Christum, unum Apostolorum Dominum, sit & fuerit Majestas miraculorum,

lorum pariter ante & post Exaltationem ejus. Ut, quando Majoribus miraculis adhibiti sunt Apostoli, quam ad quæ adhibitum fuerat Ministerium Christi humiliati, Majora illa miracula per Apostolos operatus fit ipse Dominus Jesus, radiatione gloriæ ipsius non, ut ante in diebus carnis, suppressa.

XIII. Atque hic audiendi Apostoli ipsi, qui, ut læsæ Majestatis crimen, procul illud habuerunt, ne ipsis adscriberetur Miraculorum, quibus operabantur, Majestas. *Per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspicitis ac nostis, confirmavit Nomen ipsius.* *Act.* III. 16. Synonyma hic sunt Nomen & Majestas, ut collatio evincit locorum. *Act.* IV. 12. *&* *Phil.* II. 9. 10.

XIV. In reliqua loci Johannis glossa porro delirat *Smalcius*, *Aquam* exponens per communem Christo & Apostolis Vitæ puritatem & innocentiam & *Sanguinem*, per patientiam & constantiam Christi & Apostolorum, in ferendo omnis generis afflictiones & mortem. In Christo uno Aquam & Sanguinem testantes spectavit Apostolus Johannes: sententia parallela illi loco Apostoli ad *Hebræos* XII. 24. *Et ad Sanguinem aspersionis, præstantiora loquentem, quam loquebatur Abel.* Non intellexit ergo commune Christo & Apostolis Martyrium in sanguinis effusione: sed singulare mysterium expiationis & ablutionis peccatorum per unius Christi sanguinem, ex qua nobis testificatio illa Spiritus Christi cum Spiritu nostro, nos esse Filios Dei. Et videtur Apostolus, Aquam nominans juxta sanguinem, respexisse, visibile illud signaculum consummatæ expiationis peccatorum, quod mortem Christi ilico secutum est, cum ex persosso latere visa sunt manare Aqua & Sanguis: collato maxime 1 *Ioh.* v. 6. *cum Ioh.* XIX. 34.

XV. Sed ad rem. Quicquid magno hiatu *Smalcius* videtur dicere pro Veritate testimonii Apostolorum, ultimata Analysi resolvitur in Testimonium non Dei sed Hominum, quibus fidem conciliarint patrata miracula, una cum vitæ sanctitate, & constanti Martyrio, non subnixa ulli præcognito ex Scriptura Prophetica Verbo veritatis, proprio sensu intellecto, quod per Miracula ut signa subsequentia fuerit confirmatum: ut flagitat *Marc.* XVI. 20. De qua præpostera fidei Christianæ Methodo diximus in *Elencho Cap. X.*

XVI. De cætero alienum est ab Apostolorum gloriatione in Christo Domino, quod jactat *Smalcius*, Apostolos, *tot*, *tales*, *tantos*, *viros*, & juxta illos, *plurimos longe sapientissimos*, *qui Euangelio crediderunt.* Apostoli enim urgent contra, triumphatam mundi sapientiam, paradoxà vocatione, non multorum sapientum, & electione eorum quæ stulta infirma ignobilia & pro nihilo habita fuere 1 *Cor.* I. 17. 31. Et rapiebant Apostoli homines in admirationem non quod tales & tanti, sed quod tam nihili essent, ipsi quippe homines ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται, *Illiterati & Idiotæ*, qui audiebantur loqui magnalia Dei, & quorum prædicationi cooperabatur Deus, stupendis signis & miraculis. *Act.* IV. 19. Unde etiam manavit Canon ille Apostoli Jacobi; *Fratres mei ne* ἐν προσωποληψίαις *cum acceptione* vel *admiratione personarum habete fidem Domini nostri Iesu Christi gloriosi. Iac.* II. 1. Et ma-

 lorum

lorum Christianorum character est θαυμάζειν πρόσωπα, *Admirari personas*, *Iud.* 16.

XVII. Pelagianum quoque fermentum detestamur, in illis verbis *Smalcii* latens: *Et certe tot hominum myriades, inter quos plurimi fuere longe sapientissimi, nunquam tam facile credidissent Euangelio, nisi certo comperissent &c.* Etenim multiplicatæ credentium myriades non debent acceptum ferri, ductui & moderationi illorum qui inter illos fuere longe sapientissimi, qui, alibi primi, in Euangelio fere ultimi. Sed habemus apertam aliam affirmationem Spiritus Sancti; *Dominus addebat quotidie Ecclesiæ qui salvi fierent. Act.* 11. 47.

ELENCHI SECTIO IV. DISP. XLIV.

AN Deo Patri, tanquam causæ efficienti, Christi ex mortuis resuscitatio tribui debeat, hodie controverti, *Smalcius* ait, contra conscientiam. Scit enim hoc esse ἐξαγώνιον: ac mala fide nos insimulat, quasi nos adversus multitudinem istorum locorum, qui disertissime docent Jesum à Deo Patre suo resuscitatum esse, in acie collocemus unum atque alterum locum S. Literarum, qui contrarium affirmare videntur.

II. Non opponimus ut contrariam, affirmationem Scripturæ ex paucioribus locis elicitam, affirmationi in pluribus locis obviæ, sed utramque componimus, ut profectam ab eodem Spiritu veritatis. Nec patimur hic extorqueri nobis, vel unius loci Scripturæ affirmatione, confirmatam veritatem. Adeoque nec piam censemus *Smalcii* evasionem istam, qua ipse hoc admittit, quod nobis imputat, ut adversus Scripturæ unum atque alterum locum, multitudinem aliorum locorum in acie collocet, quibus fingit affirmari contrarium, defungens isthac rejectione, citra ullam nodi solutionem; *Præterquam quod tam Pauci sunt numero, sunt etiam omnino figurati.*

III. Indicabimus nos, & contra *Smalcium* in acie collocabimus, locum illum quem innuit unum atque alterum, quem indicare ipsi scilicet non fuit operæ pretium, quod *Veritatem tantum docere ipsi nunc propositum esset*, revera, ut contra veritatem dimicaret in tenebris. Locus primus esto in acie *Ioh.* 11. 19. 21. 22. ubi rogatus Christus (quodnam ipse signum monstraret, demonstrandæ potestati illi, qua in Templo repurgando se gesserat ut Dominum Templi) dixit; *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud.*

IV. Veritatem istam hac Christi affirmatione confirmamus; sicut Patri ita etiam ipsi Christo, ut causæ efficienti uni (juxta illud *Ioh.* x. 30. *Ego & pater unum sumus*) tribuendam esse Ipsius ex mortuis resuscitationem.

V. Frustra autem hoc præjudicium ingessit *Smalcius*, contra veritatem, locum hunc esse *omnino figuratum.* Diceretur hoc schemate aliquo, si non disertissimo Euangelistæ commentario explanata esset figura loquutionis ænigmatica. *Ipse vero dixit de Templo corporis sui. Quando ergo excitatus fuit ex*

mortuis

mortui, recordati sunt discipuli ipsius quod hoc ipsis dixisset; & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem dixerat Iesus.

VI. Figuratum ergo fuit quidem in verbis Christi nomen Templi, quo intellexit Corpus suum, per mortem destruendum, sed ex morte intra triduum resuscitandum: verum citra figuram aut improprietatem sermonis dixit, se illius resuscitationis, intra triduum, futurum causam efficientem nec absque hac fide potuerunt Apostoli, credere sermoni quem dixerat Jesus, quando ipse excitatus fuit ex mortuis.

VII. Alter locus pro confirmatione ejusdem veritatis esto *Ioh*. x. 17. 18. *Ego pono animam seu vitam meam, ut rursus assumam illam. Nemo aufert illam à me ipso. Potestatem habeo ponendi illam, & potestatem habeo rursus assumendi illam.* Diximus quæ ad loci hujus explanationem faciunt, quomodo vitam suam à seipso posuerit Christus oblatione Sacerdotali *Disput. III. Thesi* xi--xv.

VIII. In præsens perrogamus quamvis conscientiam, qua fronte hic quis dixerit locum esse omnino figuratum, ubi disertissime loquitur Christus de vita ponenda & recipienda, ac sibi pariter ad utrumque asserit ἐξουσίαν, id est potestatem seu jus Dominii, quod nullum vel cogitatione fingi potest in hoc negotio conveniens homini ψιλῷ minime θεανθρώπῳ. Qui enim Homo est Non Deus, is tantum est ὑπὸ ἐξουσίαν sub Potestate Dei vel à Deo ordinata, nec in se ipsum ἐξουσίαν habet seu jus vitæ & mortis.

IX. Ad conciliandum Enantiophanes, de triduo Christi mortui, nihil dicit *Smalcius* quod non dictum prius; per Synecdochen esse accipienda tria νυχθήμερα minime completa. Neque est nostri instituti tentare conciliationem meliorem.

X. *In Prophetarum scriptis olim Deum voluisse prænunciari, quod Iesum Christum voluerit tertia die resurgere*, dicit hic *Smalcius*, sed minime ex animi sui sententia. Prænunciatum enim nullo schemate dici potest, quod illis qui ante exhibitum Christum vixerunt, sive Prophetis prædicantibus, sive Prophetarum auditoribus & discipulis, nec intellectum fuit nec creditum: quod in hoc negotio *Smalcium* sentire ab initio *in Elencho Capitis Secundi* ostendimus. Neque, ex eadem hypothesi prænunciationis nomen meretur, nuda præfiguratio Tridui Christi in triduo Jonæ, quam ex *Ion*. ii. i. adnotat *Smalcius*.

XI. Nobis certum est verbo Prophetico prænunciatam Christi resurrectionem ex mortuis *Psal*. xvi. necnon *Esai. Cap* liii. ex illa analogia quam explicat Petrus 1 *Pet*. i. 11. prænunciatas Spiritu Prophetico in tempore suo eventuras Christi perpessiones, & post illas consecuturam gloriam. De triduo præcisè prænunciato, non est laborandum circa Fidem V. T. cum id faciat ad lucem majorem convenientem Novo Testamento. Quanquam & hoc ipsum prænunciatum censemus non obscurè *Hos*. vi. 2. *Vivificabit nos post duos dies, in tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.*

XII. Cur Deus nec citius nec tardius Christum ex mortuis excitare voluerit non repugnamus ut valeant causæ quas dicit *Smalcius*. Atque omnino

 bene

bene intellectum hoc amplectimur, ut sonticum, quod verbis illis dixit; *Facile enim (Apostoli) quæ eorum tunc erat infirmitas, credidissent, non illum Iesum, sed alium quempiam ejus loco resuscitatum esse &c.* Et mox; *Propter hanc causam voluit Deus, ut Christus in eodem corpore in quo mortuus fuerat, nempe carneo & osseo resurgeret.*

XIII. Enimvero neque ista ἁγνῶς dicta, aut sano sensu intellecta à *Smalcio*, qui fovet hic arcanum illud, quod *Disputatione ad hoc Caput I. Thes. VI.* aperuimus, non esse Resurrectionem mortuorum definiendam *carnis Resurrectione.* Ex qua hypothesi, secundum *Smalcium*, nihil decessisset veritati Resurrectionis Christi, in natura sua spectatæ, etiamsi non in eodem corpore in quo mortuus fuerat, nempe carneo & osseo, resurrexisset: sed dedit scilicet Deus hoc Resurrectionis accessorium infirmitati Apostolorum. Vult autem *Smalcius*, ut nunc firmiori fide, quam tunc erat Apostolorum, credamus eorumdem non aliorum mortuorum resurrectionem futuram, tametsi non sint resurrecturi in eodem corpore carneo & osseo in quo singuli mortui fuerunt.

XIV. Nos absque Carnis Resurrectione credimus nullam esse Resurrectionem ex mortuis: asserimusque de necessitate Resurrectionis illius Jesu qui mortuus fuerat hoc fuisse, (sive ad diem tertium, sive ad millesimum demum annum resurgeret) ut in eodem corpore in quo mortuus fuerat, nempe carneo & osseo, resurgeret. Non ergo datum infirmitati Fidei Apostolorum illud, quod in carneo & osseo corpore resurgeret Christus, sed tantum data illis intra triduum accelerata resurrectio.

XV. Quando hic *Smalcius* iterum insinuat discrimen inter illum, qui ante mille annos mortuus est, & illum qui ante unius horæ spatium, mortuus est, ut ille, non hic, censeri debeat redactus in nihilum: supra autem asseruit, tam illum cessare existere qui unam horam mortuus est; quam is qui mille myriadas annorum mortuus fuit: magis jam liquet, quod hic attigimus ante, de Sadducæismo qui hic in Christianismum infertur, dum à *Smalcio* asseritur, post justum temporis intervallum redigi in nihilum mortuorum corpora, interim necdum redactis in nihilum corporibus, etiam qui unam horam mortui sunt, cunctos descendere in Infernum Non existentiæ: quæ non existentia consequenter est secundum Animam, ex hypothesi, in Morte annihilatam: ejusque ex nihilo reproductio obtruditur pro Resurrectione Mortui. Hæc censemus esse profunda Satanæ.

ELENCHI SECTIO V. DISP. XLV.

Gloria Dei, in exercita Sapientia & Potentia summa, *respectu Dei*, nihilo magis est Finis Resurrectionis Christi ex mortuis, quam aliorum Dei operum à prima mundi creatione: determinatè vero, Gloria Dei in summa bonitate Hominum causa hic exercita, atque his verbis *Smalcii* exposita, (*Hominum causa eum qui innocens erat morti tradere: & illorum causa eundem ex mortuis resuscitare, divina & summa bonitas est*) omnino

omnino coincidit cum Fine altero, *respectu nostri*, ac perperam illi, ut Finis respectu Dei, contradistinguitur.

II. Enimvero bona quidem verba ista Smalcii: sed pessima verborum glossa, quando nullam aliam collocat in Resurrectione Christi Confirmationem Fidei nostræ, quam ut credamus, Resurrectionis Christi factæ exemplo, etiam nostram Resurrectionem & possibilem & futuram.

III. At neque hic sibi constat: quandoquidem vetat nos credere, futuram in nostra Resurrectione, *Resurrectionem Carnis*, quam in Christi Resurrectione factam constat, & ἰξαγώνιον est. Atque hoc pacto destruit ipse, id quod videri vult asserere. *Quod scilicet nobis persuadere possimus, fieri posse, & certo futurum in nobis, quod in Christo factum est.* Hoc enim, citra nostræ Carnis Resurrectionem futuram, nullo schemate verificari potest.

IV. Quare & gratis illud ponitur, exemplo Resurrectionis Christi nobis credendum nec pie in Christo factum supponitur; futurum, *ut homo naturâ mortalis, & propter propagationem, quam ex Adamo, æternæ morti propter commissum peccatum obnoxio, habet, morti etiam æternæ obnoxius, tandem ab hoc utroque liberetur, & ex mortuo vivens iterum fiat*: cui juxta *Smalcium* synonymum est: *ex jam non existente iterum existens.*

V. Quid est illud, homo naturâ mortalis? *Smalcius* intelligit hominem, etiam citra peccatum, ipsa natura sequela moriturum, juxta Pelagianam hæresin, de primo Adamo mortali creato: adeo, ut etiamsi perseverasset in obedientia, Deus ipsi daturus non fuisset vitam cœlestem, non intercedente vel morte, vel mutatione, destruente naturam creatam carnis & sanguinis.

VI. At quid hoc ad Christum *Smalcii*? quem fingit, non traxisse originem carnis suæ ex creatione illa prima carnis Adami, sed ex productione immediata materiæ, quam Deus inseverit in uterum matris virginis? Est nihilominus Christus *Smalcii* conceptus & natus homo naturâ mortalis, quia materia illa immediate à Deo producta carnea fuit, & ex illa productum Corpus Christi æque carneum, ut omnium aliorum hominum. Ita se explicat *Smalcius*, *libro contra Smiglecii Nova monstra pag.* 154.

VII. Enimvero si jam spectes liberationem Christi redivivi ab illa naturali mortis sequela, non loquitur *Smalcius* sibi ipsi consentanea, quando nobiscum quidem fatetur Christum resurrexisse in corpore carneo & osseo: at minime credit Christum illud inferre potuisse, vel intulisse, in cœlum. Unde consequens est necessario, Christum non liberatum à naturali mortis sequela, in Resurrectione, sed demum in Adscensione in cœlum: atque tunc iterum exercuisse & abdicasse corpus illud carneum & osseum in quo resurrexerat.

VIII. Subest porro Monstrum aliud hæresios, quando communiter, ut quemvis hominem sic Christum, *Smalcius* facit natura mortalem; &, quando mortuus est, non existentem. Destruitur enim, sicut monuimus ad Capitis hujus initium, Animæ Christi Immortalitas, quippe quæ descenderit in Infernum Non Existentiæ.

IX. Quæ vero illa impietas? & quomodo cum ipsa illa hypothesi de immediatè à Deo producta carne Christi, conciliabilis? quod fingit *Smalcius*, in Resurrectione Christi ex mortuis, exemplum liberationis, qua liberandus est à Morte æterna, Homo, propter propagationem, quam ex Adamo æternæ morti propter commissum peccatum obnoxio, habet, morti etiam æternæ, obnoxius. Hoc enim pacto constituitur Christus ipse, non minus quam nostrum quilibet, Homo, propter propagationem quam habet ex Adamo æternæ morti propter commissum peccatum obnoxio, morti etiam æternæ obnoxius.

X. Fide Orthodoxa Christus Homo factus nullam talem sustinuit moriendi necessitatem, neque illam quæ errore Pelagiano trahitur ad naturæ sequelam, neque istam, quæ vere nobis incumbit propter propagationem ex Adamo peccatore: sed tantum ultro sibi accersitam, sua pro nobis Fidejussione apud Patrem: absque qua Incarnationis ipsius causa Finali, quamvis Homo Factus, morti minime fuisset, obnoxius, neque per naturam Carnis suæ, neque per propagationem ejus ex Adami primi carne.

XI. Liberatus autem est Christus illa ultrò accersita pro nobis moriendi necessitate, per Resurrectionem ex mortuis, propter antegressam in Morte consummationem nostræ Justificationis, per consummatam obedientiam, quam spoponderat, factus sub lege maledictio pro nobis. Estque hæc αὐθεντὴς & genuina interpretatio verborum Apostoli *Rom.* IV. 25. *Qui traditus est propter transgressiones nostras, & excitatus est propter Iustificationem nostram.*

XII. Atque hoc pacto, ut in Resurrectione Carnis Christi collocamus exemplum, demonstrans & possibilem & futuram Carnis nostræ Resurrectionem, ita illam quam credimus Carnis redivivæ liberationem à moriendi necessitate per peccatum Adami accersita, credimus, non exemplo, sed Merito Christi, per Resurrectionem ex mortuis potenter adserto quidem, sed in morte antea consummato. *Joh.* XIX. 30. *Dixit, Consummatum est.*

XIII. *Quod Resurrectio medium est consequendi vitam æternam; & medium generale dandi hominibus mortalibus & mortuis vitam æternam*; non sano sensu à *Smalcio* affirmatur, propter ostensas jam hypotheses istas; quod statuat Resurrectionem Carnis nullam fore: Et illos etiam quos viventes in Carne offendet Christus novissimo die, Carne sua seu corpore carneo & osseo exuendos, ut in vitam æternam cœlestem ingredi possint: sicut Christum ipsum censet, non ingressum esse cœlum, nisi exutum corpore illo carneo & osseo, in quo resurrexerat.

XIV. Ex istis hypothesibus frustra distinguitur, à Resurrectione mortuorum, Immutatio viventium die novissimo futura, quasi per illam, non per hanc, fiant ex non existentibus existentes: utriusque enim Apotelesma, secundum *Smalcium*, constituitur saltem in corporis, ante non existentis, nova existentia; & quod prius extitit corpus utrobique relegatur ad infernum non existentiæ, sive per mortem olim antegressam, sive per tunc futuram immutationem.

XV. Et consequenter gratis illud hic ingeritur à *Smalcio*, ad meditandum

Re-

Resurrectionem mortuorum; *Quam varii modis corpora ipsorum immutata & in mille formas redacta sint, & redigi etiamnum possint.* Non est enim quod de varie mutatis mortuorum corporibus osseis & carneis, ex hypothesi nunquam revicturis, cura aliqua sollicitet illos qui nullam credunt carnis Resurrectionem; adeoque quicquid difficilem facit fidem Resurrectionis, ex scrupulo isto, id totum inficiatione sua respuunt.

XVI. Solis Apostolis & Discipulis Christum post resurrectionem exhibitum fuisse; eo quod reliqui homines infideles indigni essent qui tanto beneficio fruerentur, asseritur à *Smalcio* præter Scripturæ analogiam. Satis quidem prius illud jejune, cum præter Apostolos, visus sit Christus *amplius quam quingentis fratribus simul.* 1. *Cor* XV. 6. Ad quos quamvis extendi possit Discipulorum nomen: Tamen in historia temporis quo resurrexit Christus, proclivius esset illos tantum septuaginta intelligere, quos post Apostolos Christus misit Evangelisatum. *Luc* X. 1. Sed est hoc minoris momenti.

XVII. De cætero, extra antithesin, verum quidem hoc, quod homines infideles indigni erant qui tanto beneficio fruerentur, ut illis se redivivum exhiberet Christus, quem antea nimis supercilio se spreverant. At falsa est subindicata antithesis, rationem habendam fuisse Apostolorum & discipulorum, quod illi digni essent. Nihil hic tribuendum dignitati illorum, totum sed soli in solidum dignationi divinæ; quod ut disceretur apertius, post Apostolos & discipulos omnes visus est etiam Paulo, qui profitetur ipse se indignum qui Apostolus vocaretur, propterea quod persequutus fuerat Ecclesiam Dei. 1 *Cor.* XV. 8. 9. *Confer* 1 *Tim.* I. 12. 13. 14.

XVIII. Deinde & illud hic meditandum hac occasione; destrui necessario Pauli illud testimonium de exhibito sibi quoque Christo redivivo, & a se viso, ex illa *Smalcii* hypothesi, qua censet, non intulisse Christum in cœlum, idem illud corpus carneum & osseum, in quo, ut mortuus fuerat, ita resurrexit. Quod enim Paulo visus est Christus, contigit diu post Christi in cœlos adscensionem: quando ex hypothesi *Smalcii* nullum ultra fuit corpus visibile & palpabile carneum & osseum: adeoque non potuit Paulus fieri oculatus testis Christi in eodem plane corpore in quo mortuus fuerat redivivi: ac temere se proinde accenset Apostolis, & illis ultra 500. oculatis testibus in dicendo testimonio de Resurrectione Christi, cum gloriatione illa ad eosdem Corinthios; *Nonne sum Apostolus? nonne Iesum Christum Dominum nostrum vidi* 1. *Cor.* XII. 1.

XIX. Habemus ergo, ex accedente ad alios ante Ascensionem Christi oculatos testes teste ultimo Paulo, similiter oculato, de viso sibi Christo, per Resurrectionem ex mortuis redivivo, sartam tectam Fidem viventis etiamnum & victuri in æternum, in corpore eodem in quo mortuus fuit, Servatoris nostri Christi, similiter vivificaturi ex morte mortalia corpora nostra *Rom.* VIII. 11. *Si Spiritus ejus*, inquit Apostolus, *qui excitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis vivificabit etiam mortalia corpora vestra, per inhabitantem ejus Spiritum in vobis.*

XX. Et suggerit hic Apostolus illam demonstrationem resurrecturi ejusdem

dem corporis quod nunc mortale est, quod jam nunc in illo habitet Spiritus Sanctus, qui non habiturus sit pro derelicta in æternum habitationem semel occupatam sibique sanctificatam, licet ad tempus destruendam seu dissolvendam per mortem, sed illam per excitationem ex mortuis vindicaturus postliminio. Illustrantur hæc & confirmantur, assertione ista Apostoli, in *Capite sexto prioris ad Corinthios Epistolæ vers.* 14. & 15. *Deus autem & Dominum suscitavit, & nos suscitabit potentia sua. An ignoratis corpora vestra esse membra Christi?*

XXI. De corpore & membris corporis nostris loquitur, quæ communia nobiscum habent, qui illa faciunt membra scorti, quando scorto agglutinantur. Nihil manifestius. In illo corpore & membris istis asserit fideles Deo agglutinari, ut membra Christi, ut fiant unus Spiritus, id est unum spirituale corpus mysticum, per unum Spiritum inhabitantem: dicit enim porro; *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti? qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque estis vestri ipsorum. Nam empti estis precio, glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in Spiritu vestro, quæ sunt Dei. verss.* 19. 20.

XXII. Solis ergo radiis hic scriptum, corpora illa, in quibus non est peccandum per fornicationem, sed in quibus glorificandus est Deus per castitatem, quia illa precio emit Christus, & illa sibi in templum sanctificavit Spiritus Sanctus, Deum suscitaturum novissimo die, potentia illa, qua tertio die in corpore suo suscitavit Dominum Jesum.

XXIII. Et certe nî hoc fiat, non verificaretur per Resurrectionem mortuorum, ex mente *Smalcii* secus intellectam, id quod futurum gloriatur Apostolus 1 *Cor.* xv. 26. *Ultimus autem hostis mors aboletur.* Aperta est ratio istius Prosopopœiæ, qua Mors hostis appellatur, quod per illam destruatur vita hæc quam vivimus in carne, & occidatur corpus, quando occidi anima non potest *Matt.* x. 28. Non destruitur ergo Mors, quando corpus trucidatum manet, neque revocatur in vitam illam quæ per Mortem hostiliter ipsi ablata est. Adeoque, si nunquam instauranda est vita corpori illi quod morti succubuit & cadaver factum est, nunquam ultimus ille hostis, ad finem usque mundi grassaturus, Mors, abolendus erit.

XXIV. Quod jam Apostolus expressit per mortis ultimi hostis abolitionem futuram in mortuorum Resurrectione, idem æquipollenti phrasi illa expressum est, ad confirmandam Carnis Resurrectionem, à Johanne in *Apocalypsi Cap.* xx. 25. *Et reddidit mare mortuos quos habebat. Mors quoque & infernus reddiderunt mortuos quos habebant.* Neque hoc ullo schemate verificari potest, si non futura est eorundem corporum, quæ terra aut mari morti in prædam cesserunt, redhibitio, in mortuorum Resurrectione. Quemadmodum & illud gratis dictum foret *Apoc.* xxi. 4. καὶ ὁ θάνατος οὐκ ἔσται ἔτι, *& Mors non erit amplius*: si nulla foret Carnis Resurrectio, sed mansura esset Caro in æternum mortua.

CAP.

CAPUT DECIMUM QUARTUM
DE
Christi Ascensione in cælos.

ADhuc de primo eorum locuti sumus, quæ Christi regnum antecesserunt, & quibus quasi gradibus Christus ad regnum suum ascendit. Nunc ad alterum venimus, quod diximus esse, ejus ad cælos ascensionem. Christum vero in cælos ascendisse, quia expresse descriptum est à sacris Euangeliorum scriptoribus (a) *nihil amplius hic investigandum restat, quàm quid causæ fuerit, cur Deus voluerit Iesum Christum in cælos ascendere, atque ita in regnum suum ingredi. Cujus rei causæ possunt dari duplices: & aliæ quidem ad nos spectant, aliæ ad ipsum Iesum Christum.*

Eæ quæ ad nos spectant causæ, duæ sunt: (b) *Prior est, ut sciamus, ubinam nobis parata sit nostra felicitas. Siquidem certum est, hoc cælum & hanc terram destructum iri, quemadmodum hac de re apertissimè disserit D. Petrus. Est igitur novum cælum, & nova terra, iste scilicet locus, in quo Deus & justitia, hoc est, salus nostra, habitat: hunc nos expectamus: illuc animos nostros convertimus, & ibi tandem nos perpetua beatitate unà cum Deo fruituros credimus & gaudemus. Novum autem cælum & nova terra, per modum quendam loquendi, appellatur ille locus, in quo nostra felicitas, & ipse Deus noster habitat.* (c) *Cælum & terra quidem, quia etiam in futuro seculo habituri sumus locum, ubi degamus, & ea omnia, ad sustentationem vitæ nostræ tunc pertinebunt: quemadmodum nunc locum habemus, ubi degimus, nempe sub hoc cælo, & in hac terra, & ex illa omnia, quæ ad sustentationem hujus vitæ pertinent.* (d) *Novum autem cælum & nova terra appellatur, non ratione ejus, quod nunc non sit, & olim demum futurus sit iste locus: jam enim in eo habitat justitia, & ipse Deus: sed quia novus tunc temporis futuris est nobis, qui illum nunquam vidimus: quemadmodum etiam idem locus beatitatis futuræ appellatur* οἰκουμένη, *vel habitata futura,* (e) *cum tamen certum sit, Deum ab æterno ibi habitare, & Iesum Christum à multis retro seculis eo translatum esse, nempe ideo, quia nobis futura est. Hinc etiam in S. literis sæpissimè, imo perpetuo abducimur ab hac terra, & revocamur ad illum locum sanctissimum, ad cæ los nimirum, quoties nobis nostra spes proponitur.* (f) Magna est, *ait Dominus,* merces vestra in cælis. *Hinc denique quotidie oramus* Pater noster qui es in cælis, *ut scilicet locum illum, in quo Deus est, & in quem Christus ascendit, jugiter ob oculos nobis ponamus, & subinde ipsi moneamur, illuc nobis contendendum esse ab hac humilitate.*

(*a*) Mar. XVI. 19. Luc. XXIV. 51. Act. I. 9. (*b*) Causæ adscensionis Christi duplices. Respectu nostri. I. 2 Petr. III. 10. 12. 13. (*c*) Cur locus beatitatis fidelium, cælum & terra appelletur. (*d*) Cur novum cælum & nova terra idem locus appelletur. (*e*) Heb. II. 5. (*f*) Mat. V. 12.

Posterior ratio est ut sciamus, quanam ratione fieri possit, ut homo, qui natura mortalis & crassus est, aliquando in istam sublimitatem transferatur, in qua Deus summus omnium rerum opifex, & Iesus Christus, nunc degunt. Nempe, quemadmodum Deus curavit, ut Dominus Iesus, nube circumdatus in cælum raperetur, & ita ad ipsum Deum perveniret: sic etiam curaturum eundem Deum, vel potius ipsum Iesum, ut etiam illi, qui ejus sunt tandem ex hac mundi corruptione in illam sublimitatem transferantur. Ipse enim Dominus, *ut Apostolus ait*, (g) descendet de cælo, cum clamore, & voce Archangeli, & cum tuba Dei, & mortui in Christo resurgent primum. Deinde nos, qui vivi supererimus, una cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domino in aërem, & ita semper erimus cum Domino. *Ita scilicet Deus nobis viam recentem & patentem ad oculum quasi demonstravit, ut sciremus, quibus etiam gradibus nos tandem simus perventuri ad vitam illam æternam. O divinam Iesu Christi ascensionem: o divinum ipsum Iesum Christum, qui ascendit ad cælos.*

(h) *Causæ verò, quæ ad ipsum Dominum Iesum spectant, duæ etiam considerari possunt. Prior est, ut per istam ascensionem divino modo immortalis & gloriosus evaderet, nempe ut non tantum non moreretur, sed etiam ut mori amplius non posset, Quamdiu enim in terris fuit D. Jesus, licet fieri nullo modo posset, ut iterum moreretur: (sic enim Deus constituerat) tamen natura corporis ejus talis nondum erat, ut is mori non posset; & ita plane gloriosum corpus nondum habuit. Quantum vero differant ea inter se, certo destinatum esse à Deo immortalitati, & talem natura esse, qui mori non possit, docet exemplum eorum fidelium, qui vivi erunt in adventu Christi. De illis enim dici poterit, quod Deus nolit eos mori: & tamen dici non poterit, eos tales esse, qui natura sint immortales.*

(i) *Christum vero antequam in cælos ascendit, nondum habuisse corpus gloriosum eo modo, quo nunc gloriosum est, præter id, quod supra ostendimus, necessarium hoc fuisse, ad fidem Apostolorum & aliorum Christi discipulorum confirmandam, ex eo præterea constat, quod Christus ex mortuis resuscitatus, revera edit & bibit cum Apostolis: quod vulnera exhibuit: quod carnem & ossa habuit. Quæ omnia de corpore glorioso dicere tam absurdum est, quam de ipso Deo.*

Graviter autem reprehendendi sunt illi, qui dicunt, Iesum Christum non vere comedisse post suam ex mortuis resurrectionem, utpote qui ita D. Iesum tantum non imposuisse Apostolis affirmare audeant, & D. Petrum, id, quod sibi tantum esse videbatur, pro reipsa apud Cornelium venditasse, dicere coguntur, dum ait: Nobis (*scilicet Apostolis*) manifestum Deus fecit filium suum, testibus à Deo præordinatis, qui cum eo comedimus & bibimus, postquam ex mortuis resuscitatus fuit.

Isti verò ridendi sunt, qui ex eo colligunt, corporis Christi, quandiu in terris degebat, glorificationem, quod clausis foribus ad discipulos ingressus sit, quasi scilicet per parietes penetrarit. (k) *Nonne enim poterant esse fores clausæ, & miraculose aperiri? quemadmodum legimus portam urbis ultro apertam fuisse Petro Apostolo* (l) *nonne oculi Apo-*

(*g*) 1 Thes. IV. 16. 17. (*h*) Respectu Christi. x.) Christus non habuit corpus gloriosum, quamdiu in terris degit. Act. 40. 41. Luc. XXIV. 39. 40. (*k*) Joh. XX. 19. (*l*) Act. XII. 11.

li Apostolorum teneri poterant, ne illud viderent? Quanquam hic omnibus nullo modo opus fuit. Nec enim ibi describitur modus, quo Dominus ad discipulos ingressus sit: sed tempus tantum, quando ad eos ingressus sit. Hoc autem erat, cum essent clausæ fores domus illius, in qua congregati erant Apostoli; ita ut, etiamsi Christus fores clausas aperuisset, & ita per apertas intrasset, dici tamen possit, eum venisse aut ingressum fuisse foribus clausis; ita ut mirari aliquis possit, quanta sit hominum, alioqui eruditorum, in hac parte ruditas, dum istud ita vehementer urgent, ut ita, quocunque modo, quod semel animo conceperunt, dogma tueantur. Quoniam igitur Iesus Christus, quamdiu in terris fuit, corpus habuit nondum gloriosum, sed illud idem, in quo crucifixus fuerat, ideo necesse fuit, eum in cælos ascendere, & ita per istam ascensionem gloriosum illud corpus consequi. Quod eum nunc habere testatur plurimis verbis D. Paulus, dum inter alia ait: Postremus Adam (qui est Jesus Christus) factus est in spiritum vivificantem, hoc est consecutus est spirituale corpus quod seipsum vivificare in perpetuum possit. Christum autem talem spiritum tunc demum factum esse, cum in cælos ascendit, inde apparet, quod Dominus ipse, post suam etiam resurrectionem, negat se esse spiritum: (n) & quod, quem D. Paulus semel appellarat spiritum vivificantem, eundem iterum appellat Dominum. (o) Christus verò tunc demum Dominus reipsa & perfectè factus est, cum eum Deus ex mortuis resuscitavit, & ad regnum illud cæleste transtulit. Præterea dicit Apostolus ibidem, eum ex cælo, scilicet esse, vel corpus habere: quemadmodum in antithesi dixerat, primum hominem de terra, terrenum, scilicet fuisse, vel terrenum habuisse corpus. Quemadmodum vero corpus terrenum est corpus nondum glorificatum: sic corpus ex cælo, corpus est glorificatum. Corpus vero quod nunc Christus habet, ex cælo est: quemadmodum etiam corpus illud, quo olim induentur fideles, habitatio illorum, quæ de cælis (est) appellatur (q) Nam quod olim, cum in terris esset, habuit, licet miraculoso modo conceptum & natum esset, tamen omninò humanum erat, & corpori humano simillimum, & ex ipsa Mariæ virginis substantia, aliqua ex parte desumtum, nisi fortè Mennonitis (quos vocant) credere velimus, qui dicunt, Christum carnem suam de cælo attulisse, quos audimus, hoc etiam loco ad suam opinionem probandam abuti. Vnde etiam quædam exemplaria in loco, de quo agimus, habent: Secundus homo, Dominus cælestis. Quod quidem vocabulum, cælestis, non ad virtutes cælestes, (hac enim ratione Christus cælestis appellari poterat etiam antequam moreretur) sed ad naturam referendum est: quemadmodum etiam voces oppositæ, de terra terrenus, non ad vitia morum humanorum referendæ sunt, sed ad ejus naturam: & ideo Apostolus ait, nos, sicut portavimus (nempe dum in hoc seculo vivimus) imaginem terreni, hoc est, ita mortales fuimus sicut olim Adam, sic etiam portaturos nos imaginem cælestis, hoc est, ita immortales futuros, ut nunc Dominus Iesus immortalis est, & gloriosus, idque generali quadam sententia & mysterio concludit Apostolus, cum ait; Hoc dico, fratres, caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Vox per carnem & sanguinem, naturalem infirmitatem intelligi posse, non vero vitia & peccata, ut quidam volunt, id ostendit primum, quod Christus etiam carnem & sanguinem (r) partici-

(m) 1 Cor. xv. 45. Quale corpus Christus nunc habeat. (n) Luc. xxiv. 39. (o) 1 Cor. xv. 47. (p) Act. ii. 36. (q) 2 Cor. v. 1. (r) Heb. ii. 14. Quid sit, caro, & sanguis.

ticipavit: & tamen est blasphemum dicere, eum vitiis fuisse pollutum. Deinde docet id totius capitis summa, in quo Paulus tantum loquitur de resurrectione piorum. Quod inter alia, exemplum Christi toties repetitum, docere potest. Quid enim impios consolaetur exemplum resurrectionis Iesu Christi? Denique verba sequentia, quæ horum sunt quasi ἐξήγησις, satis aperte indicant, quid per carnem & sanguinem Paulus intelligat, dum ait: neque corruptibilitas hæreditabit incorruptibilitatem. *Corruptio autem significat non hominum vitia, sed eorum naturalem imperfectionem & mortalitatem, cui etiam Dominum Iesum obnoxium fuisse, hinc colligi potest, quod non dedit, hoc est, non permisit Deus, ut eam videret, hoc est, experiritur,*

(s) *Est autem notandum, fideles Christo similes futuros, non in eo qualis is fuit, dum adhuc in terris degeret, post resurrectionem licet: sed in eo, qualis nunc est, posteaquam in cælos ascendit.* Nec enim *ulla erit causa, cur nos ex mortuis resuscitati corpora talia habeamus, qualia antea habebamus, cùm adhuc in hac vita mortali degeremus: quemadmodum causa erat, cur Christus ex mortuis resuscitatus, corpus illud haberet, quod antea habuerat, quam moreretur.* Nam *qui resurgent ex mortuis, resurgent incorruptibiles; idque pro mysterio Apostolus venditat* (t) *Atque mysterium singulare nullum hoc esset, si Christus incorruptibilis resurrexisset. Ex eo enim sequeretur, omnes Christianos, similiter, ut ipsum Christum, isto modo resurrecturos*

(u) Nec *est quod quis curiose, & parum religiosè objiciat, nihil extare scriptum de modo istius immutationis Christi, quod scilicet nunc aliud corpus habeat, quam tunc habuit, cum in terris esset. Omninò enim fatebuntur etiam omnes, quicunque nunc Christum idem corpus habere putant, quod tunc, cum in terris degeret, habuit. eum nunc non habere ea, quibus tunc, cum in cælum ascendebat, indutus erat: & tamen nesciunt quomodo illa consumpta, vel quonam delata sint.* Fatebuntur *etiam omnes, quod majus est, eos, qui in Christi adventu vivi superfuturi sunt, mutatum iri: & tamen, quomodo illud ipsum, quod ex ipsorum sententia mutabitur, mutandum sit, ostendere nullo modo possunt. Desinant igitur in hujusmodi rebus in modos inquirere, quibus Deus usus est; & quos, ut ignoraremus, eum non sine causa voluisse, statuendum est. Discant autem acquiescere in testimoniis literarum S. manifestis, quæ testantur de differentia corporis Iesu Christi quod in terris degens habuit, & quod nunc habet. Illud testantur, carnem, ossa & vulnera habuisse, commedisse ac bibisse: Hoc vero, quod nunc habet, testantur esse Spirituale & cæleste.* Itaque *rei veritas non est metienda ex quibusdam circumstantiis, quæ abesse possint: sed satis esse debet, si sit evidens causa, cur ea pro vera habenda sit, qualis est, si literæ S. id testentur. Tunc enim (ut etiam supra docuimus) omnino conticescendum est, & veritati cedendum, etiam si modus rei gestæ, & aliæ circumstantiæ plane ignorentur.*

(x) *Altera causa, quæ ad ipsum Christum pertinet, quare opus fuerit eum in cælos ascendere, est, quia, si hic in terris mansisset, non potuisset illud, cujus causa olim de cælo venerat, implere & perficere. Venerat Christus de cælo, & necesse erat eum de cælo venisse, ut nobis salutem æternam annunciaret, & eam nobis firmissime confirmaret. Hoc facto, restabat, ut eandem salutem procuraret, & tandem eandem cre-*

(s) Christiani Christo similes erunt, in eo qualis nunc est secundum naturam. (t) 1 Cor. XV 52. (u) Refutatio objectionis de modo immutationis corporis (x) Causa respectu Christi.

credentibus daret. Hoc enim utrumque se facturum, Christus docuerat & promiserat. Quomodo vero salutem procurare, & eandem credentibus dare potuisset Dominus Iesus, nisi in cælos ascendisset? Nam ad procurationem salutis nostræ, necesse fuit, ut eo in loco resideret, unde omnibus fidelibus prospicere posset. Talis autem locus est cælum. Alioquin, si in terris mansisset, Pontifex noster non esset. (y) *Necesse etiam fuit, ut rerum & donorum cælestium, quibus ad salutem hominum procurandum opus est, potestatem haberet, nempe Angelorum, & Spiritus S., ita, ut illos mittere quo velit & hunc dare, cui velit, posset. Hoc vero totum, ut ab eo perficeretur, qui non in terra, sed in cælo habitaret, conveniens esse, docet ipsius Dei exemplum. Is enim solus, quia in cælis habitat, omnibus etiam sufficienter prospicere potest.*

Ad dationem porro reipsa salutis necesse fuit, Iesu Christo dari divinam & absolutam potestatem, in omnia quæ sunt in cælo, & in terra. Hanc autem Christo prius dari à Deo visum non est, quam in cælos ascenderet. Iam jam enim ascensurus in cælum, dixit: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. *Apostolus vero ait:* Exaltatus dextera Dei [Christus] accepit promissionem Patris, Spiritum Sanctum, *Et alibi:* Profectus in cælum, subjecit sibi angelos & dominationes, *&c.* (a) *Vidimus igitur tandem, quam divino plane modo Deus Iesum Christum ad istud divinum regnum evexerit, & quam divinis ad id D. Iesus gradibus pervenerit. Divinum igitur Iesum Christum prædicamus esse, cui soli & primo ista tanta evenerunt.*

(*y*) Heb. VIII. 4. (*z*) Matth. XXVIII. 18. (*a*) Act. II. 33. 1 Pet III. 22.

ELENCHUS CAP. XIV. DISP. XLVI.

Nihil minus agit *Smalcius*, quam ut maneat in simplicitate illa Scripturarum, Christum in cœlos ascendisse, ac quod præ se fert, ut *nihil amplius investigandum* censeat, *quam quid causæ fuerit, cur Deus voluerit Iesum Christum in cælos ascendere.* Mox enim causas illas investigaturus, ipsam ascensionis in cælum rationem formalem (quæ constat subvectione Corporis Christi redivivi, è terra sursum in cœlum) penitus destruit: & cœlum terræ miscens, & Christum exuens corpore illo quod è mortuis vivificatum exhibuit redivivus.

II. Causam ergo Ascensionis Christi primam respectu nostri dicturus, illam scilicet, *ut sciamus ubinam nobis parata sit nostra felicitas:* non patitur, ut simpliciter credamus, nos è terra in cælum migraturos, sed jubet nos credere, *hoc cælum & hanc terram destructum iri*, quæ in principio creavit Deus, ex loco 1 *Pet.* III. 10. 12. 13 Quod nos pernegamus ex Petri affirmatione confici magis posse, quam destructum fuisse olim in diebus Noachi cœlum & terram, quia affirmat Petrus, *illum qui tunc erat mundum diluvio mundatum perisse ibidem versu 6*

III. Non diffitemur, etiam inter Orthodoxos esse qui ex illo Petri loco eam cœli & terræ hujus destructionem seu annihilationem futuram opinantur;

tur: (qui quidem imprudenter, velificantur destructioni localis inferni, qui nunc est) attamen non venit illis in mentem, id quod hic est Smalcii πρῶτον ψεῦδος destructo, eo quod nunc est cælo & terra, nullam fore ex nova creatione creaturam vocandam nomine cœli & terræ: sed novi cæli & terræ futuræ nomine venire, Locum illum quem fingit Deo coæternum increatum, in quo proinde asserit *Deum ab æterno habitare*; hic, & infra, *Cap* 16. ubi hæc occurrent *Smalcii* verba. *Præter hæc creata omnia, per vocabulum cæli intelligi potest illud ipsum cœlum, vel ipsi cæli, qui non sunt creati nec oculis subjecti, in quibus scilicet Deus Pater noster esse dicitur ab omni æternitate.*

IV. Nos vero istam quidem hypothesin nostram facimus lubentes; jam nunc esse, & non olim demum futurum, locum istum, in quo post consummationem sæculi habitaturi sumus cum Deo, apud quem ibi reposita est & parata felicitas nostra, in quem πρόδρομος noster ascendit Christus. At novum ideo nude appellari, *quia tunc temporis novus futurus est nobis, qui illum nunquam vidimus*, jejunum nimis est. Intenditur enim principaliter novi cœli & novæ terra appellatione, novæ creaturæ, per Regenerationem hic in nobis inchoatæ, plena ad umbilicum deductio, in vitæ sanctæ & justæ plena consummatione: hoc enim flagitant verba illa Petri, *versu* 13. *in Quibus Justitia habitat*, collata cum antegressa, & subsequenti parænesi, ut hic in novitate vitæ vocationi illi cœlesti digne & convenienter ambulemus.

V. Enimvero pro Chimera Utopica seu Illocali habemus Apocryphum illum locum, in quo ab omni æternitate habitarit Deus, Neque in eum ascendisse Christum, aut in eo nobis paratam felisitatem nostram, credere nobis fas est, qui ex Scripturis credimus increatum & æternum nihil esse præter ipsum Deum. Et nihil venire in Scripturis Cœli & Terræ nomine quod non Deus crearit in principio. *Gen.* 1. 1.

VI. Et Cœlum quidem illud Cœlorum, in quo locus est futuræ nostræ felicitatis, vere creatum esse, non minus quam Cœlum medium æthereum, & infimum aëreum, testantur loca Scripturæ illustria. *Psal* cxv. 15. 16. *Benedicti vos à Domino, qui fecit Cœlum & terram. Cœlum Cœlorum Domino: Terram autem dedit filiis hominum.* Manifeste Cœli nomine, quod fecit Deus, sicut Terram, in principio, censet Psalmographus Cœlum Cœlorum: quod ut operum suorum primitias sibi vindicat Deus, ad suum cum Angelis habitaculum, date hominibus terræ habitaculo.

VII, Similiter Nehemias *Cap.* ix. 6. idem testatur; *Tu ipse Domine, solus tu fecisti Cœlum, & Cœlum Cœlorum, & omnem exercitum eorum, Terram & universa quæ in ea sunt, maria & omnia quæ in eis sunt.* Manifesta hæc paraphrasis est verborum Mosis *Genes.* II. 1. *Igitur perfecti sunt Cœli & terra, & omnis exercitus eorum.*

VIII. Paulus quoque aperte [loquens de Cœlesti Fidelium patria, quam expectant, post suam in terris peregrinationem, ac Cœlum illud Cœlorum vocans Urbem seu Civitatem habentem fundamenta, quam illis paravit Deus] asserit Deum illius esse τεχνίτην καὶ δημιουργὸν, *artificem & conditorem. Heb.* XI. 10. *cum* 16.

IX.

IX. Monstrosum magis evadit hoc paradoxon, de coæterno ipsi Deo loco, in quo habitarit ab omni æternitate; quod non sola Cœli appellatione illum indigitet *Smalcius*, sed Cœli & terræ. Atque sic fingitur & Cœlum & Terra ante Creationis principium Deo coæterna, contra omnem Scripturæ Analogiam: quæ si, ex hypothesi, antiqua sunt, debebitur nomen novi Cœli & novæ terræ, illi cœlo & terræ quæ in principio creavit Deus.

X. Satis vero crassum illud *Smalcii*, *μελέτημα* quod promit in ratione posteriori respectu nostri *quanam ratione fieri possit, ut homo, qui natura mortalis & crassus est, aliquando in illam sublimitatem transferatur &c.* super quo tamen nihil respondet, quod ad rhombum est, differens, id quod hic respondendum fuerat ex animi sui sententia, ad sequentem explicationem causarum respectu Christi: ubi fingit Christum (quod jam attigimus) corpus illud crassum carneum & osseum, non intulisse in cælum; quod porro discutiendum veniet.

XI. Causas illas Ascensionis Christi, quas asserit *Smalcius* respectu Christi, fingit & format juxta illud suum *πρῶτον ψεῦδος* quod ex professo hic sibi tractandum dixit, Christum videlicet non habuisse ante ascensionem in cœlos idem quod in cœlis habet corpus. Hinc scilicet efficit illud, primam Ascensionis causam fuisse illam, ut acciperet corpus aliud gloriosum, cujus illa esset natura, ut mori non posset, nec carnem & ossa haberet sicut corpus illud in quo resurrexerat ex mortuis.

ELENCHI SECTIO II. DISP. XLVII.

ET nobis illi graviter reprehendendi videntur, qui dicunt Iesum Christum non vere comedisse post suam ex mortuis resurrectionem: at non minus graviter reprehendendus *Smalcius*, qui Christo in cœlos adscendenti aufert corpus illud, in quo suam ex mortuis resurrectionem exhibuit Christus, revera edens & bibens cum Apostolis, & vulnera exhibens, & palpanda præbens carnem & ossa: contendens *ista de corpore glorioso dicere tam absurdum esse quam de ipso Deo.*

II. Exæquat sic quidem *Smalcius* crasso errore, quin hæresi, Corpus humanum gloriosum Deo ipsi, atque sic perimit, & veram corporis & veram essentiæ divinæ spiritualis, rationem & notionem. Atque hæc est efficacia erroris, de Deo, qui nec immensus sit nec Ubique præsens, Essentia sua, sed tantum cœlo *ἐγκαθιδρυμένος*, & oculorum corporis gloriosi inspectione visibilis

III. Ante ascensionem quidem in cœlos facile largiemur Christum nondum habuisse corpus gloriosum eo modo, quo nunc gloriosum est. At hinc non efficitur, non habuisse corpus gloriosum; quod lemmate marginali adscripsit *Smalcius*, quasi æquipollens. Nedum, quod porro intendit, debuisse Christum, ut indueret, quod nunc habet, corpus gloriosum, exuere illud quod tunc habuit.

IV.

IV. Hoc quidem indulsit Christus Discipulorum infirmitati, ut ad dies 40. in terris manens, radiationem visibilem gloriæ corporis supprimeret, in quam ipsi non potuissent ἀτενίσαι non magis quam olim Israelitæ in faciem Mosis. 2 *Cor.* III. 7. At suppressio illa radiorim gloriæ prorsus libera fuit, nec imputari potest aut debet naturæ carnis & ossium, quæ habuit Christus redivivus ex mortuis.

V. Neque conditioni corporis redivivi indigæ nutritionis, tribuendum illud, quod revera edit & bibit cum Apostolis. *Act.* x. 40. 41. Sed arbitrariæ demonstrationi, non abdicatæ naturæ aut facultatum naturalium, quæ in diebus carnis Christi servierant functionibus terrenis vitæ animalis, mox omnino abdicandis.

VI. Neque aut tunc inglorium potuit esse corpori Christi aut etiamnum inglorium censendum, si statuerimus, vel ad ultimi judicii diem usque gestare velle Christum vestigia vulnerum in manibus pedibus & latere, per clavorum & lanceæ spectabiles & palpabiles typos, (quod disquirere licet ad loca *Ioh.* XIX. 37. & *Apoc.* I. 7) Verum oportet referre illos clavorum typos ad gloriosum ex morte devicta triumphum. *Ioh.* XX. 24 28.

VII. Necessitas ergo Adscensionis Christi in cælum, propter ingloriam corporis ex mortuis redivivi conditionem, ista quam impie comminiscitur *Smalcius*, nulla fuit. Fuit vero alia, spectans ad cœlestis Sanctuarii dedicationem sacerdotalem; de qua erit infra dicendi locus.

VIII. Quale corpus Christus nunc habeat, pernegamus illis quidem Apostoli verbis expressum, quæ ex 1 *Cor*, XV. 45 expressit *Smalcius*; *postremus Adam factus est in Spiritum vivificantem*. Nec proba est istorum verborum glossa. quam subnectit *Smalcius*: *h. e. consecutus est spirituale corpus, quod se ipsum vivificare in perpetuum possit.* Hanc glossam confutavimus, Elenchis nostris ad *Caput VII. Sect. I.* ac ostendimus, non corporis sed Personæ divinæ quæ natura Deus est, seu Dei viventis & omnia vivificantis, indigitamentum esse Spiritum vivificantem.

IX. Illi hic etiam nobis se ridendos præbent, qui ex eo, quod dicitur Christus ad discipulos ingressus clausis foribus, colligunt corporis Christi per fores aut parietes factam penetrationem: pro nobis ergo non contra nos differit *Smalcius*, quæ illis opponit.

X At illud quod intendit *Smalcius*, Corpus scilicet Christi postea quando in cœlos ascendit, factum esse ex carneo & osseo Spiritum vivificantem, infeliciter probat. Frustra illud præstruens ex 1 *Cor.* XV. 47. quod, quem Paulus semel appellarat Spiritum vivificantem, eundem iterum appellet Dominum: Nunquam enim demonstrabit, vel utrumque illud, vel alterutrum, esse indigitamentum Christi petitum à Corpore glorioso, cum quo scilicet illud carneum & osseum permutarit.

XI. Neque hic juvat *Smalcium* istud, quod Dominus Iesus *Luc.* XXIV. 39. negavit se esse Spiritum, post suam resurrectionem. Hoc enim non destruit indigitamentum Spiritus vivificantis, Christo debitum propter naturam divinam

vinam, qua cum Patre unum est, quod proinde est æternæ veritatis? Sed destruit tantum errorem qui Apostolis obrepebat, de corpore carneo & osseo, in quo se exhibebat Christus redivivum, ut opinarentur id quod viderent corpus non verum esse sed φαινόμενον, adeoque se videre phantasma aut Spiritum. Quo errore destructo, quod tunc verificabatur de corpore Christi redivivo, idem etiamnum verificatur de Corpore ipsius glorioso, quippe quod idem ipsum est.

XII. Falsum quoque est hoc postulatum *Smalcii*, ac neutiquam ex loco quem adnotavit *Act.* xi. 36. confirmari potest, Christum tunc demum Dominum re ipsa & perfecte factum esse, cum eum Deus ex mortuis resuscitavit & ad regnum cœleste transtulit. Vindicabuntur in sequentibus verba Apostoli. In præsens notamus istam *Smalcii* lubricitatem, quod ubi hoc agit, ut evincat, non factum esse corpus Christi gloriosum, cum eum Deus ex mortuis resuscitavit, sed tum demum cum eum ad regnum cœleste transtulit, tamen utrumque affirmat axiomate connexo.

XIII. In verbis Apostoli reliquis 1 *Cor.* xv. 47. dicitur equidem Christus è cœlo, scilicet esse: sed neutiquam hoc, quod ingerit *Smalcius*, è cœlo corpus habere. Neque id flagitat antithesis illa, in qua dixerat Apostolus, primum hominem de terra terrenum fuisse, vel terrenum habuisse corpus. Quamvis enim tangat antithesi illa Apostolus originem corporis Adami primi ex terra, non tamen illam principaliter sic intendit, ut illam inficias ire velit de corpore Christi: sed tota *Capitis* XV. series nos ducit ad illum hujus antitheseos scopum, Adamum primum Corpori Animali ex pulvere facto, nullam quæsivisse illi superinduendam gloriam cœlestem, sed accersivisse necessitatem revertendi in pulverem: Christum vero ut ipsum è Cœlo Dominum, ita sibi uniisse Corpus & Naturam humanam, ut præstiterit illam à peccato immunem, & consequenter illam, triumphata morte, gloriosa immortalitate indutam, cœlo intulerit.

XIV. Non ergo jubet Apostolus nos meditari in Adamo illud primæ Creationis opus, quo ipsi corpus è terra formatum est; ut scilicet credamus, vel naturæ sequelam esse mortem, vel Adamum, etiamsi in obedientia perseverasset, tamen in Cœlum nunquam transferendum fuisse, nisi vel per mortem, vel per mutationem naturæ, exutum corpore illo è terra formato: quod in *Compendiolo* Doctrinæ suæ asserunt Socini asseclæ. Sed vocat nos ad meditationem istam, postquam per peccatum excidit Adamus promissione vitæ cœlestis, qua corpori ex terra formato superinduisset gloriam cœlestem, & immortalitatem beatam, nihil illum potuisse ad eos propagare, quam in corpore terreno vitam animalem, tandem cum morte commutandam.

XV. Ex hac analogia exponendum id, quod Apostolus aït nos extra Christum portare imaginem Adami terreni: exponendum inquam illud, non de imagine in Adamo per creationem in principio efformata à Deo, sed de imagine per transgressionem Adami deformata secundum quam ex impuro nascimur impuri, & cœlo exclusi, donec in Christo instauremur ad primævam Imaginem Dei, per Regenerationem. Quidquid extra aut contra hanc analogiam

logiam ad *Caput* XV. *prioris ad Corinthios* commentantur, vel *Smalcius* cum sociis, vel *Mennonitæ*, de carne Christi, aut nostra, etiam citra peccatum, non inferenda in cœlum, alienissimum asserimus esse à mente Apostoli.

XVI. Quid sit *caro & sanguis* quæ regnum Dei possidere non possunt I. *Cor.* XV. 50. perperam *Smalcius* nos vult intelligere ex altero loco *Heb.* II. 14. qui ostendit, quod Christus etiam carnem & sanguinem participavit. Si enim, quod fatemur, blasphemum est, dicere Christum vitiis fuisse pollutum, atque inde consequens est posteriori illo loco non intelligi vitia & peccata, minime tamen hoc præscribit, quin priori loco carnis & sanguinis appellatione vitia & peccata complexus sit Apostolus: complexum autem esse liquet ex subjecta illa epexegesi, οὐδὲ ἡ φθορὰ, *neque corruptio &c.*

XVII. Quid quod *Smalcius*, haud citra blasphemiam, naturalem infirmitatem (quam ut Christo tribuat hic vitiis & peccatis opponit) cum peccatis alibi confundit in Christo ipso? ut à nobis ostensum est ad *Caput* XI. *Sect.* II. Nec potest quin in blasphemiam incidat, ex hac saltem hypothesi, quod ex I *Cor.* XV 50. contendit Carnem Christi, ne quidem ex mortuis redivivam, regnum Dei possidere non potuisse, adeo ut in regnum Dei ingressurus Christus necesse habuerit illam exuere & abdicare.

XVIII. Locus uterque conciliatur facile, distinctione vocis ambiguæ; quæ I *Cor.* XV. 50. notat τὴν σάρκα ἁμαρτίας, *carnem peccati Rom.* VIII. 3. hoc est hominem non sanctificatum nec regenitum, juxta sententiam Christi loquentis ad Nicodemum *Ioh.* III. Posteriori loco *Heb.* II. 14. carnis & sanguinis nomine venit simpliciter ἡ φύσις ἀνθρωπίνη, natura humana, quâ Dei creatoris opus est, citra illam quæ supervenit corruptionem: atque hoc liquet ex antecedentis *versus* II. collatione, ubi *& qui sanctificat & qui sanctificantur*, dicuntur *omnes esse ex uno*; quod non explicatur rectius, quam ex uno sanguine, juxta illud *Act.* XVII. 26. *Et fecit ex uno sanguine omne genus hominum.*

ELENCHI SECTIO III. DISP. XLVIII.

LOngis porro ambagibus, non docet, sed, quantum in ipso est, destruit veram Christi Ascensionem in Cœlos: hoc contendens, Christum corpus aliud cœlo intulisse, quam illud quod post resurrectionem videndum & palpandum exhibuit, & in quo adscendentem spectarunt Apostoli. Estque hæc iterum iterumque recocta crambe, quam adeo præfidenter obtrudit, ut non ferat disquisitionem *de modo istius immutationis corporis Christi*, rejiciens illam ut curiosam & parum religiosam, ac dictans hic *omnino conticescendum & acquiescendum esse in testimoniis literarum S. manifestis*; quæ nos nulla agnoscimus, pro isthoc Paradoxo.

II. Contra vero Paradoxon isthoc militat apertissime tota Analogia Scripturæ, testificantis de Christi Ascensione in cælos: quæ nusquam de alio atque alio Christi corpore quidquam suggerit: ac persistit vel maxime post Ascensionem Christi, in gloriatione ista per Resurrectionem ex mortuis Christo quæsita, quod *non viderit Caro ejus τὴν διαφθορὰν corruptionem, Act.* II. 31.

Quæ

Quæ gloriatio jam ante illum diem Pentecostes, ex hypothesi, evanuerat, per Christi ingressum in cœlos. Si enim *Smalcium* audimus, resurrexerat caro illa corruptibilis, & quia corruptibilis, jam cœlo erat exclusa, & detrusa in infernum non existentiæ, existente in cœlis novo alio corpore Christi, non carneo & osseo.

III. Et repetendum hic, quod attigimus supra; si non unum est post Adscensionem corpus Christi quod fuit post Resurrectionem, ἀδύνατον est ut adsit ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ consentiens testimonium Apostoli Pauli, ut oculati testis, cum testimoniis aliorum oculatorum testium resurrectionis Christi: neque illis suum conjungere potuit aut debuit, ut qui demum post Ascensionem vidit Christum, quando ex hypothesi jam non ultra existebat corpus illud in quo aliis se exhibuerat redivivum videndum & palpandum? 1 *Cor.* xv. 8.

IV. Quam vero illud profanum? quod hic *Smalcius* ingerit de curiosa & parum religiosa disquisitione? *quomodo consumta vel quorsum delata sint ea, quibus tunc cum in cœlum ascenderet indutus erat Christus.* Jubet ergo nos illam quam dictat jacturam Carnis Christi, in qua passus, mortuus, & sepultus est, ac resurrectionis suæ ex mortuis fidem fecit Christus, tam nihil curare, quam nihil curamus jacturam indumentorum Christi.

V. Ut autem apocryphæ suæ fabulæ fidem conciliet, directa omni probatione destitutus, omne ipsi præsidium est in temeraria assertione illa, *Christum non resurrexisse incorruptibilem*; quam cumulat alia pariter temeraria assertione, *Fideles Christo similes non futuros, in eo quod fuit, dum adhuc in terris degeret, post resurrectionem licet.* Fatetur autem hoc & largitur, si Christus incorruptibilis resurrexit, ex eo sequuturum, omnes Christianos similiter ut ipsum Christum isto modo resurrecturos.

VI. Enimvero hoc intendit, mirabili μεθόδῳ τῆς πλάνης, non conformem futuram Resurrectionem nostram Resurrectioni Christi. Idque satagit exsculpere ex 1 *Cor.* xv. detorto *versiculo* 52. contra totam seriem ac ductum dissertationis Apostoli, qua Fidei Resurrectionis Christi superstruit fidem Resurrectionis nostræ.

VII. Funiculus ex arena textus iste est: *Qui resurgent ex mortuis resurgent incorruptibiles, idque pro mysterio Apostolus venditat: atqui Mysterium singulare hoc nullum esset, si Christus incorruptibilis resurrexisset.* Mera ἀσυλλογισία, qua ex affirmatione de nobis frustra concluditur negatio de Christo.

VIII. Fallit porro & fallitur Smalcius, ita discerpens verba Apostoli, quasi Mysterium illud (cui attentionem conciliat Apostolus *versu* 51. usus præfatione ista; *Ecce mysterium dico vobis* non ilico ipso illo *versu* sed *sequenti* demum 52. expresserit, verbis illis; *Et mortui excitabuntur incorrupti.* Omnino se expressit Apostolus ipso *versu* 51. ibique hoc dictavit mysterium, *Non omnes quidem obdormiemus &c.* Adeoque non venit ipsi in mentem, ut difformem faceret mortuorum resurrectionem a Resurrectione Christi, sed docuit, fore difformem conditionem illorum quos viventes offendet dies judicii, à mortuis ante diem illum; quod citra mortem, & consequenter citra resurrectionem, mutationem vitæ mortalis in immortalem experientur.

IX. Adspergit Smalcius, aliud agens, de *totius Capitis XV. prioris ad Corinthios summa*, illud, *Paulum in eo tantum loqui de Resurrectione piorum*; & interrogat hoc, *quid impios consoletur exemplum resurrectionis Christi?* Latenter insinuat aliud Paradoxon, quod profitentur aperte *Socini* asseclæ *in Compendiolo*, jam ante indicato, se docere, *solos fideles in illo novissimo die resurrecturos esse, non autem impios inde ab initio mundi mortuos*: ac jactant se id *probare ex* 1 *Thes.* IV. 14. & 1 *Cor.* XV. 23. *Ioh.* VI. 39. 40. 44. 49. *Luc.* XX. 35. *ubi*, inquiunt *solis Christianis vel fidelibus attribuitur Resurrectio*.

X. Hoc quidem ἐξαγώνιον est, nullam esse impiis repositam consolationem, in exspectatione resurrectionis mortuorum, aut in exemplo resurrectionis Christi: atque ea propter eos fere negligi, quando ad scopum consolationis contendit sermo Christi & Apostolorum, ut qui in eo nec partem nec sortem habeant.

XI At hoc quoque apertissimum est scripturarum affirmatione, Futuram tamen eodem novissimo die communem piis & impiis resurrectionem ex mortuis, discriminandam demum sententia Judicis; ut illis cedat ad vitam æternam, atque sic fiat ἀνάστασις ζωῆς *Resurrectio vitæ*, istis vero cedat *ad opprobria & contemptum æternum*, atque sic fiat ἀνάστασις κρίσεως, *Resurrectio condemnationis. Dan.* XII. 2. & *Ioh.* V. 29.

XII. Neque consequenter ad solam piorum consolationem, de mortuorum Resurrectione loquuntur Scripturæ, sed hoc quoque inculcant, ad τὸν φόβον τοῦ κυρίου, ad *terrorem Domini* meditandum, quod una communi Resurrectione *omnes sistemur coram tribunali Christi, reportaturi unusquisque sive bonum sive malum juxta ea quæ fecerit*, τὰ διὰ τοῦ σώματος, seu, juxta *Codicem Complutensem*, τὰ ἴδια τοῦ σώματος. 2 *Cor.* V. 10. 11. Sicut profitetur idem Apostolus, se, juxta ea quæ in lege & Prophetis scripta sunt, *credere & spem habere in Deum, fore Resurrectionem mortuorum* δικαίων τε καὶ ἀδίκων, *& justorum & injustorum. Act.* XXIV. 14. 15.

XIII. Huic loci istas offundunt tenebras, in *Compendiolo* dicto; *solis*, inquiunt, *Christianis vel fidelibus attribuitur resurrectio, sive illi Iusti sint, hoc est plerumque in omni vita justè vixerint, ut v. g. Iohannes Baptista ejusque parentes: sive Injusti, hoc est tota vita impie vixerint, tandem vero conversi, ut Publicanus ille, & Latro in Cruce. Luc.* XXIII.

XIV. Non est hujus loci ista ad vivum resecare. Unum illud dicimus, esse ἀλλόκοτον omninò, & repugnare toti Scripturarum Analogiæ istam quidem distributionem Fidelium Christianorum, mortuorum in fide & vera conversione, in justos, & injustos. Etenim Scriptura Justorum nomine dignatur, quos donata & imputata Christi Justitia Deus Justificavit, quamvis ante Justificationem impios & natura filios iræ *Rom.* IV. 5. *Eph.* II. 3. Neque post Justificationem, ulla est peccatorum recordatio. *Ezech.* XVIII. 22. *Heb.* VIII. 12. Injustorum autem nomine veniunt omnes & soli damnandi qui in peccatis moriuntur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE

Regno Christi moderno.

IAm verò superatis illis, quæ sermonem de regno Christi habendum interruperant, rectà ferimur ad id, quod jam dudum propositum nobis erat, & orationem nostram ad ipsum Iesu Christi regnum convertimus. (a) Hîc autem optarim mihi divinitus concedi eam sapientiam: hîc oculos mentis meæ ita illustrari cupio: hic calamum meum ab ipso Domino Iesu, cujus gloria hic agitur, ita duci desidero, ut quid saltem, de ista tanta Domini Iesu Christi divinitate, quam nunc, posteaquam Rex populi divini, & Christus reipsà evasit, consecutus est, pronunciare possim. Nam omnia, quæ ad hanc rem pertinent, nec humana, nec Angelica vox effari valet. Dabit tandem Deus, ut liberati ab hac nostra mortalitate, similes evadamus ipsi Deo, & eum facie ad faciem videamus. (b) tunc eum videbimus, sicut est; tunc cognoscemus eum, ut ipse nos cognovit. (c) Nunc rem aggressuri, dicendum nobis erit de certis quibusdam partibus: quarum prima est, an Christus nunc regnum habeat. Secunda: quam late pateat regnum Christi. Ultima erit, de complemento regni Iesu Christi.

(d) Quod ad primam attinet, dolendum quidem est, homines quosdam eo prolapsos esse impietatis, ut hac de re opus sit hodiè quicquam disserere. Sed quid facias illis? Diaboli scilicet invidia totum hoc fit, qui tantum non rumpitur, quod Iesus, qui olim mortalis fuit, non tantum jam immortalis, & dominus omnium, quæ sunt in cælo & in terra, evasit: sed etiam tandem omnes in se credentes, qui nunc æquè mortales sunt, ut ipse Iesus olim fuit, ad eandem beatitatem perducturus, & ipsos diabolos in æternum damnaturus est. Itaque necesse est, ut illi, quibus Christi gloria cordi est, cum hoste Regis sui divini jurato perpetuo confligant, & ejus tantam impudentiam detegant. Videtur autem, hoc in primis modo, diabolus insidias struere Domino Iesu, dum scilicet tales excitat, qui non dubitant affirmare, Dominum Iesum nunc plane esse otiosum in cælis, & res humanas, vel salutem hominum non aliter curare, quam Moses curat salutem Iudæorum. Qui quidem homines professione videri volunt Christiani: interim verò Christum abnegarunt, & spiritu Iudaïco, qui semper Christo fuit inimicissimus, inflati sunt; & si quis jure cum eis agere velit, indigni plane sunt, qui inter Christianos numerentur, quantumvis oretenus Christum profiteantur, & multa de eo garriant; adeo, ut multò tolerabilior sit error illorum, qui Christum pro illo uno Deo habent & colunt, quam istorum, & præstet, ex duobus malis, minus, quod ajunt, eligendo, Trinitarium, quam hujusmodi blasphemum esse. Hic enim Christo honorem divinum nullum tribuit: ille tantum, in modo tribuendi ei honorem, errat.

(a) Christi regia potentia ineffabilis. (b) 1 Joh. III. 2. 1 Cor. XV. 12.
(c) Quid in regno Christi considerandum. (d) Perversitas & impietas eorum, qui negant Christi regnum modernum.

Nolumus autem nunc tempus inaniter perdere, blasphemas istorum hominum cavillationes, quibus Christo detrahere conantur, recensendo, & ad ea respondendo. Hoc enim à nostris jam pridem, libris publicè editis, præstitum est. (e) *Unum tantum atque alterum locum sacrarum literarum adducemus, quorum tanta est perspicuitas, ut nemo probæ mentis negare possit, contineri in illis, Iesum nunc regnum divinum habere. Sic igitur ait D. Petrus:* (f) Pro certo sciat tota domus Israëlis, quod Dominum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis; *& ipse Dominus ait:* Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. (g) *Hinc validissimè inferimus, Dominum Iesum nunc regnum divinum habere. Quomodo enim Dominus & Rex esset, si regnum non haberet, & ea, quæ ad regnum suum pertinent, non procuraret? Potestne is Dominus appellari, qui nihil agit? Legiturne, Mosen unquam appellatum fuisse Dominum, post mortem? Soli Domino Iesu hoc Deus concessit, ut post mortem appelletur Dominus quod nulli Prophetarum & Apostolorum ideo contigit, quia omnes tantum servi fuere populi alieni, nempe Divini: solus servator noster Iesus, Dominus est populi istius divini, tanquam sui. Dationem vero illam potentiæ in cælo & in terra accipiendam esse, de datione, quæ reipsa contigit Domino, posteaquam in cælos ascendit, hinc apparet, quod istam dationem potentiæ in cælo & in terra, causam esse Christus ait, cur Apostoli in universum mundum ire debebant, & discipulos facere. Hoc vero factum est ab eo tempore, quo Christus in cælos ascendit. Ergo etiam illud extitisse necesse est, quod causa hujus effecti erat. Nam, absque potentia Iesu Christi divina, nemo discipulus ejus eo modo fieri potuit, quo eum esse Christus voluit, nempe, ut Christo confideret, divino eum honore afficeret, & eidem obediret. Aut igitur affirmandum est, Apostolos neminem docuisse, & Christi discipulum fecisse, vel potius neminem hodie discipulum Christi esse, quod est falsissimum: (nisi hoc isti blasphemi de se verum esse fateantur, à quo non procul etiam absunt) ut concedendum est, Christum nunc omnem potestatem in cælo & in terra reipsa habere.*

(h) *Solent quidem plærique eorum, qui ista blasphema opinione dementati sunt, aliquid aliud habere, quod Christo concedere videntur, loco regni istius, quod nunc habet, nempe quod ajunt, eum aliquando regnaturum, non in cælo quidem, sed in terra, idque mille annos, abusi ad hoc suum commentum, istis verbis Apocal. cap.* XX. *Egregiam verò laudem Christo isti tribuunt, qui pro regno divino & cælesti, humanum & terrestre; pro æterno, tantilli temporis regnum ei concedunt. Digni scilicet, qui careant isto regno Christi, quod aspernantur: in hoc vero suo commentitio, cum porcis, in luto voluptatum carnalium volutentur.*

(i) *Quod autem locum Apoc.* XX *adducunt, id nihil eos juvare potest: pudefacere autem maximè, si modo erubescere norunt. Nam primum non dicitur ibi de Iesu Christo, quod incepturus sit aliquod regnum, quod antea non habuerit: sed tantum dicitur de credentibus, quod regnaturi sint cum Christo mille annos. Imò, si quis rem recte consideret, apparebit ex isto loco, Iesum Christum semper regnasse, ab eo tempore, quo in cælum ascendit: credentes autem vel nunquam, vel non semper regnasse, futurum autem, ut cum Christo regnent, qui scilicet semper regnarit. Deinde, non exprimitur ibi locus, ubi*

(*e*) Argumenta pro Christi regno moderno. (*f*) Act. II. 36. (*g*) Matth. XXVIII. 19. (*h*) Objectionis solutio. (*i*) Apoc. XX. nihil dici de carnali Christi regno.

ubi regnum illud futurum sit, nempe terra, ut isti blasphemi somniant. Possunt autem regnare credentes cum Iesu Christo, etiam si Christus non descendat de cælo, si scilicet Christus regnet in cælo & in terra: credentes vero in terra tantum. Denique in isto loco tantum de illis affirmatur, quod cum Christo regnaturi sint, qui decollati sunt propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem in frontibus, aut in manibus. (k) *Atqui non omnes Christi fideles, propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, securi percussi sunt; neque omnes occasionem habuerunt non adorandi bestiam, & non accipiendi characterem ejus, vel quia antea vixerint, quam bestia illa & imago ejus vigebat. Non adorare autem, & non accipere characterem, est, nolle adorare, nolle accipere. Alioquin nec virtuti nec præmio locus esset ullus. Itaque regnum illud Christi non omnibus credentibus in Christum commune esset, quod esset longe absurdissimum.*

(l) *Quod si quis interroget, quid sit illud, de quo Iohannes loquitur? Huic nos respondemus, non necesse esse, ut hodie ea intelligantur, quæ ibi descripta sunt. Prophetiarum enim ea est proprietas, ut non prius intelligantur, quam eveniant: sed tamen, si conjectari licet, & in re abstrusa divinare, vel potius, quia credimus, istud jam cœpisse impleri, verisimile videtur, Iohannem in isto loco describere statum felicem & quietum Ecclesiæ Iesu Christi, quo sit fruitura post istam tam longam servitutem, qua ab Antichristo pressa fuerat, quod nunc ex parte fit, &, Deo hanc rem moderante, in dies magis magisque fiet. Quæ nostra sententia, si cui non probatur, satis est, quod nec absurda, nec per se falsa, nec perniciosa sit. Quod dum theologus in locis difficilibus explicandis observat, satis officio suo facit. Certum igitur est, Iesum Christum, quemadmodum ab eo temporis puncto, quo in cælum ascendit, regnare reipsa cæpit, sic nunc etiam reipsa regnare, & regnaturum perpetuo.*

(*k*) vers. 4. (*l*) Quis sensus sit loci Apoc. xx.

ELENCHI CAP XV. DISP. XLIX.

Titulus Capitis de Regno Christi Moderno Latino-barbarus ante omnia explicandus. *Modernum* dicitur, non simpliciter, quod nunc in præsens existit, sed quod in antithesi antiquorum temporum, tempore præsenti novum & recens est. Hoc illud est, quod sua crypsi *Smalcius* magis intendit, quam quod præ se fert, controversiam movens Chiliastis illis, qui negant Christum nunc regnare.

II. Cognoscendus est hic *Smalcii* scopus ex residuo capitis antecedentis; quod nunc discutiendum venit. Facit nimirum, post adsertam causam Adscensionis Christi primam respectu Christi, hanc alteram respectu Christi causam urgentissimam, quare opus fuerit Christum in cœlos ascendere; quod non potuisset Christus salutem in terra annunciatam & nobis firmissimè confirmatam, reipsa procurare & præstare, nisi in cœlos ascendisset.

III. Laudat pro isthac assertione sua Apostoli affirmationem, *Hebr.* VIII. 4. *Si esset in terra, ne Pontifex quidem esset.* Et videri posset Apostolo consentanea loqui, si non manifestissimum fieret ex sequentibus, *Smalcium* trahere & torquere Apostoli verba, ad id, quod Apostolo in mentem non venit, nempe ad Regnum

gnum Christi seu regnandi potestatem, quasi illi tantum in cœlis non in terra conveniens locus esset.

IV. Non de regno illic loquitur Apostolus, quod fatente *Smalcio* dicit potestatem divinam & absolutam in omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, sed de Sacerdotio Christi; quod contra omnem Scripturæ analogiam *Smalcius* cum Regno confundit. In Sacerdotio distinguit Apostolus functionem geminam, unam, cui conveniens olim fuit mansio Christi in terris, immolationem corporis ad peccatorum nostrorum καθαρισμὸν seu *expiationem Hebr.* 1. 3. alteram modernam, cui mansio in terris inconveniens foret, gloriosam nempe intercessionem pro nobis apud Patrem, peragendam in Cœlesti Sanctuario.

V. Huic modernæ functioni Sacerdotii in cœlis non diffitemur comitem esse Modernam Regni Christi œconomiam, ut sit Sacerdotium Regale, & Regnum Sacerdotale, verum ἀσυγχύτως citra confusionem. Neque enim fieri potest ut similiter cœlesti sanctuario, cui adstricta est moderna corporis Christi mansio, adstricta sit Personæ Christi regnantis, secundum Divinitatem præsentia.

VI. Et non caret impietate, quod hic *Smalcius* cum corporis Christi mansione loco cœlesti adstricta nunc componit Dei ipsius exemplum, qui solus omnibus sufficienter prospicere potest, quia in cœlis habitat. Etenim aut nihil dicit, aut dictat hoc Paradoxon: Deus si in terra esset, ne Deus quidem esset.

VII. Paradoxa ista asseveratione inculcatam vult falsam suæ scholæ hypothesin, qua Deus fingitur non implere per infinitam essentiæ immensitatem locum omnem in cœlo & in terra, sed tantum esse cœlo summo ἐγκαθιδρυμένος: neque immediate præsentem adesse nobis, aut ulli extra cœlum creaturæ, sed mediate per Angelos è cœlo missos. Atque hoc intendit *Smalcius*, asserens necessarium fuisse, ut non ultra in terra esset Christus, quia necesse fuit, ut potestatem haberet Angelorum, atque illos mittere, quo vellet, posset. Sic ergo, si *Smalcium* audimus, divina & absoluta potestas supra omnia regnantis, tam Dei Patris quam Christi, non patitur regnantem, hunc vel illum, alibi quam in cœlo præsentem esse.

VIII. Atque ista hypothesi nixus *Smalcius* sic Christi regnum Modernum nominat, ut intelligat Christum, antequam consedit ad dextram Dei, nec hominum, nec angelorum, nec dæmonum fuisse Dominum: nec Regnum aut potestatem divinam habuisse, qua omnes homines, angeli & dæmones, essent ipsi obligati, de jure, aut tenerentur ipsi genu flectere, ut servi Domino: nec fuisse Dominum gloriæ aut Principem vitæ, in reipsa, sed tantum in Prædestinatione divina. Hæc quidem αὐτολεξεὶ prolixè inculcat, *in Respons. de Novis Monstris contra Smiglecium*, verè nova monstra: quæ hic complexus est in Epilogo antecedentis capitis isto; *ad dationem re ipsa salutis necesse fuit, Iesu Christo dari divinam & absolutam potestatem, in omnia quæ sunt in cælo & in terra, hanc autem Christo prius dari à Deo visum non est, quam in cælos ascenderet.*

IX. Robur assertionis suæ collocat in tribus Scripturæ testimoniis. Primum illud est, quod jam jam ascensurus Christus in cœlum dixit: *Data est mihi*

omnis

omnis potestas in cælo & in terra. Matt. XXVIII. 19. Dationem istam modernam esse damus & concedimus, utpote exaltationem ipsam, quæ humiliationem consequuta est: sed potestatem datam pernegamus modernam, seu cum datione moderna recens notam esse, ut non fuerit ante in re ipsa, sed tantum in Prædestinatione divina.

X. Illustrat & confirmat responsionem nostram, Christi illa ad Patrem oratio *Ioh.* XVII. 5. *Glorifica me, tu Pater, apud temet ipsum ea gloria, quam habui apud te prius quam mundus esset.* Petit Glorificationem, hoc est dationem gloriæ modernam: at Gloriam voluit sibi dari non modernam, sed quam habuit prius quam mundus esset: habuisse autem in re ipsa, non in Prædestinatione divina, jam asseruimus contra Smalcii evasionem, in *Elencho Capitis I.*

XI. Dationem vero modernam intelligimus, non significatione impropria, sed usitata, pro assertione & vindicatione recenti, post ἐναπόζοφαν Eclipsin humiliationis & exinanitionis in assumpta servi forma.

XII. Alterum testimonium, quo nititur *Smalcius* probare, Regnum quod nunc regnat Christum modernum esse, est illud Petri Apostoli *Act.* II. 33. *Exaltatus dextera Dei (Christus) accepit promissionem Patris Spiritum S.* Tertium illi geminum est ejusdem Apostoli 1 *Pet.* III. 22. *Profectus in cælum, subjecit sibi Angelos & dominationes &c.* Ad prius respondemus: quod Christus exaltatus accepit Promissionem Patris Spiritum Sanctum, non dicit tum demum acceptam Divinitatem, qua Spiritum S. dare cui vult potest, ut accessionem quam ipse lucratus sit sibi, se ipso major factus, ex homine Deus: sed notat, nobis quæsitum plene perfectum jus ad promissam nobis communionem Spiritus S. & nostro bono mutatam in melius œconomiam Regni Christi.

XIII. Neque ex posteriori testimonio aliud quid efficitur, quam Christum profectione sua in cœlum triumphantem sibi asseruisse τῇ χρήσει Dominium, quod ab initio habuit τῇ κτήσει, & in Angelos & dominationes refractarios & rebelles exeruisse vim illam efficacem, *qua potest subjicere sibi omnia. Phil.* III. 21. Ut nullum hic somniandum sit modernum regnantis robur, sed tantum temporis plenitudo, quo oportune subjectio illa gloriose perfici debuit.

XIV. Breviter ergo nullum efficitur ex Scripturæ testimoniis ullis modernum Christi Regnum, aut moderna divinitas Regnantis: sed tantum æternæ Deitatis moderna assertio, in moderna Regni œconomia.

XV. De cætero jam, quod hoc *Capite* XV. præ se fert se agere, nempe ut asserat Christum nunc regnare, in cœlis, apud nos quidem ἐξαγώνιον est: neque enim minus nos, quam ipse detestamur, ut à Diabolo excitatos, quoscunque, qui non dubitant affirmare, *Dominum Iesum nunc plane esse ociosum in cælis, & res humanas vel salutem hominum non aliter curare, quam Moses curat salutem Iudæorum.*

XVI. Neque assensum à nobis impetrant moderni illi Chiliastæ, qui in illam sententiam torquent Johannem prophetantem *Apoc.* XX. Christum olim demum regnaturum, non in cœlo quidem, sed in terra, idque mille annos.

ELENCHI SECTIO II. DISP. L.

QUi ex nostris plus aliis indulgent conjecturis suis, Apocalypsi Apocalypsios, de Sanctorum in terris regno Millenario, post Judæorum quam exspectamus universalem conversionem, tamen contra Judaisantes Chiliastes litem contestantur. Audiamus contestationem *Alstedii in Prodromo contra Crellium & Volkelium pag.* 1037. *Negamus Christum in terra regnaturum cum suis. Aliud enim est Sanctos cum Christo regnare in terra: aliud, Christum cum sanctis regnare in terra. Nam prior ista phrasis significat, cum Christo, id est, spirituali modo regnare in terris: posterior præsentiam Christi localem requirit.*

II. Non est nostri instituti cum *Smalcio* digredi ad controversiam Chiliasticam. Hoc flagitat noster Elenchus Theologiæ *Smalcii* de Regno Christi, ut aperiamus, infeliciter ipsum contra Judæos & Judaïsantes quidem pugnare, ex ista quam cum *Socino* tuetur hypothesi, *Verba Prophetarum V. T. quibus consignata sunt in Scripturis illius post captivitatem Babylonicam futuri Regis & Regni Promissio, ejusmodi esse, ut (extra allegoriam, tunc non intellectam ab ipsis Prophetis) sensu literali, tantum intelligi possint, de Rege & Regno mundano.*

III. Perversitatem & impietatem eorum, qui negant Christum nunc regnum habere, & nos detestamur. Sed detestanda quoque perversitas & impietas Smalcii, in verbis istis; *Adeo* inquit, *ut multo tolerabilior sit error illorum, qui Christum pro illo uno Deo habent & colunt, quam istorum: & præstet, ex duobus malis minus, quod ajunt, eligendo, Trinitarium quam hujusmodi blasphemum esse. Hic enim Christo honorem divinum nullum tribuit; ille tantum in modo tribuendi ei honorem errat.* Habet scilicet trinitarius quod sibi gratuletur de egregio judicio charitatis Anti-trinitarii; peccari ipsa Adoratione Trinitatis in Unitate atrociter, sed atrocius tamen peccare Chiliastas, qui negant Christum nunc regnare, sed exspectant mille annis regnaturum.

IV. Enimvero si honor divinus tribuendus est Christo [quod ἐξ ἀνάγκης est ex vi veritatis] non ille errat in modo honorem divinum tribuendi, qui ex fide illa hoc agit, qua credit Christo affirmanti, *se Unum esse cum Patre Joh.* x. 30. & Legem divinam asserenti, contra Diabolum; *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies Matth.* IV. 10. Sed peccat peccatum idololatriæ, qui Christum talem adorandum sentit, qui non sit natura Deus, adeoque adorat Creaturam juxta Creatorem παρὰ τὸν κτίσαντα; qui sunt characteres expressi, quibus ab Apostolo damnatur Adoratio Ethnicorum *Gal.* IV. 8. *& Rom.* I. 25. quos, ex judicio secundum veritatem, pronunciat, ea quæ sacrificarunt, *Dæmoniis* sacrificasse, non Deo. 1 *Cor.* x. 20.

V. Est ergo minime sincera & pia honoris divini, Christo tribuendi, contestatio *Smalcii* contra Chiliastas; quam si vel maxime illis persuaserit, nihil efficiet quam ex sacrilegis, non invocantibus, invocantes idololatras; ut accommodari hic possit exprobatio, quam Christus ingessit Pharisæis, de iis quos faciebant proselythos ex Ethnicis deteriori conditione Gehennæ filios. *Matth.* XXV. 15. Ad animam revocamus hic, quas Anti-Smalcii nostri

nostri initio deteximus blasphemias, contra Trinitatis in Unitate venerationem, secundum quam verum honorem divinum nos tribuimus Deo & Domino nostro Jesu Christo.

VI. Enimvero de Controversia, quam hic tractat *Smalcius* contra Chiliastas, possemus defungi hac 'επιχείου; *qui non est contra nos, est pro nobis*. Verum non est dissimulandum, μηδὲν ὑγιὲς subesse sub speciosa illa qua pro nobis facere videtur litis contestatione, *pro regno Divino, Cælesti, & Æterno, contra regnum humanum terrestre, tantilli temporis.*

VII. *Divinum Regnum* quantumvis videatur *Absoluta Omnipotestate in Cælo & in Terra* jam definiisse, tamen illudit nominis *divini* æquivocatione: sicut toto hoc libro *Divinitatis* non vero nomine Christum pro Deo *Divum* facit. Divinum consequenter Regnum non θεοπρεπῶς intelligit, ad *perpetuam rerum omnium in cælo & in terra conservationem* & *gubernationem*. Sed dictat infra *Capite* XVIII. *Satis esse* [perpetua illa conservatione & gubernatione relicta Patri] *Christum, quandocunque opus est, posse illis uti, pro libitu suo.*

VIII. *Cæleste Regnum* nominans, non intelligit ex illa Fidei Analogia, qua Ecclesiæ passim in Euangelio tribuitur *Regnum Cælorum*, quod post militiam in terris confectam, terrena vita defuncti triumphent in Cœlis. Unde nata in Scholis Ecclesiæ militantis & Ecclesiæ triumphantis discriminatio: ut illam constituant Fideles citra hujus vitæ terminum, istam autem Spiritus justorum consummatorum seu animæ mortuorum in Christo, ministerio Angelorum translatæ in sinum Abrahæ. *Luc.* XVI. 22. *Heb.* XII. 23.

IX. Tota hac triumphante Ecclesia Christi Regnum modernum destruit *Smalcius*: adeoque verum Cœleste gloriosum Regnum Christi in populum suum, relegat in Utopiam, Animas pariter priorum & impiorum usque ad novissimum diem detrudens in infernum non existentiæ, sicut jam præcognitum est, ex antecedentibus. Atque ex hac hypothesi *Smalcius* cum suis existimat se Euangelicis palmam præripere, in certamine *contra Papistas invocantes Sanctos demortuos*, quia scilicet Non Entium nulla fit Invocatio: ἀναλόγως ergo, si intellexerit nomine Regni cœlestis, Regnum, quo Ecclesia in Cœlis beata est sub Rege Christo, frustra erit, quia Non entium nullum est Regnum. Cœleste ergo in Ecclesia Regnum, gratis vocat *Smalcius*, *Regnum quod in terra habet Christus*, ipse cœlo 'εγκαθιδρυμένος, suam absentiam compensans missis è cœlo Angelis.

X. Neque per longas ambages aliud tandem *in populum suum Christi Regnum modernum* profitetur *Smalcius* se asserere, quam *quod in terris est*: qui est infra titulus & argumentum *Capitis* XIX. Neque in populo Christi ulla dari potest ratio moderna, *in Re* existens, vel exstitura ante novissimum diem, in qua Cœlestis Regni moderni denominationem fundet: fundamentum enim omne, ex ipsius hypothesi, tantum est *in Spe* illa, quam differt ad complementum regni, in die novissimo. Interim ergo Regnum, quantumvis *Spe cæleste*, *in Re Terrenum* est, constans hominibus è terra terrenis, qui post vitam hanc terrenam dormiunt in terra nec cœlo inferuntur, sub Christo ad dexteram Patris in cœlo regnante.

XI. Consequenter inanis quoque est *Æterni Regni* titulus, à *Smalcio* attributus Regno Christi in Ecclesiam moderno. Etenim si homines subditos spectemus, qui si non sint, nullum est regnum, quandoquidem illos Smalcius facit & corpore & anima non-entia post mortem, elabi non potest, quin faciat Regnum Christi, cum vitæ ipsorum termino, definitum paucis annis, mensibus, diebus, quin horis, quandoque momentis: adeoque cum ipsis, quotidiano ortui & occasui, generationi & corruptioni, obnoxium, ac nullo schemate æternum.

XII. Nec juvat, si dixeris Æternum Regnum dici regnantis respectu, qui *ejusmodi Rex* sit, (quod *Seidelio* opponit *Socinus* in hac concertatione) *à quo ex morte liberandi sumus & ad æternam beatitatem transferendi* Nam illam ex morte liberationem & translationem ad beatam vitam demum futuram statuit, quando Regni moderni finem faciet Christus, non regnaturus in beata illa æterna vita post diem illum novissimum.

XIII. Abutitur hic enim loco Apostoli 1 *Cor.* xv. 24--28. absolute de Fine Regni Christi tunc futuro, (ita ut non ultra regnaturus sit Christus in æternum cum Patre) accipiens id, quod de moderna regni Christi œconomia Mediatoria Sacerdotali intellexit Apostolus; qui, si id dixisset, quod *Smalcius* dicentem facit, contradixisset Angelo Gabrieli, dicenti exserte; *Regnabit in sæcula, & Regni ejus non erit finis. Luc.* 1. 33.

XIV. Erunt hæc infra vindicanda, suo loco, cum pleniori Scripturarum conciliatione: in præsens evincimus istud, non toto cœlo distare *Smalcii* de Moderno Christi regno assertionem, à Chiliastarum blasphemia, de humano, terrestri, tantilli temporis (mille annorum puta) regno Christi exspectando. Assertum enim à se Modernum Christi regnum in populum ejus seu Ecclesiam, tantum constituit in terra: ac vult non exstitisse ante Christi in cælos Ascensionem, (ut currat nunc Annus Regni Christi millesimus sexcentesimus decimus octavus) neque exstiturum post consummationem mundi: cujus consummationis quamvis annus, dies, & hora, ignoretur, nec investigari piè queat, tamen signa temporum pronogstica omnia vix patiuntur, ut ad illum anni totidem excurrant.

XV. Demus ergo toti illi temporis intervallo, pro una chiliade annorum tres, quatuorve, non est illud inter mille & ter quaterve mille annos adeo μέγα χάσμα, quin facilis ab hoc ad illum errorem sit descensus, cum in Dei computo, æternitati non magis commensurabiles sint mille anni, quam hesternus dies, & vigilia nocturna. *Psal.* xc. 4. Nos ergo extra periculum demum sumus (hæresios Chiliastarum de tantilli temporis regno) qui etiam citra modernam officii Regii functionem Christum ut ὁμοούσιον Dei Filium credimus regnasse, regnare & regnaturum in omnem æternitatem, inde à prima mundi Creatione, in Cœlo & in Terra.

CAP.

CAPUT DECIMUM SEXTUM

DE

Regno Christi super Angelos.

Q*Uam late* (a) *vero pateat regnum Iesu Christi divinissimum, videtur his verbis ipsius Christi totum contineri:* Data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra. *In his enim, præter id, quod exprimitur, potestatem Christi, quantacunque sit, non esse in eo naturalem, sed beneficio Dei Patris singulari ei contigisse, & donatam esse, satis sufficienter docetur, qualis & quanta Iesu Christi potestas sit. Primum enim loci nominantur, in quibus illud Regnum Christi exerceatur. Deinde perfectio etiam istius rectionis innuitur. Loci, in quibus Christi regnum exercetur, sunt* cælum & terra. *Perfectio regnationis continetur hoc verbo* omnis *potestas. Per voces* cœli & terræ, *intelligi debet, non tantum id omne, quod Deus creavit, adeo ut etiam mare, & omnia, quæ in eo sunt, huc pertineant, quæ, ut aliquid cum terra conjunctum, considerantur, quandocunque per cælum & terram tota creaturarum divinarum aspectabilium machina significatur. Verum etiam, præter hæc creata omnia, per vocabulum* cœli *intelligi potest illud ipsum cælum, vel illi ipsi cæli, qui non sunt creati, nec oculis subjecti, in quibus scilicet Deus Pater noster esse dicitur ab omni æternitate. Certum enim est Christum habere potestatem in omnes Angelos, ut mox demonstrabimus. Hos vero extitisse antequam cælum hoc aspectabile crearetur, non minus certum est; & non tantum extitisse, verum etiam jam bonam eorum partem lapsam, & dignitate sua privatam fuisse hoc inter alia docet, quod, simul atque Adam & Eva creati fuere, præsto adfuit Diabolus, qui eos seduxit. Tam igitur late patet regnum Christi quam late patent omnes cæli, & omnis terra; & nihil est omnium, in omnibus cælis, & omni terra, cujus potestatem, & quidem absolutam atque perfectam non habeat Iesus Christus.*

Hoc igitur tam alto & profundo Jesu Christi potentiæ divinæ mari, vel potius oceano proposito & ostenso, in fluvio ex eo promanante, vadum aliquod tantum invenire conabimur, per quod tuto transire possimus. Nec *enim nos audemus, nec quisquam mortalium audere potest, in istam sese profunditatem potentiæ Christi divinæ immittere.*

Differens Dominus Iesus de hac sua potestate regia & divina, ait: Pater diligit filium, & omnia ei ostendit, quæ ipse facit, & majora his opera ei ostendet, ut vos miremini. (b) *Vere jam hoc experimur, ita se habere. Audimus de Iesu Christi potentia multa: sed ea nec lingua eloqui, nec mente assequi possumus: tantum ea miramur, & obstupescimus super hoc tanto Dei facto.*

Mirantes igitur & obstupescentes, ad considerationem divinæ Christi potentiæ accedimus, & primum omnium statuimus, omnia ista, quæ sunt in cælo & in terra, du-

(*a*) Latitudo regni Christi. (*b*) Joh. v. 20.

plici modo consideranda esse. (c) *Quædam enim eorum personæ sunt: quædam verò personæ non sunt, sed tantum res.*

Ea quæ in cœlis, & personæ sunt, sunt Angeli, iique tam boni, quam mali. Quæ in cœlis sunt, & personæ non sunt, omnia illa continent, quæcunque extra Angelos vel sunt, vel etiam esse possunt.

(d) *Quod ad Angelos attinet bonos sanctos, eos subditos esse Domino Iesu, nullum est dubium apud eos, qui Christi nomen profitentur, (cum his autem nunc rem habemus, & hos hac nostra oratione alloquimur.) Sic enim testantur S. literæ:* (e) Deus Christum super exaltavit, & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium &c. Et ut omnis lingua confiteatur quod Dominus (sit) Jesus Christus ad gloriam Dei Patris. *Et alibi:* (f) Christus est in dextris Dei profectus in cœlum, subjectis Angelis, & potestatibus, & virtutibus. *Et iterum;* (g) In (*Christo*) creata sunt omnia, ea, quæ in cœlis, & ea, quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in eo constant. *Et iterum*, (h) cum iterum introducit primogenitum in illum mundum, dixit, (*Deus*) & adorent eum omnes Angeli Dei. *In quibusdam enim horum testimoniorum expresse id affirmatur: in aliis vero id etiam contineri, nemo omnium negabit. Petrus quidem aperte ait, subditos esse Iesu Christo Angelos, & potestates, & virtutes. Quod vero eum adorent, vel genua in nomine ejus flectant Angeli, hoc tantum etiam non expressè affirmat, eos illi esse subditos: nimis autem certo id in se continet. Quem enim quis colit, & quem metuit, quomodo ei subjectus non sit? Hoc vero per genuum flexionem vel adorationem intelligi, hodie nemo fere est, qui nesciat, cum nemo sit qui Angelos genua habere, & ea, propriè loquendo flectere, dicere audeat. Quod vero ad id attinet, quod per Christum creata sint omnia, quæ in cœlo, sunt invisibilia, sive throni, sive dominationes &c. in eo etiam contineri id, quod Angeli ei subditi sint, nec is etiam, qui credit, hic de creatione ipsorum Angelorum sermonem esse, negare potest. Quomodo enim non sint subditæ creaturæ creatori? Sed præterea hoc in loco, non de creatione ipsorum Angelorum, sermonem esse; sed tantum de Christi dominio, quod in eos habet, probari potest ex hoc loco.* (i) *Constat enim primum, hic non esse sermonem de ipsorum Angelorum substantia, sed tantum de thronis, dominationibus, principatibus, & potestatibus, quæ omnia creata esse dicit Apostolus per Iesum Christum. Potuerunt autem à Christo creari istæ dignitates Angelorum, licet ipsi Angeli creati per eum non sint. Imo necesse est quodammodo, si per Christum creatæ dignitates Angelorum, Angelorum substantias antea fuisse, & eas, dignitates non tales habuisse, quales Christus creavit. Angelos vero, absque dignitatibus suis unquam fuisse, statuere absurdum est. Relinquitur igitur, ut Christus dignitates Angelorum mutarit, ita ut nunc aliæ sint ab illis, quas antea quam Christus in cœlum ascenderat, habuerunt. Nec enim novum est in S. Literis, mutationem quandam singularem, quæ rebus infertur,*

(c) Distinctio rerum, quæ sunt in cælo. (d) Angelos Christo subditos esse. (e) Phil. II. 9. (f) 1 Pet. III. 22. (g) Col. 1. 16. 17. (h) Heb. 1. 6. (i) Col. 1. De dominio Christi in Angelos sermonem esse.

fertur, *creationem appellari*, *à quo*, *quia id omnes Theologi fatentur*, *probando supersedemus. Deinde vero per creationem istorum omnium*, *quæ sunt in cœlo*, *invisibilium*, *intelligi debere istam mutationem*, *quæ facta est in illis per Christi dominium*, *quod in ea obtinuit*, *hinc apparere videtur. Quod similiter etiam ea omnia*, *quæ sunt in terra*, *aspectabilia*, *creata esse per Christum dicit Apostolus*: *quemadmodum dicit*, *creata per eum esse omnia*, *quæ* [*sunt*] *in cælo*, *invisibilia*; *& hæc est*, *respectu verborum sequentium*, *quasi thesis Apostolica*, *quam jam probarat id*, *quod verbis præcedentibus dixerat*, *nempe Iesum esse imaginem Dei invisibilis*, *& primogenitum omnis creaturæ. Probaturus autem Apostolus*, *vel declaraturus*, *quomodo per Christum omnia*, *quæ sunt in terra*, *visibilia*, *creata sint*, *aliud nihil dicit paulo inferius*, *quam hoc* : & ipse est caput ecclesiæ, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse primatum tenens inter omnes. *In quibus verbis docet Apostolus*, *primum quænam sint ea omnia*, *quæ sunt in terra visiblia*, *nempe Christi Ecclesia*, *ad quam tam omnes ii pertinent*, *quibus Euangelium innotuit*, *quam illi*, *qui illud receperunt. Deinde docet etiam*, *quid sit creata esse omnia*, *quæ sunt in terra*, *per Christum*, *nempe*, *eum factum esse caput illorum. Ad id verò*, *ut quis sit caput Ecclesiæ*, *non esse opus*, *ut idem sit Ecclesiæ etiam*, *proprie loquendo*, *creator*, *hinc apparet*, *quod vir* [k] *caput est mulieris*, *ut caput viri est Christus* : *cum tamen non sit creator mulieris vir*, *neque Christus caput viri appellari possit*, *ratione creationis. Alioquin enim*, *si Christus esset creator viri*, *proprie loquendo*, *quia caput ejus est*, *tam esset creator mulieris*, *quam viri*; *nec opus esset dicere*, *Christum seorsim esse caput viri. Est igitur vir Dominus mulieris*, *& neminem mulier*, *quoad ipsum sexum*, *in hoc mundo superiorem agnoscit*, *præter virum. Vir item*, *quoad ipsum sexum*, *neminem in hoc mundo superiorem agnoscit*, *præter Iesum Christum. Itaque certum est*, *Christum caput Ecclesiæ dici*, *propterea quod dominium in eam habeat. Et quia per hæc verba*, Christus est caput Ecclesiæ, *probantur vel declarantur illa*; per Christum sunt creata omnia, quæ sunt in terra visibilia, *hinc inferimus*, *ideo etiam dici*, per Christum creata esse omnia, quæ [*sunt*] in cælo, invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, *quia Christus dominium in ea absolutum obtinuerit. Simili enim modo intelligenda esse verba illa*, per eum creata sunt, *cum de illis omnibus prædicantur*, *quæ sunt in cælo*, *quo intelliguntur*, *cum de illis omnibus*, *quæ sunt in terra*, *prædicantur*, *docet primum ipsa rerum connexio*; *& absurdum esset*, *per ea verba*, per Christum creata sunt omnia, quæ sunt in terra, visibilia : *intelligi*, *eum esse istorum omnium Dominum*: *per ea vero*, per Christum creata sunt omnia, quæ sunt in cælo invisibilia, *intelligendum esse*, *eum esse istorum omnium creatorem. Deinde satis evidenter docet*, *utrobique eandem esse significationem horum verborum*, *& ea ad dominium tantum*, *quod Christus in ea obtinuit*, *pertinere*; *id*, *quod Apostolus ait*, *rem hanc quasi concludens*, ut sit is primatum tenens in omnibus, *vel*, inter omnes. *Hæc enim verba*, *non tantum de illis omnibus*, *quæ sunt in cælo*, *intelligi posse*, *nemo negabit* : *intelligenda autem esse*, *nos certo persuasi sumus. Et ita correspondent verba Apostoli*, *quæ hæc*, *de quibus agimus*, *præcedunt*, *Christum scilicet esse primogenitum omnis creaturæ*, *cum illis*, *quibus totam hanc rem quasi concludit ut scilicet per omnem creaturam intelligantur*, *& Angeli & homines*, *quatenus Christus*

[k] 1 Cor. xi. 3.

stus primatum inter omnes tenet. Quanquam in aliis etiam verbis satis hoc innuitur, dum dicitur, Christum esse ante omnes, hoc est, omnibus superiorem. Quæ vero adduntur alia, nempe, in ipsum esse creata omnia, & in ipso omnia consistere, ea perfectionem dominii, quod Dominus Iesus in ea omnia, quæ sunt in cælo, habet, indicant, non tantum scilicet eum Hierarchiam illam subjectam sibi habere: verum etiam id omne in gloriam ejus cedere, & totam illam Angelicam dignitatem, ut semel à Christo creata aut mutata est, ita durare, & duraturam quandiu Christus ea opus habiturus est.

[l] *Sed præter id, quod probandum nobis sumseramus, apparet etiam aliud quid ex his testimoniis, nempe non omnes Angelos ejusdem esse dignitatis: sed esse inter eos certos dignitatum gradus, & alios esse non tantum Angelos, verum etiam Angelorum dominos, & gubernatores, & reges, ob quam causam etiam Archangeli quidam appellantur.* [m] *Et tamen illorum omnium Rex & Dominus est Iesus Christus. Unde simul videre est, vere divinam esse Christi potestatem, cum in Angelos divinos nemo potestatem habere possit, nisi Deus, & cui eam Deus concedit. At enim vero, ut tanto manifestius appareat divina Christi potentia, ex eo, quod potestatem habet Angelorum, necesse est præterea considerare, primum, qua de causa Deus Domino Iesu omnem potestatem in Angelos concesserit. Deinde, quibus in rebus & quomodo eorum opera D. Iesus utatur.*

[n] *Quod ad causam attinet, propter quam Deus Christo Iesu Angelos subjecerit, quanquam nihil dubitamus, hanc etiam unam esse, ut hinc patefiat gloria, tum ipsius Dei, tum etiam Iesu Christi.* (o) *Dei quidem, quod non tantum ipse sit Dominus Angelorum: verum etiam quod alium quempiam, Dominum eorum efficere potuerit, effecerit. Hinc enim infinita ipsius potentia & sapientia cognoscitur. Ex cognitione autem potentiæ & sapientiæ Dei pendet ejus gloria. Christi vero, quod minoratus olim præ Angelis, propter passionem mortis, non tantum præstantior illis in ipsorum genere factus est: verum etiam Dominus, & Dominus absolutus evasit, non tantum illorum Angelorum, qui antea aliis obtemperare solebant, sed etiam istorum, qui antea nemini obtemperabant, præterquam soli Deo creatori suo. Adeo ut, quodcunque eis nunc præcipit Christus, hoc ita teneantur facere, ac si ipse Deus id eis præciperet. Quanquam, inquam, nihil dubitamus, hanc etiam esse causam, cur Deus Christo Angelos omnes subjecerit: tamen re penitius considerata, perspicere possumus, totum hoc principaliter hominum causa factum esse* [p] *ut scilicet inde certiores redderentur, Deum illum unum & altissimum velle eos in æternum servare, & immortalitate donare per Iesum Christum Dominum nostrum. Sic autem res tota ob oculos ponenda est: miserat Deus filium suum in hunc mundum, ut hominibus salutem æternam annunciaret, & confirmaret. Ea firmissime, per innocentiam, miracula, mortem & resurrectionem Christi confirmata, voluit rursus Deus, Iesum Christum, semel in cælos exaltatum, ibidem manere, usque ad instaurationem omnium. Populum vero Iesu Christi voluit Deus in hac humili terra versari. Tantum igitur abest à populo suo Rex IESUS Christus, quoad essentiam suam, quantum summum*

[*l*] Gradus inter Angelos. [*m*] Jud. v. 9 Apoc. XII. 7. [*n*] Cur Deus Angelos Christo subjecerit. [*o*] Gloria Dei & Christi. [*o*] Hominum salus.

mum illud cœlum distat ab hac infirma terra. Et tamen voluit etiam Deus, ut homines fideles certò persuasi essent, Iesum Christum, qui in terris fuerat, & in cœlos ascenderat, quotidie illis, per universum licet orbem dispersis, adfuturum usque ad consummationem sæculi, eos protecturum, eubenefacturum, omnia ad salutem necessaria eis suppeditaturum, & tandem ex ipsa morte eos resuscitaturum. Hoc igitur, ut hominibus persuasum esset, & esse posse, & certo futurum, ideo tantam Deus Iesu Christo potestatem dedit, ut is, licet ipse in cœlo degeret, posset tamen ista omnia suis cultoribus dare. Et quid multis opus est? Causa una & unica, cur tot & tanta de Christo in S. literis legimus, est, ut hominibus benè sit, & saluti eorum quam optime consulatur. Hinc etiam Christi nomen habet, quod Regem vel unctum significat. Hoc vero nomine rursus, proprie hominum respectu appellatur. Et, quodcunque Christo datum est, quodque toto in hoc negotio ei contigit, id omne propter aliud factum est; & ipsa etiam potestas, quam Christus in Angelos habet, ideo data est ei, ut id efficiperChristum posset, cujus causa Christus est, nempe, ut salus hominum nunc procuraretur, & tandem perficeretur. O divinum opus! o divinum divini operis administrandi modum! o divinum, tam divini operis, tam divino modo administratorem!

(q) *Quibus vero in rebus, & quomodo, opera angelorum utatur D. Iesus Christus, jam expediendum est. Affirmamus igitur primum, Iesum Christum opera Angelorum toties uti, quoties ea fidelibus suis opus est; & eum, tunc, quando opus est, eorum ministerio juvare fideles. Nec enim credimus, singulos homines habere suos Angelos, qui eis quotidie & perpetuo ministrent, cum plane indignum sit & absurdum, Angelos sanctos illis servire, qui Deum non curant, nec metuunt. Sed nec illud pro certo habemus, Angelos semper & perpetuo adesse fidelibus.* (r) *Cederet enim hoc in contemtum promissorum divinorum, quæ in Euangelio continentur, quasi non possit homo, adjutus promissis divinis, quicquam præstare eorum, quæ Deus eis præcipit, quorum tamen tantam vim esse sacræ literæ testantur, ut credenti omnia sint possibilia.* (s) *Sed statuimus solis fidelibus servire Angelos, idque tunc, cum scilicet opus est. Quod totum confirmatur ex eo, quod ait autor Epistolæ ad Hebr.* eos esse Spiritus ministros, qui ad ministerium emittuntur eorum, qui hæreditaturi sunt salutem. (t) *Ii enim, qui salutem consecuturi sunt, non sunt alii, nisi fideles. Qui vero mittuntur, nempe fidelibus, eos, non semper fidelibus adesse, constat. Quæ res divinam Christi in Angelos potentiam tanto magis ostendit, quanto majus est, sæpe alicujus opera uti, quam semel. Astant igitur ad Christi solium angeli, & sunt expediti & parati, omne illud exequi, quodcunque eis in mandatis à Domino nostro detur.*

(u) *Horum autem Angelorum opera Christus utitur, interdum, ut omnes in universum fideles suos, interdum, ut quosdam illorum juvet. Omnes in universum juvat, duplici potissimum modo. Primum, quando eos in nomine suo congregatos, divino suo favore ita prosequitur, ut quantumvis Diabolus multa impedimenta objiciat, quibus rem Deo gratissimam & acceptissimam interturbet, vel irritam efficiat: tamen illi omnia ea, quæ ad Dei gloriam spectant, conficere possint, & quæ ad veram sui consolationem, doctrinam, correctionem, & institutionem pertinent, obtineant. Promisit Christus, se ubi duo aut tres in nomine ejus congregati sint, futurum*

(*q*) Christus opera Angelorum utitur, cùm opus est. (*r*) Angeli in auxilium mittuntur fidelibus. (*s*) Matth. IX. 13. (*t*) Heb. I. 14. (*u*) Modi, quibus Christus fideles in universum, operâ angelorum juvat.

rum in medio illorum. (x) *In nomine Christi congregatum esse, nihil aliud est, quam in hunc finem cum aliis congregatum esse, ut gloria Dei propagetur, & salus nostra promoveatur. Christum vicissim in cœlo esse & futurum, usque ad instaurationem omnium testatur D. Petrus.* (y) *Constat igitur, quando se in medio suorum futurum promittit Christus, hoc de gratia & favore Iesu Christi intelligendum esse. Hunc autem, licet is etiam alio modo exhiberi possit, non minus per Angelos exhiberi, neminem esse credimus, qui negaturus sit. Nec enim frustra Apostolus, persuasurus mulieribus christianis, ut capite tecto orent, ait:* debent habere potestatem in capite propter Angelos, *nempe, ut ostendat, adesse tunc angelos præsentes Christianis, quando Deum colunt; & debere eos revereri mulieres Christianas, ne scilicet quicquam, quod indecorum sit, & cum voluntate divina qualicunque modo parum conveniens, faciant. Et certe, Christum Iesum adesse suis tunc temporis, ipse effectus satis superque docet. Nihil enim recte in tanto negotio administrari, neque à docentibus, neque ab audientibus posset, absque singulari Christi auxilio, de quo alias. Divinus igitur Iesus Christus est, & mira ejus divinitas, quam in hac ipsa re quotidie exercet, cujus effecta quidem cognoscimus: at modum, quomodo ea exerceatur, cognoscere nullo modo possumus.*

Deinde etiam, omnes in universum fideles suos, juvabit Iesus Christus operâ Angelorum, cùm scilicet in adventu suo ultimo eos missurus est, ut omnes credentes ex quatuor mundi angulis congregent, & eos ex hac terra infima in istam sublimitatem transferant. Certum enim est, omnes credentes in adventu Christi congregatum iri in hoc mundo, alios quidem, ex mortuis scilicet resuscitatos, immortales: alios vero, nempe tunc vivos, adhuc mortales. Certum etiam est, tunc omnes, & præsertim eos, qui vivi superstites erunt, non habituros eam virtutem, ut in cœlum ascendere possint, nisi ab ipso Deo eo transferantur. Hoc autem omne fiet procul dubio per illos sanctos Angelos, Christo Domino ita jubente, & tunc vere Angeli ultimum illis, qui salutem consecuturi sunt, officium præstabunt. Hinc est, quod dicitur de Iesu Christo, eum venturum cum Angelis potentiæ suæ; & quòd Angeli messores istius ultimæ messis, hoc est, consummationis seculi ab ipso Christo appellantur. (z) *Divinum igitur Regem eum esse oportet, qui tam divinis Spiritibus, pro libitu suo, ad officia præstanda fidelibus suis, uti possit.*

(a) *Quosdam vero ex fidelibus suis juvat Iesus Christus operâ Angelorum. Primum, dum eos, qui parvi & infirmi sunt, per eos ita custodit, ne ipsorum parvitas & infirmitas dolo illis sit. Infirmitas autem est, cum quis tantum non intelligit, aut facit, quantum intelligere & facere deberet; idque non ideò, quod nolit, sed quod non possit. Non potest autem, vel quia Deus ei non multa revelavit: vel quia ad multa percipienda & facienda aptus non est; idque vel naturæ, educationis, vel institutionis vitio, vel aliis causis impedientibus: interim vero tantum facit, quantum ejus fert imbecillitas & vires. Hos omnes Dominus Iesus Christus paterno more regit & tuetur, ne fortasse, per astutiam sathanæ, aut hominum impiorum, in errorem vel etiam in peccatum, & ita in interitum inducantur. Hoc autem ita se habere, ipse Dominus testatur his verbis.* (b) Videte ne offendatis unum ex his parvulis, qui in me credunt. Dico enim vobis,

(*x*) Matth. XVIII. 20. (*y*) Act. III. 21. (*z*) 1 Thessal. 1. 7. Matth. XIII. 39. (*a*) Modi, quibus Christus quosdam ex fidelibus operâ Angelorum juvat. (*b*) Matth. XVIII. 10.

vobis, quod Angeli eorum in cœlis semper aspiciunt faciem Patris mei, qui (est) in cœlis *Quod verò tunc Christus de patre suo dixit, angelos scilicet parvulorum, ejus faciem aspicere, id totum de Christo hodie dici potest. Is enim est unus ille Dominus per quem omnia, & qui omne judicium, hoc est gubernationem & regnum à Patre sibi traditum habet.*

(c) *Obiter autem notari illud etiam potest ex his verbis non tantum apparere, Angelos servire fidelibus Iesu Christi parvis & infirmis: verum etiam Angelorum præstantissimos servire parvulis Iesu Christi. Cùm enim ait Dominus, Angelos parvulorum, in cœlis semper aspicere faciem Patris sui, tacitè innuit, non omnes angelos semper aspicere Dei faciem. Nam si omnes semper aspicerent Dei faciem, nullus esset locus ex eo commendandi angelos parvulorum, qui in Christum credunt. In tanto scilicet sunt precio apud Deum omnes Iesu Christi fideles, ut etiam Angelorum præstantissimi minimis Iesu Christi servis serviant. Nec mirum, cum minimi Christianorum sint etiam minimi fratres Iesu Christi,* (d) *qui Dominus est Angelorum. Quod tamen rursus non ita accipiendum est, ac si tantum parvulis serviant Angeli illi singulares: imo si parvulis serviunt, multo magis adultis adolescentibus & patribus in fide Christiana, ut D. Iohannis* (e) *vocibus utamur: sed ut appareat, quanti à nobis fieri debeant Christi fideles, quantumvis infirmi, affirmatur, eos non tantum ab Angelis custodiri, verum etiam Angelos præstantissimos ita custodes eorum esse, ut aliorum adultorum custodes esse solent. Adultos custodiunt, ne perdant suam dignitatem, & ne priventur eo, quod divinitus sibi donatum habent. Parvulos custodiunt, ne per infirmitatem labantur, & pereant, sed ut in dies magis magisque proficiant. O divinum populi divini Regem, qui isto modo suorum omnium, & minimorum etiam curam gerit, & rationem habet.*

Deinde, quosdam etiam fidelium juvat Christus opera angelorum, dum scilicet Christi causa in aliquam afflictionem incidunt. Iuvat autem eos duplici modo. Aut enim eos liberat ex omnibus afflictionibus, & ex ipsissima morte; ut testantur exempla Apostolorum, D. Petri & Iohannis, Pauli, Silæ, & aliorum, (f) *& ita eos liberat, ut appareat liberationem istam à Deo profectam fuisse, dum scilicet eos ex carceribus munitissimis educit, vincula & catenas solvit, portas aperit, & alia hujusmodi facit, quæ divinæ præsentiæ omnibus indicium esse possunt. Aut, si ita divina ferat voluntas, ut fideles morte & sanguine suo Deum glorificent, & nomen Iesu Christi illustre faciant, tantam eis magnanimitatem addit, ut pro lucro habeant Christi causa mori, & gaudeant se dignos haberi, qui contumelia afficiantur propter nomen Christi. Quod itidem de Apostolis & aliis fidelibus sacræ testantur non uno in loco literæ.* (g) *Omne autem illud factum esse per Angelos, partim manifestè testantur historiæ, partim etiam ipsa res loquitur. Quis enim ista omnia alius faceret, quam Angelus? Hoc vero totum dum Christus facit, quis eum vere & mere divinum regem esse non agnoscat, & proinde hanc ejus divinitatem non admiretur?*

(c) Angeli præstantissimi ministri sunt minimorum fidelium Jesu Christi. (d) Matth. xxv. 40. (e) 1 Joh. ii. 12. (f) Act. v. 19. & xii. 16. & xix. 24. (g) Phil. i. 21. & ii. 17. Act. v. 41. & xvi. 15.

ELENCHUS CAP XVI. DISP. LI.

Q*Uam late pateat Regnum Iesu Christi, & quæ sit ejus perfectio, totum illud* agnoscimus *contineri verbis illis Christi Matth.* XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Patere nempe tam late, quam patent omnes cœli & omnis terra: Et nihil esse omnium, in omnibus cœlis, & in omni terra, cujus potestatem, & quidem absolutam atque perfectam, non habeat Iesus Christus.*

II. Interim sub verborum istorum cortice *Smalcius* tegit monstra sua: primo quidem *omnes cœlos & omnem terram* nominans, non juxta Scripturæ analogiam illam, qua ipsa dicit, Christum *ascendisse* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *supra omnes cœlos. Eph.* IV. 10. & sonum prædicationis Apostolicæ exivisse εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, *in omnem terram Rom.* X. 17. intelligens creaturarum Dei (cum & in cœlo & in terra) totum universum? Verum *Smalcius* intelligi vult, præter creatos cœlos & creatam terram, aliud etiam Cœlum & terram aliam, eaque increata, & Deo coæterna: quæ monstra jam profligavimus, *in Elencho Capitis XVI.*

III. In præsens autem animadvertendum, *Smalcium* non tantum Deo ab omni æternitate tribuere habitationem in cœlo illo non creato: sed somniare porro, ante existentiam cœli creati, existentiam Angelorum, per creationem, non traditam à Mose, in cœlo eodem increato.

IV. Nec tantum vult eo pacto extitisse jam Angelos ante principium illud creationis, à quo historiam suam orditur Moses, sed etiam jam bonam eorum partem lapsam & dignitate sua privatam fuisse: nixus hac scilicet demonstratione, quod, *simulatque Adam & Eva creati fuere, præsto adfuit Diabolus, qui eos seduxit.* At demonstratio ista quidem nulla est; si, quod analogia Scripturæ videtur flagitare, in principio, cum Cœli creatione, statuamus factam creationem Angelorum, atque sic totum pene primum Hexaemerum intercessisse inter Angelorum & Adami creationem.

V. Monstrosius vero illud, quod eo pacto non tantum in cœlo illo increato fingit accidisse Angelorum Apostasiam, sed mansisse etiam illic non minus malorum quam bonorum Angelorum domicilium. At monstrosissimum istud, quod non erubescit etiamnum sub regno Christi etiam malis Angelis assignare habitationem in cœlis: dicit enim αὐθολιξεὶ, *Ea quæ cœlis, & personæ sunt, sunt Angeli, iique tam boni quam mali.* Nos credimus Scripturæ, contra affirmanti, Angelos malos, non servata origine suâ, unâ reliquisse illud in cœlis ab initio ἴδιον οἰκητήριον *proprium domicilium Iudæ* 6. eosque à Deo *in tartarum detrusos. 2 Pet.* II. 4.

VI. Sollicitè autem *Smalcius* ingerit cramben illam recoctam, *Potestatem Christi*, quam habet, *quantacunque sit, non esse in eo naturalem, sed beneficio Dei Patris singulari ei contigisse, & donatam esse; quia, dixit, data est mihi.* Nos jam respondimus in Elencho proxime antecedentis *Capitis* XV. verba ista non dicere moderni Regni dationem; sed modernam Regni assertionem & vindicationem post eclipsin humiliationis.

VII. Suf-

VII. Sufficiens est ista responsio: verum ex abundanti dicemus, *Smalcium* hic videri posse se ipsum illaqueare, istâ, quam audivimus, Cœli non creati assertione, in quo etiam Christo potestas data sit. Est enim ἀδύνατον, ut in Cœlum non creatum, quod ex hypothesi Deo Patri coæternum est, Deo Patri naturalis potestas fuerit ab æterno. Nullo enim schemate dici vel fingi potest Potestas Deo naturalis in naturam φύσιν aliam à natura sua, cujus existentia sit à Deo independens, & cujus ipse non sit ὁ φύσας seu ὁ φυτεύσας auctor seu plantator. *Psal.* xciv. 9.

VIII. Sed dicendum forte erit, secundum *Smalcii* mataeologiam, neque Patri naturalem esse, neque consequenter à Patre donatam Filio, potestatem ullam in Cœlum ipsum, sed tantum in omnia illa quæ in Cœlo sunt, nominatim in Angelos. Atqui sic fallet hic universale illud effatum Apostoli; *omnis domus ab aliquo construitur Hebr.* III. 4. adeoque Deus cœli in quo habitat Deus & Dominus erit sola Usucapione æterna.

IX. Donationem vero quam ex loco *Phil.* II. 9. *Smalcius* vult exsculpere, potestatis scilicet & Majestatis adorandæ & invocandæ, quam non habuerit Christus ante exaltationem, non permittunt antecedentia Apostoli verba, quibus affirmat ante exinanitionem, quæ exaltationem antegressa est, extitisse Christum in forma Dei, & habuisse æqualitatem cum Deo. Quare cogimur necessario dationem illam nominis supra omne nomen accipere, non pro donatione prima, sed pro Regni & potestatis, nova assertione & vindicatione gloriosa, post eclipsin humiliationis intercurrentem, sicut jam ante à nobis responsum.

X. Nec elabi potest *Smalcius* quin fateatur, per veritatis τὸ ἰσχυρὸν, & sole meridiano clariorem Apostoli affirmationem, fuisse in Christo, ante ipsius exinanitionem, formam Dei: *quæ*, inquit, *non tantum sita fuit in miraculis patrandis, verum etiam in adoratione & cultu divino, qui Christo passim, antea quam formam servi sumeret, tribuebatur. Respons. ad Smiglecii nova monstra pag.* 109. & *pag.* 108. profitetur, *Æqualitatem Christi cum Deo in eo etiam constitisse, quod passim essent qui Christum adorarent & invocarent.*

XI. Enimvero per erroris efficaciam, vertitur hic in minime piam Christi accusationem: quia asserit ipse & Formam Dei & Æqualitatem cum Deo, ad Adorationem & Cultum divinum, à Deo ipsi donatum non esse ante exaltationem. *Fuisse Christum Dominum hominum absolute re ipsa ante resurrectionem falsum est*, inquit, *eodem libro pag.* 119. Item; *Christus non habuit reipsa summam potestatem in homines ante mortem, sed in prædestinatione. pag.* 39 Item; *Ajo, valde dubium, imo falsum esse, an omnes, & quod majus est, an vi hujus præcepti, hunc audite, Christum audire tenerentur. pag.* 118.

XII. Necessaria itaque consequentia reus fiet Christus, usurpatæ citra divinam vocationem, ante tempus, invocationis & Cultus divini, quando ipsi non nisi per vulgi errorem præpostere & idololatrice tribuebatur Forma Dei & Æqualitas cum Deo: ac ipse, cum re ipsa nihil esset quam homo mortalis, debuisset illi passim occurrenti adorationi & cultui divino, istum obicem ponere. *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Matth. IV. 10. *Luc.* IV. 8. *Vide ne feceris, conservus vester sum. Apoc.* XIX. 10 & XXII. 9. Quia vero obicem non posuit Christus, passim ipsum adorantibus & invocantibus ac prosequentibus cultu divino, credimus nos, non errore ullo vulgi, sed ὄντως vere, in Christo fuisse æqualitatem cum Deo illam, qua ipse & Pater sunt unus ille verus Deus Israelis, in cujus nomine omne genu flectendum fuit est & erit. *Esaj.* XLV. 23.

XIII. Non digrediemur hic ad discutiendum illud *Smalcii* πρῶτον ψεῦδος, de Forma servi non ante a Christo assumta, quam cum captivus ductus & crucifixus fuit. Asserimus nos, initium habuisse formam Servi assumptam, ex quo conceptus & natus est filius ancillæ Domini, collatis locis *Luc.* 1. 48. *cum Psal.* CXVI. 17.

XIV. Ex scopo hujus capitis dicendum de Regno Christi super Angelos, & disquirendum, sitne antiquum Creatoris in Creaturam regnum, an modernum, Christo, ut creaturæ Dei, donatum in Creaturam præexistentem: posterior est *Smalcii* hæresis, quam crypsi methodi suæ occultat, ut aliud agendo obrepat, donec tandem locum illustrem illum *Col.* 1. torquendum sumat, qui apertus nimis est de Christo Angelorum Creatore.

XV. *Smalcii* illud quidem lemma marginale, Angelos Christo subditos esse, est ἐξαγώνιον: & quis contra dicat isti in subjecta materia demonstrationi? Quem enim quis colit, & quem metuit, quomodo ei subjectus non sit? At illaqueabitur hic *Smalcius*, sua contradictione, si fateri velit, quod solis radiis scriptum est in Euangelio, jam ante exaltationem, imo ante exinanitionis catastrophen, seu actum illum ultimum passionum Christi, Angelos qua bonos qua malos Christum coluisse, & metuisse. *Quomodo ergo* (dicemus nos verbis *Smalcii*) *ei subjecti non erant?*

XVI. Confirmant affirmationem nostram ista; quod finitis in deserto tentationibus Christi à Diabolo, *accedentes Angeli Christo ministrarunt*, διηκόνουν *Matth.* IV 11. Ministrarunt autem, non sicut nobis ut conservis Dei mandato impenditur ipsorum διακονία *Hebr.* 1. 13. sed ut ipsis excellentiori Dei Filio, gloriam illam tribuentes, de qua controversiam Christo moverat tentator, ingerens illud, *si Filius es Dei. Matth.* IV. 3. & 6. *Luc.* IV. 3 quem jam inde à nativitate Pastoribus Bethlemiticis annunciaverant, esse Servatorem, *Christum Dominum. Luc.* II. 11.

XVII. Quod vero Angeli mali volentes nolentes & personam Christi coram metuerint & formidarint, atque ex invincibili ipsis terrore precati etiam sint, passim in Euangelio liquet, in obsessis à Diabolo, non uno sed pluribus etiam, quin legione diabolorum, hominibus miseris: vide singulariter historiam, istius externæ genuflexionis *Matth.* VIII. 29. & 31. *Luc.* VIII. 28. & 32. *Marc.* V. 6. & 12. Uberiorem confirmationem differimus ad Elenchum *Capitis* XVII.

XVIII. Hoc intendimus in præsens, non nescire nos (& *quis* nesciat?) Genuflexionem de qua Paulus porro loquitur *Phil.* II. 10. non posse de Angelis dici significatione propria, sed intelligendam de subjectione, qua Dominum Jesum colentes & metuentes, se ei subditos demonstrant.

XIX. Dein-

XIX. Deinde neque Genuflexionem istam censemus Paulum ibi adstringere ad Angelos bonos & sanctos. Accipimus enim πᾶν γόνυ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, *omne genu cœlestium terrestrium & subterraneorum*, quod universim sine exceptione, de omni seu homine seu angelo, seu bono seu malo, in cœlo, in terra, & inferno, sive volentes sive nolentes suo imperio regat ac sibi subjiciat Christus, datus Ecclesiæ, Caput supra omnia. *Eph.* I. 20. 21. 22. Etenim qui *Phil.* II. 10. dicuntur ἐπουράνιοι, ἐπίγειοι, καταχθόνιοι, non sunt alii quam qui *Apoc*, v. 3. locantur ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐπὶ τῆς γῆς, ὑποκάτω τῆς γῆς. Utrobique vero intelliguntur qua homines qua angeli, qua boni qua mali, sine exceptione, ubivis locorum omnes.

XX. Ex hac analogia utriusque loci jam indicati *Phil.* II, & *Eph.* I. asserimus explicandum quoque locum I *Pet.* III. 22. à *Smalcio* productum, ut scilicet probet Angelos bonos & sanctos Christo subditos esse (*Christus est in dextris Dei, profectus in cœlum, subjectis Angelis & potestatibus & virtutibus.*) Nihil enim est quod cogat ista accipere de solis Angelis bonis & sanctis. Quin vel maxime videtur loquutus Petrus de triumphatis in Ascensione Christi & Sessione ad dexteram Dei Angelis malis, qui positi sint ipsi ut scabellum pedum. *Psal.* cx. I.

ELENCHI SECTIO II. DISP. LII.

AD Colossenses Primo Capite *de Dominio Christi in Angelos sermonem esse*, quis negat? At dictat non docet *Smalcius*, *sermonem esse*, *non de Creatione ipsorum Angelorum*, *sed tantum de Christi Dominio quod in eos habet*, *idque* frustra contendit *probari posse ex hoc ipso loco.* Ac temere asserit *constare hoc*, *non esse sermonem de ipsorum Angelorum substantia*, sed tantum de thronis, dominationibus, & principatibus, & potestatibus: atque hæc omnia tantum dicere Apostolum per Jesum Christum creata esse in cœlis.

II. At Scripturarum analogia, & tota series ac ductus hujus loci non patitur, ut tam arctè adstrictum sit illud τὰ πάντα, *Omnia*, ter repetitum *vers.* 16. & 17. Æquipollet enim illi *vers.* 15. πάσης κτίσεως, *Omnis creatura*: & fatente ipso *Smalcio*, *Dæmones etiam suo modo ad istam omnem creaturam pertinent*: *sunt enim & ipsi*, inquit, *ex numero invisibilium*, *quæ per Christum creata sunt*. *Resp. ad Smiglecii Nova monstra Cap.* XXVI. *pag.* 226. Quod ut *Smalcio* expressit vis veritatis, ita per erroris sui efficaciam ibidem comminiscitur *novam aliquam creaturam ad quam etiam Dæmones pertineant*: quia, *non minus*, inquit, *inter eos sunt throni & dominationes quam inter Angelos. Eph.* VI. 12. De novo isto monstro novæ creaturæ Dæmonum, dicendum erit, *ad Caput sequens.*

III. Quod autem πάσης κτίσεως nomine veniat etiam ipsorum Angelorum substantia creata, eaque non excludatur, ubi in abstracto nominantur *Principatus & Potestates*, apertissimum est ex *Capite ad Romanos* VIII. ubi postquam Apostolus *versu* 38. dixit, *neque Angeli*, *neque Principatus*, *neque Potestates*; mox dicit *versu.* 39. οὔτε τις κτίσις ἑτέρα, *Neque ulla creatura seu res creata alia.* Hac enim analogia, quamvis abstracta illa nomina hic notarent precisè tantum

An-

Angelorum dignitates, non ipsas angelorum substantias seu personas, nihilominus tamen *vers.* 15. nominatione πάσης κτίσεως necessario contineretur substantia seu persona ipsa Angelorum ut τὶς κτίσις ἑτέρα, seu res creata alia.

IV. Censemus autem magnum esse illud πρῶτον ψεῦδος, (quod ex solo vocis abstractæ schemate, quo Apostolus usus est *versu* 16. sibi concedi vult *Smalcius*) *potuisse à Christo creari dignitates Angelorum, licet ipsi Angeli per eum creati non sint.* Cum nihil ipsi sit præsidii in nominibus istis abstractis, quia Scripturæ usu veniant pro Concretis, dicuntur enim κυριότητες, οἱ λεγόμενοι κύριοι, *Dominationes, dicti Domini. Eph.* I. 21. 2 Pet. I. 10. *Iudæ* 8. *cum* 1 *Cor.* VIII. 5. Item ἀρχαὶ, οἱ ἄρχοντες, *Principatus, qui Principatum tenent*, ἐξουσίαι, οἱ ἐξουσίαν ἔχοντες, *Potestates, qui Potestatem habent.* Nam qui *Matthæo* dicuntur ἡγέμονες καὶ βασιλεῖς *Præsides & Reges*, apud *Lucam* dicuntur ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι *Matth*, X. 18. *cum Luc.* XII. 12. Quemadmodum synonyma sunt ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, & οἱ ἐν ὑπεροχῇ ὄντες *Potestates eminentes, & qui in eminentia sunt constituti Rom.* XIII. I. *cum* 1 *Tim.* II. 2.

V. Ad istam ergo analogiam credimus hoc loco nomina ista abstracta, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, *Throni, Dominationes, Principatus, Potestates*, per metonymiam in Cœlo quidem notare Angelos ipsos: quod sint instrumenta & ministri Dei, quibus thronum, hoc est, regnum, dominium, principatum & potestatem suam exercendam, pro arbitrio & dispensatione multiformis sapientiæ suæ, mandat Deus.

VI. Nova vero Logica opus esse censemus, ut in formam Syllogismi apodictici redigi queat illa *Smalcii* demonstratio. *Necesse esse quodammodo, si per Christum creatæ sunt dignitates angelorum, Angelorum substantias ante fuisse: & eos dignitates non tales habuisse, quales Christus creavit: Angelos vero*, inquit, *absque dignitatibus suis unquam fuisse statuere absurdum est. Relinquitur igitur, ut Christus dignitates Angelorum mutarit, ita ut nunc aliæ sint ab illis, quas antequam Christus in cœlum ascenderet habuerunt.*

VII. Missa crisi logica respondemus; apocrypham esse istam quidem fabulam, de mutatis ita per Christum dignitatibus Angelorum, ut nunc aliæ sint ab illis, quas antequam Christus in cœlum ascenderet habuerunt. Nec fabulam istam veri similitudinem ullam habere posse in cœlo; ex subjectione Ecclesiæ in terris sub capite Christo; de qua erit dicendi locus in *Capitis* XIX. *Elencho.* Donec autem probaverit *Smalcius*, fabulam veram esse, nihil est, quod cogat credere, idem hic esse Angelorum creationem, quod mutationem, quam in dignitates Angelorum intulerit Christus, postquam in cœlos ascendit.

VIII. Quod verbis istis *versus* 18. dicit Apostolus; *Et ipse est Caput Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse* πρωτεύων ἐν πᾶσι, quamvis communiter accipiatur hoc sensu, *primatum tenens inter omnes*: tamen istud ἐν πᾶσι, non tantum ad homines in terra Ecclesiæ Christi membra, nec non ad Angelos in cœlo referendum est, sed generatim quoque ad omnes res ac creaturas: sicut *versu* 16. & 17. illud ter repetitum τὰ πάντα, quod jam attigimus *Thesi* II.

IX. In eo autem quod dictat *Smalcius*, ista dicere Apostolum, *probaturum vel declaraturum quomodo per Christum omnia creata sint, quæ sunt in terra, nempe eo quod factus sit caput illorum*, desideramus judicium logicum: nullam enim habent verba illa declarationem antecedentium, sed tantum illam præcedentibus adnexam adsertionem, quod sicut omnium rerum creator, ita Ecclesiæ caput sit Christus, cum hoc Epilogo quod inter res ac creaturas omnes, omni jure teneat primatum seu principatum: quippe, ut ante dixerat Apostolus, *πρωτότοκος πάσης κτίσεως. versu* 15. Probatio hujus epilogi antecessit *versu* 16. & 17. hac *διανοίᾳ*, quam illustrant loca collata *Eph.* I. 22. 23. *cum* I *Cor.* III. 21. 22. 23. dignum esse illo primatu & principatu supra omnem creaturam in cœlo & in terra Christum, ut Creatorem omnium; & *datum esse Ecclesiæ κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα, Caput super omnia*: ut omnia sint nostra, quia nos Christi sumus.

X. Inficiationis istius *Smalcii* (*ad id, ut quis caput Ecclesiæ sit, non esse opus, ut idem sit Ecclesiæ etiam proprie loquendo creator*) nullum est præsidium in eo quem vexat loco 2 *Cor.* XI. 3. Tametsi enim *certum* sit, *Christum Caput Ecclesiæ dici, propterea, quod dominium in eam habet*; & analogice dicat Apostolus, *Virum Caput esse mulieris, Christum Caput Viri*: nullis tamen fidiculis exprimi inde poterit ista consequentia, Vir non est caput mulieris jure creationis, ergò neque Christus est Caput Viri jure creationis. Sic inconsequens quoque est altera illa consequentia; Apostolus dicit Christum esse Caput viri, virum caput mulieris, ergo dicit *Christum seorsim esse Caput Viri.*

XI. Neque pia est illa Smalcii matæologia; *Neminem mulier, quoad ipsum sexum, in hoc mundo superiorem agnoscit præter virum: Vir autem quoad sexum neminem in hoc mundo superiorem agnoscit præter Iesum Christum.* Nam quamvis mulier viro quoad sexum subjicitur in matrimonio, & in exteriori politia Ecclesiæ, est tamen intentioni Apostoli minime consentanea ista assertio, Christum seorsim esse caput viri: vel hæc, neminem mulier agnoscit superiorem præter virum, si intelligas Virum seorsim à Christo esse caput mulieris.

ELENCHI SECTIO III. DISP. LIII.

UT Christus dicatur seorsim Viri Caput esse, non patitur expressa illa Apostoli contestatio, ipso illo *Capite* XI. *prioris ad Corinthios verss.* 11. & 12. *Veruntamen neque Vir sine muliere, neque mulier sine Viro in Domino. Nam sicut mulier ex viro, ita & Vir per mulierem: omnia autem ex Deo*: Et alibi. *In Christo non est Mas neque Fœmina, Gal.* III. 28. Et scire nos jubet Apostolus, *Corpora nostra*, sine sexus discrimine, *esse membra Capitis Christi.* 2 *Cor.* VI. 15.

II. Est ergo analogia fidei hic eadem, quam propugnamus in relatione Capitis Christi ad Angelos, Christum esse *παντὸς ἀνδρὸς Omnis Viri Caput*, eo jure, quod ipse ut Creator utriusque & Viri & Mulieris, suæ creaturæ illam

posuerit legem, ut Vir esset Caput mulieris, cum quo capite ipsa unum corpus censeretur, in subjectione sub ipso creatore.

III. Quare & nobis illud quidem certum est & indubitatum, Christum caput Ecclesiæ dici, propterea quod dominium in eam habeat: (quamvis contestemur, non esse illud totum id, quod Capitis Ecclesiæ appellatione expressum voluit Scriptura, de quo jam non est plura dicendi locus.) At inde non est consequens, verborum illorum, *per Christum sunt creata omnia, quæ sunt in terra visibilia*, istam esse exegesin, *Christus est Caput Ecclesiæ*.

IV. Verum habent verba illa demonstrationem istam, dignum esse Christum, qui sit caput Ecclesiæ, ut qui ipso Creationis jure est κεφαλὴ ὑπὲρ πάντα *Caput super omnia, quæ sunt in terra & in cœlo, seu visibilia seu invisibilia*; quæ *cuncta per ipsum facta sunt in principio, & absque eo factum est nihil quod factum est*. Confer *Ioh* I. 3. *cum Eph.* I. 22.

V. Hanc nostram, non istam *Smalcii*, analysin, docet ipsa rerum connexio: neque aliter correspondent verba Apostoli, quæ præcedunt, *Primogenitus omnis creaturæ*, cum consequentibus *ut ipse sit in omnibus primatum tenens*: nisi ut per *Omnem creaturam*, & *Omnia*, intellexerit Apostolus, non tantum *Omnes Homines & Angelos*, verum etiam reliquam omnem creaturam.

VI. Neque ista intercurrunt *verss* 16. & 17. ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, τὰ πάντα, δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, & τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, *in ipso, & per ipsum, & ad ipsum omnia creata sunt*, &, *Omnia in ipso consistunt*; alio se trahi patiuntur, quam ad omnipotentem totius Universi in principio Creationem, & consequentem ejusdem sustentationem.

VII. Illud quidem ἐν αὐτῷ, *In ipso*, explicandum similiter hic, ut *Act.* XVII. 28. in verbis istis, *in ipso vivimus, movemur, & sumus*, per phrasin illam Scripturæ æquipollentem, τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ, *Sermone Dei* 2 *Pet.* III. 3. vel istam τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ *verbo potentiæ suæ Heb.* I. 3. quod propria loquutione est, vi ipsius omnipotente divina. Et ad uberiorem expositionem facit etiam illud ביד יהוה / *In manu Jehovæ Prov.* XXI. I. & ἐν τῇ ἐξουσίᾳ *in Potestate ejus. Act.* I. 7.

VIII. Ista vero, δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν, *per ipsum, & ad ipsum*, eandem habent δοξολογίαν, quæ exstat *Heb.* II. 10. δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, *ipse propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia*; *Rom.* XI. 36. ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. *Quia ex ipso, & per ipsum, & ad ipsum, sunt omnia: Ipsi sit gloria in sæcula Amen.*

IX. Neque ulli in cœlo vel in terra λεγομένῳ θεῷ dicto Deo aut Domino convenit δοξολογία illa, sed soli illi, qui natura Deus est, qui solus *universa propter semet ipsum operatus est Prov.* XVI. 4. & cujus solius est efficientia illa, qua creaturæ omnes, in principio ex nihilo productæ, suam deinceps habuerunt & habent διαμονὴν seu permanentiam existentiæ, quæ ut hic ita 2 *Pet.* III. 5. per verbum συνεστῶσα expressa est.

X. Atque hæc, per creationem & jugem conservationem, totius Systematis universi σύστασις & κυβέρνησις fundat perfectionem illam Dominii, in quamcunque creaturam, vel in cœlo vel in terra, qua Christus non tantum illam sibi

sibi subjectam habet, verum etiam id omne in gloriam ejus cedit. Minime autem convenit, neque citra sacrilegam idololatriam tribui potest *Smalcii* Christo, qui est ψιλὸς ἄνθρωπος, & tantum creatura.

XI. Huic vero idololatriæ hic intercessum est ab Apostolo, assertione illa, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως: qua contestatur Apostolus, Christum esse coæternum Dei Patris Filium, unum cum Patre Deum & Dominum universæ creaturæ. Etenim indigitamentum illud εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου, *Imago Dei invisibilis*, hic sicut 2 *Cor.* IV. 4. synonymum est nomini Filii Dei: & Filii à Patre emanationem per generationem æternam ineffabilem adumbrat, illâ allegoriâ, qua corpori cuique sua est Imago, seu species visibilis, per quam ipsum in oculos incurrit. Hac tamen lege, ut per adumbrationem illam non tribuatur Filio Deitatis aliqua σκιὰ Umbra, sed αὐτὴ ἡ εἰκὼν, quam μορφὴν θεοῦ *Formam Dei* vocavit Apostolus *Phil.* II. 6. quomodo umbræ imaginem contradistinxit *Heb.* X. 1.

XII. Est ergo idem hic *Imago Dei*, quod *Heb.* I. 3. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *splendor* seu *radiatio gloriæ*, & *character personæ ipsius*. Ubi quidem Gloria quemadmodum μεγαλοπρεπὴς δόξα *magnifica gloria* 2 *Pet.* I. 17. significat Patrem gloriosum, instar Solis, à quo, quasi solis ἀπαύγασμα coæternum, genitus est Filius: diciturque ipse *character personæ Patris*, distincta altera assimilatione, Patris ad formam imprimentem, & Filii ad formam expressam.

XIII. Jam ista in Filio expressa Dei Imago seu Forma dicitur Apostolo πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *Primogenita omnis creaturæ*. Quamvis enim communi interpretum consensu, nomen adjectivum vertatur *Primogenitus*, genere masculino, ut subaudiatur υἱὸς *Filius* nobis tamen planius videtur, ut construatur cum nomine substantivo expresso, εἰκὼν, quod hic per allegoriam τῷ υἱὸς æquipollet.

XIV. Atque hac nostra expositione os obturamus *Smalcio*, dicenti alibi, *Paulum hic non loqui de Christo ut primogenito Dei Filio. Refut. Smiglecii de Erroribus Arianorum*, pag. 2. 12. Neque Filii Dei primogeniti appellationem destruit id, quod ibidem subnectit: *Si Christus est primogenitus Dei Filius, sequetur alios etiam esse eodem prorsus modo, quo ipse est, Filios Dei, quod falsissimum est.* Si proba est consequentia illa, quis non videt pariter concludendum esse? Si Christus est primogenitus Mariæ filius, sequetur alios etiam esse, eodem prorsus modo, quo ipse est, Filios Mariæ, quod falsissimum est: quo hæc evadent?

XV. Enimvero Imaginem illam Dei omnis creaturæ primogenitam, seu, quod in re idem est, Filium Dei omnis creaturæ primogenitum, accipimus illâ analogia Græci sermonis, ut πρωτότοκος sit, *prior* seu *ante genita*, ante, inquam, omnem creaturam: sicut simplex πρῶτος est pro πρότερος *Ioh.* I. 15. & 30. πρῶτός μου ἦν *prior me erat*: & *Ioh.* XV. 11. ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκε, *me priorem vobis*, seu *ante vos*, *odio habuit*. Quomodo etiam docti Chronologi censent interpretandum illud *Luc.* II. 2. πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *prius facta est*, *quam præsideret Syriæ Quirinius*. Ita *Ioh. Georgius Herwart Opere Chronologico*, *à fol.* 188. *in* 202. & qui hunc laudat *Ioh. Kepplerus*, *de*

vero anno natali Christi pag. 115. & 116. Item *Ioh. Steuberus in dedicatione Tabularum Helvici* 1618.

XVI. Ingerit porro *Smalcius*, præter id quod probandum sibi sumserat, assertionem istam, de gradibus inter Angelos; aliquos ex Angelis non tantum Angelos esse, verum etiam Angelorum Dominos, atque hos, ante exaltationem Christi, obtemperasse soli Deo Patri, deinceps vero etiam Christo exaltato. Sunt vero ista pariter apocrypha, ut est illa, quam antecedenti *Disput. Thesi VII.* rejecimus, fabula de Graduum mutatione inter Angelos à Christo facta. Atque istis speculationibus se pascunt illi quos dicit Paulus, *ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, sese ingerere in ea quæ non viderunt. Col.* II. 18.

XVII. Adnotat *Smalcius* pro se loca duo, *Iudæ* 9. & *Apoc.* XII. 7. Utroque loco nominatur *Michaël*: hunc Judas *Archangelum* vocat: Johannes ipsum repræsentat ut exercitus cœlestis Imperatorem, cum Angelis suis præliaturum, contra draconem & Angelos ejus. Vicerit *Smalcius*, si hic Archangelus Michael suis angelis stipatus, ex creatis Angelis unus est. Nobis vero Michael ille non est alius quam ipse Christus Deus & Dominus Angelorum.

XVIII. Non pugnamus hic argumento illo, quod urget *Fr. Iunius* ex notatione nominis מיכאל / quasi postulet significari eum, *qui tanquam Deus fortis est & æqualis Deo.* Concedimus מי in hoc nomine non esse *Qui*, sed *Quis?* ut nomen habeat γνώμην istam, *quis sicut Deus?* atque hac analogia pie etiam hominibus est impositum, qui illo insigniti leguntur. *Num.* XIII. 13. 1 *Chron.* V. 13. 14. & VI. 40. & VII. 3. & VIII. 16. & XXVII. 18. & 2 Chron. XXI. *Esræ.* VIII. 8.

XIX. Nitimur autem hoc potissimum argumento, quod subministrat, Iudæ testimonio parallelus, locus *Zachariæ* III. 2. Legitur illic, *Et dixit Iehovah ad Satanam &c.* est nomen יהוה / fatente *Grotio in Annotatis*, de Michaele intelligendum, Nobis vero nefas est, cum *Grotio* hoc gratificari Socini scholæ, ut vocem יהוה / Michaeli alicui qui non sit naturâ Deus tribui credamus (ut ille dictat non docet) *per μετάληψιν aut ἔλλειψιν, quia Dei partes agat.* Angeli vero nomine ut Christum intelligere liceat, facit Christo exserte tributum à Malachia Propheta nomen illud, *Angelus Fœderis. Malach.* III. 1. Et *Angelus Faciei. Esaj.* LXIII. 9.

XX. Neque vetat nos Michaelis Angeli nomine Christum ipsum Angelorum Creatorem Deum & Dominum intelligere collatus locus, in *Daniele Capitis X. versu* 13. ubi dicitur Michael, אחד השרים הראשנים. Difficultatem parit interpretatio ista, *Unus Principum primorum*: sic enim videtur cogi in ordinem inter Angelos plures primarios, ut illorum unus, & videntur supponi plures uno creati Archangeli. Verum proba est hic *Tremellii & Iunii* interpretatio, qui illud אחד / *Unus* accipiunt *pro primo* h. e. *principe* ac vindicant Christo, inter Angelos, sicut in omnibus, πρωτεύοντα, hoc est primas seu principatum tenenti: qui mox *versu* 21. nominatur populi Israelis princeps, & *Dan.* XII. 1. שר גדול / *Princeps magnus* seu *maximus.*

XXI. Superest tamen scrupulus, ex ipsa *Principum primorum* appellatione: quia videtur æquipollere Archangelorum nomini, adeoque Hierarchiam cœlestem confirmare, quam *Smalcius* urget, in qua sint *Angeli aliorum Angelorum* Domi-

Domini. Sed responderunt jam olim in suis Annotatis *Tremellius & Iunius,* dici Angelos *principes primarios, comparatos cum principibus humanis.* Secundum glossam istam, cuncti cœlestes Angeli hactenus erunt ἰσότιμοι principes primarii, ut majores principibus in terra dominantibus, iisque sæpe θεομαχοῦσι superiores; ac manet soli Christo sacrum Archangeli nomen.

XXII. Ne quid autem dissimulemus, in disquisitione hac, *an semper Archangelus notet ipsum Christum*, sunt etiam ex Orthodoxis, quibus secus videtur sentiendum; *Verum non videtur,* (inquit *Clariss. Walæus*) *quia* 1 *Thess.* IV. 16. Dominus ipse ad judicium venturus *dicitur*, in hortatu & voce Archangeli: *ubi*, inquit, *expresse Archangelus à Christo Domino & Iudice distinguitur.*

XXIII. At minime liquidum illud est, Archangelum à Christo Domino & Judice distingui: possumus enim dicere, simile hic esse schema dictionis, quale est 1 *Sam.* III. 20. *quoniam manifestaverat se Iehovah Samueli in Siloh, in verbo Iehovæ.* Ut, quemadmodum illic exponendum est, *in verbo Iehovæ,* in verbo suo: similiter hic, *celeusma*, & *vox Archangeli*, nec non *Dei tuba*, intelligatur celeusma & vox ac tuba ipsius Christi Domini, qua in glorioso illo adventu suo se demonstrabit Archangelum & Deum.

XXIV. Nolumus quidem nos inficiari Angelorum, dum legationes suas obeunt, ut missi è cœlo exercitus cœlestes, ordinatam τάξιν & quasi castrametationem: quæ esse non potest, sine aliqua, pro tempore, aliorum præ aliis præfectura. Attamen religio nobis est illam ordinis præfecturam ultra præfinitum missioni ipsorum tempus prorogare, ut etiam in cœlo stata sit & permanens aliorum in alios cum jurisdictione Dominatio.

XXV. Aliud omnino dictat fidei secundum Scripturas analogia: quæ cunctos cœlestes Angelos asserit esse *administratorios Spiritus*, qui in ministerium mittuntur è cœlo *Heb.* I. 14. affirmat autem illos *in cœlis semper videre faciem Dei Matth.* XVIII. 10. quod dici nequit, si non singuli immediate à Deo in cœlis accipiant missionis suæ mandatum, non obnoxii aliorum ut Dominorum mandato.

XXVI. Deinde, quia Scriptura Angelos cunctos dicit אלהים / *Deos*, neminem Angelorum eximens mandato illo, *adorate illum* כל אלהים / *Omnes Dii. Psal.* XCVII. 7. *Heb.* I. 6. quotquot constitueris Angelis Angelorum Dominos, totidem facies præter Unum verum Deum & Dominum, אלהי אלהים *Deos Deorum, & Dominos Dominorum*: contra scripturas, quæ Uni soli Deo, qui natura Deus est, asserunt indigitamentum *Regis Regum, & Domini Dominorum*, ac *Dei Deorum* 1. *Tim.* VI. 15. *cum Deuter.* X. 17. *Ps.* CXXXVI. 2. 3. Illam ergo Angelorum ἰσοτιμίαν discimus ex Scripturis, quod cuncti sint λεγόμενοι θεοὶ, & κύριοι, *dicti Dii & Domini*; supra quos cunctos in cœlis *Unus est Deus & Unus Dominus* 1 *Cor.* VIII. 5. 6.

XXVII. In Angelos vero potestatem quia Domino Jesu tribuimus, juxta Apostolum, suo creationis jure, quia ipse cum Patre Unum est, procul habemus illam *Smalcii* phrasiologiam; *Deus Domino Iesu omnem potestatem in*

Angelos concessit; quam mox sic explicat, hoc pacto patefieri Dei ipsius gloriam: *quod non tantum ipse sit Dominus Angelorum, verum etiam, quod alium quempiam Dominum eorum efficere potuerit & effecerit.* Repugnat ἀληθῶς assertio illa Scripturis, in quibus docemur (ipsa Dei protestatione כבודי לאחר/לא אתן *Gloriam meam alteri non dabo Esa.* XLII. 8.) non patefieri, sed obscurari, gloriam Dei, si gloriosum in Angelos Dominium creaturæ tribuatur, quæ non sit ipsi ὁμοούσιος, sed ἑτεροούσιος, seu alius naturæ & essentiæ.

ELENCHI SECTIO IV. DISP. LIV.

NOn videtur *Smalcius* secum ipse consentanea loqui de patefactione *gloriæ Dei, qua cognoscatur* in Novo Testamento *infinita ipsius potentia & sapientia* in Christo Angelorum Domino facto. Illud enim, quod fingit tunc patefactum in Christo ad Dei gloriam, *quod non tantum ipse esset Dominus Angelorum, verum etiam alium efficere potuerit & effecerit Dominum Angelorum*, ex ipsius hypothesi, jam in V. T. patefactum fuit, antequam existeret Christus, in Archangelo Michaele, aliisque Angelis aliorum Angelorum Dominis.

II. In istis ergo demum, quæ sequuntur de *ipsius Christi gloria*, sibi constat, dicens, *quod non tantum præstantior ipsis* (*Angelis*) *in ipsorum genere factus est Christus, verum etiam Dominus absolutus evasit; non tantum illorum Angelorum, qui antea aliis obtemperare solebant; sed etiam istorum, qui antea nemini obtemperabant, præterquam soli Deo.* Quibus verbis, aut nihil dicit, aut hoc ipsum quod jam attigimus; in veteri T. gloriam Dei patefactam in eo, quod infra se, in ipsorum Angelorum genere, Michaelem aliosque fecisset non tantum aliis Angelis præstantiores, verum etiam aliorum Dominos, singulos suæ legionis vel cohortis: nunc verò in N. T. in eo, quod etiam illis præstantioribus, aliorum Dominis Angelis, præfecerit unum cunctorum universalem Dominum Jesum Christum. Aniles, sub Christiano nomine, judaizantium fabulæ.

III. Animadvertimus porro illud, quod Regnum Christi super Angelos gloriosum non tantum modernum esse vult *Smalcius*, ut demum cum exaltatione ad dextram Patris cœperit esse Angelorum Dominus: sed ad illum usque temporis articulum rejiciat initium præstantiæ Christi, qua præstantior Angelis factus est. Quod evidentius liquet ex iis *Smalcii* verbis, quæ subjiciemus ex *Refutatione Smiglecii de erroribus Arianorum pag.* 210. *Primogenitus omnis creaturæ, hoc est potissima creaturarum, Christus non fuit, nec esse potuit, antequam in cælos ascenderet. Antea enim, teste Scriptura sacra, minor fuit creatura Angelica.* Non sunt nobis Synonyma, *Primogenitus omnis creaturæ*, & *potissima creaturarum*: quod ex iis liquet quæ ante à nobis exposita sunt. Neque quod cum sessione ad dexteram, dicitur Christus præstantior factus Angelis *Heb.* 1. 3. dicit modernum μέτρον præstantiæ Christi præ Angelis, sed præstantiæ, quam in principio creationis habuit, ut Dei Filius, ante Angelorum creationem

nem ab æterno genitus, vindicationem & assertionem gloriosam post exinanitionem.

IV. Censuit *Smalcius*, sibi *rem totam* ex suo sensu, *ob oculos ponendam*, quadam hypotyposi; *quomodo Deus Christo Angelos subjecerit propter Hominum salutem*. Id vero, quod ob oculos ponit, partim est recocta crambe, de Christo Servatore, non per Satisfactionem pro debitis nostris, sed per annunciationem salutis æternæ obedientibus promissæ, firmissimè scilicet confirmatam per innocentiam, miracula, mortem, & resurrectionem Christi. In qua salutis serie, ostendimus, non servatam hypotyposin sanorum sermonum.

V. Reliqua habent matæologiam illam, quâ affirmat; *Tantum abesse à populo suo Regem Iesum Christum, quoad essentiam suam, quantum summum illud cœlum distat ab hac infima terra.* Quæ affirmatio, si quidem accipiatur de essentia & natura Christi humana, nostra quoque erit, contra *Ubiquitarios*, ex loco *Heb.* VIII. 4. *Nam si in terra esset, ne Sacerdos quidem esset.* Absolute autem ex mente *Smalcii* intellecta, de persona Christi ejusque divinitate, quæ etiam ipsa absens sit, citra vicariam Angelorum præsentiam, destruit veritatem promissionis Christi, mox vindicandam.

VI. Desperatior autem est hujus erroris & hæresios gangræna, quod, ut nullam *Smalcius* agnoscit in Christo essentiam divinam, ita neque in ipso Deo Patre essentiam divinam credit immensam esse & ubique præsentem: non audiens hic Scripturam, quæ contestatur *Deum non longe abesse ab unoquoque nostrum, ac nos in ipso vivere, moveri & esse. Act* XVII. 27. 28.

VII. Nec sine illo fundamento (immensitatis essentiæ divinæ in qua filius cum Patre unum est) constat veritas solida consolationis Christi, quâ dixit, se fideles *non relicturum orphanos Joh* XIV. 18. *se futurum cum ipsis omnibus diebus, usque ad consummationem seculi Matth.* XXVIII 20. *se adfuturum in medio eorum, ubi fuerint duo aut tres in nomine ejus congregati. Matth.* XVIII. 10. Nec verificari potest, Christi in ipsis fidelibus præsentia 2 *Cor* XIII. 5. & vita *Gal.* II. 20. ac *habitatio per fidem in cordibus ipsorum. Eph.* III. 17.

VIII. Et proclive quoque est ad atheismum præcipitium, si non cogimur de Deo aut Christo, per immensitatem essentiæ divinæ ubique præsente, meditari monitum illud Apostoli; *non est ulla κτίσις ἀφανὴς creatura inconspicua coram ipso: imo omnia sunt nuda & patentia oculis ejus quicum nobiscum est negotium. Heb.* IV. 13. Et quis non præsumat se Deum absentem latere posse, Angelo custode remoto? certe consequens illud, *Dominus non videt nos*, manat ex antecedente illo, *dereliquit Dominus terram.* Totum istud connexum, ut atheorum celeusma ad impietatem, notatum *Ezech.* VIII. 12. & IX. 9.

IX. *Christum opera Angelorum uti cum opus est: ac toties illos in auxilium mitti fidelibus*, neque singulos homines necessario habere suos Angelos, qui eis quotidiè & perpetuò adsint & ministrent, apud nos quidem ἐξαγώνιον est. Sed, sive adsint, sive absint per intervalla Angeli, credimus tamen, etiam Angelo custode remoto, habere nos jugiter præsentem Deum & Christum ac Spiritum ejus, & arbitrarium esse consequenter, non absolute necessarium, ut Angelorum opera

opera juvemur; quasi ad nos juvandos Deus indigeat vicaria illorum apud nos præsentia, ipse e cœlo semper *ἐγκαθιδρυμένος*, nec sine illis Christus similiter id possit efficere, cujus causa est Christus.

X. Nec citra impietatem, hoc urget *Smalcius*; fore, ut *hoc cederet in contemtum promissionum divinarum, quæ in Euangelio continentur*, si ubique fidelibus præsens esset, vel Dei ipsius auxilium immediatum, vel Angelorum perpetua & jugis custodia. Hoc ergo erit scilicet ad gloriam promissionum Euangelicarum, si nonnunquam nos Christus relinquat orphanos, ut solo verbo promissionis adjuti, sine alio auxilio, operemur salutem nostram: neque ita nos cogitare patitur *Smalcius*, *quasi non possit homo adjutus promissis divinis, quicquam præstare eorum quæ Deus præcipit.*

XI. At quomodo hoc non cedat in gloriam promissionum divinarum, quæ in Euangelio continentur? quod meliores sint promissis istis legalibus, quæ nos solo verbo adjuvant, sine efficaci gratiæ auxilio, ad operandum salutem nostram. Quo solo verbo adjutus homo in fœdere operum legali, non perstitit in fœdere illo: unde opus fuit fœdere novo meliori, quod melioribus promissionibus sancitum esset. *Heb.* VII. 22. *cum Hebr.* VIII. 6. 7.

XII. Gratis hic à *Smalcio* producitur testimonium ex *Marci* IX. 23. *Credenti omnia sunt possibilia.* Etenim ne γρῦ quidem est in istis verbis Christi, quod affine sit crasso illi Pelagianismo, quasi possit homo, sine ullo auxilio gratiæ, solis promissis divinis adjutus, obedire mandatis Christi, & credere. Non convenit istud ναὶ, cum Christi οὐ, quod expressum est *Joh.* XV. 9. *Absque me nihil potestis facere.* Neque cum illo timore & tremore, quo perculsus homo ille (cui apud *Marcum* dixerat Christus, *si potes credere*) cum lacrymis respondit, *credo Domine, succurre incredulitati meæ*: non ille hoc metuit nec metuere debuit, ut ne audiret à Christo, cedet hoc in contemptum promissi mei, si eo adjutus, ultra juvari flagites: nec voluit Christus a petitione ulterioris auxilii illa ipsum absterrere, sed contra stimulare, dicens, *credenti omnia sunt possibilia.*

XIII. Neque illud quod intendit *Smalcius*, ullo pacto probatur ex Angelorum missione & consequenter præsentia qua fidelibus adsunt, non jugiter sed per intervalla; (juxta illud *Hebr.* I. 14. ubi Apostolus ait, Angelos esse *Spiritus ministros qui ad ministerium mittuntur eorum, qui hæreditaturi sunt salutem*) absentibus Angelis non adesse illis ipsum Deum nec Christum.

XIV. Sed neque illud *Smalcii* postulatum incurrens absolute verum est, *eos qui salutem consecuturi sunt, non esse alios nisi fideles: esse autem plane indignum & absurdum, Angelos sanctos illis servire, qui Deum non curant nec metuunt.* Nam sub illis, qui actu credunt & Deum curant ac metuunt, etiam omnes credituri ad salutem, *qui procul sunt*, quoscunque advocabit Dominus Deus noster, qui etiamsi nondum Deum curent aut metuant, nec ipsum quærant, illos tamen curat & quærit, ut oves perditas, bonus ille ovium pastor. *Act.* II. 29. *Ioh.* X. 16. *Esaj.* LXV. 1.

XV. Deinde quamvis principaliter propter eos qui hæreditaturi sint salutem ordinatum sit Angelorum ministerium ad quod mittuntur; tamen (etiam

si

si nomine illorum qui Deum non curant nec metuunt, vel ipsos reprobos intellexeris, qui nunquam hæreditaturi sunt salutem animarum) assertio illa *Smalcii* (fore hoc plane indignum & absurdum, ut Dei mandato ministerium præstent *Angeli sancti*) erit contra experientiam, tutelæ & custodiæ veteris populi Israelitici, maximam partem reprobi, in eductione ex Ægypto, & deductione per desertum, nec non Legis ipsis traditæ; quia illam *per Angelos ordinatam* affirmat Apostolus *Gal.* III. 19 Et Psalmographus vocans Manna לחם אבירים / *Panem fortium*, sc. Angelorum, docet Angelos Manna ministrasse sine discrimine, tam piis, quam illis qui Deum non curabant nec metuebant, sed jugiter ad iram provocabant impiis murmurationibus. *Psal.* LXXVIII. 25.

XVI. De auxilio vero Angelorum, quod illis impenditur qui hæreditaturi sunt salutem, sic censemus; non propter illud è cœlo mittendum necessariam fuisse Christi in cœlos Ascensionem, quia scilicet absque illis non potuisset esse ubique in Ecclesia sua præsens, & illa in terris efficere, propter quæ Christus erat. Credimus enim omnipotentem & ubique in cœlo & in terris præsentem *ἐνέργειαν* Deitatis Christi, quæ per se ipsa cœlum & terram implet, nulla indigens vicaria ministrorum præsentia, ad efficiendum quidquid vult. Ascendere autem debuisse in cœlos Christum, in carne ex mortuis vivificata, ut hoc porro efficeret per immediatam naturæ humanæ præsentiam in cœlis, post sui ipsius immolationem in terris consummatam, quod extra cœleste sanctuarium perfici non poterat, cujus causa Christus seu unctus erat. Quod respexit Paulus *Heb.* VIII. 4. *collato cum Hebr.* IX. 23. -28.

XVII. Quando jam *Smalcius* recenset, *modos quibus Christus fideles opera Angelorum juvat*, hoc unum agit, sed frustra, ut à promissione Christi, qua dixit, *se ubi vel duo vel tres congregati fuerint in nomine ejus, adfuturum in medio illorum Matth.* XVIII. 20. penitus auferat divinitatis Christi immediatam præsentiam, eamque persuadeat minime necessariam esse ad præsens auxilium. Urget testimonium Petri, testantis, *Christum in cœlo esse, & futurum usque ad instaurationem omnium. Act.* III. 21. Absit ut contradicamus testimonio Petri: verum ex affirmatione ista, quod Christus secundum humanam naturam tantum nunc sit in cœlo, (quam & propugnamus contra quoscunque) asserimus, nullam esse demonstrationem illam, ergo neque secundum naturam divinam immediate præsentem esse in terris Ecclesiæ suæ: donec destructa sit Fides Catholica de Dei essentiæ Immensitate, & de vera Christi Deitate, qua ipse & Pater Unum sunt.

XVIII. Neque hic Elenchum facit conclusio, quam educit *Smalcius* ex Petri testimonio, *constare igitur, quando se in medio suorum futurum promittit Christus, hoc de gratia & favore Iesu Christi intelligendum esse*; donec demonstraverit in vicaria Angelorum præsentia esse ἀποκεκρυμμένους thesauros gratiæ & favoris Jesu Christi. Quæ est ἀλλόκοτος meditatio promissionis Christi, & omnino inductiva ad fiduciam exauditionis nostræ per Mediatorem Christum collocandam in Angelis, in quibus Christus ipse solatium habeat suæ à nobis in cœlis absentiæ, apud quos frustra vellet præsens esse; & per quos solos, adi-

tum habeamus ad Christum, ut precum nostrarum interpretes, quorum ipse fidem sequatur, ut quos habet ab oculis & auribus in Ecclesia. Sic plenis velis feremur ad θρησκείαν τῶν ἀγγέλων, qua colamus Angelos ut necessarios nobis Procuratores, apud Advocatum quem habemus in cœlis Christum.

XIX. Non inficiamur nos Angelorum in Ecclesia præsentiam, cui sua quoque debeatur reverentia; nec contradicimus affirmationi Apostoli, quæ elicitur ex eo, quod, *persuasurus mulieribus Christianis, ut capite tecto orent, ait, debent habere potestatem in capite propter Angelos* 1 *Cor.* XI. 10. At desideramus demonstrationem, qua ex affirmatione præsentiæ Angelorum qui conservi nostri sunt, consequens sit inficiatio præsentiæ ipsius Domini in Ecclesia.

XX. Est ergo illud quidem porro apud nos ὁμολογούμενον, excubare ad hoc angelos à Christo missos, pro fidelibus in nomine ejus congregatis, ut, *quantumvis Diabolus multa impedimenta objiciat, quibus cultum Dei publicum interturbet vel irritum efficiat, irritus sit ejus conatus.* At omnino est ἀντιλεγόμενον, id quod *Smalcius* intendit, ut persuasi simus illas Angelorum pro congregationibus fidelium excubias, esse solidum illud Christi auxilium, *absque quo nihil recte administrari possit, neque à docentibus neque ab audientibus, & quo adjuti Christiani omnia quæ ad gloriam Dei spectant conficere possint; & quæ ad veram sui consolationem, doctrinam, correctionem, & institutionem pertinent,* obtinere.

XXI. Minus autem consentaneum istud est, quod primum istum facit *Smalcius* modum, quo Angelorum opera utens Christus, *interdum juvat omnes in universum fideles suos;* cum non intelligat alios quam quosdam in nomine Christi congregatos, interdum non plures duobus aut tribus.

XXII. De cætero quamvis credamus testimonio Christi, *omnes in universum fideles Angelorum opera ex quatuor mundi angulis congregandos, in ultimo Christi adventu:* non cogimur tamen credere id quod *Smalcius* ingerit, hoc pariter fore Angelorum officium, ut eos *ex hac terra in istam sublimitatem transferant,* ex necessitate illa, *quod tunc omnes, & præsertim ii, qui vivi superstites erunt, non habituri sint eam virtutem, ut in cœlum ascendere possint:* & perperam *Smalcius* Synonyma facit ista, nisi illos Angeli in istam sublimitatem transferant, & *nisi ab ipso Deo eo transferantur.*

XXIII. In *modis quibus ait Christum Angelorum opera juvare quosdam ex fidelibus,* Apotelesma quidem illud Gratiæ Christi (*quod ita custodiuntur primo parvi & infirmi, ne ipsorum parvitas & infirmitas dolo illis sit, & ne fortasse per astutiam Satanæ, aut hominum impiorum, in errorem vel etiam in peccatum & ita in interitum, inducantur; deinde etiam adulti in fide, ne perdant suam dignitatem, & ne priventur eo quod divinitus sibi donatum habent*) agnoscimus; sed ea lege, ut non quibusdam tantum interdum, sed cunctis omnino fidelibus, & parvulis & adultis in fide, necessaria sit Gratia Christi, à qua custodiantur per fidem ad salutem, & neminem ex fidelibus hac sua gratia destituat Christus.

XXIV. Illi autem custodiæ adhibentur Angeli, quando id Domino visum est, ut ministri συνεργοῦντες, qui fideles corroborant, per suggestionem verbi Dei; minime tamen ab ipsis, sed à Deo prodeunte virtute illa, quæ in

in ipsorum infirmitate perficitur, & quæ illis, *dum Christi causa in aliquam afflictionem incidunt, tantam magnanimitatem addit, ut pro lucro habeant Christi causa mori, & gaudeant se dignos haberi qui contumelia afficiantur propter nomen Christi.*

XXV. De hoc ergo etiam Apotelesmate Gratiæ Christi confirmatio quidem proba est *Phil.* I. 21. & II. 17. nec non *Act.* V. 41. & XVI. 15. sed non citra sacrilegium est illa *Smalcii* ἐπίχειρσις, *quis ista omnia alius faceret quam Angelus?* Sunto Angeli Dei coöperarii, qui suggerant Dei promissa, at ipsa illa suggestio promissorum Dei, cum patefactione veritatis ad conscientiam hominum nihil erit, si ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως (victrix Infirmitatis humanæ) eminentia roboris, non sit τῦ θεῦ Dei 2 *Cor.* IV. 2. & 7. *Qui nos confirmat in Christum, Deus est.* 2 *Cor.* I. 21.

XXVI. Missam facimus in præsens dissertationem *Smalcii* practicam, *quid sit Infirmitas*, cujus discussio haberet ἀπαγωγὴν à tractatione instituta. Monebimus hoc interim obiter, ad liquidam demonstrationem, quâ hoc efficiatur, ex loco *Matth.* XVIII. 10. *Angelos hoc præstare parvulis in fide, ne ipsis damnosa sit infirmitas in fide;* debuisse hoc ante omnia esse liquidum, Christum illic, *parvulorum* nomine, intelligere infirmos in fide, non posse autem intelligi nomine τῶν μικρῶν, infantes, qualem unum in medio stiterat Christus *versu* 2. Quid enim cogit sequentem genitivum τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ accipere de parvulis, & facere illos credentes, cum rectè accipiatur de parvulorum parentibus, ut sic loquutus sit Christus; *Qui vero scandalisaverit unum ex parvulis istis credentium in me.*

XXVII. *Quod vero tunc Christus de Patre suo dixit, Angelos scilicet parvulorum ejus faciem aspicere*, non fuit ita πρόσκαιρος, seu pro tempore tantum verus, sermo, (ut insinuat *Smalcius*) ut id totum, demum *hodie de Christo dici possit*: aut propter Regnum Christi super Angelos, non pariter hodie ut tunc de Deo Patre. Nobis *Christus heri & hodie idem est & in sæcula Heb.* XIII. 8. *qui cum Patre unum est Ioh.* X. 30. & *Unus Dominus.* 1 *Cor.* VIII. 6 & *Eph.* IV. 5.

XXVIII. Videre autem in cœlis faciem Dei semper, non notat in verbis Christi, τὸ περισσὸν aliquod, seu prærogativam, qua tantum gaudeant aliqui *Angelorum præstantissimi*, sed conditionem cunctis communem, qua immediatè à Deo mandata accipiunt. Neque ex eo, quod cuncti semper aspiciant faciem Dei, consequens est ista *Smalcii* cavillatio, *nullum esse locum ergo ex eo commendandi Angelos parvulorum.* Non enim minori in precio apud Deum erunt parvuli, & omnes Iesu Christi fideles, etiamsi non fiat illa depreciatio aliorum angelorum, infra Angelos parvulorum, ut soli parvulorum Angeli videant faciem Dei, alii minime.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM DE Christi Regno super Diabolos.

A*Dhuc de regno Christi, & divina potestate, quam in Angelos, qui soli hoc vocabulo, simpliciter & absque ulla additione posito, appellantur, pauca diximus. De regno Christi divino, quod supra Diabolos habet, consequens est, ut aliquid dicamus.*

(a) *Nolumus autem nunc quicquam dicere adversus eos, qui negant Diabolos esse. Nec enim nunc propositum nobis est, cum illis agere, qui omnem religionem negant, & athei sunt: sed tantum cum illis res nobis est, qui Christianam religionem pro verissima habent. Eos autem, qui negant Diabolos esse, nos quidem credimus, facile etiam negaturos, Deum esse, & hunc quidem ad atheismum gradum esse statuimus. Sed ad rem nostram redeamus. Dicimus igitur, in potestate ista, quam Christus in cælo habet, contineri etiam potestatem ejus in diabolos. Hi enim sunt procul dubio personæ, ut Angeli boni; & in cælo etiam esse dici possunt: quemadmodum principes aëris appellantur, quia scilicet natura eorum talis est, ut in aëre, qui etiam cœlum dicitur, degere possint, & ibi etiam degunt.* (b) *Dum vero in tenebris esse vel versari dicuntur, hoc ideo dici credendum est; vel quod hic locus, in quo nunc degunt, sit tanquam tenebræ, respectu istius loci, ubi antea degebant & ex quo dejecti sunt: vel quod æternis tenebris cum omnibus impiis addicti sint.*

(c) *Hos autem Christo subjectos esse, testantur fere iidem loci, ex quibus paulo ante docuimus, Iesum Christum potestatem habere in Angelos. Nihil enim vetat, quominus in loco* Phil. II. *vel per cælestium, vel per subterraneorum genu, diaboli intelligantur: nempe, si per subterraneos intelligere quis velit eos qui mortui sunt, & statuat, eos etiam Christi dominio subjectos esse, & tandem illud agnituros, qua de causa etiam dicitur, Iesum Christum vivis & mortuis dominari,* (d) *nunc per genu cælestium, diaboli etiam intelligi possunt, quatenus scilicet etiam illi principes aëris, ut jam diximus, esse dicuntur: vel, si quis per cælestes solos Angelos intelligat, per subterraneos intelligi possunt diaboli, qui ideo sic appellari possunt, quod subterraneis locis vel inferno destinati sint. Planè enim verisimile est, Paulum, dum eos enumerat, in quos Iesu Christi potentia extenditur, non omisisse ipsos diabolos. Hi enim sunt non minima pars eorum, quos Deus Christo subjecit. Præterea diabolos Christo subjectos esse testantur etiam illi loci, in quibus affirmatur, potestates & dominationes cœlestes ei subjectas esse.* (e) *Certum enim est, diabolos etiam potestates & dominationes esse & appellari; Quin imo principes in aëre vim suam excercentes appellantur diaboli; & quod*

(*a*) Quid sentiendum sit de illis, qui negant esse diabolos. (*b*) Eph. VI. 12. (*c*) Christo diabolos subjectos esse. (*d*) Rom. XIV. 9. (*e*) Joh. XII. 31. & XIV. 30. & XVI. 11.

quod majus est, ipse diabolus, vel unus ex his Spiritibus impuris primarius, princeps & Deus mundi à Christo & Apostolo cognominatur. (f)

(g) *Est autem notandum, tam inter diabolos, quam inter Angelos, gradus esse & differentias, adeo ut quidam sint quasi subditi, reliqui regnent: omnes autem, quotquot & quanti sunt, Christi domimo subjectos esse. Imo inter causas, cur Deus diabolos à tot seculis non omnino deleverit, sed eos adhuc servat, (de quibus nunc differendi locus non est) non minima haec est; quod scilicet Deus voluit eos conservare usque ad Christi adventum in mundum, & eos ei regendos, & tandem delendos tradere. Ut hinc summa tùm ipsius Dei appareret potentia, qui non tantum potentia sua divina naturali possit omnes diabolos superare & delere: verum etiam eosdem ei nunc regendos, & olim damnandos tradere potuerit, qui ipse aliquando mortalis fuit. Tum vero, ut appareret etiam ipsius Iesu Christi vere divina potentia, qua scilicet istis Spiritibus dominatur, & eos olim perditurus est, in quos nemo omnium, præter solum Deum, quicquam imperii habet, & quos solus tantum Deus perdere potest. Diabolos igitur omnes subditos sibi habet Dominus Iesus, & divino eisdem modo imperat.*

(h) *Primum enim, quamvis maxima sit illorum potestas, nihil tamen unquam Christi fidelibus nocere, nedum in re magni momenti, sed ne pilum quidem illorum movere possunt. Considerandum autem est, diabolum odio implacabili perpetuo ardere, adversus omnes, qui Christo confidunt, propter hoc imprimis, quod eos aspicere cogatur, quos Deus in locum sui aliquando suffecturus sit; & præ invidia tantum non rumpitur; ideo nihil non facit dummodo saluti eorum obsit; & efficere conatur, ne vel unquam Deum cognoscant illi, qui sine cognitione Dei vivunt, vel ut ii, qui Deum cognoverunt, ista cognitione rursus priventur, adeo ut vel Deum omnino esse, iterum negent simpliciter, vel ut Deum ore confitentes, factis tamen eum negent, & ita salutem æternam amittant. Quam multiplex igitur est Sathanæ astutia in nocendo hominibus, & perdendis illis: tam multiplex, vel potius mille modis magis multiplex est Christi, in eo refrænando, potentia. Inprimis petit diabolus mentes eorum, quibus salutem invidet, dum se in Angelum lucis transfigurat, (i) & loco veritatis mendacium, loco virtutis vitia commendat, fucum faciens hominibus, & eis astutia sua imponens, dum scilicet quosdam excitat, qui sese ministros tantæ injustitiæ præbent. Reprimit autem eum, dum hoc agit, Iesus Christus rex noster, plane divino modo. Nempe primum, Spiritu suo infuso in mentes credentium, ita eos illustrat & confirmat, ut seduci nullo se patiantur modo. Deinde sapientiam & vigilantiam largitur, iis, quorum curæ fideles suos commisit, ut quasi ex specula ista omnia prospicientes, quæ Christi populo accidere possunt, tempestive eundem moneant, ut sibi ab hujusmodi impostoris Diaboli caveat. Qui modi videntur quidem esse contemtibiles: interim vero vere sunt divini. Spiritu scilicet oris sui percutit omnem Diabolicam potentiam Dominus Iesus.*

Porro, ad dementandos homines fideles, in formam serpentis sese convertit diabolus, dum eis commoda, vel voluptates, vel denique vanam gloriam ostendit, & horum amorem cupiditatemque animis illorum instillat, qua de re testatur etiam Apostolus

(f) 2 Cor. IV. 4. (g) Gradus inter diabolos. (h) Modi, quibus Christus diabolis imperat. (i) 2 Cor. XI. 14. Modi, quibus Diabolus homines seducit.

lus (k) *At Iesus Christus, tanquam verus & divinus Doctor & magister, illi sese opponit, dum per Spiritum suum S. & ministros verbi sui, mentes eorum implet, cogitationibus de vera voluptate, divitiis, & gloria, quæ eos in æterna illa vita manent, & ita efficit, ut eos, istiusmodi vanis cogitationibus apud animum suum unquam locum dedisse pudeat, &, hæc temporanea cum illis æternis commutare, pro lucro habeant, atque ita, Exemplo Domini Iesu Christi, omnes ejus fideles servi omnes tentationes Sathanæ superant, & victores tandem evadunt.*

(l) *Impetit deinde diabolus Christianorum corpora, dum scilicet tales excitat, qui eos affligunt & persequuntur, qui illis injurias inferunt, qui eos damnis afficiunt, qui denique vitam eis adimunt. Sed vicissim suis præsto adest Dominus Iesus Christus Rex noster, & omnes istos diaboli conatus ita reprimit, ut tandem victus turpissimè loco cedere cogatur. Et quemadmodum credimus, tantam esse malitiam diaboli, ut fideles, quos perdere non potest, subinde tamen infestet, & eos quasi irritet & exagitet, leviuscula quædam objiciendo, quibus eis molestiam vel damnum afferat: ita vicissim tantam & multo majorem esse Christi Regis nostri potentiam, nihil dubitamus; ut etiam in hujusmodi minimis casibus, qui accidere fidelibus solent, possit eos perfectissime juvare, & eos ab illis avertere.* (m) *Quod vero nihilominus interdum aliquid adversi accidit Christi fidelibus, id fit Christo ita permittente: tum quia non multum eis istud nocere potest: tum quia absque singulari Christi auxilio caveri illud potuisset à fidelibus, si cauti fuissent; & ita, si quid eis tale accidit, pœnas suæ dant negligentiæ. Sic scilicet divino modo, Christus Rex noster cœlestis & divinus, imperat istis malignis Spiritibus, & sic, eorum tam effrenata nocendi fidelibus libido, perpetuo ipsius divino coercetur imperio.*

(n) *Deinde divinus etiam, quo Christus dominatur diabolis, modus, ex hoc apparet, quod per eos interdum suos fideles affligat: impios vero gravissimè punit. Quod ad fideles attinet, ita interdum permittit, interdum etiam vult Iesus Christus, ut diabolus eos affligat, quemadmodum Deus id olim ei permittebat, & volebat.* (o) *Affligebat autem Deus fideles suos; vel ut eos probaret, ut sub veteri fœdere de Iobo legimus, sub Novo vero de ipso D. Iesu, de quo aperte testantur Sacræ literæ, eum deductum fuisse à spiritu (nempe Dei) in desertum, ut tentaretur à diabolo:* (p) *vel etiam affligebat Deus fideles suos, ut eos castigaret, quemadmodum sub veteri fœdere de Davide, per Absalonem castigato, legimus.* (q) *Hoc etiam modo Christum agere cum suis fidelibus, quod ad probationem attinet, exemplum D. Pauli docet, qui de seipso testatur, quod, ne efferretur excellentia revelationum, datus sibi fuerit stimulus carni, Angelus sathan, qui eum colaphizet.* (r) *Per quem stimulum intelligi debere perpetuas afflictiones, quibus Paulus, Christi causa, expositus erat, testantur loci istius sequentia verba. Cum enim Paulus ter Dominum rogasset, ut à se Sathan ille discederet, & responsum tulisset, satis sibi esse debere gratiam Domini, sic de seipso ulterius ait;* Libenter igitur magis gloriabor in infirmitatibus meis. *Unde videre est hoc loco idem*

(k) 2 Cor. xi. 2. 3. (l) Modus quo Diabolus fideles persequitur. (m) Cur levia quædam adversa fidelibus accidant. (n) Modus regni Christi in Diabolos. (o) Christus probat fideles per Diabolos. (p) Matt. iv. 1. Luc. iv. 1. (q) 2 Sam. xii. 11. & xiv. 12. (r) 2 Cor. xii. 7. Quid per stimulum 2 Cor. xii. intelligendum sit.

idem esse infirmitates Pauli, quod stimulus ille ei datus. Infirmitates autem quid significent, sequentia verba docent: Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. *Quas tantas afflictiones Apostolus stimulum carni inflictum appellat, quia scilicet perpetuos dolores concitent eæ afflictiones, Christo ita volente, hinc apparet, quod Paulus ait, datum sibi illum stimulum fuisse, nempe à Christo, quem, ut eum à se auferret, petierat. Ut mirari eos subeat, qui de alia aliqua re, quam de afflictionibus, hac verba Pauli acceperint. Nam non nisi absurde, & tantum non impie, dici posset, ea esse data vel immissa Paulo à Deo & Iesu Christo, quæ alii commentatores comminiscuntur. Hoc vero, quod nos statuimus, absque omni absurditate & impietate de Deo vel Iesu Christo dici posse, hoc est, quod afflictiones immittat, quando & quales velit, suis fidelibus, hoc confirmat, quod gratia & donum Dei sit, si quis dignus habeatur, qui Christi causa aliquid adversi patiatur:* (s) *quemadmodum etiam in his ipsis verbis Dominus Iesus, id, quod Paulus stimulum carni inditum appellat, gratiam suam & favorem appellare non dubitavit. Quod vero isto in loco immissio illius stimuli tribuitur etiam quodammodo Angelo Sathanæ, vel Angelus Sathan, id quod immissum erat appellatur, id fit ideo, quod, quemadmodum Sathana ad hoc exequendum usus erat. Iesus Christus, sic etiam ille libenter eam provinciam, quam semper captat, recepit: utpote, cujus id est proprium libidine nocendi hominibus, præsertim vero fidelibus, semper ardere. Id vero, quod Paulo Apostolo accidit, aliis multis & olim evenisse, & nunc evenire, minimè dubitandum est, nempe Dominum Iesum per ipsum Diabolum eos affligere, ut eos probet & exploret. Hæc enim præcipua causa esse videtur, cur Christiani quotidie orent, ne à Deo in tentationem inducantur: sed ab illo malo, nempe Diabolo, liberentur. His enim verbis procul dubio id petunt, ne Deus, cum sibi visum fuerit eos afflictionibus tentare, permittat, ut istis ita implicentur, ut, quo se vertant, aut quid tum orare debeant, nesciant; sed ut eos à potestate Diaboli, quam is tum maxime exerit, cum suos fideles Deus ei affligendos tradit, eripiat, ne ab eo superati succumbant, vel (ut Apostoli verbis rem explicem) ne patiatur Deus eos tentari, supra quod possunt, sed faciat cum tentatione etiam proventum, ut possint sufferre.* (t) *Qua ipsa in re mirum est divinitatis Iesu Christi documentum, quod scilicet, etiam si permittat, & interdum velit, diabolum affligere homines Christianos; & diabolus etiam arrepta illa occasione, summis viribus in eo enitatur, ut ejusmodi sibi ad tempus traditos homines, possit in nihilum redigere, & omni spe eos spoliare: tamen Iesus Christus fines & terminum ei præscripsit, quem transgredi nullo modo potest, & dum maxime furit, & nocere vult, nihil tamen eis nocere potest.*

(u) *Exempla vero, quomodo Christus Rex noster suos fideles castiget, non est opus adducere. Quis enim nescit hoc sæpissime factum fuisse, & etiamnum fieri? Opera autem diaboli istas castigationes hominibus Christianis, si scilicet in officio suo sint negligentes, evenire, vel evenire saltem posse, nemo etiam, credo, negabit. Solus enim Diabolus est, cujus natura gaudet eo, si male aliis facere possit. Et si, per diabolum tentari homines sanctos, certum est: quid mirum,*

(s) Phil. I. 29. 1 Pet. II. 19. (t) 1 Cor. X. 13. (u) Christus fideles per diabolos castigat.

tum, per eundem, & negligentes & parum probos, castigari, Christo volente?

(x) *Quod vero impios, Christus Rex noster, per ipsos diabolos punit & gravissima de illis supplicia sumit, & eos funditus delet, hoc inprimis divinæ potestatis Iesu Christi, quam in diabolos exercere potest, singulare documentum est. Dum scilicet Diabolus, Christo jubente, eos affligere & gravissime carnificare, qui ex ipsius voluntate & nutu pendebant, & ita quasi seipsum destruere cogitur. Puniri autem & deleri homines impios, per ipsum Diabolum, ex modo, quo Christus impios punire solet, facile cognosci potest. Sic enim Iesus Christus, eos, qui voluntatem Dei cognitam aspernantur, & eidem obedire nolunt, quo ad interna & mentem eorum punit, ut vel veritatem ab eis auferat, vel manente & durante veritate, aures eorum obturat, & oculos excæcat, ut audientes non audiant, & videntes non videant. Quoad externa vero & corpora eorum, integra regna, urbes, domos, familias & personas radicitus excindit, & suppliciis exquisitissimis fundiטus delet. Ad quæ supplicia exequenda nemo aptior est ipso Diabolo, adeo, ut verisimile sit, plærumque istiusmodi supplicia Dei & Christi tam horrenda, ipsius opera hominibus immissa fuisse. Quanquam non negatur, potuisse interdum Deum & Christum, propter certas causas, quæ gloriam illius spectant, Angelorum etiam opera ad ea exequenda usi. O divinum igitur Regem, qui tam perfectam & divinam in eos potestatem habet, qui nemini omnium parent, nisi soli Deo.*

Ubi hoc insuper addi potest, quod, quemadmodum illi, qui Deo ex animo confidunt, & eidem obedire omni studio conantur, Christo traduntur regendi & servandi; (y) *sic vicissim illi, qui Christo obedire nolunt, ab eodem traduntur diabolo cruciandi & perdendi. Non est enim statuendum, diabolum à se ipso potestatem habere, hominem etiam impiissimum cruciandi vel perdendi, nisi id ei Deus vel Iesus Christus concedat. Alioquin omnes eos interimeret, metuens scilicet, ne (quod sæpissime accidere vidit) ad Deum conversi serventur.*

Et hæc tanta potestas non tantum in ipso Iesu Christo residet: verum etiam penes eum est, cui velit, eam concedere. Hinc enim gloriatur Apostolus de se ipso, quod potestas talis sibi data sit à Domino, & quod tradiderit quosdam homines impios satanæ, ut discerent non blasphemare. (z) *Quæ verba docent, Apostolum etiam Christi, & servum Regis nostri cœlestis, potestatem & jus quodammodo habuisse, diabolo imperandi, ut eos affligeret & cruciaret, qui perverso animo Christo sese opponebant, & eidem obedire nolebant. Cujus tantæ virtutis Apostolicæ exempla fuere, dum vel tecta valetudine, vel etiam ipsa vita, istiusmodi homines privabantur.* (a) *Quam divinum igitur Regem ipsum esse oportet, cujus servi tam divina in diabolos potestate præditi fuere?*

(*x*) Christus per diabolos homines impios punit. (*y*) Ioh. XVII. 2. (*z*) 2 Cor. XIII. 10. 1 Tim. 1. 20. (*a*) Act. XIII. 11. Act. V. 5. 9.

ELEN-

ELENCHUS CAP XVII. DISP. LV.

MOnstrosissimum nobis illud visum est *Capite antecedenti*, *XVI.* quod sub Regno Christi etiam malis Angelis domicilium assignaret in cœlo, verbis istis; *Ea quæ in cœlis, & personæ sunt, sunt Angeli, iique tam boni quam mali.* Non poteramus, ex ductu & serie antecedentis mataeologiæ *Smalcii*, somniare, ipsum loquentem de necessitate Ascensionis Christi in cœlum (illud, quod asserebat distinctum à cœlo quod cum terra conjunctim nominatur, quandocunque per cœlum & terram, tota creaturarum divinarum aspectabilium machina significatur: & in quo, antequam cœlum aspectabile crearetur, dictabat, omnes Angelos exstitisse & non tantum exstitisse, verum etiam jam bonam eorum partem lapsam & dignitate sua privatam fuisse) ut in cœlo habitaret, qui in ea quæ in cœlis sunt regnaret, de cœlo alio loqui, in quo non habitaret nec præsens esset, ex mente ipsius, Christus.

II. Nunc in progressu videmus, ex vi veritatis hoc expressum *Smalcio*, quod alium facit locum, in quo nunc degunt Diaboli, à loco isto ubi antea degebant & ex quo dejecti sunt: & designat aërem, qui respectu prioris loci, sit tamquam tenebræ. Et linguam mutat, sic disputans: *In potestate ista quam Christus in cœlo habet, contineri etiam potestatem ejus in Diabolos. Hi enim sunt procul dubio personæ, ut Angeli boni, & in cœlo etiam esse dici possunt.* Ubi antea dixerat, *In Cœlo sunt*, nunc dicit, *In cœlo esse dici possunt*; & rationem istam subjicit: *Quia sunt in aëre, qui etiam cœlum dicitur.*

III. Si ergo aerem tantum intellexit, per cœlum illud, in quo sunt Angeli tam boni quam mali, (absente ex hypothesi Christo, qui Cœlo illi summo in quod ascendit est ὑψηλότερος, unde mali Angeli dejecti sunt in Aërem) male cohærentia loquutus est, ludens in nominis *cœli* æquivocatione. Nam saltem, propter Regnum super illos qui in Aëre degunt, ex cœlo summo dejecti, non necesse erat Christum in cœlum illud summum ascendere.

IV. Enimvero hoc videtur, ad μεθοδείαν τῆς πλάνης, voluisse occultare sub nominis cœli πολυωνυμίᾳ; ut Regnum super Diabolos stabiliret Christus, qui in aëre scilicet degunt, ex illa causa necessariam fuisse Ascensionem in summum cœlum, ut ex illo mittere posset Angelos bonos, ac efficere ut in Aëre essent tam boni quam mali Angeli, & per bonos regnare super malos: atque sic habere etiam suæ in Aëre absentiæ solatium, per vicariam bonorum Angelorum præsentiam, similiter ut in terra.

V. Interim miramur, non exhibuisse ipsum τὸ ῥητὸν loci in margine adnotati *Eph.* VI. 12. τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: (quod in Translatione Germanicâ Racoviensi 1630. versum est, die geistliche boßheiten in den Himmel / adnotato in margine Hellenismo, die geistliche der boßheit in den Himlischen) neque munivisse se consensu plurium hodie

 die

die interpretum, qui ex collatione loci *Eph.* II. 2. & ex eo quod aves nominantur *volucres Cœli Matth.* VI. 26 & alibi, censent τὰ ἐπουράνια *Cœlestia loca*, exponendum, & intelligendum aërem.

VI. Verum (si nulla est conjectura variæ lectionis, qua legamus ἐν τοῖς ὑπουρανίοις, quam suggerit *Syrus* Interpres, qui vertit דתחות שמיא quod expressum versione *Lutheri* Germanica, qui vertit Unter dem Himmel/ quæ conjectura etiam *Bezæ* adlubescit) nihil incommodi habet, ut sequamur Græcos interpretes, qui, ut adnotat *Camerarius*, id absurdum rati conjungere cum spiritibus malis, illud ἐν τοῖς ἐπουρανίοις retulerunt καθ' ὑπέρβατον ad superiora. Audiamus *Theophylactum*; περὶ μεγάλων γὰρ, φησιν, ὁ κίνδυνος, οὐ περὶ ἐπιγείων καὶ φθαρτῶν, ἀλλὰ τῶν ἐπουρανίων. Τὸ γὰρ, ἐν, ἀντὶ τοῦ, ὑπὲρ, ἐστι, καὶ τοῦ, διὰ: ὡσεὶ ἔλεγε, διὰ τὰ ἐπουράνια πολεμοῦμεν &c. *De magnis, inquit, periculum: non enim de terrestribus & corruptibilibus, sed de cœlestibus res agitur. Præpositio enim* [in] *est pro, super, vel propter: ut sit sententia, propter cœlestia belligeramus.* Præpositio (ἐν in) analogia illa, occurrit non semel: V. G. ἐν τούτῳ τῷ μέρει, *hac in parte* 2 *Cor.* IX. 5. 1 *Pet.* IV. 16. Ne quis ergo vos judicet, ἐν βρώσει, ἢ ἐν πόσει, ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς, *ob cibum, vel ob potum, vel in parte*, (id est ob neglectum) *diei Festi &c. Col.* II. 16

VII. Christo Diabolos subjectos esse, non repugnamus ut confirmetur, ex loco *Phil.* II. 10. verbis illis; *Ut ad nomen Iesu omne genu se flectat, cœlestium & terrestrium, & subterraneorum:* & nobis plane est, non verisimile tantum, sed persuasissimum, Paulum, dum eos enumerat, in quos Iesu Christi potentia extenditur, non omisisse ipsos Diabolos. Et jam à nobis dictum *Disp.* I. *Thesi* XVIII. & XIX. intelligendos, tripertita illa enumeratione, qua homines, qua Angelos, qua bonos qua malos, ubivis locorum sine exceptione omnes.

VIII. Per nos ergo licet, ut per *subterraneorum genu*, Diaboli intelligantur, & ii qui mortui sunt: & ut conferatur hic locus *Rom.* XIV. 9. ubi dicitur, *Iesum Christum viventibus & mortuis dominari.* At de ratione appellationis, quando subterranei appellantur Diaboli, hæc est inter *Smalcium* & orthodoxos dividia: quod nolit ille, notari locum in quo nunc degunt, sed hoc tantum, quod subterraneis locis vel inferno sint destinati.

IX. Nec sincere aut serio pronunciat *Smalcius*, mortuos etiam Christo Domino subjectos esse; & latet dolus in schemate dictionis suspenso, si, inquit, *per subterraneos intelligere quis velit eos, qui mortui sunt, & statuat eos etiam Christi domino subjectos esse, & tandem illud agnituros.* Nullam relinquit in præsens mortuis conscientiam seu agnitionem Domini Christi; sed agnituros tandem dicit, scilicet demum in Resurrectione mortuorum. Interim censet mortuos non existere; consequenter, nullum esse in mortuos Regnum aut Dominium Christi, nec in corpora ipsorum nec in animas, in cœlo aut sub terra, donec illos re producat ex inferno Non existentiæ.

X. Miscet autem cœlum terræ, eo quod opinionem facit liberam, Diabolos intelligendi, vel per subterraneorum genu, vel per cœlestium genu, in loco *Phil.* II. Neque paradoxon suum illud, Diabolos appellari potestates

&

& dominationes cœlestes, ullo pacto confirmat, ex eo quod certum sit eos etiam potestates & dominationes appellari. Neque Diabolos Christo subjectos esse, directè testantur loci illi, in quibus affirmatur, potestates & dominationes cœlestes subjectas esse.

XI. Enimvero desideramus doceri, quinam sint loci illi, ex quibus illam consequentiam nectit *Smalcius*: si enim spectat loca *Capite antecedenti* indicata *Eph.* I. 20. 21. *&c.* & 1 *Pet.* III. 22. in iis nulla quidem est expressa mentio potestatum & dominationum cœlestium. Adeoque nihil efficitur ultra, quam Diabolos etiam potestates & Dominationes appellari, & Christo subjectos esse; quæ sunt ἰσοδύναμα.

XII. Similiter nemo negabit, id quod ex locis quatuor adnotatis confirmat, Diabolos etiam appellari principes in aëre vim suam exercentes, & unum ex illis Spiritibus impuris primarium, Principem & Deum mundi à Christo & Apostolis cognominari, Nimis tamen prodiga est illa largitio, qua dicit *Smalcius*, certum esse eos potestates & dominationes *Esse & appellari*: hoc est illis tribuere jus in nomen & in rem, cum nihil ultra sint tam boni quam mali Angeli, quam λεγόμενοι θεοὶ & λεγόμενοι κύριοι 1 *Cor.* VIII. 5. *dicti Dii, & dicti Domini.*

XIII. Etsi autem appellationes istæ & cognominationes quoad bonos & sanctos Angelos dicant jus in nomen Dei & Domini, propter ordinatam sub Deo atque illis à Deo delegatam præfecturam & potestatem, ut sine catachresi, legitima sit appellatio: tamen quoad malos Angelos secus se res habet; ut ne quidem per illam, quæ consignificatur, divinam gubernationem & ordinationem arcanam, qua in ordinem coguntur, sit ipsis quæsitum jus in nomen, nedum in rem, sed magis exprobretur cognominatione ista usurpatio nominis illegitima, & θεήλατος Mundi excœcatio, in sua δεισιδαιμονίᾳ, qua fraudant Deum nominis sui gloria.

XIV. Inter Diabolos gradus esse & differentias, adeo ut quidam sint quasi subditi, reliqui regnent, nolumus inficiari. Sed neutiquam sincera sunt, ex mente *Smalcii* intellecta ista, omnes quotquot & quanti sunt Christi Dominio subjectos esse: quia, Deus eos Christo regendos tradidit. Sunt enim Smalcii hypotheses, quas hic intendit, istæ; Christum reformasse thronos malorum Angelorum, & per reformationem illam, in malos Angelos dominari, ut in novam creaturam suam, pariter ut in Angelos bonos, quorum similiter mutavit politiam & Hierarchiam. Vide *Smalcii Refut. Smiglecii, ad* Nova *Monstra pag.* 226. *& de Verbi incarnati natura pag.* 76.

XV. Tam ergo sacerrimam illam Diabolorum Hierarchiam, quam Hierarchiam Angelorum sanctorum, facit, novam creaturam ἐν τοῖς ἐπουρανίοις in cœlis, quam novæ creationis jure Deus voluerit Christo Domino subordinatam esse. nova monstra hæc; jungentur sic gryphes equis: & fit συμφώνησις Χριστοῦ πρὸς Βελίαλ, *concentus Christi & Belial* in denominatione novæ creaturæ, à Christo creationis auctore.

XVI. Nos sacerrimam illam Hierarchiam Diaboli & Angelorum ejus, sub uno Principe suis legionibus distinctam, & in præfecturas divisam habe-

 mus

mus pro tyrannide, rebellium conspiratione invecta, ad exercendum inimicitias contra Christum & Ecclesiam ejus, quam proinde ut sibi ἀνίκανον, non potuit nec voluit Christus facere novam creaturam: sed per novam creationem Ecclesiæ suæ effecit παλαιωμένην καὶ γηράσκουσαν, ἐγγὺς ἀφανισμοῦ, ut antiquata & senio confecta prope esset abolitioni; juxta analogiam nomenclaturæ veteris & novi, quam docet Apostolus. *Heb.* VIII. 13.

XVII. Enimvero quia ὀνομίας ἀδικίας sunt throni seu sublimitates illæ diabolorum, & nova creatura à Christo condita, atque ea propter thronorum istorum Hierarchia Diabolica intelligi non potest in Pauli sermone *col.* 1. 16. concludimus, loquutum esse Paulum, de Angelorum prima, ante Diabolorum apostasiam, creatione, per quam primum cuncti in cœlo extiterunt throni, dominationes, Principatus, & potestates cœlestes: cui primæ creationi nihil in Angelis bonis successit, quod reformationem aut novam creationem flagitaret, neque Angelos malos dignatus est Deus reformatione aut nova creatione ulla: quam invitâ Scripturæ analogia *Smalcius* de utrisque comminiscitur.

XVIII. Miscet etiam isti suo commento, de Hierarchiæ Angelicæ & Diabolicæ novâ creaturâ, alterum mysterium Scripturarum Analogiæ contrarium; Deum Christo dedisse nunc quidem regendos Diabolos, sed tandem delendos: intelligit annihilandos diabolos, peracto ultimo judicio, una cum impiis qui tunc vivi erunt. Est enim hoc ἀντιλέξει scholæ Socini dogma, in *Compendiolo*, jam supra citato: *Negant cruciatus impiorum & diabolorum duraturos esse in æternum, verum omnes simul & penitus abolendos.* De hoc impietatis mysterio infra erit dicendi locus, ad *Caput* XXII.

ELENCHI SECTIO II. DISP. LVI.

Videri vult *Smalcius* recensere modos, quibus Christus Diabolis imperat, & multiplicem potentiam etiam, quâ eos refrænat & reprimit. At initio quidem nihil commemorat præter officium quod faciat Christus veri & divini Doctoris & Magistri, Diabolis sese opponendo per ministros verbi sui: qui, contra eorum suggestiones mendaces, & tentationes ad errores exitiales & impietatem, suggerant salutaria monita & celeusmata, quorum meditatione ipsi sibi caveant ab imposturis Diaboli.

II. Atqui veri & divini Doctoris & Magistri officium facere, non est Diabolis imperare majestate Regia, eosque potenter refrenare & reprimere. Et eo pacto pacto loquitur *Smalcius* male cohærentia, quandoquidem initio *Capitis XIII.* transitionem ad Munus Christi Regium, verbis istis complexus est; *Absolutis igitur omnibus quæ ad munus Christi Propheticum pertinere credimus &c.*

III. Nos equidem, ex nostræ fidei analogia, credimus Christum etiamnum in cælis implere munus Propheticum, seu Doctoris & Magistri officium, eique subordinatum esse ministrorum Verbi officium, sicut in diebus car-

carnis, sed docentes & discentes illuminet infuso in mentes eorum Spiritu Sancto.

IV. De Spiritu quem infundit Christus in mentes credentium, & de sapientia & vigilantia quam largitur iis quorum curæ fideles suos commisit, tantum verba dat *Smalcius*. Cave enim credas *Smalcium* agnoscere personam Spiritus Sancti, ut Deum Fidei & Spei, habitantem in cordibus fidelium, ut in templo suo, eosque imbuentem & sanctificantem donis spiritualibus: secus enim se explicuit supra *Capite VIII. de Promisso Spiritus Sancti.*

V. Quamvis autem phrasi illa Scripturæ ad quam alludit *Smalcius*, dicens, *Spiritu oris sui Dominum Iesum percutere omnem Diabolicam potentiam*, alicubi videatur etiam contineri, dissipatio mendaciorum & stratagematum Satanæ, per verbum veritatis prædicatum, V. G. quando dicit Apostolus 2 *Thess.* II. 8. *Et tunc retegetur impius ille, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui.* Non est tamen iste solidus in verba Apostoli commentarius; Dominus illum conficiet per ministros verbi sui, destructo mendacio.

VI. Verum Spiritus oris Christi quo impium illum conficiet vel maxime significat τὸ ῥῆμα τῆς δυνάμεως, verbum omnipotentiæ Christi, quo vindicat Verbi prædicati contemptores, & seductores, atque hostes veritatis quoscunque, ut verus Deus & Judex universi. Quod confirmat collatio locorum *Esaj.* XI. 4. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*, *cum Apoc.* XIX. 15. 20. 21.

VII. Neque solo verbo prædicato ejusque celeusmate, neque exemplo Domini Jesu Christi (citra Verbum potentiæ Christi divinæ efficaciter intus operans in salvandis) efficitur, ut omnes tentationes Sathanæ illi superent, & victores tandem evadant. Neque per victoriam illam credentium demum, regnum Christi super Diabolos fundatur; sed quod fundatum fuit à principio in ipso primæ creationis jure, & potenter vindicatum Christo, per contritum serpentis caput, in morte, & mortem consecuta exaltatione, exsequitur Christus, *Satanam etiam conterendo sub pedibus credentium. Rom* XVI. 20.

VIII. Ultra seductiones & tentationes Diaboli, quibus mentem infestat, etiam coerceri divino Christi imperio persecutiones & afflictiones à Diabolo excitatas quibus Christianorum corpora impetit, quis negat? Verum coërcitionem illam negamus pendere, vel in minimis casibus, ab ipsorum cautione & diligentia, quæ ultra verbum promissæ vitæ æternæ non indigeat semper singulari Christi auxilio: ut si quid illis interdum adversi accidat, pœnas suæ dent negligentiæ, quod absque singulari Christi auxilio caveri illud potuisset, si cauti fuissent. Negamus vel minimas adversitates à fidelibus caveri posse absque singulari Christi auxilio. Et ubi coërcendus est Diabolus, credimus flagitari immediatam exsertionem roboris potentiæ Christi regnantis, qua potest sibi etiam subjicere omnia; sive adhibeat Angelorum bonorum ministerium, sive non, ad ipsum ligandum.

IX. Quæ porro *Smalcius* facit lemmata, ἐξαγώνια sunt. 1 Christum probare fide-

fideles per diabolos immissis afflictionibus. 2 Christum fideles per Diabolos castigare. 3 Christum per Diabolos homines impios punire. At non impetrat assensum; primo quidem in commentario, quem dictat ad locum 2 *Cor.* XII. 7. de stimulo carnis, intelligi debere perpetuas afflictiones, quibus Paulus Christi causa expositus erat: & in verbis Pauli idem esse Infirmitates *versu* 9. 10. quod stimulus ille ei datus *versu* 7. quin Dominum Jesum, id quod Paulus stimulum carni inditum appellat, gratiam suam & favorem appellare.

X. Differunt omnino perpetuæ afflictiones, quibus Paulus Christi causa expositus erat, & in genere nominatæ *infirmitates*, ab isthic commemorato *stimulo carnis & colaphis Satanæ*, ut universale & particulare. Et Stimulus carnis, ac colaphi Satanæ, non possunt non intelligi de extra ordinem immissa Paulo, post raptum in tertium cœlum, infernalis Spiritus vexatione, quæ corpus Pauli affligebat, per intervalla rediens, ut solent colaphisationes.

XI. Infirmitates vero nominavit Apostolus, uno complexu, & afflictionem illam, aliasque similes, &, quæ in illis se exserebat, & quam experiebatur ipse, imbecillitatem virium suarum, citra singulare Dei auxilium, quo sustentabatur. Singulare illud auxilium Gratiam suam & favorem, in infirmitate perficienda, appellavit Christus: quæ proinde Gratia, non potest esse id quod Paulus stimulum carni inditum appellat; sed omnino sunt ista duo contrarie opposita, eo pacto, ut à Gratia reprimeretur illa carnis infirmitas, per quam alias stimulo isti & colaphis succubuisset Apostolus.

XII. Tandem, neque in eo assentiri possumus *Smalcio*, quod Apostolis data potestas illa, de qua gloriatur Paulus 2 *Cor.* XIII. 10. & qua quosdam homines Satanæ tradidisse se affirmat, ut discerent non blasphemare 1 *Tim.* 1. 20. sita fuerit in eo, quod jus habuerint Diabolo imperandi, ut eos affligeret & cruciaret, qui perverso animo se Christo opponebant. Credere enim malumus, Deo seu Christo ipsi reservatam illam potestatem diabolo imperandi: traditionem vero in manus Satanæ, in locis indicatis, excommunicationis legitimâ praxi definiendam, in qua impii conscientia percellitur denunciatione illa, quod exclusus è regno cœlorum, necesse habeat transire in potestatem Satanæ.

XIII. Neque exempla virtutis Apostolicæ, qua miraculose nonnulli vel recta valetudine, vel etiam ipsa vita, privati fuere *Act.* v. 5. 9. & XIII. 11. demonstrant, (neque operationi miraculorum Apostolicæ, pie id tribuitur) quod exciverint ad miraculi apotelesma diabolum; ut, quod illis patrandum erat mandato Christi, ipsorum mandato efficeret diabolus. Absit ab Apostolis illud cum Diabolo commercium.

CAP.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM

DE

Christi regno in res cœlestes.

ABsoluto igitur eo, quod ad ostendendum Christi regnum & potestatem divinam, quam in personas, quæ sunt in cælo, habet, pertinet: nunc videamus, quænam ea sint, quæ in cœlis sunt, in quæ Christus potestatem absolutam & divinam habet, & tamen non sunt personæ. [a] *Ea vero possunt duplici modo considerari. Nam aut in Deo naturaliter resident: aut ab eo creata sunt. Quæ in Deo naturaliter resident, sunt Spiritus Dei S., & omnia illius Spiritus sancti dona, quibus homines à Deo sanctificantur. Horum omnium Iesum Christum Dominum esse absolutum, S. testantur literæ.* [b] *Christus enim is est, qui, ut Iohannes Baptista prædicabat, baptizaturus erat Spiritu S. & igni: qui dextera Dei exaltatus, accepit à Patre promissionem Spiritus S. hoc est, donum sibi promissum, nempe dandi Spiritum sanctum, quod antea nondum extabat, dum Iesus nondum esset glorificatus.* [c] *Effudit autem primùm illud plusquam miraculosum donum, in primos illos Euangelii præcones, quod die Pentecostes à multis visum fuit: & cujus afflatu Apostoli, qui antea adeo rudes erant, ut pauca eorum, quæ Dominus Iesus dicebat, intelligerent, & adeo infirmi, ut panico terrore perculsi, omnes à Domino diffugerent; & unus eorum Dominum etiam abnegaret; tantam deinde consecuti sunt sapientiam, ut nihil eis, ad perfectam, quali scilicet ad salutem æternam necessaria est, Dei & voluntatis ejus cognitionem, defuerit. Potentia vero & virtute tanta confirmati fuere, ut ne gravissimæ quidem afflictiones, & mors horribilissima terrori eis fuerint. Quod enim ad sapientiam attinet, impleta tunc, sunt illa verba Iesu Christi:* Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem. (d) *Nam ea & tanta rerum divinarum cognitio Apostolis contigit, ut, loco ipsius Christi, negotium salutis in hoc mundo procurarint & promoverint* (e) *Et quemadmodum Christus, omnium in se credentium, & ipsorum etiam Apostolorum respectu,* (f) *fundamentum Ecclesiæ suæ est: sic Apostoli, aliorum credentium respectu, fundamentum ejusdem ecclesiæ evasere. Cujus deinde fundamenti, quod scilicet erant Apostoli, lapis angularis, hoc est, conservator & sustentator fuit Iesus Christus. Ideo enim D. Paulus ait, Christianos esse ædificatos supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum; cujus lapis angularis est Iesus Christus* (g) *cum Apostolis conjungens etiam Prophetas novi fœderis, qui scilicet primi erant ab Apostolis. Nam de his sermonem esse in loco citato,* docet

(*a*) Res cœlestes quotuplices. (*b*) Christi regia potestas in Spiritum S. Matth. III. 11. Act. II. 33. Joh. VII. 39. (*c*) Spiritus S. effusio in Apostolos. Act. II. 2. (*d*) Joh. XVI. 13. (*e*) 2 Cor. V. 18. (*f*) 1 Cor. III. 11. (*g*) Eph. II. 21.

docet primum id, quod prius collocantur Apostoli, quam Prophetæ. Si vero de Prophetis veteris Testamenti sermo esset, procul dubio eos Paulus prius collocasset, quam Apostolos, ut videmus D. Petrum, de Prophetis veteris fœderis, & Apostolis novi fœderis loquentem, (h) *fecisse. Deinde ex eo etiam illud idem constat, quód Prophetæ veteris fœderis, fundamentum ecclesiæ Iesu Christi esse, non possunt. Quia scilicet multo minus cognitionis voluntatis divinæ habuerunt, quam Christiani. Cupierunt* (i) *enim Prophetæ videre, quæ viderunt discipuli Christi, & audire, quæ audiverunt illi: & tamen ea nec viderunt, nec audierunt. Et, ipso Iohanne Baptista, qui omnium Prophetarum maximus erat, major est* (k) *minimus in regno cœlorum, hoc est, quilibet Christianus. Respectu autem solius rerum divinarum cognitionis, Apostoli & Prophetæ illi, de quibus Paulus loquitur, fundamentum fuere ecclesiæ Christi, quatenus scilicet doctrinæ illorum tantum tenetur tribuere ecclesia Iesu Christi, ut, quicquid ab illis profectum est, pro infallibili fidei norma habeat. Hoc vero totum effecit in illis Spiritus ille sanctus, quo ab ipsa ascensione, & ab initio regni Christi, donati fuerunt. Quod ad potentiam & virtutem attinet, scimus, eos variis modis afflictos, captos, ligatos, cæsos fuisse: & tamen, nedum ut ideo veritatem Euangelicam abnegarint, quin imo legimus, eos animo intrepido ista omnia pertulisse, & martyria etiam omnes fere, Christi causa, perpessos esse. Præter hæc omnia, singularis quædam & miraculosa data eis fuit sapientia, omnes linguas loquendi & intelligendi: singularis etiam potentia miracula tanta faciendi, qualia nec ipsum Iesum Christum fecisse legimus. Quorum omnium causâ dicitur etiam de Apostolis, eos habuisse primitias Spiritus,* (l) *nempe partem donorum Spiritualium, ut primam, sic etiam nobilissimam & præstantissimam.* (m) *Non minus autem in reliquos omnes fideles, Spiritus S. dona redundarunt, & largiter effusa sunt, ut D. Apostolus loquitur. Nam omnibus generatim, qui in Christum credebant, data fuit potestas, & miracula faciendi, & variis linguis loquendi, & nihil non faciendi, quod ad illustrandam Christi doctrinam spectaret, de quo peregregie disserit Apostolus, dum ait:* Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum; alteri autem fides in eodem Spiritu; alii autem gratia sanationum in eodem Spiritu; alii operatio virtutum, alii autem Prophetia, alii discretio Spirituum, alii vero genera linguarum, alii autem interpretatio linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. *Et horum donorum tanta fuit abundantia, ut Apostolum oportuerit, de illorum recto usu, non pauca ad fideles scribere.* (o)

Præterea omnibus & singulis, quicunque Iesu Christo confidebant, datus fuit ille Spiritus sanctus, adeo, ut si fortasse per errores à veritate eos seducere voluisset Diabolus, satis habuerit dicere D. Iohannes: Unctio, quam habetis, docebit vos omnia. (p) *Rursus, cum Christi causa aliquid adversi ferendum fuit, infirmitatibus* (q) *eorum Spiritus ille succurrit; &, cum jam plane defecturi videbantur, novas vires*

(*h*) 2 Pet. III. 2. (*i*) Matth. XIII. 17. (*k*) Matth. XI. 11. (*l*) Rom. VIII. 25. (*m*) Spiritus S. dona in Ecclesia Christi. Tit. III. 6. (*n*) 1 Cor. XII. 7. 8. 9. 10. 11. (*o*) 1 Cor. XIV. (*p*) 1 Joh. II. 27. (*q*) Rom. VIII. 27.

vires eis addidit, ut omnia superare potuerint; & cum coram [r] *magistratibus, principibus, & regibus sistebantur, suppeditavit eis Spiritus ille sapientiam, cui nemo resistere poterat. Quod, in primo martyre* [s] *Domini Iesu impletum esse, videmus. Quæ etiam Spiritus S. efficacia in hodiernum usque diem perpetuo durat: quemadmodum ipsa fides in Iesu Christo collocanda, & sanctissima ejus religio durat. Itaque Christus, religionis suæ, ut primus autor est, & unus ejus conservator: ita etiam hujus singularissimi Dei doni, absolutus Dominus & distributor est. O quam divinum etiam proinde eum esse, & vere in cœlo, divino modo, regnare oportet, qui tanti doni perpetuam & absolutam potestatem habet.*

[t] *Sed, hoc ita breviter indicato, restat ut aliquid addamus de iis rebus, quæ in cælo existentes, personæ non sunt, & à Deo creatæ sunt: qualia sunt, ipsum cælum, & omnia, quæcunque in sublimi hoc aëre à Deo posita sunt, Sol, Luna, stellæ, venti, elementa, nives, grandines, fulmina, tempestas, serenitas, &c. Hæc enim omnia in cælo aliquo modo, & ad cælum referenda esse, res ipsa docet. In hæc igitur omnia, nos quidem credimus, Iesum Christum absolutam & divinam habere potestatem. Quod tamen non ita accipiendum esse putamus, ac si hoc muneris sit Iesu Christi regis; & quod ideo in cælos ascenderit, ut cælum, & ea quæ in cælo fiunt, ordinarie gubernet, & efficiat, ut, exempli causa, Sol oriatur, tempestas fit vel serenitas, vel tale quid fiat. Hoc enim credimus Dei Patris opus esse. Is eorum omnium, ut creator est, sic conservator etiam & gubernator est. Nec ad id, ut dici possit, Christum Iesum habere divinam potestatem illorum omnium, necesse est, ut quotidie & perpetuo ea gubernet: sed satis est, eum, quandocunque opus est, posse illis uti pro libitu suo. Quod quidem tam certum esse debet, ut, qui ea de re dubitet, multum Iesu Christi dignitati detrahat. Posset Iesus Christus, si ita opus esset, & gloria illius, vel Dei, vel etiam salus hominum id requireret, Solem continere in medio cursu: quemadmodum Deus fecit tempore* [u] *Iosue. Potest serenitatem concedere: potest tempestates immittere, quandocunque eis opus est; & possunt etiam fideles ejus, si accidat, ut istarum rerum cælestium ope indigeant, ad ipsum Christum preces suas, earum consequendarum causa, dirigere. Quid enim, Si in Angelos absolutam & divinam habet Iesus Christus potestatem, cur non in ea omnia, quæ angelis tanto sunt inferiora, quanto inferior est res inanimata animata? Si in homines potestatem habet absolutam & divinam, cur non in ea omnia, quæ hominum causa creata sunt? O regem Christianorum vere divinum, qui tantam in cælo super omnia potestatem habet.*

[*r*] Matth. x. 21. [*s*] Act. vi. 10. [*t*] Christi regia potestas in cœlum ipsum, & omnia quæ in eo sunt. [*u*] Jos. x. 12.

ELENCHUS CAP. XVIII. DISP. LVII.

INitio fallit transitio ista, qua *Smalcius* aït, se absolvisse id quod pertinet ad ostendendum Christi regnum & potestatem divinam, quam habet in personas, quæ sunt in cœlo. Pertinebat omnino ad regnum Christi cœleste in personas, Ecclesia hominum in cœlis Triumphans, quam constituunt Animæ mortuorum à corporibus separatæ; circa quas commemorandum

randum fuerat *Capite* XIV. illud Angelorum ministerium, circa Lazarum mortuum expressum, istis Euangelistæ verbis; *Factum est autem ut moreretur mendicus, & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, *Lucæ* XVI. 21.

II. Flagitat mansionem Animarum in cœlis, post mortem corporum, Christi illa asseveratio, facta Latroni converso, in cruce pendenti, mox exspiraturo; *Amen dico tibi, hodie meum eris in Paradiso. Luc.* XXIII. 43. Nec non assertio Apostoli, qua in cœlesti Hierosolyma collocat *conventum & concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis, videlicet Spiritus justorum consummatorum*, ut concives Angelorum sanctorum. *Heb.* XII. 22. 23. Item, visæ Johanni *sub Altari Animæ eorum qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter testimonium quod tuebantur. Apoc.* VI. 9.

III. Flagitat idem spes, exspectatio & desiderium Fidelium, qui, post peregrinationem in terris, desiderant, sperant, & exspectant, Urbem & Patriam cœlestem *Hebr.* XI. 10. 13----16. 2. *Cor.* V. 1. 2. in qua *sint cum Christo. Phil.* 1. 23.

IV. Has mortuorum fidelium Animas, si, morosiori disquisitione Philosophica, non licet aut Homines aut Personas vocare: (cum tamen maneant ipsis ex Scripturæ analogia propria personarum nomina v. g. Abrahami, Isaaci, Jacobi) tamen nefas est illas, ut non Entia, nec personis nec rebus quæ in cœlo sunt accensere, & detrudere in infernum non existentiæ: quod *Smalcium* facere vidimus, nec parcere in eo ipsi Animæ Christi, quando ipse mortuus fuit. *Capite* XIII.

V. Post transitionem subdolam istam, à Personis quæ sunt in cœlo, in quas Regnum habet Christus, ad res cœlestes quæ non sunt Personæ, partitur eas res quæ in cœlis sunt, in quas Christus potestatem absolutam & divinam habet, hac διχοτομίᾳ; *Aut in Deo naturaliter resident, aut ab eo creatæ sunt. Quæ in Deo*, inquit, *naturaliter resident, sunt Spiritus Dei S. & omnia illius Spiritus Sancti dona, quibus homines à Deo sanctificantur. Quæ à Deo creata sunt, sunt*, inquit, *ipsum cœlum, & omnia quæcunque in sublimi hoc aëre à Deo posita sunt, Sol, Luna, Stellæ, Venti, Elementa, nives, grandines, fulmina, tempestas, serenitas &c.* Quâ similiter subdolâ partitione, peccatur primo eadem æquivocatione nominis cœlorum, quâ supra ludens in cœlis collocabat personas tam malorum quam bonorum Angelorum.

VI. Quâ æquivocatione discussâ in tertio summo cœlo rem nullam collocat, quæ non sit persona, præter Spiritum Dei sanctum, & omnia illius Spiritus Sancti dona, quibus homines à Deo sanctificantur. Adeo ut priori & principaliori sui membro titulus hujus capitis, resolvi debeat in hoc lemma; *De Christi regno in Spiritum Sanctum*: & ex scopo tractationis argumentum constitui, *Spiritum Sanctum non esse Personam, sed rem quæ naturaliter in Deo residet, nec tamen Deus ipse est*: breviter ergo, *nec Deum nec Personam divinam esse Spiritum Sanctum.*

VII. Mirabili porro confusione, dicit in Deo naturaliter residere Spiritum Dei S. & omnia illius Spiritus Sancti dona, quibus homines à Deo sanctificantur. Esto enim, ex hypothesi, Spiritus Dei sanctus res increata, in

Deo

Deo naturaliter residens, in cœlo: Dona tamen omnia illius Spiritus Sancti, quibus homines à Deo sanctificantur, erunt res creatæ, residentes in hominibus, per gratiam, in terram effusæ, seu in terra distributæ inter homines.

VIII. Neque si, ex illa eadem hypothesi, Dominium absolutum habet Christus in distributione omnium illorum Spiritus Sancti donorum, quibus homines à Deo sanctificantur in terra; propterea Dominium habet in Spiritum ipsum Sanctum, qui in Deo naturaliter residet.

IX. Quæ jam magnifica, de donorum Spiritus Sancti è cœlo effusione, Christo asserit *Smalcius*, ex testimoniis adnotatis *Matth.* III. 11. *Act.* II. 2. & 33. *Ioh.* VII. 39. illa nullam habent demonstrationem Regni Christi in Spiritum Sanctum ipsum: solidè vero demonstrant, Christum cum Patre & Spiritu S. esse unum verum æternum Deum.

X. Et ad ἐπισφράγισμα *Smalcii* vel hoc sufficit; quod elabi non potuit, sine monstrosissimo isto, quod hic legimus, Paradoxo, *regnare Christum in ea, quæ in ipso Deo naturaliter resident increata*, quamvis ipse non sit naturâ Deus, sed tantum naturâ homo & creatura. Quod Paradoxon si cogamur credere, cogemur & Scripturam & ipsam rectam rationem abjicere: utraque enim dictat, rem increatam, quæ in Deo naturaliter residet, esse ipsam τὴν θείαν φύσιν, Naturam divinam, quæ sine contradictione subjici non potest τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ Naturæ humanæ.

XI. Observandum etiam hoc est, (ipsa ista hypothesi, quod Spiritus Sanctus sit res increata in cœlo, in Deo Patre naturaliter residens) pro Trinitate Personarum, quam credimus secundum scripturas, obtrudi contra Scripturas credendam *Trinitatem* aliam, *rerum increatarum trium*; quarum prima est Deus Pat[illegible] altera Spiritus Sanctus in Deo Patre naturaliter residens, tertia Cœlum illud in quo habitat nunc cum Deo Christus, & Angeli: hoc enim Cœlum increatum & Deo coæternum esse, affirmantem audivimus *Smalcium*, *Capite* XVI.

XII. Porro notandum, velit nolit, asserere *Smalcium* Spiritui S. (eo ipso quod Spiritum Sanctum facit rem increatam naturaliter in Deo residentem) existentiam æternam, seu Æternitatis attributum divinum: cujus alias demonstrationi orthodoxæ obloquuntur *Socinus* & asseclæ ejus ex *Act.* XIX. 2. & *Ioh.* VII. 39. Quem posteriorem locum hic *Smalcius* sic interpretatur, ut sarta tecta saltem maneat æterna Spiritus Sancti in Patre existentia, quamvis monstrose exposita. Illa enim verba, *nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, exponit de promissa Christo facultate, dandi Apostolis, seu in illos miraculose effundendi, Spiritum Sanctum: quod scilicet *donum Christo promissum dandi Spiritum Sanctum antea nondum exstabat, dum Iesus nondum esset glorificatus.*

XIII. Enimvero castigandum etiam hoc, quod Christo potestatem dandi Spiritum Sanctum tribuit, tantum ex dono ante promisso, & demum accepto in exaltatione, post Resurrectionem ex mortuis. Nam etiam, qui veteris Testamenti Prophetis datus, seu qui illos inspiravit, Spiritus Sanctus,

ctus, dicitur τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ προμαρτυρόμενον, *qui in ipsis erat Spiritus Christi praenuncius*. 1 *Pet*. I. 11. Ut testimonium ipsius fuerit τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας *Spiritus Prophetiae*, quo acti scilicet Prophetae praedixerunt futura. *Apoc*. XIX. 10. Adeo ut in domo Dei, in qua servierunt Moses & Prophetae, Christus praefectus esset illis, ut Filius, qui ipse domum construxerat, Deus ipse. *Hebr*. III. 3. 6.

XIV. Exinanitioni autem voluntariae hoc tribuendum κατ' οἰκονομίαν quod, citra Ascensionem Christi gloriosam, in Apostolos gloriose effundi non potuit miraculosum illud donum Spiritus Sancti *Ioh*. XVI. 7. neque plena esse in Christo credentium consolatio per Spiritum Christi, de consummatâ, plene perfecto jure, ipsorum adoptione in Filios Dei.

XV. In effuso autem super Apostolos, & die Pentecostes à multis viso, plusquam miraculoso dono, visibile illud εἶδος σωματικὸν seu species corporalis, videlicet *dispertitae linguae instar ignis, sedentis super unumquemque eorum*; nec non assistens illa ἐνέργεια, qua *loquuti sunt, prout Spiritus ille dabat eis eloqui*, *Act*. II. 3. 4. invictam habent demonstrationem, efficaciter operantis Personae Spiritus Sancti divinae. De donata enim Apostolis sapientia ipsisque infusa, citra assistentem Personam, solide ista explicari nequeunt; & evidentior est assertio haec nostra, collatione illustris promissionis à Christo factae *Marc*. XIII. 11. & locis parallelis; *Quum autem vos traditos duxerint, ne ante soliciti estote quid dicturi sitis, neque meditamini: sed quidquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini: non enim estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Sanctus*. Haec nullo schemate verificari possunt, si Spiritus sanctus non fuit Persona Apostolis assistens, illo momento quo loquebantur, ipsosque sua consolatione roborans intus, & sermonem ἀπόφθεγμα gubernans, & dirigens in veritate, ne quid excideret non praemeditatis, in quo fallerentur aut fallerent.

XVI. Minime ergò consentaneum est (sine assistente persona Spiritus Sancti) sola infusa sapientia & cognitione rerum divinarum, & in ipsis confirmata potentia & virtute, Apostolos loco ipsius Christi negotium salutis in hoc mundo procurasse & promovisse. Neque id ex 2 *Cor*. v. 18. confirmatur.

XVII. Contrarium omnino professi sunt ipsi. *Habemus*, inquit Paulus, *thesaurum hunc, in vasis testaceis, ut eminentia virtutis, sit Dei, & non ex nobis* 2 *Cor*. IV. 7. Item; *Non quod idonei sumus ex nobisipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus id ex Deo est*. 2 *Cor*. III. 5. *Spiritus una sublevat infirmitates nostras; quid enim precemur ut oportet non novimus, sed* αὐτὸ τὸ πνεῦμα *ipse Spiritus interpellat pro nobis*, *Rom*. VIII. 26. Quae loca loquuntur, (praeter miraculosam & extraordinariam illam, etiam ordinariam) omnibus, seu verbi ministris seu fidelibus, necessariam, assistentiam personae Spiritus sancti: qui ut testis unâ testificans cum Spiritu nostro, distinctè commendatur. *Rom*. VIII. 16.

XVIII. Neque quidquam Apostoli promovere se potuisse agnoverunt, in negotio salutis in quo pro Christo legatione fungebantur, magis quam in agri-

agricultura, *qui plantat vel qui rigat, nisi Deus daret incrementum.* 1 *Cor.* III. 5. 6. 7. Et coluerunt Ecclesiæ Apostolicæ eo nomine personam Spiritus sancti, ut messis Spiritualis Dominum, ipsi sistentes, cum precibus & jejunio, operarios quos ipse mitteret in messem: quod singulari exemplo factum legimus, Spiritus sancti mandato, in missione Barnabæ & Pauli *Act.* XIII. 1. 4. Neque alio quam ad Personam Spiritus sancti, ut messis Domini, referri etiam illud potest, quod *Act.* VIII. 29. edixit Spiritus Philippo, *ut se adjungeret ad currum* Æthiopis Eunuchi reginæ Candacis: & quod, apud illum confecto negotio, *Spiritus Domini rapuit Philippum*, & localiter transtulit *Azotum. vers.* 39. 40. Et quod Paulus & Silas, *prohibiti sunt à Spiritu sancto loqui sermonem in Asia Act.* XVI 6

XIX. Aliena est hic & ἀπροσδιόνυσος diatriba *Smalcii* inserta, & testimonio Scripturæ, quod laudat 1 *Cor.* III. 11. torquendo comparata: *Et quemadmodum*, inquit, *Christus omnium in se credentium, & ipsorum etiam Apostolorum respectu, fundamentum Ecclesiæ suæ est; sic Apostoli, aliorum credentium respectu, fundamentum ejusdem Ecclesiæ evasere. Cujus deinde fundamenti, quod scilicet erant Apostoli, lapis angularis, hoc est conservator & sustentator, fuit Iesus Christus. Ideo enim*, inquit, *D. Paulus*, *ait*, *Christianos esse ædificatos supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Eph.* II. 20. Hausit ista ex Socini explicatione verborum Christi; *Tu es Petrus & super hanc Petram &c. Matth.* XVI. *ad calcem tractatus de Ecclesia* MDCXI. *Racoviæ excusi.*

XX. Apertus nimis est locus Apostoli 1 *Cor.* III. ubi *versu* 10. professus, se, secundum gratiam Dei sibi datam, ut peritum architectum posuisse fundamentum, ilico *versu* 11. pro solo Christo nomen Fundamenti contestatur, inquiens: *Nam fundamentum aliud nemo potest ponere*, παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός, *præter id quod positum est, qui est Iesus Christus.* Qua fronte jam, præter unum Jesum Christum, Paulum ipsum & alios duodecim Apostolos, dicemus evasisse ejusdem Ecclesiæ fundamenta?

XXI. Minus tolerabilis est hæc paradoxa Fundamentorum Ecclesiæ multiplicatio: neque distinctione illa (fundamenti quod erant Apostoli, & fundamenti quod est Christus, ut alterius fundamenti lapis angularis) excusabilis: quia ex hypothesi *Socini* & *Smalcii*, Apostoli ex quo mortui fuere, nulla potuerunt ædificii Ecclesiæ Christi pars, nedum fundamentum, censeri, nec in terra nec in cœlo, quippe, ut non entia, descenderunt in infernum non existentiæ: ut quantisper duratura est mors ipsorum, destructum sit illud fundamentum Ecclesiæ, atque illi prævaluerint portæ inferorum.

XXII. Nec præsidii quidquam est *Socino* aut *Smalcio*, in loco *Eph.* II. 20. ubi non dicitur, ὁ θεμέλιος οἱ Ἀπόστολοι, sed θεμέλιος τῶν Ἀποστόλων, non Apostoli ipsi Fundamentum esse, sed esse Apostolorum fundamentum, h. e. superædificati ipsi, suo ministerio superædificarunt alios: ad quam quidem loci rectam interpretationem, parum refert, conjunxeritne Apostolus Apostolis, Prophetarum nomine, Prophetas Novi Fœderis, qui scilicet primi erant ab Apostolis, an priores Apostolis Prophetas V. T.

XXIII. Veruntamen omnino censemus, Veteris Testamenti Prophetas Apostolum intellexisse, quando dixit *fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Nec ullius momenti est, ad hoc destruendum, id quod obtendit Smalcius; *Si de prophetis V. T. sermo esset, procul dubio eos Paulus prius collocasset quam Apostolos: ut videmus D. Petrum 2 Petr.* III. 20. *de Prophetis V. T. loquentem fecisse.* est enim ordo ille arbitrarius sermonis, ut attendatur modo prioritas temporis, modo prioritas dignitatis: tempore priores Prophetæ, dignitate priores Apostoli: sicut *plus quam Propheta* fuit Johannes Baptista, Christi affirmatione *Matth.* XI. 9 & *major Iohanne Baptista qui minimus in regno cælorum versu* 11. sicut hic ipsi *Smalcio* observatum.

XXIV. Largiemur illud lubentes, *quod Prophetæ V. T. Fundamentum Ecclesiæ Iesu Christi esse non potuerunt*: sed ea lege, ut neque Apostoli fundamentum Ecclesiæ esse possint. At utrique tamen posuerunt, ut à Deo edocti per Spiritum Sanctum architecti (quamvis impari cognitionis mensura illis distributa, ante & post Christum exhibitum) Fundamentum unum idemque, quod est Christus. Unde illud etiam explicandum. *Iesus Christus heri & hodie idem est & in secula. Hebr.* XIII. 8.

ELENCHI SECTIO II. DISP. LVIII.

ET apud illos quidem, qui credebant Mosi & Prophetis, de Messia venturo loquutis, in labores Prophetarum introierunt Apostoli, ut quod Prophetæ seminaverant ipsi meterent; juxta id quod ipsis dixit Christus *Ioh.* IV. 36. 37. 38. Ut ille unus superesset labor demonstrationis per Scripturas, *quod Iesus esset Christus ille Act.* XVIII. 28.

II. Ex vi veritatis est illud quidem, quod non vult Apostolos dici Fundamentum Ecclesiæ Christi alio respectu, quam *solius rerum divinarum cognitionis: quatenus scilicet doctrinæ illorum tantum tenetur tribuere Ecclesia Christi, ut quicquid ab illis profectum est, pro infallibili fidei norma habeat.* At non patitur Analogia Scripturæ, ut hoc nomine jus habeant Apostoli in nomen Fundamenti Ecclesiæ: hoc enim soli Petræ super quam fundatur, conveniens est, propter soliditatem & firmitatem in fundamento requisitam, ut vi sua immotum stet, ipsique tuto innitatur ex eo exsurgens moles ædificii spiritualis: quod illustravit Christus, per Antithesin ædificii, quod super Petram, & quod super arenam, exstructum est *Matth.* VII. 24--27. & per additam assertioni suæ, de ædificanda super se Petram Ecclesia sua, promissionem illam; *Et portæ inferorum non superabunt eam. Matth.* XVIII. 18.

III. *Lapis* autem *angularis* ἀκρογωνιαῖος Apostolo dictus est Christus *Eph.* II. 20. non respectu fundamenti alterius, quod scilicet erant Apostoli, ut Apostolorum docentium sustentator & conservator; sed respectu unitæ, in fundamento unico, Ecclesiæ utriusque & Veteris & Novi Testamenti; juxta ea quæ antecedunt *Eph.* II. 13 -22.

IV. Parum vero gloriosa Christo in cœlis regnanti, & effundenti in Apostolos Spiritum Sanctum, illa *Smalcii* interpretatio loci *Rom.* VIII. 23. hac

serie

serie verborum ingesta; *Præter hæc omnia, singulari quadam & miraculosa, data eis fuit sapientia, omnes linguas loquendi & intelligendi: singulari etiam potentia miracula tanta faciendi, qualia nec ipsum Iesum Christum fecisse legimus. Quorum omnium causâ, dicitur etiam de Apostolis, eos habuisse primitias Spiritus, nempe partem donorum spiritualium, ut primam, sic etiam nobilissimam & præstantissimam.* Rom. VIII. 23. Series & ductus verborum *Smalcii* flagitat, ut superarint Apostoli, sapientia docendi & potentia faciendi miracula, Christum ipsum, olim docentem et operantem miracula, in functione muneris Prophetici; atque habuerint partem nobiliorem & præstantiorem donorum Spiritualium quam habuit ante exaltationem Christus.

V. At non venit in mentem Apostolo, (verbis istis Rom. VIII. 23. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, *verum etiam ipsi primitias Spiritus habentes*) gloriari contra Christum in munere Prophetico olim versatum in diebus carnis, de nobilissima & præstantissima parte donorum spiritualium. Neque cogimur admittere, quod vulgo fit ab interpretibus, ut prius hoc καὶ αὐτοὶ idem sit cum eo quod sequitur καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ *nos ipsi*: quid enim vetat prius hoc in tertia persona interpretari? ut sit illa omnium credentium communis paraphrasis, *ipsi etiam qui primitias Spiritus habent*, à quibus mox fiat gradatio ad Apostolos, tertia persona in primam mutata; *Et nos ipsi*.

VI. Quicquid sit, sermo est de communi salute, quæ hic inchoata, in comparatione ad salutem in vita æterna consummandam, cum redemptione seu resurrectione corporis, se habet ut primitiæ ad plenam messem.

VII. De cætero, est ista quidem gangræna matæologiæ *Smalcii*, regnantem in cœlis Christum effecisse, se olim Magistro, sapientiores, & miraculis potentiores discipulos suos. Contra quam gangrænam necessarium est hoc antidoton; unum esse Christum, à quo (supra activitatem naturæ humanæ, vel suæ vel discipulorum, quæ tantum præstare potuit verbi & miraculorum ministerium, seu ante seu post exaltationem Christi, tam in minimis quam in maximis operibus miraculosis) egressa est virtus principalis Deitatis in persona ipsius operantis, qua ipse cum Patre & Spiritu sancto Unum est; juxta illud, *Pater meus operatur usque adhuc, & ego operor.* Ioh. V. 17

VIII. Redundantiam donorum Spiritus S. istam in reliquos omnes fideles, ut omnibus generatim, qui in Christum credebant, data fuerit potestas, & miracula faciendi, & variis linguis loquendi, & nihil non faciendi quod ad illustrandam Christi doctrinam spectaret, non minus quam Apostoli, minime confirmat dissertatio Apostoli, adnotata ex loco 1 Cor. XII. 7. 8. 9. 10. 11. sed manifeste asserit Apostolus, quamvis largiter in omnes effuso Spiritu Sancto, dona tamen illa extraordinaria non omnia omnibus distributa esse, sed alia aliis, ne dicere unus aliis posset, *non est mihi vobis opus*: ut videre est etiam versibus sequentibus, usque ad finem capitis.

IX. Verba vero ista ex *versu* 11. à *Smalcio* hic adscripta, (*omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*) destruunt illud quod intendit *Smalcius*, inficiationem videlicet istam, quod Spiritus S. non sit persona. Aut enim dicunt verba Apostoli veram personam, aut dicta erunt

per

per Prosopopoeïam seu personæ fictionem; tertium fingi non potest cogitatione. Per prosopopoeïam dicta esse respondent Anti-Trinitarii: sed frustra.

X. Est enim distinctus sermo Apostoli de distributis Spiritus sancti donis; & de Spiritu distribuente. Dona distributa vocat in plurali πνεύματα *Spiritus*; sicut *Cap.* XIV. 12. & 32. Hic necessario statuitur Prosopopoeïa, Personæ fictio: at hoc ipso argumento locum non habet prosopopoeïa in nominatione Spiritus distribuentis; ad quem fit plurium istorum Spirituum qui distribuuntur ἀνακεφαλαίωσις recollectio, ut ad τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται *unicum & eundem Spiritum distribuentem privatim singulis prout vult*. Manifeste enim sunt ἀντικείμενα ὡς πρός τι, Relative opposita, singulorum Spiritus, quorum fit ἀνακεφαλαίωσις recollectio, & Unicus ille Spiritus ad quem fit ἀνακεφαλαίωσις. Non ergo in illo uno nominato, sed ab illo denominatis spiritibus, est metonymia illa quæ personæ fictio dicitur: ille vero unus, sine fictione, vera Persona est.

XI. Neque reliqua illa loca quæ cumulat *Smalcius* 1 *Ioh.* II. 27. *Rom.* VIII. 16. *Math.* X, 20. *Act.* VI. 10. abducunt nos ab illa Fidei analogia, & Unctionem quam habent Christiani, quæ ipsos docet omnia, & auxilium quo succurritur ipsorum infirmitati, & sapientiam quæ datur martyribus cui nemo resistere potest, Dona esse, quibus demonstratur, à Persona Spiritus sancti, quem à Patre mittit Filius, regnari Ecclesiam sub Capite Christo, qui unus est cum patre & Spiritu sancto naturâ Deus, cujus est Potestas omnis in cœlo & in terra: & ex cujus plenitudine donantur Ecclesiæ omnia necessaria ad vitam & ad pietatem, virtute, non hominis divini, sed vere divina τῆς θεότητος Deitatis æternæ

XII. Et hactenus quidem infeliciter *Smalcius* hoc egit, ut evinceret, Spiritum Sanctum esse non personam, sed rem increatam cœlestem, Regno Christi in cœlo subjectam. Reliquo capite, nihilo felicius expedit tractationem, de iis rebus, quæ, in cœlo existentes, personæ non sunt, & à Deo creatæ sunt. Nihil tale indicans aut nominans quod in cœlo quidem tertio existat: adeoque iterum ludens in nominis Cœli æquivocatione.

INDEX PRIMUS

LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ

Quæ potissimum hoc Tomo Altero aut illustrantur brevius, aut explicantur latius.

INDEX SECUNDUS

AUCTORUM

Qui hoc Tomo Altero allegantur.

Dieteri-

Pareus

Q.

R.

S.

T.

V.

Walæus

INDEX TERTIUS

Vocum Hebræarum, hoc Tomo explicatarum.

INDEX QUARTUS

Vocum Græcarum, hoc Tomo explicatarum.

INDEX

INDEX QUINTUS
RERUM & VERBORUM
Quæ Altero hoc Tomo potissimum comprehenduntur.

A.

D.

E.

Finis

Lex

N.

P.

tem

homo

Re-

Sa-

&

Qqqqqq 3 Swenk-

V.

FINIS.